G Ghetti






NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
S
25 E
13
ROMA

R. P.

F. FRANCISCI GHETII

DE COMO

Sac. Theol. Praelectoris Ord. Praed.

THEOLOGIÆ MORALIS

SIVE

CASVVM CONSCIENTIÆ

E D. THOMÆ AQVINATIS DOCTORIS
Angelici, ac Diuinæ voluntatis interpretis doctrina.

TOMVS PRIMVS.

In qua perspici poterit quicquid ex Fonte Thomistico recentiores hauserint Summistæ;

Cum triplice Indice scilicet verborum, quaestionum, ac rerum notabilium.





PLACENTIAE, M. DC. XXVIII.

Ex Typographia Iacobi Ardizzoni Impressoris Ducalis.

ILL.^MO, & REV.^MO D.

D. IOANNI GARZIÆ

S. R. E. CARDINALI MILLINO,

SVPREMO FIDEI INQVISITORI,

AC S. D. N. PAPÆ VICARIO,

DOMINO COLENDISSIMO.



F. FRANCISCVS GHETIVS DE COMO LECTOR Theologus Ordinis Prædicatorum, & seruus. D. D. D.



VOD nomen tuum celeberrimum Princeps Illustrissime huic meo primo volumini præscripserim, plurimæ sunt rationes, ea siquidem est intellectus tui perspicacitas, voluntatis rectitudo, morum suauitas, vt cunctos allicias, cunctos ad tui amorem inuites: tanta est in rebus contemplandis tua sapientia, in agendis prudentia, vt nedum Vrbem, sed & vniuersum Orbem in tui admirationem trahas: talis est tua in nostram Dominicanam Religionem beneuolentia, vt me non solum, sed omnes Prædicatoriæ familiæ Alumnos tibi deuincias, ac indissolubili

amoris vinculo tibi adstringas: tot, ac tales sunt animi tui dotes, vt post tot honorificentissima, quæ subijsti, munera, te tandem ad amplissimam Cardinalatus dignitatem iampridem euexerint, ac Supremo nunc honore te dignissimum prædicent, & celebrent. Cui ergo hæc mea Theologia moralis è D. Thoma Aquinate Angelico Doctore desumpta magis dicanda est, quam tibi, Cardinalis Amplissime, viro vndique ornatissimo? Munus quidem, si nobilitatem tuam expendis, paruum, si dignitatem minus, si Virtutem, minimum; at contra, si imbecillitatem meam respicis, magnum, si obseruantiam, & affectum, quo offertur, maius, si materiam, de qua agitur, omnino maximum. Accipe igitur hilari fronte munus, quod tibi hilari, ac sincero corde offertur, excipe ipsum; & qui ad maxima vocaris, nunc in paruis asuesce. Vale fidei columen, ac Cardineæ dignitatis præcipuum decus. Vale diu felix. Dat. in Conuentu Sancti Dominici Casalis die prima Iunij 1628.

A V-

AVCTOR
BENIGNO LECTORI.





E pluribus te admonitum volo Candide Lector; imprimis causas aduertere debes, quibus tantam prouinciam suscipere, tantumq; laborem subire impulsus sum; tribus siquidem de causis motus sum, quarum prima est, vt conscientiæ fidelium consulerem, cum enim tanta sit discrepantia opinionum, contrarietas sententiarum de moralibus scribentium, vt tot sententiæ videantur, quot Capita, illæque à suis assertoribus fulciantur rationibus, auctoritatibus comprobentur, & ita mordicus sustineantur, vt in quam partem Christi fidelis inclinare debeat, penitus ignoret, operæ precium esse duxi in hanc methodum casus conscientiæ à Diuo Thoma Aquinate Doctore Angelico, ac Diuinæ voluntatis interprete decisos redigere, adunare, ac ordinare, vt vnusquisq; facile perspicere possit, quid tantus, tamque Sanctus Doctor docuerit cuius sententiam omnes appetunt scire, & admirantur, cuius auctoritas conscientiam quietat, consolidat, ac corroborat: habes ergo in his duobus libris quidquid D. Thomas senserit circa moralem Theologiam, quæ ita exactè, ita diligenter à tanto Doctore explicata est, vt quid amplius desiderare possit Lector, non habeat, vt patebit

horum voluminum studiosis, quos de hoc certos reddo, quod si doctrinæ in vno verbo edoctæ non quiescit eorum intellectus, consulant alia loca, satisque esse factum perspicient, puta si per doctrinam in verbo, Matrimonium, edoctam non quiescit lector, perlegat doctrinam declaratam in verbo, Cognatio, Consanguinitas, Coniugium, Debitum coniugale, Diuortium, Sponsalia, Votum, Vxor, tunc doctrinam omnibus numeris absolutam reperient: secunda causa est, vt vero Auctori Doctrinæ gloria attribuatur, eique gratiarum actiones agantur: cerno recentiores summistas de casibus conscientiæ sub diuersis titulis, quasi sub diuersis latibulis furtum occultantes, disserentes, ferè nihil veri dicere, nil solidi asserere, quod à D. Thoma Aquinate non mutuauerint, & tamen eius nomen subticent putantes eam doctrinam, quam iam à multis annis docuit D. Thomas Theologorum summitas sibi tanquam proprijs auctoribus attribui debere; & quod deterius est, Doctrinam à D. Thoma iam diu edoctam aliqui attribuunt auctoribus nullius nominis, nullius famæ, quo quid absurdius? nec mirum cum isti ea, quæ aggerant, non in proprio fonte, sed in schedulis, vel melius dicam, cartulis aliorum inspiciant: furtum ergo in his voluminibus detegitur, quod alij ex fonte Thomistico hauserint, aperitur, quid ab alijs fuerit omissum, & à D. Thoma explicatum ostenditur, & quod falsò alijs adscribatur, indicatur: tertia causa est, vt commoditati studiosorum consulerem, in his enim duobus libris vnitè habentur, quæ à Sancto Thoma sparsim in pluribus suis voluminibus, quæ à multis haberi non possunt, edocentur.

Debinc certus esto sententiam D. Thomæ fidelissimè, ac sincerè à me allatam esse, vt formalissima, & vt ita dicam ipsissima verba D. Thomæ testantur, vt patebit conferenti loca in calce quæstionum citata cum textu eiusdem Sancti Doctoris, quorum primus locus eum denotabit, à quo desumpta est de verbo ad verbum doctrina, cætera vero loca, (si quæ plura citantur) non ipsa verba, sed substantiam eamdem, vel aliquid amplius indicant, vnde consultò plura loca afferuntur, vt lector abundantiorem doctrinam habeat, & quod ex vno loco non percepit, percipiat ex alio.

Præ-

Præterea scias vt plurimum non præcisam sententiam D. Thomæ hic allatam esse, sed suis etiam rationibus proprio marte Sancti Doctoris adinuentis fulcitam, ne solæ innitaris auctoritati D. Thomæ, quamuis maxima sit in Ecclesia Dei, sed vt etiam habeas, vnde eam defendas, tuearis, de eaq; discurras; aliquando tamen, sed raro doctrinam sine ratione affero, cum nec D. Thomas eam attulerit, & eam adducere non fuerit opus, tum ex claritate doctrinæ, cum ex communi approbatione, attamen adduco ipsa verba D. Thomæ Aquinatis, cuius auctoritas à me præfertur cuilibet rationi etiam demonstratiuæ.

Deinde obserua hos meos labores per biennium confectos non esse vndequaq; perfectos, cum mihi ocium non suppeteret sufficiens hæc scribendi, ordinandi, epilogandi inter tot occupationes, quibus tenebar in quotidianis Lectionibus Thæologicis meditandis, & multis alijs circa scholasticam, & alia agendis, dum prælector Papiæ, & Placentiæ eram, ideo noli benignè Lector repræhendere me meliora, & maiora à te expectantem. hoc tamen scias, quod si hanc doctrinam profundè meditatus fueris, omnes dubietates circa moralem Theologiam à te effugient, nil enim circa hanc excogitari potest, quod ab omniscio D. Thoma non fuerit vel explicatum, vel insinuatum, demptis quibusdam paucis post eius obitum determinatis per constitutiones emanatas à diuersis Summis Pontificibus. hisce temporibus libri implentur casibus singularibus, qui quia in infinitum poßunt multiplicari, ideo & scribendorum librorum circa moralem Theologiam nunquam erit finis, sed si regulis explicatis à D. Thoma ingeniosus studuerit, omnium casuum resolutionem habebit. Has ergo meas lucubrationes frequenter præ manibus habeas, eas legas, ac perlegas, eas mediteris, si vis breui temporis curriculo de moralibus sufficienter instructus esse, si vis securus eße in conscientia memor illius dicti Clementis Octaui in litteris ad Neapolitanos directis de D. Thoma sermonem facientibus QVI IN OMNI FERE DISCIPLINARVM GENERE SINE VLLO PRORSVS ERRORE CONSCRIPSIT. vnde meritò Innocentius Quintus dicebat QVI THOMAM IMPVGNAVIT, FVIT

SEMPER DE VERITATE SVSPECTVS, ET QVI EVM TENVIT, NVNQVAM INVENTVS EST A VERITATIS TRAMITE DEVIASSE. *nec mirum cum fuerit alumnus Dominicanæ Religionis, quæ à Paulo Quinto* BRACCHIVM DEXTERVM ECCLESIAE DEI *vocabatur*.

Postremò animaduerte, quod si quid ex his libris didicisti, gratias age Deo bonorum omnium largitori, gratias age D. Thomæ Theologorum fonti, huius Doctrinæ Auctori, à quo quidquid ego scio, etiam didici. Vale diu felix, Vale.



Appro-

Approbatio admodum Reuer. Patris Fratris Petri Ioannis Saragosa de Heredia Magistri, ac terræ Sanctæ Prouincialis.



Heologiam Moralem duobus tomis distinctam, quam ex verissima, syncerissima, præclarissimaque S. Thomæ doctrina eisdē verbis R. P. Frater Franciscus Ghetius de Como Sacræ Theologiæ Lector decerpsit, iussu Reuerendiss. P. Fratris Seraphini Sicci Papiensis Generalis Magistri Ordinis Prædicatorū vidi, & deprehendi quanto labore, quanta diligentia, quamque solerti industria eximius Auctor, quæ ab Angelico Doctore in suis operibus sparsim sunt tradita, in vnum collegerit, ordine alphabetico disposuerit, suisq; summarijs illustrauerit. ex ipsius impressione ea vniuersæ Christianæ Reipublicæ proueniet vtilitas, vt ex solius eiusdem continua lectione, etiam Summis alijs intactis, non tantum insipientes, sed & sapientes Viri totius moralis Theologiæ, casuumue conscientiæ certiorem, profundiorem, clariorem, ac securiorem capiant cognitionem. quamobrem dignam illam censeo, quæ omnino imprimi debeat. In quorum fidem præsentibus subscripsi manu propria. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam die 24. Decembris 1626.

Fr. Petrus Ioannes Saragosa de Heredia Magister.

Approbatio admodum R. P. Fratris Dominici de Grassis Romani Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magistri.



Egi accurratè, ac diligenter hoc opus in duos tomos diuisum æditum ab admodum R. P. Fratre Francisco Ghetio Nouocomensi Sacræ Theologiæ Lectore doctissimo, atque ab eo inscriptum, Theologia moralis, siue casus conscientiæ ex D. Thomæ Aquinatis doctrina, quam cum nemo sit, qui approbare non debeat, nemo etiam est, qui non possit hoc idem opus, & approbare, & summopere laudare. quapropter censeo typis mandatum omnibus legentibus, & delectationem, & vtilitatem, quam maximam esse allaturum. In quorum fidem &c. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam. Die 17. Octobris 1626.

Fr. Dominicus de Grassis Romanus Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magister.

Facul.

Facultas Reuerendissimi P. Fratris Seraphini Sicci Papiensis totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri.

Nos Frater Seraphinus Siccus Papiensis totius Ordinis Prædicatorum Magister Generalis.



Isis suprascriptis attestationibus admodum Reuerendorum Patrum Magistrorum, quantum ad nos attinet, concedimus, vt typis demandetur seruatis seruandis iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini. In quorum fidem his nostro sigillo munitis manu propria subscripsimus. Romæ die 16. Ianuarij 1627.

Frater Seraphinus qui supra &c.

Registrata folio 331.

Locus ✠ sigilli.

Frater Ioannes Vincentius de Valentia Magister, & Socius.

Approbatio admodum R. P. Fratris Cornelij Ruscij de Placentia Sacræ Theologiæ Lectoris.



Idi accuratè, ac diligenter perlegi ex commissione admodum Reuer. P. Inquisitoris Placentini Fratris Claudij à Burgotario Sacræ Theologiæ Magistri librum in duos tomos diuisum, cuius titulus est, Theologia moralis, seu casus conscientiæ ex D. Thomæ Aquinatis Angelici Doctoris, ac Diuinæ voluntatis interpretis doctrina æditum ab admodum R.P. Fratre Francisco Ghetio de Como Sacræ Theologiæ Lectore doctissimo; & cum omnia in illo contenta nedum fidei Catholicæ sint congrua, sed etiam ex ipso fonte doctrinæ eiusdem S. Doctoris fideliter sint decerpta, ideo existimo, si huiusmodi opus typis mandetur, omnes illum legentes, & vtilitatem, & delectationem esse percepturos. In quorum fidem &c. Placentiæ in Conuentu S. Ioannis in Canalibus. Die 27. Augusti 1627.

Fr. Cornelius Ruscius à Placentia Sacræ Theologiæ Lector Ordinis Prædicatorum.

Appro-

Approbatio admodum Reuer. D. Iacobi Baderna R. S. Pauli, & S.T.D.



GO infrascriptus ex commissione admodum Reu. P. Inquisitoris Placentiæ vidi præsentem librũ à littera A. vsq; ad litteram D. inclusiuè, eumq; nihil contra sanam doctrinam, aut bonos mores continere perspexi, immo doctrinam Angelici Doctoris redolere non solum, sed etiam eiusdem verba in ordinem alphabeticum redacta referre. propterea dignum iudicaui, vt imprimatur, & in publicam lucem prodeat. In quorum fidem &c. ex ædibus D. Pauli Placentiæ. Die 27. Ianuarij 1627.

Iacobus Baderna R. S. Pauli S. T. D.

Approbatio admodum Reu. D. Isidori Ghirardij S. T. Doctoris, & Prioris S. Sauini, & Sancti Officij Consultoris.



Andato Reuerendissimi P. Inquisitoris Ciuitatis Placentiæ P. Magistri Fratris Claudij Costamezanæ de Burgo Vallis Tarri ego infrascriptus lucubrationem istam à littera E. vsq; ad finem vidi, perlegi, & examinaui talem in fronte defferentem titulum; Theologia moralis, seu casus conscientiæ è D. Thomæ doctrina Auctore admodum R. P. Fratre Francisco Ghetio de Como Sacræ Theologiæ Lectore, in qua nil fidei Catholicæ, bonisq; moribus, Sacrorumue Decretorum Canonibus, nec non, & regulis Indicis contrarium reperi, quinimmo tanquam opus præclarum ob Thomisticæ doctrinæ soliditatem, methodiq; breuitatem ad communem vtilitatem, præcipuè vero curã animarum gerentium typis mandari debere adiudicaui. In quorum fidem. Dat. Placentiæ sub die vigessima quinta Ianuarij 1628.

Ego D. Isidorus Ghirardius S. T. D. Prior S. Sauini, & Sancti Officij Consultor.

Imprimatur.

F. Claudius C. ex oppido V. Tarri Inquisitor Placentiæ.

Conceditur, vt præsens liber imprimatur. Dat. Placentiæ in Episcopali Palatio die 27. Ianuarij 1627.

V. Rainerius Prouic. Gen.

V. Iulius Cæsar Biccochus Duc. Cam. Plac. Cancell.

AVCTO-

AVCTORIS
Elogium de Diuo Thoma Aquinate.

DIVVS THOMAS AQVINAS DOCTOR ANGELICVS,
DIVINAE VOLONTATIS INTERPRES,
OMNISCIVS,
PRIMVS, MEDIVS, ET NOVISSIMVS OMNIVM DOCTORVM;
ALPHA OMNIVM LITTERARVM,
SVMMITAS OMNIVM THAEOLOGORVM;
THAEOLOGVS THAEOLOGORVM,
FLOS INGENIORVM,
FAENIX SCOLASTICORVM;
SAPIENTVM CORIPHEVS,
SINE VLLO PRORSVS ERRORE CONSCRIPSIT:
CVIVS DOCTRINAM VNIVERSITAS PARISIENSIS CELEBRAT:
SVMMI PONTIFICES TANQVAM CATHOLICAM OMNIBVS AMPLECTENDAM PROPONVNT.
SCHOLASTICI DOCTORES PRAEDICANT;
ACADEMIAE OMNES ADMIRANTVR;
VNIVERSVS ORBIS MIRIS EFFERT PRAECONIIS;
PETRVS, ET PAVLVS COMMENDANT:
VIRGO DEIPARA LAVDAT:
CHRISTVS NON SEMEL APPROBAT.
QVI TOT MIRACVLA FECIT, QVOT ARTICVLOS COMPOSVIT:
HAERETICOS CONFVTAVIT AB HAERETICIS LAVDATVS:

ECCLE-

ECCLESIAM SVSTINET:

CATHOLICOS CONFIRMAT:

RELIGIONEM DOMINICANAM SVMME ILLVSTRAT:

ITALIAM GLORIOSAM REDDIT;

ORBEM TANQVAM SOL ILLVMINAT.

CVIVS VITAM, AC SANCTITATEM CVNCTI EXTOLLVNT:

MIRACVLA ADMIRANTVR:

MAGNALIA PRAEDICANT.

QVI VELVT SOL IN ORBE EMICAT:

NVBES HAERESVM DISPERGIT:

NEBVLAS ERRORVM FVGAT.

CVIVS DOCTRINA ITA EXACTA EST, VT HAEC SOLA SVFFICIAT:

ITA CLARA, VT NVLLVM LATEAT:

ITA BREVIS, VT BREVI TEMPORIS CVRRICVLO HOMO EAM PERCIPIAT.

ITA SECVRA; VT NVLLVM DECIPIAT.

EST VNICA, SINGVLARIS,

ANGELICA, DIVINA.

IDEO AMABILIS;

AMPLECTENDA.



DE

DE D. THOMA AQVINATE

Francisci Bonuini Rectoris Ripaltæ.



Vrgat Aquinati quæ maior gloria Thomæ,
Ancipites inter sistimus vsque vices.
Moribus hinc animus fulget spectabilis aureis,
Qui niuea ditat pectora Sancta fide.
Hinc patet è calami docto Sapientia nisu
Vnde Sacris picta est pagina multa notis.
At quid adhuc dubitem? Thomæ par gloria vtrinque est;
Maximus est animo, maximus est calamo.

Ad Reu. P. Franciscum Ghetium operis Auctorem.

Eiusdem Francisci Bonuini Rectoris Ripaltæ.



EV populatur apis flores studiosa matinos,
Et puris stipat cerea castra fauis,
Tu quoque sic Thomæ depasceris aurea dicta,
Hincque tuum Gheti sedule condis opus.
Condis opus, prodisque ipsi mirabile Thomæ,
Cum tamen ingenium vexerit ille tuum.
E Thoma conflatur opus, Thoma auspice? cunctos
Id comitet Thomæ fama per vsque dies.

A S.

A S. T O M A S O

Di D. Francesco Bonuino Rettore di Riualta.



On tu ne piedi, e ne le man portasti
Quelle piaghe celesti,
Che in dono al gran Francesco il Ciel concesse;
Ma per Dio tanto oprasti,
E si alto scriuesti,
Che mostran le opre tue le piaghe istesse,
Onde dir posiam noi, che il mondo hà visto
In vn TOMASO sol Francesco, e Christo.

Dell'istesso all'Auttore.



Entre tenti FRANCESCO à noi scoprire
Di Dio gli alti misteri,
Che già TOMASO il grande espresse in carte,
Si sourano è il tuo dire,
Si Santi i tuoi pensieri,
Che io tento in van spiegar tue lodi in parte.
Sol posso dire, che il secol nostro hà visto
In te Francesco sol Tomaso, e Christo.

Vrba-

Vrbanus Quintus de D. Thoma Aquinate, eiusque Doctrina.

VOlumus, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt Beati Thomæ Doctrinam tanquam veridicam, & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.

Vaticinium de D. Thoma.


DE FRVCTV OPERVM TVORVM SACIABITVR TERRA.

Psalm. 103.



R.P.F.

R. P. F. FRANCISCI GHETII DE COMO



Sac. Theol. Prælectoris Ord. Prædicat.

THEOLOGIA MORALIS, SEV CASVS CONSCIENTIAE E D. THOMAE AQVINATIS DOCTRINA.

ABBAS.

Abbas inuestitur per baculum.

Quæritur per quid inuestiatur Abbas.

RESpondeo dicendum, quòd Abbas inuestitur per baculũ, sicut canonicus per librum, Episcopus per annulum 3. p. q. 6. ar. à pr. in corp.

ABBATISSA.

1 *Abbatissæ non habent prælationem ordinariam, sed quasi ex commissione.*
2 *Abbatissæ nõ debent eligi nimis iuuenculæ.*
Ecclesia non ponit tantam diligentiã in electione Abbatissæ inclusæ, sicut liberæ.
3 *Abbatissæ non habent aliquam iurisdictionem spiritualem.*
Abbatissa non habet clauem ordinis, neque iurisdictionis.
Mulieribus committitur aliquis vsus clauium, & quis.

Quæritur an Abbatissæ possint temporaliter dominari.

1 RESpondeo dicendum, quòd de Abbatissis dicitur, quòd non habent prælationem ordinariã, sed quasi ex cõmissione propter periculũ cohabitationis virorũ ad mulieres, & sicut Delbora præfuit in temporalibus, non in Sacerdotibus, ita & nunc mulieres possunt temporaliter dominari. 4. sent. d. 25. q. 2. a. p. quæst. 1. ad 4.

Quæritur cuius ætatis debeant esse mulieres, quæ debent eligi in Abbatissas.

2 Respondeo dicendum, quòd inordinatum est, quòd nimis iuuenculæ fiant Abbatissæ, sed tamen non est tanta diligentia Ecclesiæ in eis, quæ sunt inclusæ, vt in eis, quæ sunt liberæ. lec. 2. pri. ad Timoth. cap. 5.

Quæritur an Abbatissa habeat vsum clauium.

3 Respondeo dicendũ, quod mulier secundùm Apostolum est in statu subiectionis, & ideo ipsa non potest habere aliquã iurisdictionem spiritualem, quia etiam secundùm Phylosophum in 8. Ethicorum cap. 7. corruptio vrbanitatis est, quando ad mulierem peruenit dominium, vnde mulier non habet neque clauẽ ordinis, neq; clauem iurisdictionis, sed mulieri cõmittitur aliquis vsus clauium, sicut ha-

bere correptionem in subditas mulieres propter periculũ, quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent. 4. sent. d. 19. q. 1. art. 1. quæst. 3. ad 4.

ABORSVS.

1 *Abortiuus fœtus dicitur tripliciter.*
2 *Aborsus est inter maleficia computandus.*
Aborsus est contra naturam.
Aborsus est peccatũ minus homicidio.
Aborsum procurans non est irregularis, nisi puerperio iam formato.

Quæritur quis dicatur fœtus abortiuus.

1 Respondeo dicendum, quòd abortiuus dicitur aliquis fetus, vel quia nascitur extra tempus debitum, vel cum violentia educitur, vel quia non perducitur ad debitam quantitatem. lec. 1. super cap. 15. pri. ad Corinth.

Quæritur quantũ sit peccatum aborsus.

2 Respondeo dicendũ, quòd hoc peccatũ quamuis sit graue, & inter maleficia computandum, & contra naturam, quia etiam bestiæ fœtus expectant, tamen est minus, quàm homicidium, quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus; nec est iudicandus talis irregularis, nisi iam formato puerperio aborsum procuret. 4. sent. d. 31. in expositione textus.

ABSOLVTIO.

De absolutione in communi. Cap. 1.

1 *Ad absolutionem à peccato requiritur potestas ordinis, & iurisdictionis.*
Potestas ordinis est in omnibus Sacerdotibus æqualiter, non autem potestas iurisdictionis.
Potestas iurisdictionis est in Prælato.
Potestas ordinis quantum sit de se se extendit ad omnes.
Vsus potestatis ordinis in absoluendo à peccatis mortalibus præsupponit potestatem iurisdictionis.
2 *Sacramentum pœnitentiæ in quo consistat.*
Ego te absoluo est conueniens forma sacramenti pœnitentię.
3 *Quare Sacerdos potius dicit, Ego te absoluo, quàm ego tibi peccata remitto.*
Quare Sacerdos addit, in nomine Patris, & Filij &c.
Additio prædictorum verborum relinquitur arbitrio Sacerdotis.
4 *Quare absolutio fiat per modũ indicatiuum.*
Absolutioni præmitti debet deprecatio, Misereatur, & quare huiusmodi deprecatio nõ est de essentia Sacramenti, sed ad benè esse.
5 *Quare in quibusdam Sacramentis fit impositio manuum.*
Impositio manus non est necessaria, dum quis absoluitur, & quare.
6 *Superior potest sibi reseruare aliqua peccata.*
Inferior Sacerdos de quibus peccatis possit absoluere.
Casus quinque, in quibus inferior ad Superiorem debeat recurrere.
7 *Absolutio refertur ad culpam, nõ ad pœnã.*
Absolutio est de omnibus culpis.
Absolutio Sacramẽtalis remittit partem pœnæ.
Absolutio totalis pœnarum fit per Indulgentiam.
8 *Absolutio liberat ab omnibus defectibus culpæ, non autem ab omnibus defectibus pœnæ.*
Sacerdos potest absoluere à peccatis, & pœnitentem remittere ad Superiorem pro amotione pœnæ.
Non potest Sacerdos absoluere aliquẽ excõmunicatum à peccatis quin prius eum absoluat ab excommunicatione.
9 *Absolutiones publicæ, quæ fiunt in Prima*

ma, completorio, in Cœna Domini non sunt sacramentales.

Huiusmodi absolutiones sunt ordinatę ad remissionem peccatorum venialium.

Per hæc verba, Misereatur &c. & Absolutionem &c. non significat Sacerdos absolutionem fieri, sed petit, vt fiat.

Quæritur quotuplex potestas requiratur in absolutione à peccato.

1 Respondeo dicendum, quòd ad absolutionem à peccato requiritur duplex potestas scilicet potestas ordinis, & potestas iurisdictionis, prima quidem potestas est, ęqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda, & ideo vbi Dominus Ioannis 10. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinē, vnde & Sacerdotibus quando ordinantur illa verba dicuntur; sed Petro dedit singulariter potestatē remittendi peccata Matthęi 16. vt intelligatur, quod ipse præ alijs habet potestatem iurisdictionis; potestas autem ordinis quantùm est de se se extendit ad omnes absoluendos, & ideo indeterminatè Dominus dixit, quorum remiseritis peccata, intelligens tamen, quòd vsus illius potestatis esse deberet præsupposita potestate Petro collata secundùm ipsius ordinationem. 4. sent. d. 19. q. 1. ar. 3. quæst. 1. ad 1.

Quæritur quænam sit forma Absolutionis.

2 Respondeo dicendum, quòd Sacramentum pænitentiæ non consistit in consecratione alicuius materiæ, nec in vsu alicuius materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione cuiusdam materiæ scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia pęnitentiæ, talis autem remotio significatur à Sacerdote, cū dicitur, Ego te absoluo, nam peccata sunt quædam vincula secundùm illud prouerb. 5. iniquitates tuæ capiunt impium, & funibus peccatorū suorum quisque constringitur, vnde patet, quod hæc est conueniens forma huius Sacramenti, Ego te absoluo. 3. p. q. 84. ar. 3. in corp.

Quęritur quare Sacerdos magis vtatur his verbis, Ego te absoluo quam alijs verbis.

3 Respondeo dicendū, quòd Sacerdos potius dicit, Ego te absoluo, quā ego tibi peccata remitto, quia hoc magis cōgruit verbis, quæ Dominus dixit virtutē clauium ostendens, per quas Sacerdotes absoluūt, quia tamen Sacerdos, sicut minister absoluit, conuenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, scilicet, vt dicatur, Ego te absoluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel per virtutem Passionis Christi, vel auctoritate Dei, sicut Dionysius exponit 3. cap. cælestis Hierarchię. Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi sicut in Baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio Sacerdotis. 3. p. q 84. art. 3. ad tertium.

Quæritur an verba Sacerdotis absoluentis debeant esse per modum deprecationis.

4 Respondeo dicendū, quòd quædam Sacramenta sunt, in quibus ex administratione Sacramenti semper consequitur aliquis effectus in suscipiente, nec impeditur propter indispositionē voluntatis suscipientis, sicut est in omnibus Sacramentis, quæ imprimunt caracterem, & ideo in illis verba propter certitudinem exprimunt presentialiter effectum Sacramenti, vel per modum indicatiuum sicut in Baptismo, & Confirmatione, vel per modum imperatiuum, sicut in Ordine: in Pænitentia impeditur omnis effectus absolutionis per indispositionem voluntatis, & tamen ipsa absolutio quā-

tum est de se sufficienter, & certitudinaliter inducit effectũ suum, nisi sit aliquod impedimentum, & ideo absolutio per modum indicatiuum fit, sed præmittitur deprecatio scilicet, Misereatur, vt effectus absolutionis non impediatur, tamen non est de esse Sacramenti, sed de bene esse ipsius. 4. sent. d. 22. q. 2. ar. 2. quæst. 3.

Quæritur an manuum impositio requiratur in absolutione.

5 Respondeo dicendum, quòd impositio manuum in Sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponũtur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet, & ideo manus impositio fit in Sacramẽto Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in Diuinis mysterijs, vnde & secundæ ad Timoth. pri. dicitur, Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; Sacramentum autem Penitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum, & ideo ad hoc Sacramentum non requiritur manuũ impositio, sicut etiam nec ad baptismũ, in quo tamen fit plenior remissio peccatorũ. 3. p. q. 84. a. 4. in corp. Opusc. 22. c. 3.

Quæritur an Sacerdos possit semper suum subditum absoluere.

6 Respondeo dicendum, quòd potestas ordinis quantùm est de se extendit se ad omnia peccata remittenda, sed quia ad vsum huius potestatis requiritur iurisdictio, quæ à maioribus in inferiores descendit, ideo potest superior aliqua sibi reseruare, in quibus iudicium inferiori committat, aliàs de quolibet peccato potest simplex Sacerdos iurisdictionem habens absoluere: Sunt autem quinque casus, in quibus oportet, quòd simplex Sacerdos ad superiorem pænitentem remittat; primus est quando est solemnis imponenda penitentia, quia eius minister proprius Episcopus est; secundus est de excommunicatis, quando inferior Sacerdos non potest absoluere: tertius quando inuenit irregularitatem contractam, pro cuius dispensatione debet ad superiorẽ remittere: quartus de incendiarijs; quintus quando est consuetudo in aliquo Episcopatu, quòd enormia crimina ad terrorem Episcopo reseruantur, quia consuetudo dat, vel auffert in talibus potestatẽ; 4. sent. d. 19. q. 1. a. 3 quæst. 2. in corp.

Quæritur quid remittatur per absolutionem.

7 Respondeo dicendum, quòd verbum Sacerdotis dicẽtis Absoluo te ab omnibus peccatis tuis, non refertur ad penam, sed ad culpam, cuius absolutioni ministerium impendit, non potest autem aliquis absolui ab vna culpa, quin absoluatur ab omnibus, pæna verò potest totaliter dimitti, vel particulariter, particulariter quidem in absolutione Sacramentali dimittitur, totaliter verò in spirituali gratia indulgentiæ, sicut etiã Dominus dicit Ioannis 8. mulieri adulteræ, non te cõdemnabo, vade, & amplius noli peccare. quodlibeto 2. ar. 16. ad 4.

Quæritur an absoluens à culpa, absoluat etiam à pæna annexa.

8 Respondeo dicendum, quòd Pænitentia ab omnibus defectibus culpæ liberat, non autem ab omnibus defectibus pænæ, quia adhuc post peractam pænitentiam de homicidio aliquis remanet irregularis; vnde Sacerdos potest de crimine absoluere, & pro pæna amouenda ad superiorem remittere, nisi in excommunicatione

tione, quia abſolutió ab ipſa debet præcedere abſolutionem à peccato, quia quamdiù aliquis eſt excommunicatus nõ poteſt recipere aliquod Eccleſiæ Sacramentũ. 4. ſent. d. 19. q. 1. a. 3. quæſt. 2. ad 2.

Quæritur an abſolutiones, quæ fiunt in Prima & Completorio, & in Cæna Domini ſint Sacramentales.

9 Reſpondeo dicendum, quòd abſolutiones in publico factæ ſicut in Prima, in Cõpletorio, & in Cœna Domini non ſunt ſacramentales, ſed ſunt orationes quædã ordinatæ ad remiſſionem venialium peccatorum, vnde in Sacramentali abſolutione non ſufficeret dicere, miſereatur tui omnipotens Deus, vel, abſolutionem, & remiſſionem tribuat tibi Deus, quia per hæc verba Sacerdos abſolutionem nõ ſignificat fieri, ſed petit, vt fiat; præmittitur tamen etiam in Sacramentali abſolutione talis oratio, ne impediatur effectus ſacramẽti ex parte pœnitentis, cuius actus materialiter quodammodo ſe habent in hoc Sacramento, non autem in Baptiſmo, vel Confirmatione. 3. p. q. 84. a. 3. ad 1.

Quæritur quid faciat abſolutio in eo, cui iam ſunt dimiſſa peccata per contritionem.

Reſpondeo ſicut verbo. Confeſſio cap. 1. q. 11.

De eo, qui poteſt abſoluere. Cap. 2.

1 *Chriſtus eſt principale, Sacerdos inſtrumentale agens abſolutionis.*

Nõ poteſt homo abſoluere niſi ſit ordinatus.

2 *Solus Sacerdos poteſt abſoluere.*

3 *Contritio, confeſſio, ſatisfactio ſunt partes pænitentiæ.*

Non habens iuriſdictionem non poteſt abſoluere.

Proprio Sacerdoti oportet abſolutionem fieri.

4 *Sacerdos quantum ex virtute clauium poteſt quemlibet à quolibet peccato abſoluere.*

Per ordinationem Eccleſię limitatur poteſtas iuriſdictionis, per quod non poteſt abſoluere ab omnibus peccatis.

In articulo neceſſitatis quilibet Sacerdos poteſt abſoluere ab omnibus peccatis.

Per talem abſolutionẽ conſequitur pęnitens tantum quantum ſi abſolueretur à proprio Sacerdote.

5 *Abſolutus in articulo mortis, ſi ſanetur, non tenetur reuertere ad proprium Sacerdotem, vt iterum abſoluatur ab eo, ſed vt ei innoteſcat abſolutio facta.*

Abſolutus ab excommunicatione in tali caſu non tenetur recurrere ad iudicem petens abſolutionem, ſed offerens ſatisfactionem.

6 *Qui habet indiſtinctam poteſtatem, poteſt abſoluere omnes.*

Qui habent diſtinctam poteſtatem, poſſunt tantum abſoluere illos, qui ſibi in ſortem contingunt.

7 *Effectus ſacramentales non excluduntur per culpam quamcunq; conferentis Sacramentum.*

Hæretici, Schiſmatici non poſſunt abſoluere, nec excommunicare, & alia huiuſmodi facere, quòd ſi fecerint, nihil eſt actũ.

8 *Hæreticus non poteſt abſoluere nec gratiã conferre in Sacramentis. Præciſus ab Eccleſia non habet iuriſdictionem.*

9 *Papa per alium abſoluens dicitur per ſeipſum abſoluere.*

Quæritur an non ordinatus poſſit abſoluere?

1 Reſpondeo dicendum, quòd agens per ſe, & agens inſtrumentale in hoc differunt, quòd agens inſtrumentale non inducit in effectu ſimilitudinem ſuã, ſed ſimilitudinem principalis agentis; principale autem agens inducit ſimilitu-

dinem suam, & ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens, quod habet aliquam formam, quam in alterum transfundere potest, non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc, quod est applicatum à principali agente ad effectum aliquem inducendum, cum ergo in actu clauium principale agens sit Christus, vt Deus per auctoritatem, & homo per meritum ex ipsa plenitudine Diuina bonitatis in eo, & ex perfectione gratiæ consequitur, quod possit in actum clauium, sed homo alius non potest in actū clauium sicut per se agens, quia nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest, nec sufficienter mereri, & ideo nō est, nisi sicut agens instrumentale, vnde & ille, qui effectum clauium consequitur, non assimilatur vtenti clauibus, sed Christo, & propter hoc quantumcunque aliquis habeat de gratia non potest pertingere ad effectum clauium, nisi applicetur ad hoc, vt minister per ordinis susceptionem. 4. sent. d. 19. q. 1. art. 2. quæst. 1. in corp.

Quæritur an quilibet ordinatus possit absoluere.

2 Respondeo dicendū, quòd quia gratia sacramētalis descendit in corpus misticum à capite, ideo omnis operatio in corpus misticum sacramentalis, per quā gratia datur dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum, & ideo solus Sacerdos potest absoluere in foro pœnitentiali, & baptizare ex officio, 4. sent. d. 7 q. 3. a. 1. quæst. 3.

Quæritur an solum proprius Sacerdos possit absoluere.

3 Respondeo dicendum, quòd alia Sacramenta non consistunt in hoc, quod ad Sacramentum accedens aliquid agat, sed solū vt recipiat, sicut patet in baptismo, & huiusmodi, sed actus recipientis requiritur ad percipiendum vtilitatem Sacramenti in eo, qui est suæ voluntatis arbiter constitutus quasi remouens prohibens scilicet fictionem, sed in pęnitentia actus accedentis ad Sacramentum est de substantia Sacramenti eo quod contritio, confessio, & satisfactio sunt pænitentiæ partes, quæ sunt actus pænitentis, actus autem nostri cum in nobis principium habent, non possunt nobis ab alio dispensari, nisi per imperium, vnde oportet, quod ille, qui dispensator huius Sacramenti constituitur, sit talis, qui possit imperare aliquod agendum; imperium autē non competit alicui in alium, nisi qui habet super eum iurisdictionem, & ideo de necessitate huius Sacramenti est non solum, vt minister habeat ordinem, sicut in alijs Sacramentis, sed etiam quod habeat iurisdictionem, & ideo sicut ille, qui non est Sacerdos non potest hoc Sacramentū conferre, ita nec ille, qui non habet iurisdictionem, & propter hoc oportet sicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti confessionem fieri, cum enim Sacerdos non absoluat nisi ligando ad aliquid faciendū, ille solus potest absoluere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 4. quæst. 4. in corp.

Quæritur an in necessitate quilibet Sacerdos possit quemlibet absoluere.

4 Respondeo dicendum, quòd quilibet Sacerdos quantum est de virtute clauium habet potestatem indifferenter in omnes, & quantum ad omnia peccata, sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absoluere hoc est, quia per ordinationē Ecclesiæ habet iurisdictionem limitatā, vel omnino nullam habet; sed quia necessitas legem non habet, ideo quando articulus necessitatis imminet per Ecclesię ordinationem non impeditur quin absoluere possit ex quo habet claues etiā

Sacra-

Sacramentaliter, & tantùm consequitur ex absolutione alterius, sicut à proprio Sacerdote absolueretur, nec solùm à peccatis potest tunc à quolibet Sacerdote absolui, sed etiam ab excommunicatione à quocunque sit lata, quia hæc absolutio etiam ad iurisdictionem pertinet, quæ per legem ordinationis Ecclesię coarctatur. 4. sent. d. 20, q. 1. a. 1. quæst. 2. in corp.

Quæritur an absolutus in articulo necessitatis à non proprio Sacerdote, debeat recurrere ad proprium postea.

5 Respondeo dicendũ, quòd non oportet eum recurrere ad proprium Sacerdotem, vt iterum à peccatis soluatur, à quibus in articulo mortis absolutus est, sed vt innotescat ei, quod est absolutus; nec similiter oportet, quod absolutus ab excommunicatione ad iudicem vadat, qui aliàs absoluere potuisset absolutionem petens, sed satisfactionẽ offerens. 4. sent. d. 20. q. 1. a. 1. quæst. 2. ad 2.

Quęritur an extra casum necessitatis quilibet Sacerdos possit quemlibet absoluere.

6 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ circa singularia operari oportet non eodem modo omnibus competunt, vnde sicut post generalia medicinæ præcepta oportet adhiberi medicos, à quibus præcepta vniuersalia medicinæ singulis infirmis secundum quod debent aptentur, ita in quolibet Principatu præter illum, qui vniuersaliter præcepta legis tradit, oportet esse aliquos, qui ea singulis secundum quod debent adaptent, & propter hoc etiam in cęlesti Hierarchia sub potestatibus, qui indistinctè præsunt ponuntur Principatus, qui singulis prouincijs distribuuntur, & sub his Angeli, qui singulis hominibus in custodiam deputantur; vnde & ita debet esse in Prælatione Ecclesiæ militantis, vt apud aliquem esset Prælatio indistinctè in omnes, & sub hoc essent alij, qui super diuersos distinctam potestatem acciperent; & quia vsus clauium requirit aliquam prælationis potestatem, per quam ille, in quem vsus clauiũ communicatur, efficitur materia propria illius actus, ideo ille, qui habet indistinctam potestatem super omnes, potest vti clauibus in quemlibet, illi autem, qui sub eodem distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet possunt vti clauibus, sed in eos tantùm, qui eis in sortem venerunt nisi in necessitatis articulo, vbi nemini Sacramenta sunt deneganda. 4. sent. d. 19. q. 1. a. 3. quæst. 1. in corp.

Quæritur an absolutio mali Sacerdotis teneat.

7 Respondeo dicendum, quòd duplex est spiritualis potestas, vna quidem Sacramentalis, alia iurisdictionalis, Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquam consecrationem confertur, omnes autem consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles manente re, quæ consecratur, sicut etiam patet in rebus inanimatis, nã Altare semel consecratum non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum, & ideo talis potestas secundùm suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus quamdiù viuit, siue in schisma, siue in hæresim labatur, quod patet ex hoc, quod rediens ad Ecclesiam non iterum consecratur; sed quia potestas inferior nõ debet exire in actum nisi secundùm quod mouetur à potestate superiori, vt ẽt in rebus naturalibus patet, inde est, quod tales vsum potestatis amittunt, ita scilicet quód non liceat eis sua potestate vti, si tamen vsi fuerint eorum potestas effectum habet in Sacramentalibus, quia in his homo non operatur, nisi sicut instrumentum Dei, vnde effectus sacramentales non excluduntur propter culpam quamcunque conferentis Sacramentum; potestas autem iurisdi-

ctionis est, quæ ex simplici iniunctione hominis confertur, & talis potestas non immobiliter adhæret, vnde in schismaticis, & hæreticis non manet, vnde non possunt nec absoluere, nec excommunicare, vel indulgētias facere, aut aliquid huiusmodi, quod si fecerint nihil est actum naturæ. 2. 2. q. 39. a. 3. in corp.

Quæritur an Sacerdos hæreticus, præcisus ab Ecclesia possit absoluere.

8 Respondeo dicendum, quòd effectus absolutionis non est alius, quàm remissio peccatorum, quæ per gratiam fit, & ideo hæreticus non potest absoluere, sicut nec gratiam in Sacris conferre, & iterū quia ad absolutionem requiritur iurisdictio, quam non habet ab Ecclesia præcisus. 4. sent. d. 25. q. 1. a. 2. ad 1. qui omninò videatur in corp. quæst.

Quæritur an Papa per alium absoluens dicatur ipse absoluere.

9 Respondeo dicendum, quòd Papa dicitur absoluere aliquem etiamsi per aliū officiū absolutionis impendat. p. p. q. 112. a. 2. ad 2.

De eo, qui potest absolui. Cap. 3.

1 *Excommunicatus non potest absolui.*
2 *Non potest quis se ipsum absoluere, nec superiorem, nec æqualem à mortali nisi ex comissione, à venialibus autem potest.*
3 *Non quilibet Sacerdos potest quemlibet absoluere.*
Sacerdos potest tantùm absoluere sibi subiectum
4 *Sacerdos non debet audire confessionem mulieris cum qua peccauit, nec mulier ei cōfiteri debet duplici de causa.*
Mulier talis petat licentiam eundi ad alium confessarium.
Si Sacerdos nēget licentiam, recurrat ad superiorem.
Si tamen Sacerdos ille absoluit mulierē est vere absoluta.
Dictum D. Augustini contra hoc exponitur

Quæritur an excōmunicatus possit absolui.

1 Respondeo dicendum, quòd absolutio ab excommunicatione debet præcedere absolutionē à peccatis, quia quamdiu aliquis est excommunicatus nō potest recipere aliquod Ecclesiæ Sacramentū. 4. sent. d. 19. q. 1. a. 3. q̄st. 2. ad 4.

Quæritur an aliquis possit se ipsum absoluere, vel superiorem, vel æqualem.

2 Respondeo dicendum, quòd absolutio, & ligatio in foro confessionis est, quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio inferior redditur per peccatum, sed excommunicatio est in Iudicio exteriori, in quo aliquis non amittit superioritatem ex hoc ipso quòd peccat, & ideò in foro confessionis aliquis non potest se ipsum absoluere, nec superiorem, nec æqualem de mortali, nisi ex cōmissione sibi facta; De venialibus autem potest, quia venialia ex quibuslibet Sacramentis gratiam cōferentibus remittuntur, vnde remissio venialium sequitur potestatem ordinis. 4. sen. d. 18. q. 2. a. 3. quæst. p. ad 3.

Quæritur an quilibet Sacerdos possit quemlibet absoluere.

3 Respondeo dicendum, quòd minister Ecclesiæ in vsu clauium iudiciū quoddā exercet, nulli autē iudicium cōmittitur nisi in sibi subiectos, vnde manifestū est, quòd non quilibet Sacerdos quemlibet potest absoluere à peccato, vt quidā mentiuntur, sed eum tantum, in quem accipit potestatem. 4. contra Gentes cap. 72. in fine.

Quæ

Queritur an Sacerdos possit absoluere mulierem, cum qua peccauit.

4 Respondeo dicendum, quòd nec Sacerdos debet audire cõfessionẽ mulieris, cũ qua peccauit, de illo peccato, sed deberet ad aliũ remittere, nec illa deberet ei confiteri, sed deberet licentiam petere ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, si ille licentiã denegaret, tùm propter periculum, tùm quia est minor verecũdia; si tamen absolueret, absoluta esset: quod autem Augustinus de vera, & falsa pęnitentia cap. 20. dicit, nullus officio Sacerdotis vti debet, nisi immunis ab illis sit, quæ in alijs iudicat, intelligendum est secundùm congruitatem, non secundùm necessitatem Sacramenti. 4. sent. d. 19. q. 1. ar. 3. quæst. 2. ad. 1.

De absolutione ab excõmunicatione. Cap. 4.

Verba absolutionis ab excommunicatione habent efficaciam ex intentione dicentis.
Absolutio ab excommunicatione non habet determinata verba.

Queritur an absolutio ab excomunicatione habeat determinata verba.

RESpondeo dicendum, quòd alia est ratio de absolutione ab excõmunicatione, quæ non est Sacramentalis, sed magis iudiciariã iurisdictionem consequens, & alia de absolutione à peccatis in sacramento pænitentiæ, quæ consequitur potestatem clauium, & est Sacramentalis, in illa .n. verba habent efficatiam ab intentione dicentis, vnde non refert quibuscunq; verbis vtatur ad exprimendum suam intentionem; In Sacramentis autẽ verba habent efficatiam ex institutione Diuina, vnde tenenda sunt verba determinata consonantia Diuinæ institutioni; institutioni autem dicentis, quodcunque solueris &c. ista verba conueniunt, Ego te absoluo; sicut institutioni dicẽtis, Euntes docete omnes gentes baptizantes &c. cõueniunt ista verba, Ego te baptizo: sicut ergo ista tenenda sunt in baptismo, Ego te baptizo, ità in pęnitentia, ego te absolno opusculo 32. cap. 2.

Alia de excõmunicatione, vide in verbo. Excõmunicatio.

ABSTINENTIA.

1 *Abstinentia significat subtractionẽ ciborũ.*
Abstinentia qua ratione significet, vel non significet habitum, vel actum virtutis.
2 *Necessarium in cibis dupliciter accipitur.*
Necessarium ad conseruationem vitę non licet subtrahere.
Necessarium ad conseruandam valetudinem sufficienter non licet subtrahere, & quomodo.
Necessarium ad conseruandam valetudinẽ, quæ est secundum optimã corporis complexionem, & si licitè accipi possit, tamẽ laudabiliter subtrahi potest.
3 *D. Bernardus confitetur se nimis corpus suũ afflixisse ieiunijs, & vigilijs.*
4 *Abstinentię debent esse regulatæ.*
In abstinentia aliquando est peccatum, & quando.

Queritur quid sit abstinentia.

1 Respondeo dicendũ, quòd abstinentia ex suo nomine importat subtractionẽ ciborum, dupliciter ergo nomẽ abstinentiæ accipi potest, vno modo secundùm quod absolutè ciborum subtractionem designat, & hoc modo abstinentia non designat neque virtutem, neque actum virtutis, sed quoddam indifferens, alio modo potest accipi secundùm quod est ratione regulata, & tunc significat vel habitum virtutis, vel actum. 2. 2. q. 146. ar. 1. in corp.

Que-

Quæritur, quando abstinentia sit licita, vel illicita.

2 Respondeo dicendum, quòd necessarium dupliciter accipitur in cibis, primò ad conseruationem vitæ, & tale necessarium non licet subtrahere per ieiunium, sicut nec interimere se ipsum, sed hoc necessarium est valde modicum, quia modicis natura contenta est, alio modo dicitur necessarium ad conseruandam valetudinem corporis, quę quidem accipitur in duplici statu, primò secundũ sufficientiam habito respectu ad ea, quæ ei incumbunt ex officio, vel ex societate eorum, ad quos conuiuit necessario agenda. & tale etiam necessarium subtrahi non debet, hoc enim esset de rapina hostiam ieiunij offerre, si aliquis propter ieiuniũ impediretur ab alijs operibus, ad quæ alius obligatur, vnde Hieronymus dicit, de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderatè corpus affligit: si etiam sit tanta abstinentia, quod homo ab operibus vtilioribus impediatur, quamuis ad ea de necessitate non teneatur, indiscretum est ieiunium, & si non sit illicitum, vnde Hieronymus dicit, rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium caritati, vel vigilias sensus integritati præfert, secundo accipitur valetudo corporis secundùm optimam corporis dispositionem, & quia caro in suo robore consistens difficilius spiritui subditur, ideo necessarium ad valetudinem sic acceptam, etsi licitè accipi potest, tamen laudabiliter subtrahi potest, & talis subtractio non multùm mortem accelerat, cum corpus humanum inueniatur frequẽtius ex superfluitate, quàm ex defectu mortales ægritudines incurrere, vnde etiã Galenus dicit, quòd summa medicina est abstinentia; inueniuntur etiam ad sensum abstinentes, vt frequenter diutius viuere, & ideo prædicta subtractio non potest dici mortis occasio, cum se habeat ad vtrumque, scilicet ad prolungandum, & breuiandum vitam; subtractio autem eius, quod non est necessarium, nec hoc, nec illo modo, est de necessitate Virtutis temperantiæ. 4. sent. d. 15. q. 3. a. 1. quæst. 2. ad 3.

Quæritur an peccet quis affligendo nimis corpus per abstinentiam.

3 Respondeo dicendum, quòd D. Bernardus cõfitetur se peccasse de hoc, quòd nimis corpus suum ieiunio, & vigilijs debilitauit. quodlibeto 5. a. 18.

Quæritur quanta debeat esse nostra abstinentia.

4 Respondeo dicendum, quòd secundũ phylosophum primo politicorum cap. 1. aliter est iudicandum de fine, aliter de his, quæ sunt ad finem; illud enim, quod quæritur tanquam finis absque mensura quærendum est, in his autem, quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem, sicut medicus sanitatem, quæ est finis eius, facit quantumcunque potest maiorem, sed adhibet medicinam secundùm quod cõuenit ad sanitatem faciendam; est ergo considerandum, quòd in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis, ieiunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia nõ quæruntur tanquam finis, quia sicut dicitur ad Rom. 14. non est regnum Dei esca, & potus, sed adhibentur tanquam necessaria ad finem, idest ad domandas concupiscentias carnis secundùm illud Apostoli primæ ad Corinth. cap. 9. castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo &c. & ideo huiusmodi sunt adhibenda cum quadam mẽsura rationis, vt scilicet concupiscentia deuitetur, & natura non extinguatur, secundum illud ad Rom. 12. exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem

tem, & postea subdit, Rationabile obsequium vestrum; si verò aliquis intantum virtutem naturæ debilitet per ieiunia, & vigilias, & alia huiusmodi, quòd non sufficiat debita opera exequi, puta Prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, & sic de alijs absq; dubio peccat, sicut peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentē redderet ad debitum vxori reddendum. quodlib. 5. a. 18.

ACCEPTIO PERSONARVM.

1 *Quid sit accipere personam.*
2 *Respectu quorum sit acceptio personarum.*
3 *Conditio personæ facit aliquando personam dignam respectu vnius rei, & non respectu alterius.*
Eadem conditio personæ in vno negotio considerata facit acceptionem personæ, in alio autem non facit.
Acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuę.
Acceptio personarum est peccatum.
4 *Acceptio personarum in spiritualibus est grauius peccatum, quā in temporalibus.*
Dignitas personę consideratur dupliciter.
Absque acceptione personarum potest pręferri minus bonus simpliciter, si tamen sit vtilis bono cōmuni, meliori simpliciter.
5 *Episcopus potest dare beneficium meliori secundū quid relicto meliori simpliciter.*
Acceptio personarum in rebus Diuinis est grauissimum peccatum.
6 *Episcopus potest curam animarum tradere cōsanguineo æquè idoneo cum extraneo.*
Episcopus non potest dare curam animarū consanguineo minus idoneo, quia est hoc contra fidelitatem, & est acceptio personarum.
Non est acceptio personarum, si Episcopus de suo patrimonio dat consanguineo minus idoneo relicto meliori extraneo, secus autē si daret de patrimonio Crucifixi.
7 *Ad prælationem, vel officium Ecclesiasticū debet eligi melior simpliciter.*
Non est tamen necesse, vt semper melior simpliciter eligatur, sed sufficit, vt eligatur melior ad officium ad quod assumitur.
Quando eligitur minus idoneus ad tale officium est acceptio personarum.
8 *In exhibitione honoris est acceptio personarum.*
Quando honorantur diuites solùm ratione diuitiarum est acceptio personarum.
9 *Licet honorare diuitem honore, qui consistit in exteriori conuictu.*
Non licet honorare diuitem honore, qui debetur alicui ratione sui ipsius.
10 *Per acceptionem personarum iudicium corrumpitur.*

Quæritur quid sit accipere personam.

1 RESpondeo dicendum, quòd accipere personam propriè est in aliquo negotio attendere quasi regulam ipsius negotij conditionem personæ nihil facientem ad negotium, puta cum ideo do beneficium alicui, quia est nobilis, siue pulcher, nobilitas enim, siue pulchritudo nihil facit ad hoc, quod habeat beneficium, si verò conditio personæ facit ad negotium, sic considerando illam conditionem in facto illo non accipio personā, sicut si ideo do beneficium alicui, quia bonus est, & bene deseruiet Ecclesiæ, quia benè literatus, & honestus est, non sum acceptor personæ, nil ergo est propriè accipere personam, quàm considerare conditionem personæ nil facientem ad negotiū. lec. 2. super cap. 2. ad Galatas.

Quæritur respectu quorum sit acceptio personarum.

2 Respondeo dicendum, quòd acceptio personarum locum habet in his, quæ ex debito dantur, in his verò, quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio personarum locum non habet, non enim est personarum acceptor, qui ex liberalitate

tate de ſuo dat vni, & non alteri; ſed ſi eſſet diſpenſator bonorum communium, & non diſtribueret æqualiter ſecundùm merita perſonarum eſſet perſonarum acceptator. p. 2. q.98.ar. 4.ad 2.[lec.2.c.2. ad Romanos.

Quæritur an acceptio perſonarum ſit peccatum.

3 Reſpondeo dicendũ, quòd perſonarũ acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, conſiſtit .n. æqualitas diſtributiuæ iuſtitiæ in hoc,quòd diuerſis perſonis diuerſa tribuũtur ſecundũ proportionẽ ad dignitates perſonarũ, ſi ergo aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ propter quam aliquid,quod ei cõfertur eſt ei debitum,nõ eſt acceptio perſonę,ſed cauſæ, vnde gloſa ſuper illud ad Epheſios 6.perſonarum acceptio non eſt apud Deũ,dicit quòd Deus Iudex iuſtus cauſas diſcernit, non perſonas, puta ſi iudex aliquis promoueat aliquem ad magiſteriũ propter ſufficientiam ſcientię,hìc attenditur cauſa debita, non perſona; ſi autem aliquis conſideret in eo;cui aliquid confert, non id,propter quod,id,quod ei datur eſſet ei proportionatum, vel debitum, ſed ſolùm hoc,quod eſt homo,puta Petrus,vel Martinus, hìc eſt acceptio perſonæ, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam cauſam,quæ faciat eum dignum,ſed ſimpliciter attribuitur perſonæ; ad perſonã autem refertur quæcunque conditio non faciens ad cauſam, propter quam ſit dignus hoc dono,puta ſi aliquis promoueat aliquem ad prælationem, vel magiſteriũ, quia eſt diues, vel quia eſt cõſanguineus ſuus,eſt acceptio perſonæ,contingit tamẽ aliquam conditionem perſonæ facere eã dignam reſpectu vnius rei,& non reſpectu alterius, ſicut conſanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quòd inſtituatur hæres patrimonij, non autẽ ad hoc,quod conferatur ei Prælatio Eccleſiaſtica, & ideo eadem conditio perſonæ in vno negotio conſiderata facit acceptionẽ perſonę,in alio autem non facit, ſic ergo patet, quod perſonarũ acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ in hoc, quòd præter proportionem agitur, nihil autem opponitur virtuti, niſi peccatum, vnde conſequens eſt, quòd perſonarum acceptio ſit peccatum 2. 2. q. 63. ar.1. in corp.[lec. 2. cap. 2. ad Rom.

Quæritur an perſonarum acceptio ſit grauior in Spirituali, quam in temporali.

4 Reſpondeo dicendum,quòd acceptio perſonarum eſt peccatum in quantum contrariatur iuſtitiæ, quantò autem in maioribus aliquis iuſtitiam trãſgreditur, tantò grauiùs peccat, vnde cũ ſpiritualia ſint temporalibus potiora grauiùs peccatum eſt perſonas accipere in diſpenſatione ſpiritualium, quàm in diſpenſatione temporalium, & quia perſonarum acceptio eſt, cum aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipſius, conſiderare oportet, quod dignitas alicuius perſonæ poteſt attendi dupliciter, vno modo ſimpliciter, & ſecundùm ſe, & ſic maioris dignitatis eſt ille, qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis, alio modo per comparationem ad bonũ cõmune, contingit enim quandoq; quòd ille,qui eſt minus ſanctus,& minus ſciens poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam,vel induſtriam ſęcularem, vel propter aliquid huiuſmodi, & quia diſpenſationes ſpiritualium principaliùs ordinantur ad vtilitatem, ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualiũ illi, qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus pręferuntur, ſicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque cõcedit minus bonis. 2.2. q.63. art. 2. in corp.

Quæri-

Quęritur an Episcopus peccet si beneficium det bono, relicto meliori.

5 Respondeo dicendũ, quòd aliquis potest dici melior dupliciter, vno modo simpliciter, vt qui est sanctior plus habens de charitate, alio modo dicitur aliquis melior quo ad aliquid; contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quòd beneficium percipiat, quia alius fortè potest Ecclesiam magis iuuare, vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia seruiuit in Ecclesia, non ergo Episcopus tenetur semper meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quo ad hoc, non enim potest esse, quòd vnum præferat alteri, nisi propter aliquam causam, quæ si quidem pertineat ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, iam quantum ad hoc est melior; si autem illa causa ad hoc non pertineat, erit acceptio personarum, quæ tantò est grauior, quantò in rebus Diuinis committitur, vnde super illud Iacobi 2. Tu sede hic bene &c. dicit glosa Augustini, si hanc distantiam sedendi, & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatũ in acceptione personarum habere sedem Domini gloriæ; quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto paupere sanctiore, & instructiore? Quodlibeto 6. art. 9. Quodlibeto 8. art. 6. in corp.

Quęritur an Prælatus possit committere curam Ecclesię suo consanguineo idoneo.

6 Respondeo dicendum, quòd aliter est dicendum de consanguineo Prælati æquè idoneo, & aliter de minùs idoneo, si enim sit æquè idoneus, potest Prælatus suum consanguineum præferre, nisi fortè ex hoc scandalum oriatur, vel aliqui exinde malum exemplum accipiant, vt probabiliter præsumi possit, quòd alij Prælati hoc exemplo inducantur ad dandum suis consanguineis etiam minùs dignis, & hoc ideo, quia ex quo nihil deperit vtilitati Ecclesiæ cum æquè idoneo prouidetur, licet circa huiusmodi prouisionem etiam amori naturali satisfacere, qui non est contrarius charitati, sed magis charitate informatur; & hoc significatur Genesis 8. vbi Pharao dixit ad Ioseph, de fratribus suis, si nosti in eis viros industrios constitue eos magistros pecorum meorum: si verò sit minùs idoneus consanguineus Prælati non debet eum præficere ad curam Ecclesię postposito meliori, duplici ratione, primò quidem, quia hoc videtur esse contra fidelitatem, quam in bono dispensatore Dominus requirit, non enim faceret fideliter negocium alicuius Domini, qui possit rem eius meliorare, si hoc prætermitteret, vt suis consanguineis satisfaceret: secundò, quia hoc videtur ad personarum acceptionem pertinere, quæ consistit in hoc, quòd aliquis accipit pro causa conditionem personæ, quæ non facit ad negocium, sicut si aliquis daret sententiam pro aliquo, quia diues est, & non quia iustitiam habet, quæ est conditio faciens ad negocium, esse autem consanguineum non est aliqua conditio pertinens ad curam Ecclesiæ, quæ non obtinetur iure sanguinis, sed Diuino munere, esset autem conditio faciens ad negocium circà dispensationem patrimonialium bonorum, vnde si Episcopus de patrimonialibus bonis magis prouideret suo consanguineo minùs idoneo non est acceptio personarum, sed si ratione consanguinitatis ei prouideat in patrimonio Crucifixi, non caret vitio personarum acceptionis, quã Augustinus dicit in Ecclesiasticis gradibus dispensandis, exponens illud, quod habetur Iacobi 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi; Hieronymus etiam dicit, vt

habetur

tate de suo dat vni, & non alteri; sed si esset dispensator bonorum communium, & non distribueret æqualiter secundùm merita personarum esset personarum acceptator. p. 2. q. 98. ar. 4. ad 2. [lec. 2. c. 2. ad Romanos.

Quæritur an acceptio personarum sit peccatum.

3 Respondeo dicendũ, quòd personarũ acceptio opponitur iustitiæ distributiuæ, consistit .n. æqualitas distributiuæ iustitiæ in hoc, quòd diuersis personis diuersa tribuũtur secundũ proportioné ad dignitates personarũ, si ergo aliquis considerer illam proprietatem personæ propter quam aliquid, quod ei cõfertur est ei debitum, nõ est acceptio personę, sed causæ, vnde glosa super illud ad Ephesios 6. personarum acceptio non est apud Deũ, dicit quòd Deus Iudex iustus causas discernit, non personas, puta si iudex aliquis promoueat aliquem ad magisteriũ propter sufficientiam scientię, hìc attenditur causa debita, non persona; si autem aliquis consideret in eo; cui aliquid confert, non id, propter quod, id, quod ei datur esset ei proportionatum, vel debitum, sed solùm hoc, quod est homo, puta Petrus, vel Martinus, hìc est acceptio personæ, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam, quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ; ad personã autem refertur quæcunque conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono, puta si aliquis promoueat aliquem ad prælationem, vel magisteriũ, quia est diues, vel quia est cõsanguineus suus, est acceptio personæ, contingit tamé aliquam conditionem personæ facere eã dignam respectu vnius rei, & non respectu alterius, sicut consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quòd instituatur hæres patrimonij, non auté ad hoc, quod conferatur ei Prælatio Ecclesiastica, & ideo eadem conditio personæ in vno negotio considerata facit acceptioné personę, in alio autem non facit, sic ergo patet, quod personarũ acceptio opponitur iustitiæ distributiuæ in hoc, quòd præter proportionem agitur, nihil autem opponitur virtuti, nisi peccatum, vnde consequens est, quòd personarum acceptio sit peccatum 2. 2. q. 63. ar. 1. in corp. [lec. 2. cap. 2. ad Rom.

Quæritur an personarum acceptio sit grauior in Spirituali, quam in temporali.

4 Respondeo dicendum, quòd acceptio personarum est peccatum in quantum contrariatur iustitiæ, quantò autem in maioribus aliquis iustitiam trãsgreditur, tantò grauiùs peccat, vnde cũ spiritualia sint temporalibus potiora grauiùs peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, quàm in dispensatione temporalium, & quia personarum acceptio est, cum aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius, considerare oportet, quod dignitas alicuius personæ potest attendi dupliciter, vno modo simpliciter, & secundùm se, & sic maioris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis, alio modo per comparationem ad bonũ cõmune, contingit enim quandoq; quòd ille, qui est minus sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sęcularem, vel propter aliquid huiusmodi, & quia dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad vtilitatem, ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualiũ illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus preferuntur, sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque cõcedit minus bonis. 2. 2. q. 63. art. 2. in corp.

Quæritur an Episcopus peccet si beneficium des bono, relicto meliori.

5 Respondeo dicendũ, quòd aliquis potest dici melior dupliciter, vno modo simpliciter, vt qui est sanctior plus habens de charitate, alio modo dicitur aliquis melior quo ad aliquid; contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quòd beneficium percipiat, quia alius fortè potest Ecclesiam magis iuuare, vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia seruiuit in Ecclesia, non ergo Episcopus tenetur semper meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quo ad hoc, non enim potest esse, quòd vnum præferat alteri, nisi propter aliquam causam, quæ si quidem pertineat ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, iam quantum ad hoc est melior; si autem illa causa ad hoc non pertineat, erit acceptio personarum, quæ tantò est grauior, quantò in rebus Diuinis committitur, vnde super illud Iacobi 2. Tu sede hic bene &c. dicit glosa Augustini, si hanc distantiam sedendi, & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatũ in acceptione personarum habere sedem Domini gloriæ; quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto paupere sanctiore, & instructiore? Quodlibeto 6. art. 9. Quodlibeto 8. art. 6. in corp.

Quæritur an Prælatus possit committere curam Ecclesiæ suo consanguineo idoneo.

6 Respondeo dicendum, quòd aliter est dicendum de consanguineo Prælati æquè idoneo, & aliter de minùs idoneo, si enim sit æquè idoneus, potest Prælatus suum consanguineum præferre, nisi fortè ex hoc scandalum oriatur, vel aliqui exinde malum exemplum accipiant, vt probabiliter præsumi possit, quòd alij Prælati hoc exemplo inducantur ad dandum suis consanguineis etiam minùs dignis, & hoc ideo, quia ex quo nihil deperit vtilitati Ecclesiæ cum æquè idoneo prouidetur, licet circa huiusmodi prouisionem etiam amori naturali satisfacere, qui non est contrarius charitati, sed magis charitate informatur; & hoc significatur Genesis 8. vbi Pharao dixit ad Ioseph, de fratribus suis, si nosti in eis viros industrios constitue eos magistros pecorum meorum: si verò sit minùs idoneus consanguineus Prælati non debet eum præficere ad curam Ecclesiæ postposito meliori, duplici ratione, primò quidem, quia hoc videtur esse contra fidelitatem, quam in bono dispensatore Dominus requirit, non enim faceret fideliter negocium alicuius Domini, qui possit rem eius meliorare, si hoc prætermitteret, vt suis consanguineis satisfaceret: secundò, quia hoc videtur ad personarum acceptionem pertinere, quæ consistit in hoc, quòd aliquis accipit pro causa conditionem personæ, quæ non facit ad negocium, sicut si aliquis daret sententiam pro aliquo, quia diues est, & non quia iustitiam habet, quæ est conditio faciens ad negocium, esse autem consanguineum non est aliqua conditio pertinens ad curam Ecclesiæ, quæ non obtinetur iure sanguinis, sed Diuino munere, esset autem conditio faciens ad negocium circa dispensationem patrimonialium bonorum, vnde si Episcopus de patrimonialibus bonis magis prouideret suo consanguineo minùs idoneo non est acceptio personarum, sed si ratione consanguinitatis ei prouideat in patrimonio Crucifixi, non caret vitio personarum acceptionis, quã Augustinus dicit in Ecclesiasticis gradibus dispensandis, exponens illud, quod habetur Iacobi 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi; Hieronymus etiam dicit, vt habetur

habetur 8. q. 1. extraneus ex alia Tribu à Moyse eligitur, vt signaret Principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ, at nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio facere, vt non quærant eos in Ecclesia colonos eligere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quos, vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti. Quodlibeto 4. art. 15. 2.2. q. 63. ar. 2. ad primum.

Quæritur an necesse sit semper meliorem eligere.

7 Respondeo dicendum, quòd oportet eligere ad Prælationem, vel Ecclesiasticum officium aliquem, qui sit bonus simpliciter, quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum, vnde dicit Dionysius in Epistola ad Demochilum Monacum loquens de Sacerdote, qui non est gratia illuminatus, non est iste Sacerdos, sed inimicus dolosus, debitor sui ipsius, & lupus supra Dominicum populum pelle armatus ouina, non tamen oportet, quòd semper eligatur ille, qui est melior simpliciter, possibile est enim, quòd illi, qui est in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quòd aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est minoris charitatis inueniuntur, vt sunt scientia, industria, potentia, & alia huiusmodi, vnde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum, qui sit melior ad hoc officium; si autem eligat quis eum, quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat, & in tali electione erit ibi acceptio personarum, quæ sine peccato non fit, Quodlibeto 8. art. 6. in corp.

Quæritur an in exhibitione honoris, & reuerentiæ locum habeat peccatum acceptionis personarum.

8 Respondeo dicendum, quòd honor est quoddam testimonium de virtute eius, qui honoratur, & ideo sola virtus est debita causa honoris: sciendum tamen est, quod aliquis potest honorari non solum propter virtutem propriam, sed etiã propter virtutem alterius, sicut Princeps, & Prælati honorantur etiam si sint mali inquantum gerunt personam Dei, & Communitatis, cui præficiuntur, secundùm illud Prouerb. 26. sicut qui immittit lapides in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem; quia gentiles rationem attribuebant Mercurio, aceruus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator quandoque mittit vnum lapillum loco centum Marcarum, ita etiam honoratur insipiens, qui ponitur loco Dei, & loco totius Communitatis, & eadem ratione parentes, & Domini sunt honorandi propter participationem Diuinæ dignitatis, qui est omnium Pater, & Dominus, senes autem sunt honorandi propter signum virtutis, quod est senectus, licet hoc signum quandoque deficiat, vnde vt dicitur Sapientiæ 4. senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita est immaculata; Diuites autem honorandi sunt propter hoc, quòd maiorem locum in communitatibus obtinent; si autem solùm intuitu diuitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis personarum, 2.2. q. 63. art. 3. in corp.] Quodlibeto 10. art. 12.

Quæritur an qui honorat diuites propter diuitias peccet.

9 Respondeo dicendum, quòd accipere personam differt contra accipere causam, accipere enim causam est iudicium formare ex aliquo, quod facit ad causam, quod vitium est, vnde contingit, quòd ex eadem conditione personæ considerata quandoque iudicium iustum, quandoque est acceptio personarum, sicut si in aliqua

contro-

controuersia detur sententia pro aliquo, quia est literatior, erit acceptio personarum, si autem ex hac consideratione in licentiando ad magisterium alijs præferatur, non erit acceptio personarum, si ergo aliquis honor diuiti exhibeatur propter causas, ad quas diuitiæ aliquid faciunt, non erit acceptio personarum, erit autem si ad hoc nihil diuitiæ operentur; est autem duplex honor, vnus, qui debetur alicui ratione sui ipsius propter ipsam virtutem, sicut est commendatio, imitatio, & huiusmodi, & ad hunc honorem diuitiæ nihil faciunt, vnde si talis honor alicui propter diuitias exhibeatur erit acceptio personarum, vnde dicit Maximus Valerius, quòd honores, qui virtuti debentur, sicut triumphi, & alia huiusmodi apud Romanos antiquos nulla pecunia emi poterant; alius honor alicui debetur secundùm statum, quem habet in Republica, sic enim in persona Rex publica honoratur, & propter hoc Reges, & Principes, & huiusmodi personæ honorantur secundùm illud 1. Petri 4. Regem honorificare, & quia in terrena Republica diuites statum obtinent altiorem, ciues ideo cœlestis Hierusalem, quasi in Babilonia peregrinãtes, debent eis, inter quos conuersantur, morem gerere, vt Augustinus dicit in lib. de Ciuit. Dei, in his quæ non sunt contra Deum, & sic etiam diuites honorare illis duntaxat honoribus, qui ad exteriorem conuictum pertinent, licitum est, Quodlibeto 10. art. 12. in corp.

Quæritur an in iudicijs locum habeat peccatum acceptionis personarum.

10 Respondeo dicendum, quòd iudicium est actus iustitiæ, prout iudex ad æqualitatem iustitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppositam facere possunt; personarum autem acceptio inæqualitatem quandam habet, in quantum attribuitur alicui personæ, præter proportionem suam, in qua consistit æqualitas iustitiæ, & ideò manifestum est, quòd per personarum acceptionem iudicium corrumpitur, 2. 2. q. 63. art. 4. in corp.

ACCIDIA.

Quæritur quid sit accidia.

1 Respondeo dicendum, quòd accidia est quædam tristitia, qua homo redditur tardus ad spirituales actus, propter corporalem laborem. p. p. q. 63. art. 2. ad 2.] 2. 2. q. 54. art. 2. ad 1.] q. 8. de malo art. 1. in corp.] lect. 1 super cap. 1. Iob.] 2. sent. d. 42. q. 2. art. 3. in corp.

Quęritur de quo bono sit ista tristitia.

2 Respondeo dicendum, quòd accidia non est recessus mentis à quocunque spirituali

rituali bono, sed à bono Diuino, cui oportet mentem inhærere ex necessitate, vnde si quis contristetur de hoc, quod aliquis cogit eum implere opera virtutis, quę facere non tenetur, non est peccatum accidiæ, sed quandò contristatur in his, quæ ei imminent facienda propter Deum. 2. 2 q. 35. a. 3. ad 2. [q. 11. de malo. a. 3. ad 4.

Quæritur an accidia sit peccatum.

3 Respondeo dicendum, quòd accidia secundum Damascenum est quædam tristitia aggrauans, quæ scilicet ità deprimit animum hominis, vt nihil ei agere libeat, sicut ea, quæ sunt accida frigida sunt, & ideo accidia importat quoddam tedium operandi, vt patet per hoc, quòd dicitur in Glosa super illud psalm. omnē escam abhominata est anima eorum, & à quibusdam dicitur, quòd accidia est torpor mentis bona negligentis inchoare; huiusmodi autem tristitia semper est mala, quandoque quidem etiam secundùm se ipsam, quandoque verò secundùm effectum; tristitia enim secundū se mala est, quæ est de eo, quod est apparens malum, & verè bonum: cum ergo spirituale bonum sit verè bonum, tristitia, quæ est de spirituali bono est secundùm se mala, & etiam tristitia, quæ est de verè malo; mala est secundùm effectum si sic aggrauet hominem, vt eum totaliter à bono opere retrahat; vnde & Apostolus secundæ ad Corinth. 2. non vult, vt pænitens maiori tristitia de peccato absorbeatur; quia ergo accidia nominat tristitiam spiritualis boni est dupliciter mala, & secundùm se, & secundùm effectum, & ideò accidia est peccatum, malum enim in motibus appetitiuis dicimus esse peccatum. 2. 2. q. 35. ar. 1. in corp. (q. 11. de malo. a. 1. in corp.

Quęritur quęnam accidia sit peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd accidia cum sit tristitia potest dupliciter considerari, vno modo secūdùm quòd est actus appetitus sensitiui, alio modo secundùm quòd est actus appetitus intellectiui; qui est voluntas, omnia enim huiusmodi affectionum nomina, secundùm quidem, quòd sunt actus appetitus sēsitiui passiones quædam sunt, secundùm verò quòd sunt actus appetitus intellectiui sunt simplices motus voluntatis, peccatum autem per se, & propriè est in voluntate, vt dicit Augustinus, & ideò si accidia nominet actum voluntatis refugientis internum, & spirituale bonum, potest habere perfectam rationem peccati, si verò accipiatur, prout est actus appetitus sensitiui, nō habet rationem peccati, nisi ex voluntate, inquantum scilicet talis motus potest à voluntate prohiberi, sed imperfectam. q. 11. de malo. a. 1. in corp.

Quæritur an accidia sit speciale peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd cum accidia sit tristitia de spirituali bono, si accipiatur spirituale bonum communiter, non habebit accidia rationem specialis peccati, quia omne vitium refugit spirituale bonum virtutis oppositæ, similiter etiam non potest dici, quòd sit speciale vitium accidia inquantum refugit spirituale bonum, prout est laboriosum, vel molestum corpori, aut delectationis eius impeditiuum, quia hoc etiam non separaret accidiam à vitijs carnalibus, quibus aliquis quietem, & delectationē corporis quærit; & ideò dicendum est, quòd in spiritualibus bonis est quidam ordo, nam omnia spiritualia bona, quæ sunt in actibus singularum virtutum, ordinantur ad vnum spirituale bonū, quod est bonum Diuinum, circa quod est specialis virtus, quæ est Charitas, vndè ad quamlibet virtutem pertinet gaudere de proprio spirituali bono, quod consistit in proprio actu, sed ad Charitatem pertinet

specialiter

specialiter illud gaudium spirituale, quo quis gaudet de bono Diuino, & similiter illa tristitia, qua quis tristatur de bono spirituali, quod est in actibus singularum virtutum, non pertinet ad aliquod vitium speciale, sed ad omnia vitia; sed tristari de bono Diuino, de quo gaudet Charitas, pertinet ad speciale vitium, quod accidia vocatur. 2.2.q.35.ar.2.in corp. [q.11. de malo. ar. 2. in corp.

Quæritur an accidia sit peccatum mortale.

6 Respondeo dicendum, quòd peccatũ mortale dicitur, quod spiritualem vitam tollit, quæ est per Charitatem secundùm quam Deus nos inhabitat, vnde illud peccatum ex suo genere est peccatum mortale, quod de se secundùm propriam rationem contrariatur Charitati, huiusmodi autem est accidia, nam proprius effectus Charitatis est gaudium de Deo, accidia autem est tristitia de bono spirituali inquantũ est bonum Diuinum, vnde secundùm suum genus accidia est peccatum mortale; sed considerandum est in omnibus peccatis, quæ sunt secundum suum genus mortalia, quòd non sunt mortalia, nisi quando suam perfectionẽ consequuntur, est enim consumatio peccati in cõsensu rationis, loquimur enim nunc de peccato humano, quod in actu humano consistit, cuius principium est ratio, vnde si sit inchoatio peccati in sola sensualitate, & non pertingit vsque ad consensum, propter imperfectionem actus est peccatũ veniale, sicut in genere adulterij concupiscentia, quę consistit in sola sensualitate, est peccatũ veniale, si tamen peruenitur vsque ad consensum rationis est peccatum mortale, ita etiam & motus accidię in sola sensualitate quandoq; est propter repugnantiam carnis ad spiritum, & tunc est peccatũ veniale, quandoque verò contingit vsque ad rationẽ, quæ consẽtit in fugam, & horrorem, & detestationem boni Diuini carne contra spiritum omnino præualente, & tunc manifestum est, quòd accidia est peccatum mortale. 2.2. q.35. a. 3. in corp. [q. 11. de malo. a. 3. in corp.

Quæritur cui præcepto contrarietur accidia.

7 Respondeo dicendum, quòd accidia contrariatur præcepto de Sanctificatione Sabbati, in quo secundum quòd est preceptum morale pręcipitur quies mentis in Deo, cui etiam contrariatur tristitia mẽtis de bono Diuino. 2.2.q 35.ar.3. ad 1.[q. 11. de malo. ar. 3. ad 2.

Quæritur an accidia sit vitium capitale.

8 Respondeo dicendum, quòd vitium capitale dicitur esse, ex quo promptum est, vt alia vitia oriantur secundùm rationem causæ finalis, sicut autem homines multa operantur propter delectationem, tum vt ipsam cõsequantur, tum etiam ex eius impetu ad aliquid agendũ permoti, ita etiam propter tristitiam multa operantur, vel vt ipsam euitent, vel eius pondere in aliqua agenda prorumpentes, vnde cum accidia sit tristitia quædam conuenienter ponitur vitium capitale. 2.2.q.35. a.4. in corp. (q.11.de malo.a.4.

Quæritur quænam sint, & quot sint filiæ accidiæ.

9 Respondeo dicendum, quòd Gregorius conuenienter assignat filias accidiæ, quæ sunt malicia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, euagatio mentis: quia enim vt Phylosophus dicit in 8. Ethicorũ nullus diù absq; delectatione potest manere cũ tristitia, necesse est, ꝙ ex tristitia aliquid dupliciter oriatur, vno modo, vt homo recedat à contristantibus, alio modo vt ad alia transeat, in quibus delecta-

tur, sicut illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus transferunt se ad corporales, secundùm Philosophum in 10. Eth. in fuga autem tristitiæ talis processus attenditur, quia primò homo fugit contristantia; secundò etiam impugnat ea, quæ tristitiam ingerunt; spiritualia autem bona, de quibus tristatur accidia, sūt & finis, & id, quod est ad finē, fuga autem finis fit per desperationem, fuga autem bonorum, quæ sunt ad finem quantum ad ardua, quę subsunt consilijs, fit per pusillanimitatem, quantùm autem ad ea, quæ pertinent ad communem iustitiam fit per torporem circa præcepta; impugnatio autem contristantium bonorum spiritualium quandoque quidem est circa homines, qui ad bona spiritualia inducuntur, & hic est rancor, quandoque verò se extendit ad ipsa spiritualia bona, in quorum detestationem aliquis adducitur, & hoc propriè est malitia; inquantum autem propter tristitiam à spiritualibus aliquis transfert se ad delectabilia exteriora ponitur filia accidiæ euagatio circa illicita. 2.2. q.35. a.4. ad 2. (q. 11. de malo. a. 4. in corp.

Quęritur quos maximè vexet accidia.

10 Respondeo dicendum, quòd passiones appetitus sensitiui & in se possunt esse peccata venialia, & inclinant animā ad peccatum mortale, & quia appetitus sensitiuus habet organum corporale, sequitur quòd per aliquam corporalem transmutationem homo fit habilior ad aliquod peccatum, & ideo potest contingere, quòd secundùm aliquas transmutationes corporales certis temporibus prouenientes aliqua peccata nos magis impugnet; omnes autem corporalis defectus de se ad tristitiā disponitur, & ideo ieiunantes circa meridiem, quando iam incipiunt sentire defectum cibi, & vrgeri ab æstibus solis, magis ab accidia impugnantur, dicit enim Cassianus in 10. lib. de institutis monasteriorum, maximè accidia circa horam sextam Monachum inquietat, vt quædam febris ingruens tempore præstituto ardentissimos æstus accensionum suarum solitis, ac statutis horis animæ inferens ægrotāti. 2.2. q.35. ar. 1. ad 2.

Quaritur quomodo sit vincendum vitium accidiæ.

Respondeo sicut verbo luxuria.

ACCVSATIO.

1 *In criminibus potest tribus modis procedi: & quibus.*
In peccatis publicis proceditur per inquisitionem.
In priuatis peccatis proceditur per denunciationem, & accusationem.
Non proceditur per inquisitionem nisi pręcesserit clamor.
Denunciationem debet præcedere fraterna correctio.
Quando fit accusatio fiat etiam pręscriptio, quia accusans se obligat ad pęnā talionis.
2 *In denūciatione intēditur emēdatio fratris.*
In accusatione intenditur punitio delicti.
Quando peccatum alicuius cedit in damnū spirituale, vel corporale multitudinis, tenetur homo ad accusādum, si possit sufficienter probare.
Si aliter non tenetur accusare.
3 *Accusatio debet fieri in scriptis.*
4 *In accusatione multipliciter peccatur, & quomodo.*

De accusatione in communi.

Quęritur quot modis procedatur in criminibus

1 RESpondeo dicendum, quòd in criminibus tripliciter proceditur, secundùm iura, quia per inquisitionem, &

& hoc est in peccatis publicis, & non debet fieri, nisi præcedat clamor congregationis; item per denunciationem, & per accusationem, & hoc est in priuatis; si autem procedatur per accusationem, tunc debet fieri præscriptio, quia obligatur accusans ad talionem, & in hoc intenditur, vt finis bonum Reipublicæ, vnde hoc potest fieri secundùm voluntatem siuè publicè, siuè priuatim; si autem procedatur per denunciationem, tunc debet præcedere fraterna admonitio, quia finis huius est emendatio proximi, & ideo debet seruari ordo fraternæ correctionis. quodlibeto 11. ar. 13. in corp. [4. sent. d. 35. ar. 3. ad 6.

Quaritur an homo teneatur ad accusandum.

2 Respondeo dicendum, quòd hæc est differentia inter accusationem, & denunciationem, quia in denunciatione attenditur emendatio fratris; in accusatione autem attenditur punitio criminis, pænæ autem præsentis vitæ non per se petuntur, quia non est hic vltimum retributionis tempus, sed inquantum sunt medicinales conferentes, vel ad emendationem personæ peccatis, vel ad bonum Reipublicæ, cuius quies procuratur per punitionem peccantium, quorum primum intenditur in denunciatione, secundum autem propriè pertinet ad accusationem, & ideo si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accusationẽ, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris, puta cum peccatũ alicuius vergit in multitudinis corruptelã corporalem, seu spiritualem; si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, nõ tenetur ad intentandum accusationem, quia adhuc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere. 2. 2. q. 68. ar. 1. in corp.

Quaritur an accusatio debeat fieri in scriptis.

3 Respondeo dicendum, quòd quando in criminibus per modum accusationis agitur, accusator constituitur pars, ità quòd iudex inter accusatorem, & eum, qui accusatur, medius constituetur ad examen iustitiæ, in quo oportet quantum possibile est secundùm certitudinem procedere, quia verò ea, quæ verbotenus dicuntur facilè labuntur à memoria non posset iudici esse certum quid, & qualiter dictum sit, cum debet proferre sententiam, nisi esset in scriptis redactum, & ideo rationabiliter institutum est, vt accusatio, sicut & alia, quæ in iudicio aguntur, redigatur in scriptis. 2. 2. q. 68. art. 2. in corp.

Quaritur quomodo accusatio reddatur iniusta.

4 Respondeo dicendum, quòd nullus debet nocere alicui iniustè, vt bonum commune promoueat, & ideo in accusatione duplici ratione contingit esse peccatum, vno modo ex eo, quòd aliquis iniustè agit contra eum, qui accusatur, crimina falsa ei imponendo, quòd est calumniari, alio modo ex parte Reipublicæ, cuius bonum principaliter intenditur in accusatione, dum aliquis impedit malitiosè punitionem peccati, quod iterum dupliciter contingit, vno modo fraudem in accusatione adhibendo, & hoc pertinet ad præuaricationem, nam præuaricator dicitur quasi varicator, qui aduersam partem adiuuet prodita causa sua, alio modo totaliter ab accusatione desistendo, quod est tergiuersari, in hoc enim, quod desistit ab hoc, quod cæperat, quasi tergum vertere videtur. 2. 2. q. 68. art. 3. in corp.

DE ACCVSATO.

Quæritur an factum possit accusari.

1 Respondeo dicendum, quòd accusatio ad hoc est instituta, ne aliquis sustineatur quasi innocens, qui culpam habet; sicut autem ex ignorantia facti contingit, quòd aliquis homo reputatur innocens, qui in culpa est, ita ex ignorantia alicuius circumstantiæ contingit, quòd aliquod factum reputatur licitum, quod illicitum est, & ideo sicut homo accusatur quandoque, ita & factum ipsum accusari potest. 4. sent. d. 41. art. 5. quæst. 2. in corp.

Quaritur an absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur.

2 Respondeo dicendum, quòd quicunque facit contra debitum iustitiæ mortaliter peccat, pertinet autem ad debitum iustitiæ, quòd aliquis obediat suo superiori in his, ad quæ ius Prælationis se extendit; Iudex autem superior est respectu eius, qui iudicatur, & ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ab eo secundùm formam iuris exigit, & ideo si confiteri noluit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negauerit, mortaliter peccat; si verò iudex hoc exquirat, quod non potest secundùm ordinem iuris, non tenetur ei accusatus respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere, mendacium tamen dicere non licet. 2. 2. q. 69. ar. 1. in corp.

Quaritur an accusato liceat calumniosè se defendere.

3 Respondeo dicendum, quòd aliud est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere,

ponere; quorum primum in aliquo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solùm, quā ab eo potest, & debet requirere iudex secundùm ordinem iuris, puta cum præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa inditia apparuerint, vel etiam cum præcessit probatio semiplena; falsitatem tamen proponere in nullo casu licet alicui; ad id autem, quod licitum est, potest aliquis procedere, vel per vias licitas, & fini intento accommodas, quod pertinet ad prudentiam, vel per aliquas vias illicitas, & proposito fini incōgruas, quod pertinet ad astutiam, quæ exercetur per fraudem, & dolum, quorum primum est laudabile, secundum verò vitiosum; sic ergo reo, qui accusatur licet se defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos conuenientes modos, puta quòd non respondeat, ad quæ respondere non tenetur, hoc autem non est calumniosè se defendere, sed magis prudenter euadere, non autem licet ei vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur, neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacij habent, & hoc est calumniosè se defendere. 2.2.q.69.ar.2.in corp.

Quæritur an falsò accusatus possit accusatori remittere iniuriam, & in quo casu.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui malè accusat peccat, & contra personam accusati, & contra Rempublicam, vnde propter vtrumque ponitur, & hoc est, quod dicitur Deut. 19. Cumque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit; sed pertinet ad iniuriam personæ. & postea quantùm ad iniuriam Reipublicæ subditur: &. auferes malum de medio sui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam taliā audeāt facere. Specialiter tamen personæ accusati facit iniuriam, si de falso accuset, & ideo accusatus, si innocens fuerit, potest ei iniuriam suam remittere, maximè si non calumniosè accusauit, sed ex animi leuitate. Si verò ab accusatione innocentis desistat propter aliquam collusionem cum aduersario facit iniuriam Reipublicæ, & hoc non potest ei remitti ab eo, qui accusatur, sed potest ei remitti per Principem, qui curam Reipublicæ gerit. 2.2. q.68. ar.4.ad 2.

Quęritur an mulier accusata de adulterio teneatur peccatum suum in iudicio confiteri.

5 Respondeo dicendum, quòd distinguendum est, si enim adulterium sit omnino occultum, non debet mulier peccatum suum in iudicio confiteri, nec debet ab ea exigi iuramentum de veritate dicenda, quia occulta soli Diuino iudicio reseruantur secūdùm illud 1.ad Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum: sed quando ex adulterio procedit infamia, vel aliqua signa euidentia apparent, quæ vehementem suspicionem facere possunt, vel quando est semiplenè probatum, tunc debet ab ea exigi iuramentum de veritate dicenda, & ipsa tenetur confiteri veritatem. Quodlibeto 5, ar.16.

Quęritur an ad separationem matrimonij, quod est inter affines, & consanguineos contractum, sit procedendum per viam accusationis, & per testes.

6 Respondeo dicendum, quòd sicut homo accusatur quandoque, itā & factum ipsum accusari potest, & sic matrimoniū accusatur, quando propter ignorantiam impedimenti existimatur legitimum, quod



quod est illegitimum, in hac causa oportet, quòd per testes veritas pateat, sicut & in alijs, tamen vt Iuristę dicunt, in hac causa multa specialia inueniuntur, scilicet, quòd idem possit esse accusator, & testis, & quòd non iuratur de calumnia, cũ sit quasi causa spiritualis, & quòd consanguinei admittuntur ad testificandum, & quòd non obseruatur omnino ordo iudiciarius, quia tali denunciatione facta contumax potest excommunicari lite nõ contestata, & valet hoc testimonium de auditu, & post publicationem testium testes possint induci, & hoc totum est, vt peccatum impediatur, quod in tali coniunctione esse potest. 4. sent. d. 41. artic. 5. quaestiuncula 2. in corp. & quaestiuncula 3. in corp.

Quaeritur an accusator matrimonij obligetur ad poenam talionis.

7 Respondeo dicendum, quòd obligatio ad poenam talionis habet locum, quando accusatur persona de crimine, quia tunc agitur ad punitionem eius, sed quando accusatur factum, tunc non agitur ad poenam facientis, sed ad impediendum hoc, quòd est illicitum, & ideo in matrimonio accusator non se obligat ad aliquam poenam, & talis accusatio potest & verbo, & scripto fieri, ita quòd exprimatur & persona accusans matrimonium, quod accusatur, & impedimentum, propter quod accusatur. 4. sent. d. 41. artic. 5. quaest. 2. ad 1.

Quaeritur in quo casu extranei expelluntur ab accusatione matrimonij.

8 Respondeo dicendum, quòd extranei non possunt scire consanguinitatem, nisi per consanguineos, de quibus probabilius est, quòd sciant, vnde quando ipsi tacent suspicio habetur contra extraneum, quòd ex maleuolentia procedat, nisi per consanguineos probare voluerit, vnde repellitur ab accusatione, quando sunt consanguinei, qui tacent, & per quos probari non potest; sed consanguinei quantumcunque sint propinqui non repelluntur ab accusatione, quando accusatur matrimonium propter aliquod impedimẽtum perpetuum, quod impedit contrahendum, & dirimit contractum; sed quando accusatur ex hoc, quòd dicitur non fuisse contractum, tunc parentes tanquam suspecti sunt repellendi, nisi ex parte illius, qui est inferior dignitate, & diuitijs, de quib' probabiliter extimari potest, quòd libenter vellent, quòd matrimonium staret. 4. sent. d. 41. ar. 5. quaest. 2. ad 2.

Quaeritur in quo casu ille, qui primò tacuit debeat admitti ad accusationem matrimonij, & in quo repelli.

9 Respondeo dicendum, quòd ille, qui primò tacuit quandoque auditur, postea si velit matrimonium accusare, quandoque repellitur, quod patet ex Decretali, quę sic dicit: Si post contractum matrimonium aliquis apparet accusator, cum non prodierit in publicum, quando secũdum consuetudinẽ in Ecclesijs sedebatur, vtrũ vox suae debeat accusationis admitti, merito queri potest; super quo respõdemus, q̃ si t̃pe denunciationis pręmissę is, qui iã coniunctus impedit, extra Diœcesim existebat, vel aliàs denunciatio ad eius non potuit notitiam peruenire, vt puta si nimiae infirmitatis feruore laborans sanae mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris constitutus, quòd ad comprehensionem talium eius aetas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus, eius accusatio debet audiri, alioquin tanquam suspectus esset procul dubio repellendus, nisi iuramento firmauerit, quòd post didicerit ea, quae obiecerit, & ad hoc ex malitia nõ procedat. 4. sent. d. 41. ar. 5. quęst. 2. ad 4.

Quae-

Quęritur an maritus accuſans vxorem de adulterio teneatur ad pœnam talionis.

10 Reſpondeo dicendum, quòd maritus poteſt accuſare vxorem de adulterio dupliciter, vno modo ad thori ſeparationem coram Iudice ſpirituali, & tunc inſcriptio debet fieri ſine obligatione ad legem talionis, quia ſic vir conſequeretur intentum ſuum; alio modo ad punitionẽ criminis in iudicio ſæculari, & ſic oportet, quòd præcedat inſcriptio, per quam ad pœnam talionis ſe obliget, ſi in probatione deficiat. 4. ſent. d.35. ar.3. ad 5.

Quęritur an accuſari debeat matrimonium nondum contractum.

11 Reſpondeo dicendum, quòd cũ matrimonium nondum eſt contractum, ſed ſponſalia tantùm, non poteſt accuſari, quia non accuſatur, quod non eſt, ſed poteſt denunciari impedimentum, ne matrimonium contrahatur. 4. ſent. d.41. ar. 5. quæſt. 2. ad 3.

Quæritur quid faciendum, quando Eccleſia decepta per falſos teſtes ſeparauit matrimonium.

12 Reſpondeo dicendum, quòd cum Eccleſia non intendat priuare aliquem iure ſuo ſi decepta per falſos teſtes ſeparauerit matrimoniũ altera perſonarũ expoliata vi; iuſte debet ei fieri reſtitutio, etiam ſi altera votum emiſiſſet Religioni, ita tamen, quòd ei non liceret petere debitum, at ſolùm reddere. 4. ſent. d.41. in expoſitione litteræ.

Quæritur quid faciendum, quando mulier agit ad reintegrationem matrimonij.

13 Reſpondeo dicendum, quòd quando mulier ad reintegrationem matrimonij agit; diſtinguendum eſt, quia ſi agit petitorio, vt ſcilicet ei detur aliquis vir, qui cum ea contraxit, antequam fiat reſtitutio tractabitur de exceptione ex parte mariti propoſita: ſi autem agat poſſeſſorio, primò reſtituendus eſt ſibi vir, quã acceptio prædicta tractetur, & eadem ratio eſt, ſi vir agat. Sed excipiũtur ab vtroque communiter quinque caſus; primus eſt, quando vir excipiendo proponit publicam fornicationem vxoris; ſecundus, quando proponit gradum conſanguinitatis iure Diuino prohibitum, tamen ſi differatur, oportet fieri reſtitutionem per ſententiam, ſed ille non tenebitur reddere debitum, ſi habeat conſcientiam de conſanguinitate prædicta; tertius ſi obijciatur exceptio rei iudicatæ, à qua non eſt appellatum: quartus, quando eſt tanta ſæuitia viri, quòd non poteſt ſufficiens cautio adhiberi, puta quòd vir perſequitur vxorem odio capitali: quintus eſt, quando ille, qui agit, ſpoliauit alium ſine cauſa. 4. ſent. d.41. in expoſitione litteræ.

DE ACCVSANTE.

1 *Excommunicati, infames, & de maiori crimine accuſati, non poſſunt accuſare.*

2 *In quibus caſibus liceat, vel non liceat ſubditis accuſare ſuum Prælatum.*

3 *De quibus debeant eſſe accuſationes fratrũ in Capitulo.*

4 *Puplica infamia tenet locum accuſatoris. Euidentia perpetrati ſceleris accuſatore non eget.*

5 *Dupliciter contingit deſiſtere ab accuſatione*

6 *Accuſator in probatione deficiens tenetur ad pœnam talionis.*

7 *Falſus accuſator meretur pœnam talionis, & infamiæ.*

Quis poſſit vtramque pœnam abolere.

Quęritur an excommunicati, infames, & de maiori crimine accuſati, poſſint accuſare.

1 Reſpondeo dicendũ, Excõmunicatos, infames, & de maiori crimine

ne accusatos non posse accusare, & nihil prohibet per peccatum reddi aliquem impotentem ad ea, quæ homines facere tenentur, sicut ad merendum vitam æternam & ad assumendum Ecclesiastica Sacramenta, & hæc est grauissima pæna. 2.2. q. 68. ar. 1. ad 1.

Quæritur in quibus casibus possint subditi Prælatum suum accusare.

2 Respondeo dicendum, quòd Subditi Prælatos suos accusare prohibentur, qui non affectione Charitatis, sed sua prauitate vitam eorũ diffamare, & repræhendere quærunt, vel etiã si subditi accusare volentes fuerint criminosi, vt habetur 2. q. 7. alioquin si fuerint aliàs idonei ad accusãdũ, licet subditis ex Charitate suos Prælatos accusare. 2.2. q. 68. ar. 1. ad 2.

Quæritur de quibus debeant esse accusationes Fratrum in Capitulo.

3 Respondeo dicendum, quòd proclamationes, quæ in Capitulis Religiosorũ fiunt, sunt de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant, vnde sunt quasi quædam cõmemorationes potius oblitarum culparum quàm accusationes, vel denunciationes: si essent tamen talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui per hunc modũ peccatum fratris publicaret. 2.2. q. 33. ar. 7. ad 4.] 4. sent. d. 19. q. 2. ar. 3. quæst. 1. ad 3.

Quæritur an Iudex possit aliquem condemnare absque accusatore, puta per solam publicam infamiam, vel per denunciationem solam, vel quia ipse videt.

4 Respondeo dicendum, quòd publica infamia habet locum accusatoris, vnde super illud Genesis 4. vox sanguinis fratris tui &c. dicit Glosa: Euidentia perpetrati sceleris accusatore non eget, in Denunciatione verò non intenditur punitio peccati, sed emendatio, & ideo nihil agitur contra eum, cuius peccatum denunciatur, sed pro eo, & ideo non est ibi necessarius accusator, pæna autem infertur propter rebellionem ad Ecclesiam, quæ quia est manifesta, tenet locum accusatoris, ex eo autem, quod ipse Iudex videt non potest procedere ad sententiam ferendam, nisi secundùm ordinem publici Iudicij, quod tenet locum Accusatoris. 2.2. q. 67. ar. 3. ad 2.

Quæritur quot modis contingat ab accusatione desistere.

5 Respondeo dicendum, quòd contingit aliquem ab accusatione desistere ordinatè absque vitio dupliciter, vno modo in ipso accusationis processu, si cognouerit esse falsum id, de quo accusauit, & sic pari consensu se absoluunt accusator, & reus; alio modo si Princeps, ad quem pertinet cura boni communis, quod per accusationem intenditur, accusationem absoluerit. 2.2. q. 68. ar. 3. ad 3.

Quæritur an accusator in probatione deficiens teneatur ad pænam talionis.

6 Respondeo dicendum, quòd accusator in causa accusationis constituitur pars, intendens ad pœnam accusati, ad Iudicem autem pertinet, vt inter eos iustitiæ æqualitatem constituat, iustitiæ autem æqualitas hoc requirit, vt nocumentum, quod quis alteri intentat, ipse patiatur secundùm illud Exodi 21. oculum pro oculo, dentem pro dente, & ideo iustum est, vt ille, qui per accusationem aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipse etiam similem pœnam patiatur. 2.2. q. 68. ar. 4. in corp.] quodlibeto 11. ar. 13.

Quæ-

Quæritur quotuplicem, & quam pænam mereatur falsus accusator.

7 Respondeo dicendum, quòd pœnam talionis meretur accusator in recompensationem nocumenti, quod proximo inferre intentat, sed pœna infamiæ ei debetur propter malitiam, ex qua calumniosè alium accusauit, & quandoque quidem Princeps remittit penam, & non abolet infamiam, quandoque etiam infamiã abolet, vnde & Papa potest huiusmodi infamiam abolere, & quod dicit Papa Gelasius, Infamiam abolere non possumus, intelligendum est de infamia facti, vel quia eam abolere aliquando non expedit; vel etiam loquitur de infamia irrogata per iudicem ciuilem, sicut dicit Gratianus. 2. 2. q. 68. art. 4. ad 3.

ADIVRATIO.

1 *Per quæ adiuratio fiat.*
2 *Adiuratio quando licita, & quando illicita.*
3 *Duplex modus adiurandi.*
Non licet Dæmones adiurare per modum deprecationis.
Possumus Dæmones adiurando per virtutem Diuini nominis repellere.
Non licet Dæmones adiurare ad addiscendum, vel obtinendum aliquid.
Ex speciali reuelatione vsi sunt aliqui Sancti opera Dæmonum ad aliquem effectũ.
4 *Adiuratio creaturæ irrationalis dupliciter intelligi potest.*

Quæritur an adiuratio fiat per res superiores.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut in iuramento assumitur Diuina veritas quasi firmior in testimonium veritatis à nobis dictæ, ita in adiuratione semper assumitur potentior virtus ad impetrandum, quod nos ex nostra infirmitate non possumus impetrare, vnde semper adiurans in se defectum profitetur, sed quandoque illud, quod adiuramus assumitur ad inclinandum per violentiam, sicut cum Sancti Dæmones adiurant, vt de obsessis corporibus exeant; quandoque autem assumitur ad inclinandum per beneuolentiam, & sic Deum adiuramus per Filium suum, vel per Sanctos suos, qui ei accepti supra nos fuerunt. 4. sent. d. 15. q. 4. a. 3. quæst. 1. ad 1.

Quæritur an liceat adiurare hominem.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui iurat iuramento promissorio per reuerentiam Diuini nominis, quod ad confirmationem suæ promissionis inducit, seipsum obligat ad faciendum, quod promittit, quod est seipsum immobiliter ordinare ad aliquid agendum; sicut autem homo seipsum ordinare potest ad aliquid agendum, ita etiam alios, superiores quidẽ deprecando, inferiores autem imperando; cum ergo vtraque ordinatio per aliquod Diuinum confirmatur est adiuratio; In hoc tamen differunt, quòd homo est suorum actuum dominus, non autem est dominus eorũ, quæ sunt ab alio agenda, & ideo sibi ipse potest necessitatem imponere per Diuini nominis inuocationẽ, non autem hanc necessitatem potest alijs imponere nisi subditis, quos potest ex debito præstiti iuramenti compellere; si ergo aliquis per inuocationẽ Diuini nominis, vel cuiuscunque rei sacræ alicui non sibi subdito adiurando necessitatem agẽdi aliquid imponere intendat, sicut imponit sibi ipsi iurando, talis adiuratio illicita est, quia vsurpat potestatem in alium, quã non habet, tamen propter aliquã necessitatem superiores inferiores suos tali genere adiurationis cõstringere possunt; si verò intendant solummodo per reuerẽtiam Diuini nominis, vel alicuius rei sacræ aliquid ab alio obtinere absq; necessitatis impositione, talis adiuratio licita est respectu quorũlibet. 2. 2. q. 90. a. 1. in corp.

Quæritur

Quæritur an liceat Dæmones adiurare.

3 Respondeo dicendum, quòd duplex est adiurandi modus, vnus quidem per modum deprecationis, vel inductionis ob reuerentiam alicuius sacri, alius autem per modum compulsionis;primo autem modo non licet Dæmones adiurare, quia ille modus adiurandi videtur ad quandam beneuolentiam, vel amicitiam pertinere,qua non licet ad Dæmones vti; secundo autem adiurationis modo, qui est per compulsionem, licet nobis ad aliquid vti; & ad aliquid non licet. Dæmones enim in cursu huius vitæ nobis aduersarij constituuntur, non autem eorum actus nostræ dispositioni subduntur, sed dispositioni Diuinæ, & sanctorum Angelorum,vt Augustinus dicit 3.de Trinitate cap.4. Spiritus desertur, regitur per Spiritum iustum; possumus ergo Dæmones adiurando per virtutem Diuini nominis tanquam inimicos repellere,ne nobis noceant spiritualiter,vel corporaliter,secũdùm potestatem Diuinam datam à Christo, secundùm illud, Lucæ 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit; non tamen licitum est eos adiurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam, nisi fortè ex speciali instinctu, vel reuelatione Diuina aliqui Sancti ad aliquos effectus Dæmonum operatione vtantur, sicut legitur de B.Iacobo, quòd per Dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci. 2.2. q.90. art.2.in corp.] 4. sent.d.15.q.4.art.3. quæst.1.ad 1.

Quæritur an liceat creaturam irrationalem adiurare.

4 Respondeo dicendum, quòd adiuratio,qua quis vtitur ad irrationalem creaturam potest intelligi dupliciter, vno modo vt adiuratio referatur ad ipsam irrationalem creaturam secundùm se, & sic vanum esset irrationalem creaturam adiurare; alio modo vt referatur ad eum, à quo irrationalis creatura agitur, & mouetur, & sic dupliciter adiuratur irrationalis creatura;vno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directè, quod pertinet ad eos,qui Diuina innocatione miracula faciunt, alio modo per modum compulsionis, quæ refertur ad Diabolum, qui in nocumentum nostrum vtitur irrationalibus creaturis, & talis est modus adiurandi in Ecclesiæ exorcismis, per quos Dæmonum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis; adiurare autem Dæmones ab eis auxilium implorando non licet. 2.2.q 90.a.3.in corp.

ADMONITIO.

1 *Admonitio est de emendatione.*
2 *Admonitio debet esse secreta.*
Si hæc non prosit, adhibendi sunt testes.
3 *Ordo seruandus in correctione hominis peccantis.*

Quæritur an admonitio possit esse de emendatione.

1 Respondeo dicendum, quòd de peccato preterito potest esse aliquis actus præsens, vel futurus, & ideo quamuis emendatio sit de peccato præterito, tamen ipsa admonitio aliquando potest esse facienda ad hoc,& ideo de ipsa emendatione potest esse admonitio, vt dicatur emendatio reuersio peccatoris ad statum rectæ operationis, quæ est correptionis finis. 4.sent. d.19.q.2.art.1. ad 4.

Quæritur an admonitio debeat aliquando fieri per testes.

2 Respondeo dicendum, quòd quando medicina leuis, à qua incipiendum est, non

non proficit, tunc debet Medicus efficaciorem medicinam apponere, non tamen statim efficacissimam, sed paulatim procedēdum est, vt quàm minus potest fieri, grauetur ille, cui medicari volumus, & ideo si prima medicina, scilicet admonitio pręcedens secreta non prosit, quia peccatum iterari videtur, oportet ad vlteriora procedi, vt paucis ostendatur, & talibus, qui possunt prodesse, & quibus non creditur, quòd obsint diffamando, & illi principaliter adhibentur, vt admoneant, secundò vt admonitionis factæ sint testes. 4. sent. d. 19. q. 2. ar. 3. quæst. 2. in corp.

Quæritur qui ordo in correctione fraterna seruari debet.

3 Respondeo dicendum, quòd cū quis oculi petulantiam, vel aliud peccatum, quodcunque in fratre suo aduertit, statim admonere debet, ne cępta progrediantur, sed de proximo corrigantur: quòd si post admonitionem iterum, vel tertiò id facere videatur, tunc debet quasi vulneratus sanandus manifestari, sed antequam in publicum prodatur, quod fit cum Ecclesiæ dicitur, prius debet alteri, vel tertio demonstrari, quod est adhibere vnum, vel duos testes, & inter eos, quibus attendi debet, antequam alijs ostendatur, per quos conuincendus est, si negauerit, prius Præposito debet ostendi post admonitionem, vt secretius correptus non innotescat cæteris, & ita primò debet admoneri, secundò Prælato ostendi, tertiò testes adhiberi, quartò in publicum produci conuincendus, si negauerit. 4. sent. d. 19. q. 2. ar. 3. quæst. 2. ad 4.

Plura alia de admonitione require in verbo, Correctio fraterna.

ADOPTIO.

1 *Quid sit adoptio.*
2 *Duplex adoptio perfecta, & imperfecta.*
3 *Adoptans debet esse senior, & adoptatus iunior.*
Adoptatus debet esse ætatis talis, quòd possit esse adoptantis filius naturalis.
4 *Qui habent impedimentum perpetuum generationis non possunt adoptare.*
Qui habuerunt, & amiserunt filios, vel qui non habuerunt ex accidenti aliquo possunt adoptare.
5 *Qui non est sui iuris, & minor viginti quinque annis, nec mulier nisi ex concessione Principis possunt adoptare.*
6 *Adoptio trāsit in filios & nepotes adoptati*
7 *Qua ratione propinquus possit adoptari, vel non adoptari.*
8 *Adoptio impedit matrimonium.*
9 *Inter quos est cognatio legalis, & quę impediat matrimonium*
10 *Non contrahitur propinquitas inter adoptantem, & patrem, & matrem naturalem adoptati.*

Quæritur quid sit adoptio.

1 Respōdeo dicendum, quòd adoptio est extraneę personæ in filium, vel nepotē, vel deinceps legitima assumptio. 4 sent. d. 42. q. 2. ar. 1. homo dicitur aliquē in filium adoptare secundū quòd ex gratia dat ius percipiendæ hæreditatis suæ, cui per naturam non competit. 4. sent. d. 10. q. 2. ar. 1. quæst. 1. in corp.] 4. sent. d. 42. q. 2. ar. 1. in corp.

Quæritur quotuplex sit adoptio.

2 Respondeo dicendum, quòd filiatio adoptionis est quædam imitatio filiationis naturalis, & ideo duplex est adoptionis species, vna, quæ perfecte imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur abrogatio, per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis, & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eum pater sine culpa priuare quarta parte hæreditatis,

sic

ſic autem adoptari non poteſt, niſi ille, qui ſui iuris eſt, qui ſcilicet poſtquam adoptatur non habet poteſtatem, aut ſi habet, eſt mancipatus, & hæc adoptatio non fit niſi auctoritate Principis; alia eſt adoptatio, quę imitatur naturalem filiationem imperfectè, quę vocatur ſimplex adoptio, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, vnde magis eſt diſpoſitio quędam ad perfectam adoptationem, quàm adoptio perfecta, & ſecundùm hoc poteſt adoptari etiam ille, qui non eſt ſui iuris, & ſine auctoritate Principis, ex auctoritate magiſtratus, & ſic adoptatus non ſuccedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit. 4. ſent. d. 42. q. 2. ar. 1. ad 1.

Quæritur cuius ætatis debeant eſſe adoptans, & adoptatus.

3 Reſpondeo dicendum, quòd in hoc differt ſpiritualis cognatio à legali, quòd ſpiritualis cognatio contrahitur per Sacramentum, quo fideles renaſcuntur in Chriſto, in quo non differt maſculus à femina, ſeruus, & liber, iuuenis, & ſenex, & ideo indifferenter quilibet poteſt effici pater ſpiritualis alterius, ſed adoptio fit per hæreditatis ſucceſſionem, & quandam ſubiectionem adoptati ad adoptantem, non autem eſt conueniens, quòd antiquior iuueni in cura rei familiaris ſubdatur, & ideo minor non poteſt adoptare ſeniorem, ſed oportet ſecundùm Leges, quòd adoptatus ſit intantum adoptante iunior, quòd poſſit eius naturalis eſſe filius. 4. ſent. d. 42. q. 2. ar. 1. ad 9.

Quæritur an qui habent impedimentum perpetuum generationis poſſint adoptare.

4 Reſpondeo dicendum, quòd per eum, qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non poteſt hæreditas tranſire in poſterum, vnde ex hoc ipſo iam debetur illis, qui ei ſuccedere debent iure propinquitatis, & ideo ei non competit adoptare, ſicut nec naturaliter generare, & propterea maior eſt dolor de filijs amiſſis, quàm de filijs, qui nunquam habiti ſunt, & ideo habentes impedimentum generationis non indigent ſolatio contra carentiam filiorum, ſicut illi, qui habuerunt, & amiſerunt, vel etiam qui habere potuerunt, ſed aliquo impedimento accidentali carent. 4. ſent. d. 42. q. 2. art. 1. ad 4.

Quæritur quinam ſint, qui non poſſunt adoptare.

5 Reſpondeo dicendum, quòd adoptio ordinatur ad hæreditatis ſucceſſionem, & ideo illis ſolis competit, qui habent poteſtatem diſponendi de hæreditate ſua, vnde ille, qui non eſt ſui iuris, vel qui eſt minor viginti quinque annis, aut mulier, non poteſt adoptare aliquem, niſi ex ſpeciali conceſſione Principis. 4. ſent. d. 42. q. 2. ar. 1. ad 3.

Quæritur an adoptatio tranſeat in filios adoptati, & nepotes.

6 Reſpondeo dicendum, quòd in hoc differt cognatio ſpiritualis à legali, quòd per cognationem ſpiritualem filius non ponitur in poteſtate, & cura patris ſpiritualis, ſicut in cognatione legali, oportet enim, quòd quidquid eſt in poteſtate filij tranſeat in poteſtatem patris adoptantis, vnde adoptato patre adoptantur filij, & nepotes, qui ſunt in poteſtate adoptati. 4. ſent. d. 42. q. 2. ar. 3. ad 4.

Quæritur an propinqui poſſint adoptari.

7 Reſpondeo dicendum, quòd propinquus iure propinquitatis debet ſuccedere, & ideo non competit ei, quòd per adoptionem ad ſucceſſionem deducatur, etſi aliquis

aliquis propinquus, cui non competat successio hæreditatis adoptetur, non adoptatur inquantum est propinquus, sed inquantum est extraneus à iure successionis in bonis adoptantis. 4.sent. d.42.q.2.a.2. ad 7. 3.sent.d.10.q.2.a.1.quæst.1.ad 2.

Quæritur an adoptio impediat matrimonium.

8 Respondeo dicendum, quòd Lex Diuina illas personas præcipuè à matrimonio exclusit, quas necesse erat cohabitare, ne vt Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret cõcupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatũ, & quia filius adoptatus conuersatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo Legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi, & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata, & inde habetur, quòd legalis cognatio matrimonium impediat. 4.sent.d.42.q.2.ar.2.in corp.

Quæritur inter quos contrahatur cognatio legalis.

9 Respondeo dicendum, quòd triplex est legalis cognatio, prima quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filij adoptiui, & nepotem, & sic deinceps: secunda, quæ est inter filium adoptatum, & filium naturalem: tertia per modum cuiusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem, & vxorem filij adoptati, vel è conuerso inter filium adoptatum, & vxorem patris adoptantis: prima ergo cognatio, & tertia perpetuò matrimonium impediunt; secunda autem non, nisi quamdiù in potestate manet patris adoptantis, vnde mortuo patre, vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium. 4.sent.d.42. q.2. art.3. in corp.

Quæritur an contrahatur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem, & matrem, vel patrem naturalem.

10 Respondeo dicendum, quòd non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem, & matrem, vel patrem naturalem. 4.sent d.42.q.2.a.3.ad 1.

ADORATIO.

1 *Adoratio est actus Religionis.*
2 *Adoratio importat actum spiritualem, & corporalem.*
3 *Secundum omnia bona debemus Deo Latriam exhibere.*
4 *Determinatio situs non requiritur in adoratione de necessitate, sed de congruentia.*
5 *Iudæi adorabant ad Occidentem, & quare.*
6 *Nos adoramus ad Orientem multiplici ratione.*
7 *In adoratione genuflectimus, & prosternimur.*
8 *Adoratio Latriæ debetur Deo, vt Creatori.*
9 *Deo Patri debetur Dulia, ratione dominij in creaturam.*
10 *Tribus Personis Diuinis vna adoratio debetur.*
11 *Relationes Diuinæ sunt adorandę Latria.*
12 *Circa Christum vna debet esse adoratio respectu eius, quod adoratur, sed ex parte causæ potest dici esse adorationes plures.*
13 *Humanitas Christi potest adorari Latria, & Dulia ex diuersa ratione.*
14 *Humanitas Christi adoratur vel Latria, vel Hyperdulia.*
15 *Hostia qua intentione adoranda.*
Adorans Hostiam non consecratam putans eam consecratam non peccat.
Sacerdos proponens populo Hostiam non consecratam facit idolatrare.
16 *Imago Christi, vt imago adoratur Latria, vt res est, non adoratur.*
17 *Per traditionem Apostolorum habemus adorationem imaginum Christi.*

D.Lucas

18 *D. Lucas pinxit imagines Christi, & B. Virginis.*
19 *In Lege veteri non pingebatur imago Dei. In Lege noua pinguntur imagines.*
20 *Crux vera Christi adoratur Latria, & quia est rappresentatiua Christi, & ratione contactus.*
Cruces aliæ adorantur Latria ratione rappresentationis tantùm.
21 *Crux vera Christi, inquantum est res quædam Christi, ratione ipsius adoratur Hyperdulia.*
22 *Quomodo maior, & minor honor exhibetur Cruci Christi, quam B.V. respectu diuersorum.*
23 *Ratione contactus adoramus Latria clauos, vestes, lanceam, sepulcrum &c. Christi.*
Imagines clauorum non adoramus.
23 *B. Virgo adoratur Dulia.*
B. Virgo vt Mater Dei adoratur Hyperdulia.
25 *Sancti adorantur non Latria, sed Dulia.*
26 *Reliquiæ Sanctorum sunt adorandæ.*
27 *Diabolus in forma Christi apparens non est adorandus.*
Potest adorari cum conditione actu explicita, puta, si es verus Christus.
28 *Exhibere creaturæ Latriam est peccatum.*

Quæritur an adoratio sit actus Latriæ, siue Religionis.

1 Respondeo dicendum, quòd adoratio ordinatur in reuerentiam eius, qui adoratur, Religionis autem proprium est reuerentiam Deo exhibere, vnde adoratio, qua Deus adoratur, est Religionis actus. 2.2.q.84.ar.1.in corp.

Quæritur an adoratio importet actum corporalem.

2 Respondeo dicendum, quòd quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, spiritualem, quę consistit in interiori mentis deuotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione, & quia in omnibus actibus Latriæ id, quod est exterius refertur ad id, quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, vt videlicet per signa humilitatis, quę corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subijciẽdum se Deo, quia connaturale est nobis, vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus. 2.2.q.34.art.2. in corp.] q.81.a.7.in corp.

Quæritur secundum quæ bona Deum adorare debeamus.

3 Respondeo dicendum, quòd in nobis est triplex bonum, scilicet spirituale, corporale, & extrinsecum, & quia hæc omnia in nobis à Deo sunt, & ideo secundùm omnia debemus Deo Latriam exhibere; & secundùm spiritum exhibemus ei debitam dilectionem; secundùm corpus prostrationes, & cantus; secundùm exteriora autem sacrificia, luminaria, & huiusmodi, quæ Deo non propter eius indigẽtiam exhibemus, sed in recognitionem, quòd omnia ab ipso habemus, & sicut eum ex omnibus recognoscimus, ita etiam eum ex omnibus honoramus. 3.sent.d.9.q.2.a.3. quæst.3. in corp.] 3.contra gentes cap. 119.

Quæritur an adoratio requirat determinatum locum.

4 Respondeo dicendum, quòd mens interiùs apprehendit Deum, quasi non comprehensum aliquo loco, sed corporalia signa necesse est, quòd in determinato loco, & situ sint, & ideo determinatio loci non requiritur ad adorationem principaliter, quasi sit de necessitate ipsius, sed secundùm quandam decentiam, sicut & alia corporalia signa. 2.2. q 84. artic.3.in corp.& ad 2.

Quæ-

Quęritur quare Iudæi adorabant versus Occidentem.

5 Respondeo dicendum, quòd oratio ad Occidentem fuit introducta in Lege ad excludendam idolatriam, nam omnes Gentiles in reuerentiam Solis adorabant ad Orientem, vnde dicitur Ezech. 8. quòd quidam habebant dorsa contra Templũ Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis, vnde ad hoc excludendum, Tabernaculum habebat Sancta Sanctorum ad Occidentem, vt versus Occidentem adorarent; ratio autem singularis esse potest, quia totus status prioris Tabernaculi ordinabatur ad significandum mortem Christi, quæ figuratur per Occasum, secundùm illud Psalm. 67. Qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi. 1.2.q.102.ar.4.ad 5.

Quæritur quare nos adoramus versus Orientem.

6 Respondeo dicendum, quòd secundùm quandam decentiam adoramus versus Orientem, primò quidem propter Diuinæ Maiestatis iudicium, quod nobis manifestatur in motu Cœli, qui est ab Oriente; secundò propter Paradisum in Oriente constitutum, vt legitur Genesis 2. Secundùm litteram Septuaginta Interpretum, quasi quæramus ad Paradisum ire; tertiò propter Christum, qui est lux mundi, & Oriens nominatur, Zachar. 6. Et qui ascendit super Cœlum Cœli ad Orientem, & ab Oriente etiam expectatur venturus, secundùm illud Math. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem, ita erit aduentus Filij hominis. 2.2.q.84.ar.3.ad 3.

Quæritur quare in adorando Deum genuflectimus, & prosternimur.

7 Respondeo dicendum, quòd sicut oratio primordialiter est quidem in mente, secundariò autem verbis exprimitur, ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reuerentia consistit, secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis, sicut genuflectimus nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum, prosternimur autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis. 2.2.q.84.art.2.ad 2.] lect.4. cap.3. ad Ephesios.

Quęritur quæ adoratio debeatur Deo.

8 Respondeo dicendum, quòd quia specialis honor debetur Deo, tanquam primo omnium principio, etiam specialis ratio cultus ei debetur, quæ Græco nomine vocatur Eusebia, vel Theosebia, vt patet per Augustinum 10. de Ciuit. Dei cap. 1. 2.2. q.81. art.1. ad 4.] & 3. in corp. Latria profitetur seruitutem, quam debemus Deo, quia fecit nos, vnde debetur sibi Latria, inquantum Creator secundum quòd ipse est finis, & origo prima nostri esse, & hoc est, quod dicit Glosa super illud Psal. 7. Domine Deus meus in te speraui, Deus per creationem, cui Latria debetur, & quia ipse Creator est inquantum bonus, sapiens, & potens, & secundùm omnia huiusmodi, ideo ratione omnium debetur sibi Latria, & non secundùm vnum horum tantùm. 3. sent. d.9. q.1. art.3. quæst.1. in corp.) 3. contra gentes cap. 120.) 4. sent. d. 5. q.1. a.3. quæst.3. ad 6.

Quæritur quæ adoratio debeatur Deo Patri.

9 Respondeo dicendum, quòd Deo Patri debetur honor Duliæ propter dominium, quo gubernat creaturam, vnde super illud Psalm. 7. Domine Deus meus in te speraui, dicit Glosa, Dominus omnium per potentiam, cui debetur Dulia, Deus omnium per creationem, cui debetur Latria. 3.p.q.25.art.2. in corp.

Quæ-

Quæritur an vna adoratio debeatur tribus Personis Diuinis.

10 Respondeo dicendum, quòd quia vna est excellentia trium Personarum, vnus honor, & reuerentia eis debetur, & per consequens vna adoratio, in cuius figuram cum legitur de Abraam Genesis 18. Quòd tres viri ei apparuerũt adorans vnum alloquitur dicens, Domine si inueni gratiam. 2.2.q.84.a.1.ad 3.& 81.a.3.ad 1.& 3.p.q.25.a.1.ad 1.

Quæritur qua adoratione sint adorandæ Diuinæ Relationes.

11 Respondeo dicendum, quòd Relationes Diuinæ debent adorari Latria. p.p.q.28.a.2.

Quæritur an vna, & eadem adoratione sit adoranda Diuinitas, & Humanitas Christi.

12 Respondeo dicendum, quòd cum in Christo sit tantùm vna persona Diuinæ, & humanæ naturæ, & etiam vna hypostasis, & vnum suppositum, est quidem eius vna adoratio, & vnus honor ex parte eius, qui adoratur, sed ex parte causæ, qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes, vt scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam; si autem ponerentur in Christo plures personæ, seu hypostases sequeretur, quòd simpliciter essent plures adorationes, & hoc est, quod in Synodis reprobatur, dicitur enim in Capitulis Cirilli, si quis audet dicere assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emanuelem, secundùm quod factum est caro Verbum, anathema sit. 3.p.q.25. art. 1.in corp.& 58.a.3. in corp. & ad 1.) 3.sent.d. 9 q.1.a.2.quæst.1.in corp.) de Verit.q.29. a.4.ad 4.

Quæritur an Humanitas Christi sit adoranda adoratione Latriæ.

13 Respondeo dicendum, quòd adoratio Humanitatis Christi dupliciter potest intelligi, vno modo vt sit eius, sicut rei adoratæ, & sic adorare carnem Christi non est aliud, quàm adorare Verbum Dei incarnatum, sicut adorare vestem Regis nil est aliud, quàm adorare Regem vestitum, & secundùm hoc adoratio Humanitatis Christi est adoratio Latriæ: alio modo potest intelligi adoratio Humanitatis Christi, quæ fit ratione Humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum, & sic adoratio Humanitatis Christi non est adoratio Latriæ, sed adoratio Duliæ, ita scilicet, quòd vna, & eadem persona Christi adoretur adoratione Latriæ propter suam Diuinitatem, & adoratione Duliæ propter perfectionem Humanitatis. 3.p. q.25. a.2. in corp.

Quæritur an Humanitas Christi sit adoranda Hyperdulia.

14 Respondeo dicendum, quòd Humanitas Christi vel Latria, vel Hyperdulia adoratur, & similiter ea, quæ ad Humanitatem Christi referuntur, vt Crux, vestis, & huiusmodi. 3.sent. d.9.q.1.a.2.quæst.4. ad 1) lect.4. cap.4.ad Galatas.

Quæritur qua intentione sit adoranda Hostia.

15 Respondeo dicendum, quòd qui adorat Hostiam non consecratam, adorare eam oportet cum conditione, scilicet si est consecrata, non tamen oportet, quòd hæc conditio semper sit actu explicita, sed sufficit, quòd habitu teneat illam, vnde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, sed Christum secundùm intentionem suam; Sacerdos autem quantum in se est, facit populum idolatrare, quia offert ei puram creaturam

ſam ad adorandum. 3.ſent.d.9.q.1.ar.2. quæſt.6. ad 2.

Quæritur an imago Chriſti ſit adoranda, & qua adoratione.

16 Reſpondeo dicendum, quòd Phyloſophus dicit in lib.de Memoria, & Reminiſcentia cap.2. duplex eſt motus animæ in imaginem, vnus quidem in ipſam imaginem ſecundùm quòd res quædam eſt, alio modo in imaginem, inquantum eſt imago alterius, & inter hos duos motus hæc eſt differentia, quia primus motus, quo quis mouetur in imaginem, vt eſt res quædam, eſt alius à motu, qui eſt in rem; ſecundus autem motus, qui eſt in imaginem, inquantum eſt imago, eſt vnus, & idem cum illo, qui eſt in rem. Sic ergo dicendum eſt, quòd imagini Chriſti, inquãtum eſt res quædam, puta lignum ſculptum, vel pictum, nulla reuerentia exhibetur, quia reuerentia non niſi rationali naturæ debetur; relinquitur ergo, quòd exhibeatur ei reuerentia ſolùm inquantum eſt imago, & ſic ſequitur, quòd eadem reuerentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione Latriæ, conſequens eſt, quòd eius imago ſit adoratione Latriæ adoranda. 3.p.q.25.a.3.in corp.] 2.2.q.81.a.3.ad 3.]& q.94.a.2.ad 1.] 3.ſent.d.9.quæſt.1.a.2.quæſt.2.in corp.

Quæritur vnde habuerimus adorationem imaginum Chriſti.

17 Reſpondeo dicendum, quòd Apoſtoli familiari inſtinctu Spiritus Sancti quædam Eccleſijs tradiderunt ſeruanda, quæ non reliquerunt in ſcriptis, ſed in obſeruatione Eccleſiæ per ſucceſſionem fidelium, vnde ipſe dicit 2.ad Theſſalonicenſes 2. State, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſcilicet ore prolatum, ſiue per Epiſtolam, ſcilicet ſcripto tranſmiſſam: & inter huiuſmodi traditiones eſt imaginum Chriſti adoratio, vnde & B. Lucas dicitur depinxiſſe Chriſti imaginem, quæ Romæ habetur. 3.p.q.25.a.3.ad 4

Quæritur quas imagines depinxerit D. Lucas.

18 Reſpondeo dicendum quòd Damaſcenus lib.4. de fide orthodoxa cap. 17. dicit, quòd Lucas depinxit imaginem Chriſti, & B. Virginis, & Chriſtus ſuam imaginem Abagaro Regi direxit, vt dicitur in Eccleſiaſtica Hiſtoria lib.1.cap.15.] 3.ſent.d.9.q.1.a.1.quæſt.2.ad 3.

Quæritur quare in Veteri lege prohibebantur imagines Dei, non ſic autem in lege Noua.

19 Reſpondeo dicendum quòd ante Incarnationem Chriſti cum Deus incorporeus eſſet, non poterat ei imago poni, ſicut dicitur Iſaiæ 40. & ideo prohibitum eſt in Veteri lege, ne imagines fierent ad adorandum, & præcipuè, quia proni erant ad idolatriam ex hoc, quod totus mundus idolatriæ inſiſtebat: ſed poſtquam Deus factus eſt homo poteſt habere imaginem, cum habeat ratione humanitatis aſſumptæ, quæ ſimul cum eo adoratur, figuram corporalem: & ideo permiſſum eſt in Noua lege imagines fieri. 3.ſent. d.9.q.1.a.2.quæſt.2.ad 1.]3.p.q.25.a.3.ad 1.

Quæritur qua adoratione debeat adorari Crux Chriſti.

20 Reſpondeo dicendum, quòd honor, ſeu reuerentia non debetur niſi ratione rationalis naturæ, & hoc dupliciter, vno modo inquantum repræſentat rationalẽ naturam; alio modo, inquantũ ei quocũq; modo cõiungitur; primo modo cõſueuerunt homines venerari Regis imaginem; ſecundo modo eius veſtimentũ; vtrunque aũt venerãtur hoĩes eadem veneratione,

qui venerantur & Regem: Si ergo loquamur de ipsa Cruce, in qua Christus crucifixus est, vtroque modo est à nobis veneranda, vno scilicet modo, inquantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc, quòd eius sanguine est perfusa, vnde vtroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione Latriæ: & propter hoc etiam Crucem alloquimur, & deprecamur quasi ipsum Crucifixum; si verò loquamur de effigie Crucis Christi in quacunque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri, sic veneramur Crucem tantùm, vt imaginem Christi, quam veneramur adoratione Latriæ. 3.p.q.25.a.4.in corp.] 2.2.q.103.a.4.ad 3.

Quæritur quomodo Crux Christi secundum diuersas rationes adoretur diuersa adoratione.

21 Respondeo dicendum, quòd Crux Christi, etiam ipsa, in qua Christus pependit, potest dupliciter considerari, vel inquantum Crucifixi imago, & sic adoratur eadem adoratione, sicut Crucifixus, scilicet Latria, vel inquãtum est res quædam, & sic cum non pertineat ad personã Verbi sicut pars eius, non potest eadem adoratione adorari cum Verbo sed adoratur inquantum est res quædam Christi ratione ipsius Hyperdulia: sed alię Cruces non adorantur nisi vt imago, & ideo adorantur tantùm Latria. 3.sent. d.9. q. 1.art.2. quæst.4. in corp.

Quæritur cui detur maior honor, Cruci Christi, an B. Virgini.

22 Respondeo dicendum, quòd si consideretur honor, qui exhibetur Cruci, inquantum est res quædam ratione Christi non est tantus, quantus ille, qui exhibetur Virgini, sed Cruci exhibetur quidam honor inquantum est imago, qui non exhibetur matri. 3.sent.d.9.q.1.a.2.q 4.ad 3.

Quæritur qua ratione adorantur claui, vestes, lancea, sepulcrum, & alia instrumenta Passionis Christi.

23 Respondeo dicendum, quòd quantum ad rationem contactus membrorum Christi adoramus non solùm Crucem, sed etiam omnia, quæ sunt Christi, vnde Damascenus dicit in 4.lib. cap.12. Preciosum lignum, vt sanctificatum tactu sancti corporis, & sanguinis decenter adorandum, clauos, indumenta, lanceam, & sacra eius tabernacula; quæ sunt præsepe, spelunca, & huiusmodi. Ista tamen nõ repræsentãt imaginem Christi, sicut Crux, quæ dicitur signum Filij hominis, quod apparebit in cœlo, vt dicitur Math. 21. Ideoque mulieribus dixit Angelus, Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum; non dixit, lanceatum, sed Crucifixum, & inde est, quòd Crucem Christi veneramur in quacunque materia; non autem imaginem clauorum, vel quorumcunque huiusmodi. 3.p.q.25.a.4.ad 3.

Quæritur qua adoratione debeat adorari B. Virgo.

24 Respondeo dicendum, quòd cum B. Virgo sit pura creatura rationalis non debetur ei adoratio Latriæ, sed solùm veneratio Duliæ, eminentiùs tamen quàm cæteris creaturis inquantum ipsa est mater Dei, & ideo dicitur, quòd debetur ei non qualiscunque Dulia, sed Hyperdulia. 3.p.q.25.a.5.in corp.] 3.sent.d.9.quęst. 1.a.2.quæst.3. in corp.

Quæritur quomodo Sancti sint adorandi.

25 Respondeo dicendum, quòd alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad Latriam, & alia veneratione quadam

dam excellentes cre aturas, quod pertinet ad Duliam. Et quia ea, quæ exterius aguntur signa sunt interioris reuerentiæ, quædam exteriora ad reuerentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est adoratio: sed aliquid est, quod soli Deo exhibetur scilicet sacrificium, vnde Augustinus dicit in 10. de Ciuit. Dei cap. 4. Multa de cultu Diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera, ita tamen, quòd quibus ea deferuntur homines habentur, qui dicuntur colendi, & venerandi (si autem multum eis additur) & adorandi; quis verò sanctificandum censuit, nisi eum, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Secundum reuerentiam ergo, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauid; secundùm autem reuerentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens, ne honorem Dei transferret ad hominem, vt dicitur Hester 3.8 similiter secundùm reuerentiam debitam creaturæ excellenti, Abraam adorauit Angelos, & etiam Iosue, vt legitur Iosue 5. Quamuis possit intelligi, quòd adorauerint adoratione Latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat, & loquebatur. Secundùm autem reuerentiam, quæ debetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare Apocalyps. vltimo: Tum ad ostēdendū dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, vt Angelis æquetur, vnde ibi subditur, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum: tum etiā ad excludendum Idolatriæ occasionem, vnde subditur, Deum adora, 2.2.q.84.a.1.ad 1.

Quæritur an Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ.

26 Respondeo dicendum, quòd manifestum est, quòd Sanctos Dei in veneratione habere debemus tanquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & nostros intercessores, & ideo eorum Reliquias qualescunque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem: vnde & ipse Deus huiusmodi Reliquias conuenienter honorat in eorum præsentiam miracula faciendo. 3.p.q.25.art.6.in corp.

Quæritur an Diabolus apparens in forma Christi possit adorari sine peccato, & quomodo.

27 Respondeo dicendum, quòd non potest Diabolus in specie Christi apparens sine peccato adorari, nisi sit conditio actu explicita, non enim sufficit solo habitu, quia ipsa nouitas rei insolitæ considerationem, & attentionem requirit, sicut dicitur de B. Virgine Lucæ 1. Quòd cogitabat, qualis esset illa salutatio. 3. sent. d. 9. q. 1. art. 2. quæst. 6. ad 3. 4. sent. d. 30. in expositione litteræ.

Quæritur an Latria possit sine peccato exhiberi alicui creaturæ.

28 Respondeo dicendum, quòd cum creaturæ non sit exhibenda Latria, si exhibetur ei est exhiberi cui non est exhibenda, & hoc facit vitium contrariū Latriæ, sicut superfluum medio, vnde sine peccato fieri non potest. 3. sent. d. 9. q. 1. art. 2. quæst. 6. in corp. 3. p. q. 25. a. 5. in corp. 2. 2. q. 84. a. 1. ad 1. 3. contra gent. cap. 120. super Psalm. 40

ADVLATIO.

1 *Quid sit adulatio.*
2 *Adulatio, quæ est contra charitatem, est peccatum mortale, vt cum laudatur peccatum alicuius, vel cum quis laudat, vt fraudulen-*

dulenter peccat siue spiritualiter, siue corporaliter, vel cum laus est occasio ruinæ alicuius.

Adulatio quando non sit peccatum mortale.

3 *Adulari ad decipiendũ est peccatũ mortale.*

4 *Adulatio est maius, & minus peccatum litigio respectu diuersorum.*

5 *Adulator plus nocet, quàm gladius, quia in potioribus bonis, scilicet spiritualibus. At quo ad efficiẽtiam plus nocet gladius.*

Quæritur quid sit adulatio.

1 RESpondeo dicendum, quòd si aliquis in omnibus velit ad delectationem alteri loqui, excedit modum in delectando, & ideo peccat per excessum; etsi quidem hoc faciat sola intentione delectandi, vocatur placidus secũdùm Phylosophum lib. 4. Eth. cap. 6. Si autem faciat hoc intentione alicuius lucri consequendi, vocatur blanditor, siue adulator; communiter tamen nomen adulationis attribui solet omnibus, qui supra debitum modum virtutis volunt alios verbis, vel factis delectare in cõmuni conuersatione. 2. 2. q. 115. a. 1. in corp.

Quæritur quando adulatio sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale est, quod charitati contrariatur, adulatio autem quandoque quidem charitati contrariatur, quandoque autem non; contrariatur siquidem charitati tripliciter; vno modo ratione ipsius materiæ, puta cum aliquis laudat alicuius peccatum, hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cuius iustitiam homo loquitur; & contra dilectionem proximi, quem in peccato fouet, vnde est peccatum mortale secundùm illud Isaiæ 5. Væ qui dicitis malum bonum; alio modo ratione intẽtionis, puta cum quis alicui adulatur adhoc, quòd fraudulenter ei noceat vel corporaliter, vel spiritualiter, & hoc etiam est peccatum mortale; & de hoc habetur Prouerb. 27. Meliora sũt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis; tertio modo per occasionem, sicut cum laus adulatoris fit alteri occasio peccandi etiam præter adulatoris intentionem, & in hoc considerare oportet, vtrum sit occasio data, vel accepta, & qualis ruina subsequatur; si autẽ aliquis ex sola auiditate delectandi alios, vel etiam ad euitãdum aliquod malum, vel consequendum aliquid in necessitate alicui adulatus fuerit, non est contra charitatem, vnde non est peccatum mortale, sed veniale. 2. 2. q. 115. a. 2. in corp.

Quæritur an adulatio ad decipiendum sit peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd adulari ad decipiendum est peccatum mortale, secundùm illud Isaiæ 10. Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt: & de tali adulatione loquitur Canon, Qui Alterius, vt habetur 46. distinct. vnde ibi dicitur, quòd clericus, qui vacat adulationibus, & proditionibus, debet degradari. q. 7. de malo. a. 1. ad 11.

Quæritur an adulatio sit grauius peccatum litigio.

4 Respondeo dicendum, quòd de adulatione, & litigio loqui possumus dupliciter, vno modo considerando speciẽ vtriusque peccati, & secundùm hoc tantò aliquid vitium est grauius, quantò magis repugnat oppositæ virtuti; virtus autem amicitiæ principalius tendit ad delectandum, quàm ad contristandum, & ideò litigiosus, qui superabundat in contristando, grauius peccat, quàm placidus, vel adulator, qui superabundat in delectãdo: alio modo possunt considerari secundũ exteriora motiua, & secundũ hoc quandoque adulatio est grauior, puta quando inten-

intendit per deceptionem indebitum honorem, vel lucrum acquirere, quandoque verò litigium est grauius, puta quando homo intendit vel veritatē impugnare, vel dicentem in contemptum adducere. 2.2. q.116. a.2. in corp.

Quęritur quis plus noceat, an adulator laudans peccatum, quàm gladius occidens.

5 Respondeo dicendum, quòd adulator, qui laudat peccatum alicuius, dicitur plus nocere, quàm gladius persecutoris, quia in potioribus bonis nocet, scilicet in spiritualibus, non autem nocet ita efficaciter, quia gladius persecutoris occidit effectiuè, quasi sufficiens causa mortis, nullus autem adulando potest esse alteri sufficiens causa peccādi. 2.2. q.117. a.2. ad 1.

Quaritur an liceat aliquem laudare.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Laus q.1.

ADVLTERIVM.

1 *Quid sit adulterium.*
Adulteriū est determinata species luxuriæ.
2 *Adulterium continetur sub iniustitia.*
3 *Adulterium est grauius peccatum, quàm furtum.*
4 *Adulterium est grauius peccatum stupro.*
5 *Maritus ardentior amator existens vxoris suæ aliqualiter potest adulter nominari, & magis, quàm qui est ardentior amator alterius.*
6 *Matrimonio magis opponitur adulteriū, quā infidelitas et è conuerso, diuerso modo cōsiderando matrimonium.*
7 *Adulterium opponitur dilectioni proximi.*
8 *Adulterium opponitur dilectioni proximi magis quàm gula, & quacunque alia species luxuriæ.*
9 *Vir potest in iudicio accusare vxorem adulteram, & pœnam mortis petere.*
Non potest talis accusatio fieri in iudicio Ecclesiastico.
Non licet viro occidere vxorem adulteram extra actum adulterij, licet sciat eā adulteram.
Lex Ciuilis non punit virum occidentē vxorem in actu adulterij.
Ecclesia iudicat talem reum pœnæ æternæ; & pœnæ iudicio Ecclesiastico inferendæ.
10 *Considerando in adulterio cōmune adulterio, & fornicationi, adulterium viri, & vxoris se habent sicut excedentia, & excessa.*
Cęteris paribus in fornicatione plus peccat vir, quàm mulier.
In adulterio plus peccat mulier, quàm vir.

Quaritur an adulterium sit determinata species luxuriæ.

1 Respondeo dicendum, quòd adulterium sicut ipsum nomen sonat est accessus ad alienum thorū, in quo quidem dupliciter contra castitatē, & humanæ generationis bonū aliquis delinquit, primò quidē inquantū accedit ad mulierem non sibi matrimonio copulatā, quod requiritur ad bonū prolis propriæ educādæ; alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per matrimoniū copulatam, & sic impedit bonū prolis alienæ: eadem ratio est de muliere coniugata, quę per adulteriū corrūpitur, vnde dr̄ Eccles. 23. Omnis mulier relinquens virum suum peccabit; primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit, in qua scilicet præcipitur, non mæchaberis, & secundò virū suū dereliquit, in quo facit contra certitudinē prolis; tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi, ꝙ est contra bonum propriæ prolis; sed primum est cōe in omnibus peccatis mortalibus, alia verò duo specialiter pertinēt ad deformitatē adulterij, vnde manifestū est, ꝙ adulteriū est determinata species luxuriæ, vtpote specialem deformitatem habens circa actus venereos. 2.2. q.154. a.8. in corp. & a.1. in corp. 3q.15. de malo a.3. in corp. 4. sent. d. 41. q.1. a.4. quæst.2. in corp.

Quæritur an adulterium contineatur sub iniustitia.

2 Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet in eodem actu diuersorum vitiorū deformitates concurrere, & hoc modo adulterium continetur sub luxuria, & sub iniustitia: nec deformitas iniustitiæ omninò per accidens se habet ad luxuriam; ostenditur enim luxuria grauior, quæ intantum concupiscētiam sequitur, quòd etiam in iniustitiam ducat. 2.2.q.154.ar.1.ad 2.) lect.2.cap.5. ad Ephesios.

Quæritur an adulterium sit grauius peccatum furto.

3 Respondeo dicendum, quòd adulterium non solùm pertinet ad peccatum luxuriæ, sed etiam pertinet ad peccatum iniustitiæ, & quantum ad hoc potest ad auaritiam reduci, vt Glosa dicit ad Ephesios 5. Super illud, Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus: & tunc grauius est adulterium, quàm furtum, quia homini carior est vxor, quam res possessa. p.2. q.73.a.5.ad 1.) & ar.7.in corp.) q.88.ar.5.in corp.) 2.2.q.65.a.4.ad 3.

Quæritur an adulterium sit grauius stupro.

4 Respondeo dicendum, quòd magis repugnat rationi, quòd aliquis venereis vtatur non solùm contra id, quod conuenit proli generandæ, sed etiam cum iniuria alterius, & ideo fornicatio simplex, quæ committitur sine iniuria alterius personæ, est minima inter species luxuriæ, maior autem iniuria est, si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad vsū generationis, quàm ad solam custodiam, & ideo adulterium est grauius, quam stuprum. 2.2.q 154.a 4. in corp.

Quæritur quando vir possit dici adulter, licet non violet fidem vxori debitam.

5 Respondeo dicendum, quòd matrimonium specialiter est ordinatum ad bonum humanæ prolis, adulterium autem specialiter matrimonio contrariatur, inquantum violat matrimonij fidem, quam quis coniugi debet; & quia ille, qui est ardentior amator vxoris, facit contra bonū matrimonij inhonestè eo vtens, licet fidem non violet, ideo aliqualiter potest adulter nominari, & magis quàm ille, qui est ardentior amator alterius. 2.2.q.154.a.8.ad 2.

Quæritur quid magis opponatur matrimonio, adulterium, an infidelitas.

6 Respondeo dicendum, quòd quamuis adulterium magis directè opponatur matrimonio, inquantum est in officium naturæ, quàm infidelitas, tamen econuerso est, secundùm quod matrimonium est Sacramentum Ecclesiæ: ex quo habet perfectam firmitatem inquantum significat inuisibilem coniunctionem Christi, & Ecclesię, & ideo matrimonium, quod non est ratum magis potest solui quantum ad vinculum per infidelitatem, quàm per adulterium. 4. sent. d.39.q.1.a.6.ad 1.

Quæritur an adulterium opponatur dilectioni proximi.

7 Respondeo dicendum, quòd inter species vitiorum, quæ opponuntur fortitudini, nulla est, quæ ita directè contrarietur dilectioni proximi, sicut adulterium, quod est species luxuriæ, quæ temperantiæ contrariatur. 2.2.q.170.a.1.ad 1.

Quæritur an adulterium magis opponatur dilectioni proximi, quàm gula.

8 Respondeo dicendum, quòd gula nō directè opponitur dilectioni proximi, sicut

cut adulterium,neque aliqua alia species luxuriæ, non enim tanta fit iniuria patri per stuprum virginis, quæ non est eius cõnubio deputata, quanta fit iniuria viro per adulterium, cuius corporis potestatem ipse habet,non vxor.2.2.q.150.art.1, ad 2.

Quæritur an liceat viro vxorem interficere in actu adulterij deprehensam.

9 Respondeo dicendum, quòd virum interficere vxorem contingit dupliciter, vno modo per iudicium ciuile, & sic non est dubium, quòd sine peccato potest vir zelo iustitiæ,non liuore vindictæ,aut odij motus, vxorem adulteram in iudicio sæculari accusare criminaliter de adulterio, & pœnam mortis à Lege statutam petere; sicut etiam licet accusare aliqnem de homicidio, aut de alio crimine:non tamen talis accusatio potest fieri in iudicio Ecclesiastico, quia Ecclesia non habet gladium materialem: alio modo potest eam per seipsum occidere non iudicio conuictam,& sic extra actum adulterij eam interficere,quantumcunque sciat eam adulteram neque secundum Leges ciuiles,neque secundum legem conscientiæ licet, sed lex ciuilis quasi licitum computat, quòd in ipso actu eam interficiat, non quasi præcipiens,sed quasi pœnam homicidij non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris.Sed Ecclesia in hoc non est astricta legibus humanis, vt iudicet eum sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ iudicio Ecclesiastico infligẽdæ ex hoc, quod est sine reatu pœnæ infligendæ per iudicium sæculare: & ideo in nullo casu licet viro interficere vxorem propria auctoritate. 4. sent.d.37.q.2.a.1.in corp.

Quæritur quisnam magis peccet vir,an mulier adultera.

10 Respondeo dicendum, quòd in adulterio inuenitur de ratione peccati idem, quod est in fornicatione simplici, & adhuc plus, quod magis grauat secundùm læsionem matrimonij. Si ergo consideretur id, quod est commune adulterio, & fornicationi,peccatum viri,& mulieris se habent sicut excedentia, & excessa, quia in muliere est plus de humore, & ideo sũt magis ducibiles à concupiscentijs, sed in viro plus de calore, qui concupiscentiam excitat. Sed tamen simpliciter loquendo cęteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quam mulier, quia habet plus de rationis bono,quod pręualet quibuslibet motibus corporalium passionũ: sed quantum ad læsionem matrimonij, quàm adulterium fornicationi addit, ex qua diuortium causatur,plus peccat mulier, quàm vir, & quia hoc est grauius, quàm simplex fornicatio, ideo simpliciter loquendo,plus peccat mulier adultera, quàm vir adulter cæteris paribus. 4. sent. d.35.a.4.ad 5.

Quæritur an mulier adultera teneatur in iudiciò confiteri adulterium.

Respondeo sicut verbo, Accusatio.q.5.

ADVOCATVS.

1 *Aduocatus defendens scienter causam iniustam peccat, & tenetur ad restitutionem damni.*

Defendens causam iniustam ignoranter excusatur secundum ignorantiæ modum.

2 *Aduocatus non tenetur omnium pauperum causas defendere.*

Aduocatus non tenetur quærere pauperes, quibus subueniat in causis suis.

Aduocatus tenetur defendere parentum causas.

Aduocatus vnus non tenetur pauperum causas defendere, quando talibus causis aliter potest subueniri, puta per magis coniunctum in consanguinitate, vel per ditiorem, vel per ipsos pauperes.

Idem dicendum est de medico, quantum ad curationem pauperum.

3 *Aduocatus suscipiens causã iniustã peccat.*

4 *Quid facere debet aduocatus, quando successu temporis videt iniustam esse causam, quam prius credebat esse iustam.*

5 *Aduocatus in defensione causæ iustæ potest occultare defectus, quibus posset impediri, non tamen potest vti falsitate.*

6 *Aduocatus potest accipere pecuniam pro suo patrocinio.*

Pecunia sit moderata consideratis personis, negotijs, laboribus, & consuetudinibus.

7 *Ex duplici capite aliquis impeditur ab officio aduocati.*

Ex impotentia arcentur furiosi, pueri, surdi, muti.

Ex indecentia arcentur Monachi, Sacerdotes in quacunque causa, Clerici in iudicio sæculari, cæci infames infideles, condemnati de grauibus criminibus.

Huiusmodi tamen in casu necessitatis possunt aduocare, vel pro se ipsis, vel pro coniunctis sibi.

Clerici possunt aduocare pro suis Ecclesijs. Monachi pro suis Monasterijs.

Quæritur an aduocatus peccet defendendo iniustam causam.

1 RESpondeo dicendum, quòd illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum siue consulendo, siue adiuuando, siue qualitercunque consentiendo, quia consilians, & coadiuuans quodammodo est faciens, & Apostolus dicit ad Rom. 1. Quòd digni sunt morte non solùm qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus: vnde omnes tales ad restitutionem tenentur; manifestum est autem, quòd aduocatus auxiliũ, & consilium præstat ei, cuius causæ patrocinatur, vnde si scienter iniustam causam defendit absque dubio grauiter peccat, & ad restitutionẽ tenetur eius damni, qđ contra iustitiam per eius auxilium altera pars incurrit; si autem ignoranter iniustam causam defendit, putãs esse iustam, excusatur secundùm modum, quo ignorantia excusari potest. 2. 2. quæst. 71. art. 3. in corp.

Quæritur an aduocatus teneatur patrocinium præstare causæ pauperum.

2 Respondeo dicendum, quòd cum præstare patrocinium causæ pauperum ad opus misericordiæ pertineat, nullus autem sufficit omnibus indigentibus misericordiæ opus impendere, & ideo sicut Augustinus dicit in 1. de Doctrina Christiana, cap. 28. Cum omnibus prodesse non possis, his potissimè consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumcumque rerum opportunitatibus constrictius sibi, quasi quadam sorte iunguntur; dicit, pro locorũ opportunitatibus, quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus subueniat, sed sufficit si eis, qui sibi occurrunt misericordiæ opus impendat, vnde Exodi 23. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum; addit autem, & temporum, quia non tenetur homo futuræ necessitati alterius prouidere, sed sufficit si præsenti necessitati succurrat, vnde dicitur 1. Ioannis 3. Qui viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo &c. subdit autem, vel quarumlibet rerum, quia homo sibi coniunctis quacunque necessitudine maximè debet curam impendere secundùm illud 1. ad Timoth. 5. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit: quibus tamen concurrentibus, considerandum restat, vtrum aliquis tantam necessitatem patiatur, quòd non in prõptu appareat, quomodo ei possit aliter subueniri, & in tali casu tenetur ei opus misericordiæ impendere; si autem in promptu appareat, quomodo aliter ei subueniri possit vel per seipsum, vel per aliam

aliam personam magis coniunctam, aut maiorem facultatem habentem non tenetur ex necessitate indigenti subuenire, ita quòd non faciendo peccet, quamuis si subuenerit absque tali necessitate, laudabiliter faciat, vnde aduocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solùm concurrentibus conditionibus prædictis, alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum iuuandis intendere; & idem dicendum est de medico, quantum ad curationem pauperum. 2.2.q.71.a.1.in corp.

Quæritur an aduocatus suscipiens causam iniustam peccet.

3 Respondeo dicendum, quòd aduocatus suscipiens causam iniustam iniustè lędit eum, cōtra quem iniustè patrocinium præstat; quamuis enim laudabilis videatur quantum ad peritiam artis, tamē peccat quantū ad iniustitiam volūtatis, quia abutitur arte ad malū. 2.2.q.71.a.3.ad 1.

Quæritur quid facere debeat aduocatus videns causam esse iniustam, quam tamen prius credebat esse iustam.

4 Respondeo dicendum, quòd aduocatus si in principio credidit causam iustā esse, & postea in processu appareat eam esse iniustam, non debet eam prodere, vt scilicet aliam partem iuuet, vel secreta suæ causæ alteri parti reuelet; potest tamen, & debet causam deserere, vel eum, cuius causam agit, ad cedendum inducere, siue ad componendum sine aduersarij damno. 2.2.q.71.a.3.ad 2.

Quæritur quænam liceant aduocato defendenti causam iustam.

5 Respondeo dicendum, quòd aduocato defendenti causam iustam licet prudenter occultare ea, quibus impedire posset processus eius, non autem licet ei aliqua falsitate vti. 2.2.q.71.a.3.ad 3.

Quæritur an liceat aduocato pecuniam accipere pro suo patrocinio.

6 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ quis non tenetur alteri exhibere, iuste potest pro eorum exhibitione recompensationem accipere: manifestum est autem, quòd aduocatus non semper tenetur patrocinium præstare, aut consilium dare causis aliorum, & ideo si vendat suum patrocinium, siue cōsilium, non agit contra iustitiam; & eadem ratio est de Medico opem ferente ad sanandum, & de omnibus alijs huiusmodi personis, dum tamen moderatè accipiant, considerata conditione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudine patriæ; si autem per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contra iustitiam; vnde Augustinus dicit ad Macedonium, quòd ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data per tolerabilem consuetudinem non solent. 2.2.q.71.a.4.in corp.

Quæritur quinam impediantur ab officio aduocandi.

7 Respondeo dicendum, quòd aliquis impeditur ab aliquo actu duplici ratione, vno modo propter impotentiam, alio modo propter indecentiam, sed impotentia simpliciter excludit aliquem ab actu; indecentia autem non excludit omnino, quia necessitas indecentiam tollere potest; sic ergo ab officio aduocatorum prohibentur quidam propter impotentiam eo, quòd deficiunt sensu, vel interiori, sicut furiosi, & impuberes, vel exteriori, sicut surdi, & muti; est.n.necessaria aduocato & interior peritia, qua possit cōuenienter iustitiā assūptæ causę ostēdere, & iterū loquela

loquela cum auditu, vt possit pronunciare, & audire, quod ei dicitur, vnde qui in his defectum patiuntur omnino prohibentur ne sint aduocati nec pro se, nec pro alijs. Decentia autem huius officij exercendi tollitur dupliciter, vno modo ex hoc, quod aliquis est rebus maioribus obligatus, vnde Monachos, & Presbyteros non decet in quacunque causa aduocatos esse, neque Clericos in iudicio sæculari, quia huiusmodi personæ sunt rebus Diuinis astrictæ: alio modo propter personæ defectum, vel corporalem, vt patet de cæcis, quòd conuenienter iudicio astare nō possent, vel spiritualem, non enim decet, vt alterius iustitiæ patronus existat, qui in se ipso iustitiam contempsit, & ideo infames, infideles, & damnati de grauibus criminibus non decenter sunt aduocati; tamen huiusmodi personæ possunt pro se ipsis, vel pro personis sibi coniunctis vti officio aduocati, vnde & Clerici pro Ecclesijs suis possunt esse aduocati, & Monachi pro causa Monasterij sui, si Abbas præceperit. 2.2.q 71.a.2.in corp.

Quæritur quomodo Religionibus interdicatur officium aduocandi.

Respondeo sicut verbo, Religio, q.7.

AFFINITAS.

1 *Ex matrimonio consanguinei affinitas causatur.*
2 *Matrimonium causat affinitatem ante copulam.*
Causatur etiam ex sponsalibus aliquid affinitati simile.
3 *Affinitas causatur etiam ex coitu illicito, & qua ratione.*
4 *Ex concubitu contra naturam non causatur affinitas.*
5 *Impedimenta tollentia sponsalia tollunt affinitatem.*
6 *Sponsalia facta per alios non causant affinitatem ambobus, vel altero eorum reclamante, cum ad debitam ætatem peruenerint.*
7 *Affinitas non causat affinitatem.*
8 *Affinitas præcedens matrimonium dirimit matrimonium contractum, & impedit contrahendum.*
Affinitas sequens matrimonium cōtractum non dirimit matrimonium.
9 *Affinitas manet manentibus personis, inter quas contracta est, licet moriatur persona, per quam causata est.*
10 *Idem potest esse affinis, & consanguineus.*
Quomodo intelligitur, quòd affinitas est carens omni parentela. Cognoscens consanguineam suam non est sibi ipsi affinis.
11 *Affinitas habet gradus.*
Gradus affinitatis cognoscuntur ex gradibus consanguinitatis.
Quot sunt gradus consanguinitatis tot sunt gradus affinitatis.
12 *Affinitas est minus vinculum, quàm consanguinitas.*
Olim, & nunc facilius dispensatur in remotis gradibus affinitatis, quàm consanguinitatis.

Quæritur an ex matrimonio consanguinei affinitas causetur.

1 RESpondeo dicendum, quòd amicitia quædam naturalis in communicatione naturali fundatur, naturalis autem communicatio est duobus modis secundùm Phylosophum 8. Eth.8. vno modo per carnis propagationem, alio modò per coniunctionem ad carnis propagationem ordinatum, vnde ipse ibidem dicit, quòd amicitia viri ad vxorem est naturalis: vnde sicut persona coniuncta alteri per carnis propagationem quoddam vinculum amicitiæ naturalis facit, ita si coniungantur per carnalem copulam; sed in hoc differt, quòd persona coniuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri sit particeps eiusdem radicis, & sanguinis,

guinis, vnde eodem genere vinculi colligatur filius consanguineis patris, quo pater coniungebatur, scilicet consanguinitate, quamuis secundùm alium gradum propter maiorem distantiam à radice, sed persona coniuncta per carnalem copulam non fit particeps eiusdem radicis, sed quasi extrinsecùs adiuncta, & ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur, & hoc est, quod in hoc versu dicitur.

Mutat nupta genus, sed generata gradum. Quia scilicet persona per generationem fit in eodem genere attinentiæ, sed in alio gradu, per carnalem verò copulam fit in alio genere. 4. sent. d. 41. q. 1. a. 1. quæst. 1. in corp.

Quæritur an affinitas causetur ex matrimonio ante copulam, & ex sponsalibus.

2 Respondeo dicendum, quòd vir, & mulier efficiuntur in carnali copula vna caro per commixtionem seminum, vnde quantumcumque aliquis claustra pudoris inuadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas: sed matrimonium affinitatem causat non solùm ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundùm quam etiam matrimoniũ naturale est, vnde & affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonij per verba de præsenti ante carnalem copulam, & similiter etiam ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio coniugalis societatis, cõtrahitur aliquid affinitatis simile, scilicet publicæ honestatis iustitia. 4. sent. d. 41. q. 1. a. 1. quæst. 4. ad 2. & in corp.

Quæritur an affinitas causetur ex illicito concubitu.

3 Respondeo dicendum, quòd secundũ Phylosophum in 6. Eth coniunctio viri, & vxoris dicitur naturalis principaliter, propter prolis productionem, & secundariò propter operum communicationem, quorum primum pertinet ad matrimonium ratione carnalis copulæ, sed secundum, inquantum est quædam societas in communem vitam: primum autem horum est inuenire in qualibet carnali copula, vbi est commixtio seminum, quia ex tali copula potest proles produci, quamuis secunda desit: & ideo, quia matrimonium affinitatem causabat secũdùm quòd erat quædam carnis commixtio, etiam fornicarius concubitus affinitatem causat, inquantum habet aliquod de naturali cognatione. 4. sent. d. 41. q. 1. a. 1. quæst. 3. in corp.

Quæritur an causetur affinitas ex concubitu contra naturam.

4 Respondeo dicendum, quòd concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum, quæ possit esse causa generationis, & ideo ex tali concubitu non causatur aliqua affinitas. 4. sent. d. 41. q. 1. a. 1. quæst. 3. ad 3.) ar. 4. quæst. 2. ad 4.

Quæritur an impedimenta tollentia sponsalia, auferant etiam affinitatem.

5 Respondeo dicendum, quòd omnia impedimenta, quæ faciũt sponsalia non esse sponsalia, non permittunt ex pactione nuptiarum affinitatem fieri, vnde siue habens defectum ætatis, siue habens votum solemne continentiæ, aut aliquod huiusmodi impedimentum, sponsalia de facto contrahat, ex hoc non sequitur aliqua affinitas, quia sponsalia nulla sunt, nec aliquis affinitatis modus. 4. sent. d. 41. q. 1. ar. 1. quæst. 4. ad 3.

Quæritur an quando contrahuntur sponsalia per alios, si partes reclament, sit aliqua affinitas.

6 Respondeo dicendum, quòd si ante

annos

annos pubertatis fiat contractus sponsalium per alium, ambo, vel alter reclamare possunt, vnde tūc nihil est actum adeo, quod nec aliqua affinitas ex hoc contrahatur: & ideo sponsalia, quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent inquantum illi, inter quos cōtrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire his, quæ per alios facta sunt. 4. sent. d.27.q.2.a.2.ad 1.

Quæritur an affinitas causet affinitatem.

7 Respondeo dicendum, quòd inuenimus in processu attinentiæ duos modos, quibus vinculum huiusmodi causatur, vnus per carnis propagationem, & hoc facit semper eandem speciem attinentiæ, alius per matrimonialem cōiunctionem, & hoc facit aliam speciem in principio, sicut patet, quòd coniuncta matrimonialiter consanguinea non fit consanguinea, sed affinis, vnde etsi iste modus proceden di iteretur non erit affinitas, sed aliud attinentiæ genus; vnde persona, quæ matrimonialiter affini coniungitur, non est affinis, sed est aliud genus affinitatis, quod di cetur secundum genus; & rursus si affini in secūdo genere aliquis per matrimonium coniungatur non erit affinis in secundo genere, sed in tertio, vt in hoc versu supra posito ostenditur.

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Et hæc duo genera olim erant prohibita propter publicæ honestatis iustitiam magis, quàm propter affinitatem, quia deficiunt à vera affinitate, sicut illa attinentia, quæ ex sponsalibus contrahitur: sed modò prohibitio illa cessauit, & remanet sub prohibitione solùm primum genus affinitatis, in quo est vera affinitas. 4. sent. d. 41. q. 1. a. 1. quæst. 5. in corp.

Quæritur an affinitas matrimonium impediat.

8 Respondeo dicendum, quòd affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit cōtractum, eadem ratione, qua & consanguinitas; sicut enim inest necessitas quædam cohabitandi cōsanguineis ad inuicem, ita & affinibus, & sicut est quoddam amicitiæ vinculum inter consanguineos, ita inter affines; sed si affinitas matrimonio superueniat, non potest ipsum dirimere. 4. sent. d. 41. q. 1. ar. 2. quæst. 1. in corp.] art. 5. quæst. 1. in corp.

Quæritur an affinitas maneat post mortem viri inter vxorem, & consanguineos viri:

9 Respondeo dicendum, quòd affinitas non dirimitur manentibus illis personis, inter quas affinitas est contracta, quamuis moriatur persona, ratione cuius contracta fuit. 4. sent. d. 41. q. 1. art. 1. quæst. 2. in corp.

Quæritur an idem possit esse affinis, & consanguineus.

10 Respondeo dicendum, quòd potest inter aliquas duas personas esse affinitas, & consanguinitas, nō solùm per illicitum concubitum, sed etiam per licitum, sicut cum consanguineus meus ex parte patris duxit in vxorem consanguineam meam ex parte matris: vnde quod dicitur in diffinitione affinitatis, omni carens parentela, intelligendum est inquantum huiusmodi; nec tamen sequitur, quòd aliquis consanguineam suam cognoscens sibi ipsi sit affinis, quia affinitas, sicut & consanguinitas, diuersitatem requirit, sicut & similitudo. 4. sent. d. 41. q. 1. a. 1. questiunc. 3. ad 2.] d. 42. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad quartum.

Quæ-

Quaeritur an affinitas habeat per seipsum gradus.

11 Respondeo dicendum, quòd carnis propagatio per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea immediatè consanguinitatis vinculum contrahitur, sed ad affinitatem non comparatur, nisi mediante consanguinitate, quae est causa eius, vnde cum gradus attinentiae per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se, & immediatè competit consanguinitati, sed affinitati mediante consanguinitate: & ideo ad inueniendum gradus affinitatis est regula generalis, quòd quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi vxor. 4. sent. d.41. art.2. quaest.2. in corp.

Quaeritur an gradus affinitatis extendatur sicut gradus consanguinitatis.

12 Respondeo dicendum, quòd ex quo gradus affinitatis sumitur iuxta gradus consanguinitatis, oportet quòd tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis: sed tamen, quia affinitas est minus vinculum, quàm consanguinitas, facilius & olim, & nunc dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis, quàm in remotis gradibus consanguinitatis. 4. sent.d.41.q 1.a.2.quaest.3.in corp.

AGRESTA.

Quaeritur an de agresta possit confici sanguis Christi.

Ex agresta nõ potest confici sanguis Christi.

RESpondeo dicendum, quòd nihil recipit speciem, nisi in termino generationis; agresta autem adhuc est in via generationis ad vinum, sicut sanguis quãdo coagulari incipit in via generationis ad animal; vnde sicut ille sanguis non est animal, ita agresta non est vinum: & propter hoc de ipsa non potest confici sanguis Christi. 4. sent.d.11.q.2.a.3. quaest.3. in corp. 3.p.q.74.a.5.ad 3.

AGRESTES.

Quaeritur qui nam sint agrestes.

RESpondeo dicendum, quòd omne, quod est contra rationem in rebus humanis vitiosum est; est autem contra rationem, vt aliquis se alijs onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit, vnde Seneca dicit; Sic te geras sapienter, quòd nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat, quasi vilem: illi autem, qui in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquod ridiculum, & dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt, & ideo tales vitiosi sunt, & dicuntur duri, & agrestes, vt Philosophus dicit in 4 Eth.cap.8. 2.2.q.168. a.4.in corp. lect.2 secundi Eth.

ALCHIMIA.

Si ex alchimia fit verum aurum potest vendi pro vero auro.

Si non fit verum aurum, illicitum est ipsum vendere pro vero.

Quaeritur an sit licitum vendere aurum chimicum pro vero auro.

RESpondeo dicendum, quòd aurum, & argentum non solùm cara sunt propter vtilitatem vasorum, quae ex eis fabricantur, aut aliorum huiusmodi, sed etiam propter dignitatem, & puritatem substantiae ipsorum, & ideo si aurum, vel argentum ab alchimicis factum, veram speciem non habeant auri, & argenti, est fraudulenta, & iniusta venditio, praeser-

tim cum sint aliquæ vtilitates auri, & argenti veri secundùm naturalem operationem ipsorum, quæ non conueniunt auro per alchimiam sophisticato, sicut quod habet proprietatem lætificandi, & contra quasdam infirmitates medicinaliter iuuat: frequentiùs etiam potest poni in operatione,& diutius in sua puritate permanet aurum verum,quàm aurum sophisticatum; si autem per alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere. quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus causis ad producẽdum naturales, & veros effectus, sicut Augustinus dicit in 3. de Trinitate cap.8. de his, quæ arte Dæmonum fiunt. 2.2.q.77. a.2.ad 1.

ALTARE.

1 *Altaria debent esse lapidea,& quare.*
Quare olim altare erat de terra.
2 *Quisnam ordinauerit, quòd altaria debeant esse lapidea.*
Quare non fit de auro,& argento.
Quare ante Syluestrum erant lignea.
3 *Quid significet altare.*

Quæritur an altaria debeant esse lapidea.

1 RESpondeo dicendum,quòd legitur de consecratione distinct. 1. cap. Altaris. Altaria,si non sint lapidea,Chrismatis vnctione non consecrentur, quod quidem competit & significationi Sacramenti Eucharistiæ; tum quia altare significat Christum, dicitur autem 1.Corinth. 10.Petra autem erat Christus;tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum.Competit etiam quo ad vsum Sacramenti; lapis enim & solidus est, & de facili potest inueniri vbique, quod non erat necessarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco altare. Quod autẽ mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus non infectis Exodi 20. Altare de terra facietis mihi; quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: fuit ad idolatriam remouendam.3.p.q.83.a.3.ad 5.]p.2.q.102. art.4.ad 7.

Quisnam ordinauerit, quòd Altaria debeant esse lapidea.

2 Respondeo dicendum, quòd Syluester instituit, quòd altare de cætero non nisi lapideum esset,quia enim altare consecrari debet, oportet esse aliquam rem fortem,& non fragilem,sicut est lignum, vel terra,de qua fiat altare. Item quia debet esse in Ecclesia copia altarium,vt frequentetur mysterium Missæ, ideo debet esse materia communis, non autem aurum, vel argentum, vel aliquid huiusmodi,quod non de facili possit haberi. In veteri autem lege erat tantùm vnum altare ad vnum tantùm effectum deputatum, & ideo nihil oberat,si de auro fieret;sed ante tempus Syluestri propter persecutionem non erat fidelibus certus locus ad manendum, & ideo habebant altare ligneum,quod facilè transferretur.4.sent. d.13.q.1.a.2.quæst.5.ad 1.

Quæritur quid significet Altare.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut celebratio Sacramenti Eucharistiæ est imago repræsentatiua Passionis Christi, ita altare est repræsentatiuum Crucis ipsius, in qua Christus in propria specie imolatus est. 3.p.q.83 a.1.ad 2.

AMBITIO.

1 *Quid sit ambitio.*
Ambitio opponitur magnanimitati.
2 *Inordinatus appetitus dignitatum quando pertineat ad ambitionem.*
Quando dicatur quis præsumptuosus appetens inordinatè dignitatem.

3 *Am-*

3 *Ambitio quomodo sit circa exteriorē cultū.*
4 *Tripliciter contingit appetitum honoris esse inordinatum.*
Ambitio semper est peccatum.

Quaritur quid sit ambitio, & cui virtuti opponatur.

1 RESpondeo dicendum, quòd ambitio importat appetitum inordinatum honoris; magnanimitas autem est circa honores, & vtitur eis secundū quòd oportet, vnde manifestum est, quòd ambitio opponitur magnanimitati; sicut inordinatum ordinato. 2.2.q.131.a.1.in corp.

Quaritur in quo casu inordinatus appetitus dignitatum sit ambitio.

2 Respondeo dicendum, quòd illis, qui sunt constituti in dignitate propter quandam excellentiam status debetur honor, & secundùm hoc inordinatus appetitus dignitatum pertinet ad ambitionem: si quis enim inordinatè appeteret dignitatem non ratione honoris, sed propter debitum dignitatis vsum suam facultatem excedētem, non esset ambitiosus, sed magis præsumptuosus. 2.2 q.131.a.2.ad 2.

Quaritur quomodo ambitio sit circa exteriorem cultum.

3 Respondeo dicendum, quòd ipsa solemnitas exterioris cultus ad quemdam honorem pertinet, vnde & talibus conuenit honor exhiberi, quod significatur Iacob. 2. Si introierit in conuentum vestrū vir annulum aureum habens in veste candida, & dixeris ei, tu sede hic &c. vnde ambitio nō est circa exteriorem cultum; nisi secūdùm quòd pertinet ad honorem. 2.2.q.131.a.2.ad 3.

Quaritur an ambitio sit semper peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd tripliciter appetitum honoris contingit esse inordinatum, vno modo per hoc, quod aliquis appetit testimonium de excellentia, quā non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem: alio modo per hoc, quod honorem sibi cupit non referendo in Deum; tertio per hoc, quod appetitus eius in ipso honore quiescit non referens honorem ad vtilitatem aliorum; ambitio autem importat inordinatum appetitum honoris, vnde manifestū est, quòd ambitio semper est peccatum. 2.2.q.131.a.1. in corp.

APPELLATIO.

1 *Duplici de causa fit appellatio.*
Appellatio quando sit licita.
2 *Non licet appellare à iudice arbitrario.*
Licet appellare à iudice ordinario.
Licet appellare à iudice ordinario, & arbitrario simul.
3 *Licet appellare à iudice inferiori ad superiorem, ante, & post sententiam.*
Non licet Catholico appellare ad iudicem infidelem.
Huiusmodi appellans est excommunicandus.
4 *Per decem dies licet appellare.*
Tribus vicibus licet appellare.

Quaritur quando liceat appellare.

1 RESpondeo dicendum, quòd duplici de causa contingit aliquem appellare, vno quidem modo confidentia iustę causæ, quia videlicet iniustè à iudice grauatur, & sic licitum est appellare, hoc enim est prudenter euadere, vnde 2. q.6. dicitur, Omnis oppressus liberè Sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur; alio modo aliquis appellat causa differendæ moræ, ne contra eum iusta sententia proferatur, & hoc est calum-

calumniosè se defendere, quod est illicitum; facit enim iniuriam & iudici, cuius officium impedit, & aduersario suo, cuius iustitiam, quantum potest, perturbat: & ideo sicut dicitur 2. q. 6 Omni modo puniendus est, cuius appellatio iniusta pronuntiatur. 2.2.q 69.a.3.in corp.

Quaritur à quo iudice liceat appellare.

2 Respondeo dicendum, quòd ex proprio defectu, vel negligentia procedit, quòd aliquis sua sponte se alterius iudicio subijciat, de cuius iustitia non confidit; cuis etiam animi esse videtur, vt semper non permaneat in eo, quod semel approbauit: & ideo rationabiliter denegatur subsidium appellationis à iudicibus arbitrarijs, qui non habent potestatem, nisi ex consensu litigantium: sed potestas iudicis ordinarij non dependet ex consensu illius, qui eius iudicio subditur, sed ex auctoritate Regis, & Principis, qui eũ instituit; & ideo contra eius iniustum grauamen lex tribuit appellationis subsidiũ, ita quòd etiam si sit simul ordinarius, & arbitrarius iudex, potest ab eo appellari, quia videtur ordinaria potestas occasio fuisse, quòd arbiter eligeretur; nec debet ad defectum imputari eius, qui consensit in eum, sicut in arbitrum, non vt in eum, quem Princeps iudicem ordinarium dedit. 2.2.q.69.a.3.ad 2.

Quaritur an liceat appellare ante, & post sententiam, & an liceat Catholico appellare ad infidelem.

3 Respondeo dicendum, quòd potestati inferiori intantum aliquis subijci debet, inquantum ordinem superioris seruat, à quo si exorbitauerit, ei subijci non oportet, puta si aliud iusserit Proconsul, & aliud Imperator, vt patet per Glos. Rom. 13. cum autem iudex aliquem iniustè grauat, quantum ad hoc reliquit ordinem superioris potestatis, secundùm quā necessitas sibi iuste iudicandi imponitur: & ideo licitum est ei, qui contra iustitiam grauatur, ad directionem superioris potestatis recurrere appellando vel ante sententiam, vel post: & quia non præsumitur esse rectitudo, vbi vera fides non est, ideo non licet Catholico ad infidelem iudicē appellare secundùm illud 2. quæst. 6. cap. Catholicus: Catholicus, qui causam suam siue iustam, siue iniustam ad iudicium alterius fidei iudicis prouocauerit, excommunicetur, nam & Apostolus arguit eos, qui iudicio contendebant apud infideles. 2.2.q.69.a.3.ad 1.

Quaritur intra quod tempus liceat appellare, & quot vicibus.

4 Respondeo dicendum, quòd æquitas iuris ita subuenit vni parti, quòd altera non grauetur: & ideo tempus decem dierum concessit ad appellandum, quod sufficiens existimauit ad deliberandum an expediat appellare: si verò non esset determinatum tempus, in quo appellare liceret, semper certitudo iudicij remaneret in suspenso, & ita pars altera damnificaretur; ideo autem est concessum, vt tertiò aliquis appellet super eodem, quia non est probabile totiens iudices à recto iudicio declinare. 2.2.q.69.a.3.ad 3.

APOSTASIA.

1 *Quid sit apostasia.*
Quotuplex sit apostasia.
Apostasia à fide est simpliciter apostasia.
2 *Apostasia à fide non est species infidelitatis, sed est circumstantia aggrauans.*
3 *Quomodo apostasia à Deo sit initium superbiæ.*
4 *Ecclesia non punit infideles illos, qui nunquam habuerunt fidem.*
Ecclesia punit infideles, qui iam susceperunt fidem.

Ecclesia

Eccleſia priuat huiuſmodi dominio, et quare. Statim quòd aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus propter apoſtaſiam à fide, ſubditi abſoluuntur à dominio eius, & iuramento fidelitatis.

Quæritur quid ſit, & quotuplex ſit apoſtaſia.

1 RESpondeo dicendum, quòd apoſtaſia importat retroceſſionẽ quãdam à Deo, quæ quidem diuerſimodè fit ſecundùm diuerſos modos, quibus homo Deo coniungitur, primo namque coniungitur homo Deo per fidẽ; ſecundo per debitam, & ſubiectam voluntatem ad obediendum preceptis eius; tertio per aliqua ſpecialia ad ſupererogationẽ pertinẽtia, ſicut per Religionẽ, & Clericaturã, & ſacrum Ordinem; remoto aũt poſteriori remanet prius, ſed non conuertitur. Contingit ergo aliquem apoſtatare à Deo retrocedendo à Religione, q̃ profeſſus eſt, vel ab Ordine, quem ſuſcepit; & hæc dicitur apoſtaſia à Deo per mentem repugnantẽ Diuinis mandatis: quibus duabus apoſtaſijs exiſtentibus adhuc poteſt remanere homo Deo coniunctus per fidem. Sed ſi à fide diſcedat, tunc omnino à Deo retrocedere vř: & ideo ſimpliciter, & abſolutè erit apoſtaſia, per quam aliquis diſcedit à fide, quæ vocatur apoſtaſia per fidem, & ſecundùm hunc modum apoſtaſia ſimpliciter dicta ad infidelitatem pertinet. 2.2. q. 12. a. 1. in corp.

Quæritur an apoſtaſia ſit ſpecies infidelitatis.

2 Reſpondeo dicendum, ꝙ ſpecies alicuius qualitatis, vel formæ non diuerſificatur ꝑ hoc, ꝙ eſt terminus motus à quo, vel ad quem, ſed potius è conuerſo ſecundùm terminos motuũ ſpecies attẽdũtur: apoſtaſia aũt reſpicit infidelitatem, vt terminũ ad quem eſt motus recedentis à fide. Vnde apoſtaſia non importat determinatam ſpeciem infidelitatis, ſed quandã circũſtantiam aggrauantẽ ſecundũ illud 2. Petri 2. Melius erat eis veritatem non cognoſcere, quã poſt cognitam retroire. 2.2. q. 12. a. 1. ad 3.

Quæritur quomodo apoſtaſia à Deo dicatur initium ſuperbiæ.

3 Reſpondeo dicendum, ꝙ apoſtatare à Deo dř eſſe initiũ ſuperbiæ ex parte auerſionis, ex hoc. n. quòd homo nõ vult ſubdi Deo, ſequitur quòd inordinatè velit propriam excellentiã in rebus tẽporalibus, & ſic apoſtaſia à Deo non ſumitur quaſi ſpeciale peccatum, ſed magis vt quædam conditio generalis oĩs peccati, quæ eſt auerſio ab incõmutabili bono. Vel põt dici, ꝙ apoſtatare à Deo dř eſſe initium ſuperbiæ, quia eſt prima ſuperbiæ ſpecies; ad ſuperbiam. n. pertinet cuique ſuperiori nolle ſubijci, & præcipuè nolle ſubdi Deo, ex quo contingit, quòd homo ſupra ſe ipſum indebitè extollatur quantũ ad alias ſuperbiæ ſpecies. p. 2. q. 84. a. 2. ad 2.

Quæritur an Princeps per apoſtaſiã à fide amittat dominium in ſubditos, ita quòd ei obedire non teneantur.

4 Rñdeo dicendum, ꝙ infidelitas ſecundũ ſeipſam non repugnat dñio, eo ꝙ dominium introductũ eſt de iure gentiũ, ꝙ eſt ius humanũ. Diſtinctio aũt fideliũ, & infidelium eſt ſecundũ ius Diuinum, per qđ nõ tollitur ius humanũ, ſed aliquis per infidelitatem peccans poteſt ſententialiter ius dominij amittere, ſicut ẽt qñque propter alias culpas. Ad Eccleſiã aũt nõ pertinet punire infidelitatẽ in illis, qui nunq̃ fidem ſuſceperunt ſm̃ illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 5. Quid mihi de his, qui foris ſunt iudicare: ſed infidelitatem illorum, qui fidem ſuſceperunt, poteſt ſpĩaliter punire, & conuenienter in hoc puniuntur, ꝙ ſubditis fidelibus dominari non poſſint; hoc. n. vergere poſſet in magnã fidei corruptionẽ, q͂a hõ apoſtata prauo corde ma-

chinatur malum,& iurgia seminat,intendens homines separare a fide. Et ideo quã cito aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & iuraméto fidelitatis,quo ei tenebantur.2.2.q.12.a.2.in corp.

AQVA BENEDICTA.

1 *Aqua benedicta non est Sacramentum, sed dispositio ad Sacramenta.*
Aqua benedicta ad quid valeat.
2 *Aquæ benedictæ aspersio operatur ad venialium remissionem.*
3 *Aqua benedicta est contra Dæmones, & quomodo.*
4 *Aqua non benedicta addita aquæ benedictæ fit benedicta.*

Quæritur an aqua benedicta sit Sacramentum, & ad quid ordinetur.

1 Respondeo dicendum, quòd aqua benedicta,& aliæ consecrationes non dicuntur Sacramenta, quia non perducunt ad Sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio; sed sunt dispositiones quædam ad Sacramenta, vel remouendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias Dæmonum, & contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad Sacramenti perfectionem,& perceptioné,sicut consecratur altare, & vasa propter reuerentiam Eucharistiæ.3.p.q.65.a.1.ad 6.]4.sent.d.2.q.1.a.2.ad 7.

Quæritur per quid deleantur peccata venialia, an per aquam benedictam.

2 Respondeo dicendum,quòd ad remissionem venialis peccati non requiritur nouæ gratiæ infusio,sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut cũ aliquis frequenter mouetur in Deum,& ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum,vno modo inquantũ in eis infunditur gratia,quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata,& hoc modo per Eucharistiam, & Extremã Vnctioné, & vniuersaliter per omnia Sacramenta nouæ Legis, quibus confertur gratia,peccata venialia remittuntur; Secundò inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, & hoc modo confessio generalis, & oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum; nam in oratione Dominica petimus,Dimitte nobis debita nostra;tertio modo inquantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum,& ad res Diuinas;& hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, qualibet Sacramentalis vnctio, oratio in Ecclesia dedicata, etsi aliqua sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. 3.p.q.87.art.3.in corp.]q.65.a.1.ad 6.& 8.] 4.sent.d.2.q.1.a.2.ad 7.]d.16.q.2.a.2.quæst.4.in corp.] q.1. de malo a.12.in corp.

Quæritur quomodo aqua benedicta sit contra Dæmones.

3 Respondeo dicendum,quòd aqua benedicta datur contra impugnationes Dæmonum, quæ sunt ab exteriori; sed exorcismus ordinatur contra impugnationes Dæmonum, quæ sunt ab interiori:vnde & energumeni dicuntur, quasi interius laborãtes, illi,qui exorcizantur.Vel dicendũ, quòd sicut in remedium contra peccatum secundo datur pœnitentia, quia Baptismus non iteratur, ita in remedium contra impugnationes Dæmonum secundo datur aqua benedicta,quia exorcismi baptismales non iterantur. 3.p.quæst.71.art.2.ad 3.]4.sentent.distinct.6.q.2.art.3.quæst.1.ad 3.

Quæ-

Quæritur an aqua non benedicta addita aquæ benedictæ fiat benedicta.

4 Reſpondeo dicendum, quòd in aqua benedicta non fit aliqua mutatio ſubſtantialis ipſius aquæ, ſed acquiritur ei virtus aliqua ex benedictione, & ideo illa virtus poteſt peruenire ad aquam additam. 4. ſent. d. 12. q. 1. a. 2. quæſt. 6. ad 2.

ARBITER.

1 *Quid ſit arbiter.*
Arbitrium debet pœna vallari.
2 *Ab arbitro non licet appellare.*

Quæritur an poſſint eligi arbitri, & an ſit neceſſe vallari arbitrium pœna.

1 Reſpondeo dicẽdum, quòd in rebus humanis aliqui propria ſpõte poſſunt ſe ſubijcere aliorum iudicio, quãuis non ſint eis ſuperiores; ſicut patet in his, qui compromittũt in aliquos arbitros. & inde eſt, quòd neceſſe eſt arbitriũ pęna vallari, quia arbitri, qui non ſunt ſuperiores non habent de ſe plenam poteſtatẽ coercendi: ſic & Chriſtus propria ſpõte humano iudicio ſe ſubdidit, ſicut ẽt & Leo Papa ſe iudicio Imperatoris ſubdidit. 2. 2. q. 67. a. 1. ad 2.

Quæritur an liceat appellare ab arbitro.

2 Reſpondeo dicendum, quòd rationabiliter denegatur ſubſidiũ appellationis à iudicibus arbitrarijs, qui non habẽt poteſtatem niſi ex conſenſu litigantiũ; ſed ſi ſit ſimul ordinarius, & arbitrarius iudex, poteſt ab eo appellari, quia videtur ordinaria poteſtas occaſio fuiſſe, quòd arbiter eligeretur. 2. 2. q. 69 a. 3. ad 2.

ARCHIDIACONVS.

Quis ſit Archidiaconus.
Archidiaconi munia.
Archidiaconus non confert Ordines.

Quæritur quid pertineat ad Archidiaconum, & an poſſit conferre Ordines.

Reſpondeo dicendum, ꝙ Archidiaconus eſt quaſi princeps miniſterij, iõ omnia, quę ad miniſterium pertinent, ipſe tradit, ſicut cereum, quo Accolitus Diacono ſeruit ante Euangeliũ ipſum portãdo; & vrceum, quo ſeruit Subdiacono, & ſimiliter dat Subdiacono ea, quibus ſuperioribus Ordinibus ſeruit: & tamẽ in illis non conſiſtit principalis actus Subdiaconi, ſed in hoc ꝙ operatur circa materiã Sacramenti, & ideo caracterem accipit in hoc, quòd datur ei Calix ab Epiſcopo, ſed Accolytus accipit caracterem ex verbis Epiſcopi in hoc, ꝙ accipit prædicta ab Archidiacono, & magis in acceptione vrceoli, quàm candelabri: vnde non ſequitur, quòd Archidiaconus ordinem conferat. 4. ſent. d. 25. q. 1. a. 1. ad 2.

ARCHIEPISCOPVS.

1 *Archiepiſcopus non eſt ſẽper ſuperior Epõ.*
Archiepiſcopus eſt ſuperior Epiſcopo tantùm in caſibus à iure determinatis.
2 *Epiſcopi non conſecrant Papam, nec Suffraganei Archiepiſcopum.*
3 *Archiepiſcopi deferunt Pallium.*
Pallium Archiepiſcopi quid ſignificet.

Quæritur in quibus caſibus Archiepiſcopus eſt, vel non eſt ſuperior Epiſcopo.

1 Reſpondeo dicendum, ꝙ in illis, in quibus magis obediendũ eſt Epiſcopo, q̃ Archiepiſcopo, Archiepſ nõ eſt ſuperior Epiſcopo, ſed tantùm in caſibus determinatis à iure, in quibus ab Epõ recurritur ad Archiepiſcopũ. 4. ſent. d. 44. in expoſitione textus ad 2. argumentum.

Quæritur an poſſit dici Epiſcopum conſecrare Papam, vel Suffraganeos Archiepiſcopũ.

2 Reſpondeo dicẽdum, ꝙ nec Epſ con-

ſecrat Papam, nec Suffraganei Archiepiſcopum, ſed hunc hominem, vt ſit Papa, vel Archiepiſcopus. lec. 2. c. 7. ad Hebręos.

Quaritur quare Archiepiſcopi deferant pallium.

3 Reſpondeo dicendum, quòd Archiepiſcopi habent pallium in ſignum priuilegiatæ poteſtatis; ſignificat enim torquē auream, quam ſolebant legitimè certantes accipere. 4. ſent. d. 24. q. 2. a. 3. in corp.

ARROGANTIA.

1 *Arrogantia quid ſit.*
Arrogantia eſt ſpecies ſuperbiæ.
Arrogantia eſt cauſa iactantiæ.
2 *Qui dicantur arrogantes.*
3 *Pœna arrogantum.*

Quaritur quid ſit arrogantia.

1 RЕſpondeo dicendum, quòd arrogātia, per quam aliquis ſupra ſeipſum extollitur, eſt ſpecies ſuperbiæ, nō tamen eſt idem iactantiæ, ſed vt frequentius eius cauſa, & propter hoc Gregorius iactantiam ponit inter ſuperbiæ ſpecies. 2. 2. q. 112. a. 1. ad 2. lec. 1. cap. 40. Iob.

Quaritur qui ſint arrogantes.

2 Reſpondeo dicendum, quòd aliud genus ſuperborum eſt, qui ſibi arrogant id, quod ſupra ipſos eſt, & hi propriè arrogātes dicuntur: vnde dicitur Hierem. 48. Arrogantiam, & altitudinem cordis ipſius ego ſcio, ait Dominus, & quòd non ſit iuxta eum virtus eius. lec. 1. cap. 40. Iob.

Quaritur quanam ſit pœna arrogantum.

3 Reſpondeo dicendum, quòd pęna arrogantium propria eſt deiectio; cum. n. volunt ſe erigere ſupra poſſe, conſequens eſt, vt per infirmitatem corruant, ſecundùm illud Pſalm. 72. Deiecisti eos, dum alleuarentur. lec. 1. cap. 40. Iob.

ARS.

1 *Quæ artes ſint licitæ, & quæ illicitæ.*
Quæ artes ſint tollendæ à ciuitatibus per Principes.
Ars ornamentorum mulierum eſt licita.
2 *Artes magicæ ſunt prohibitę quo ad vſum.*
Studium artium magicarum ſi prohiberetur alicui propter periculum vtendi, tunc eſſet malum, quia prohibitum.
3 *Quomodo contingat peccatum in vſu artiū.*
4 *Ars Notoria eſt illicita, & inefficax.*
Quare ars Notoria ſit illicita.
Quare ſit inefficax.
5 *Imagines aſtronomicæ sūt illicitę, et quare.*
Imagines aſtronomicæ differunt a negromanticis, & in quo differunt.

Quaritur quęnam artes ſint licitæ, & quæ illicitæ.

1 RЕſpondeo dicendum, quòd ſi qua ars eſt ad faciendum aliqua opera, quibus homines vti non poſſunt abſq; peccato; per conſequens artifices etiā faciendo peccarent vtpote præbentes directè alijs occaſionem peccādi, puta ſi quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultū idolatrię pertinentia, ſi qua verò ars ſit, cuius operibus homines poſſunt bene, & male vti, ſicut gladij, ſagittę, & alia hmōi, vſus taliū artium non eſt peccatum, & hæ ſolę artes ſunt dicendæ, vnde Chryſoſt. dicit hom. 50. in Matthæum, eas ſolùm artes oportet vocare, quæ neceſſariorū, & eorū, quę cōtinent vitam noſtrā, ſunt tributiuę, & conſtructiuæ; ſi tñ operibus alicuius artis pluries aliqui malè vterentur, quamuis de ſe non ſint illicitę, ſunt tamen per officium Principis à Ciuitate extirpandæ, ſecundùm documenta Platonis. Quia ergo mulieres licitè ſe poſſunt ornare, vel vt conſeruent decentiā ſui ſtatus, vel ēt aliquid ſuperaddere, vt placeant viris; conſe-

consequens est,quòd artifices talium ornamentorum non peccant in vsu talis artis,nisi fortè inueniẽdo aliqua superflua, & curiosa; vnde Chrysostomus dicit super Matthęum hom.50.quòd etiam ab arte calceorum, & textorum multa abscindere oportet, etenim ad luxuriam deduxerunt, necessitatem eius corrumpentes artem arti malè commiscẽtes. 2.2.quęst. 169.a.2.ad 4.

Quaeritur an artes magicae sint prohibitae.

2 Respondeo dicendum, quòd nec verum est,quòd magicæ artes sint scientiæ, sed potius sunt quædam fallaciæ Dæmonũ:huiusmodi artes sunt prohibitæ quantum ad suum vsum, si verò prohiberetur alicui etiam earum studium propter periculum vtendi,tunc esset malum,quia prohibitum. Quodlibeto 4.a.16.ad 1.& 2.]2.2.q.95.a.1.ad 2.

Quaeritur quomodo contingat peccatum in vsu artium.

3 Respondeo dicendum,quòd cum peccatum sit per deuiationem ab ordine ad finem, in actu artis contingit dupliciter esse peccatum, vno modo per deuiationẽ à fine particulari intento ab artifice, & hoc peccatum erit proprium arti, puta si artifex intendens facere bonum opus,faciat malum, vel intendens malum,faciat bonum; alio modo per deuiationem à fine communi humanæ vitæ, & hoc modo dicetur peccare etiam si intendat facere malum opus,& faciat per hoc, vt alius decipiatur: sed hoc peccatum non est proprium artificis inquantum artifex, sed inquantum homo est; vnde ex primo peccato culpatur artifex inquãtum artifex, sed ex secundo culpatur homo inquãtum homo.Sed in moralibus vbi attẽditur ordo rationis ad finem communem humanę vitę semper peccatum,& malum attenditur per deuiationem ab ordine rationis ad finem cõem humanę vitę:& ideo culpatur ex tali peccato homo & inquantũ est homo,& inquantũ moralis est, vnde Phylosophus dicit in 6.Eth.c.5. quòd in arte volens peccans est eligibilior, circa prudentiam autem minus,sicut & in virtutibus moralibus, quarum prudentia est directiua.p.2.q.21.a.2.ad 2.

Quaeritur an vti obseruantijs artis Notoriae sit illicitum.

4 Respondeo dicendum, quòd ars Notoria est & illicita,& inefficax:illicita quidem est,quia vtitur quibusdã ad scientiã acquirendam,quę non habent secundũ se virtutem causandi scientiã. Sicut inspectione quarundã figurarũ, & prolatione quorundã ignotorum verborum, & alijs hmõi, & ideo huiusmodi ars non vtit̃ his, vt causis,sed vt signis,non aũt vt signis diuinitus institutis, sicut sunt sacramẽtalia signa,vnde relinquitur,ꝙ sint superuacua signa,& per consequens pertinẽtia ad pacta quędã significationum cũ Dęmonibus placita,atq.fęderata;& ideo ars Notoria penitus est repudianda,& fugienda Christiano,sicut & alię artes nugatorię,vel noxiæ superstitionis, vt August. dicit 2. de Doctr.Christ.c.23.est etiam hmõi ars inefficax ad scientiam acquirendam; cum. nõ per huiusmodi artem non intendatur acquisitio scientię per modũ homini connaturalem scilicet adinueniendo, vel addiscendo; consequens est,quòd iste effectus vel expectetur à Deo, vel à Dęmonibus: certum est aũt aliquos à Deo sapientiam, & scientiã per infusionem habuisse, sicut de Salomone legitur 3.Reg.3. & 2.Paralip.1.Dñs etiam Discipulis suis dixit Lucę 21.Ego dabo vobis os, & sapientiã,cui nõ poterunt resistere, & contradicere oẽs aduersarij vestri:sed hoc donũ non datur quibuscunque,aut cũ certa obseruatione, sed secundũ arbitriũ Spiritus S. secundũ illud 1.ad Cor.12.Alij quidem datur per spiritũ sermo sapiẽtię, alij sermo scientię secun-

secundùm eundem spiritum, & postea subditur, hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis pro vt vult; ad Dæmones autem non pertinet illuminare intellectum: acquisitio autem scientiæ, & sapientiæ fit per illuminationem intellectus, & ideo nullus vnquam per Dæmones scientiam acquisiuit, vnde Augustinus dicit in 10. de Ciuit. Dei cap. 9. Porphyrium fateri Theurgicis Thelesis in operationibus Dæmonum animæ intellectuali nihil purgationis accidere, quòd eam faciat idoneam ad videndum Deum suum, & percipienda ea, quæ vera sunt, qualia sunt omnia scientiarum Theoremata, possent tamen Dæmones verbis hominibus colloquentes exprimere aliqua scientiarum documenta, sed hoc nó quæritur per artem Notoriam. 2.2.q.96.art.1. in corp.

Quæritur an imagines astronomicæ sint licitæ, & quomodo differant à negromanticis.

5 Respondeo dicendum, quòd imagines, quas astronomicas vocant ex operatione Dæmonum habent effectum, cuius signum est, quòd necesse est eis inscribi quosdam caracteres, qui naturaliter ad nihil operantur, nó enim est figura actionis naturalis principium, sed in hoc distant astronomicæ imagines à negromanticis, quòd in negromanticis fiunt expressè inuocationes, & præstigia quædam, vnde pertinent ad expressa pacta cum Dæmonibus inita, sed in alijs imaginibus sunt quædam tacita pacta per quędam figurarum, seu caracterum signa. 2.2.q. 96.a.2.ad 2.

ASTROLOGIA.

1 *Ex consideratione stellarum quę possint pręcognosci, & quæ non.*

Corpora cælestia non imprimunt directè in intellectum, & voluntatem.

Corpora cælestia non sunt per se causa operationis liberæ.

Corpora cælestia possunt inclinare voluntatem, & quomodo.

Homo per rationem potest superare inclinationes corporum cælestium.

Certò velle cognoscere ex astris opera hominum futura, est diuinatio vana, & falsa.

Cognoscere futura, quæ causantur ex corporibus cælestibus, non est diuinatio illicita, & superstitiosa.

2 *Quare Astrologi diuinant, vt in pluribus, circa homines.*

3 *Quare Medici diuinant frequenter passiones hominum.*

Quæritur an astrologia sit licita, & quæ possit prædicere.

1 Respondeo dicendum, quòd diuinationi, quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit se operatio Dęmonis, vt hominum animos implicet vanitati, aut falsitati. Vana autem, aut falsa opinione vtitur si quis ex consideratione stellarum futura velit pręcognoscere, quę per ea præcognosci non possunt: est ergo considerandum, quid per corporum cœlestium inspectionem de futuris possit præcognosci, & de his quidem, quæ ex necessitate eueniunt, manifestum est, quòd per considerationem stellarum possunt præcognosci, sicut Astrologi prænunciant Eclypses futuras. Circa præcognitionem verò futurorum euentuum ex consideratione stellarum, diuersi diuersa dixerunt. Fuerunt enim qui dicerent, quòd stellæ potius significant, quàm faciant ea, quæ ex earum consideratione prænunciantur: sed hoc irrationabiliter dicitur, omne enim corporale signum vel est effectus eius, cuius est signum, sicut fumus significat ignem, à quo causatur; vel procedit ab eadem causa, & sic dum designat causam, per consequens significat effectum; sicut

ut Iris quandoque significat serenitan inquantum causa eius est causa serenitatis; non potest autem dici, quòd dispositiones cœlestium corporum, & motus sint effectus futurorum euentuum, nec eorum possunt reduci in aliquam superiorem causam communem, quæ sit corporalis; possunt autem reduci in vnã causam communem, quæ est prouidentia Diuina, sed alia ratione disponuntur à Diuina prouidentia motus, & situs celestium corporum, & alia ratione euentus contingentium futurorum; quia illa disponuntur secundùm rationem necessitatis, vt semper, & eodem modo proueniant; hæc autem secundùm rationem contingentię, vt variabiliter contingant, vnde non potest esse, quòd ex inspectione Syderum accipiatur præcognitio futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus. Duplices autem effectus subtrahũtur causalitati cœlestium corporum, primò quidem omnes effectus peraccidens contingentes siue in rebus humanis, siue in rebus naturalibus, quia, vt probatur in 6. Metaph. text.4.5.6. Ens peraccidens non habet causam, & præcipuè naturalem, cuiusmodi est virtus cœlestium corporum, quia quòd peraccidens fit neque est ens propriè, neque vnum, sicut quòd lapide cadente fiat terremotus, vel quòd homine fodiente sepulcrum inueniatur thesaurus; hæc enim & huiusmodi non sunt simpliciter vnum, sed simpliciter multa; operatio autem naturæ semper terminatur ad aliquid vnum, sicut & procedit ab vno principio, quod est forma rei naturalis. Secundò autem subtrahuntur causalitati cœlestium corporum actus liberi arbitrij, quòd est facultas voluntatis, & rationis: intellectus enim, siue ratio nõ est corpus, nec actus organi corporei, & per consequens, nec voluntas, quæ est in ratione, vt patet per Phylosophum in 3. de Anima, text.40. nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream: vnde impossibile est, quòd corpora cœlestia directè imprimant in intellectum, & voluntatem, hoc enim esset ponere intellectum non differre à sensu, quod Arist. in lib. 1. de Anima, text.159. imponit his, qui dicebant, quòd talis voluntas est in hominibus, qualem in die inducit pater virorum, deorumque, scilicet Sol, vel Cœlum, vnde corpora cœlestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij: possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, inquantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus; quia tamen vires sensitiuæ obediunt rationi, vt patet per Phylosophum in 3. de Anima, tex.42. & 1. Eth. nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem cœlestium corporum homo potest per rationem operari. Si quis ergo consideratione astrorum vtatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominũ, procedit hoc ex falsa, & vana opinione, & sic operatio Dæmonis se immiscet, vnde erit diuinatio superstitiosa, & illicita; si verò aliquis vtatur cõsideratione astrorum ad præcognoscendum futura, quæ ex cœlestibus causantur corporibus, puta siccitates, & pluuias, & alia huiusmodi, non erit illicita diuinatio, nec superstitiosa. 2.2. q.95.a.5. in corp.] p.p.q.115.a.4.

Quæritur quare Astrologi, vt in pluribus, diuinant ea, quæ hominibus eueniunt.

2 Respondeo dicendum, quòd appetitus sensitiuus est actus organi corporalis, vnde nihil prohibet ex impressione corporum cœlestiũ aliquos esse habiles ad irascendum, vel concupiscẽdum, vel aliquã huiusmodi passionem, sicut & ex complexione naturali plures hominum sequuntur passiones, quibus soli sapientes resi-

stunt; & ideo vt in pluribus verificantur, quæ pronunciantur de actibus hominum secundùm considerationem cœlestium corporum, sed tamen vt Ptolomæus dicit in Centiloquio, Sapiens dominabitur astris, scilicet quia resistens passionibus impedit per voluntatem liberam, & nequaquam motui cœlesti subiectam huiusmodi cœlestium corporum effectus, vel vt Augustinus dicit 3. super Genesim ad litteram cap. 17. Fatendum est, quando ab Astrologis vera dicũtur instinctu quodam altissimo dici, quem nescientes humanę mentes patiuntur, quòd cum ad decipiendum homines fit, spirituum seductorum operatio est. p. 2. quæst. 9. art. 3. ad 3.] p.p. quæst. 15. art. 4.] quæst. 7. de Verit. art. 10. ad 7.] 2. sent. d. 7. quæst. 2. art. 2. in corp.] d. 25. art. 2. ad 5.

Quæritur quare Medici diuinant frequenter passiones hominum.

3 Respondeo dicendum, quòd Medici iudicant aliquem esse inuidum, vel tristem, vel lasciuum, vel aliquid huiusmodi, quorum iudicia frequenter vera sunt eo quod vt in pluribus ratio passionibus succumbit, & ab eis deducitur, quamuis non de necessitate, eo quòd ratio imperium super passiones habet. 2. sent. d. 15. q. 1. a. 3. ad 4.] 3. contra gentes cap. 84.

ASTVTIA.

1 *Quid sit peccatum astutiæ.*
2 *Officia astutiæ, & dolus quæ sint.*
3 *Astutia aliquando sumitur in bono.*
Astutia propriè sumitur in malo.
4 *Fraus pertinet ad astutiam.*

Quæritur quid sit astutia, & quomodo opponatur prudentiæ.

1 RESpondeo dicendum, quòd prudentia est recta ratio agibilium, sicut scientia recta ratio scibilium: contingit autem contra rectitudinem scientiæ dupliciter peccari in speculatiuis, vno quidem modo quando ratio inducitur ad aliquam conclusionem falsam, quæ apparet vera; alio modo ex eo quòd ratio procedit ex aliquibus falsis, quæ videntur esse vera, siue sint ad conclusionem veram, siue ad conclusionem falsam: ita etiam aliquod peccatum potest esse contra prudẽtiam habens aliquam similitudinem eius dupliciter, vno modo quia studium rationis ordinatur ad finem, qui non est verè bonus, sed apparens, & hoc pertinet ad prudentiam carnis, alio modo inquantũ aliquis ad finem consequendum, vel ad bonum, vel ad malum vtitur nõ veris vijs, sed simulatis, & apparẽtibus, & hoc pertinet ad peccatum astutię, vnde est quoddam peccatum prudentiæ oppositum, & à prudentia carnis distinctum. 2. 2. q. 55. a. 3. in corp.] q. 111. a. 3. ad 2.

Quæritur in quo consistat astutia, & dolus.

2 Respondeo dicendum, quòd ad astutiam pertinet assumere vias nõ veras, sed simulatas, & apparentes ad aliquem finẽ prosequendum vel bonum, vel malum; assumptio autem harum viarum potest dupliciter considerari, vno quidem modo in ipsa excogitatione viarum huiusmodi, & hoc propriè pertinet ad astutiam, sicut etiam excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam; alio modo potest considerari talium viarum assumptio secundùm executionem operis; & secundùm hoc pertinet ad dolũ; & ideo dolus importat quãdam executionem astutiæ, & secundùm hoc ad astutiam pertinet. 2. 2. q. 55. a. 4. in corp.

Quęritur an astutia aliquãdo sumatur in bono.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in 4. contra Iulianum cap. 3. sicut prudentia abusiuè quandoque in malo

malo accipitur, ita etiam astutia quãdoque in bono; & hoc propter similitudinẽ vnius ad alterum; propriè tamen astutia in malo accipitur, sicut & Phylosophus dicit in 6.Eth.cap.11.2.2.q.55.a.3.ad 1.

Quaritur quomodo fraus pertineat ad astutiam.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut dolus consistit in executione astutiæ, ita etiam & fraus; sed in hoc differre videtur, quòd dolus pertinet vniuersaliter ad executionem astutiæ, siue fiat per verba, siue per facta; fraus autem magis propriè pertinet ad executionem astutię, secundũ quòd fit per facta.2.2.q.55.a.5.in corp.

AVARITIA.

1 *Quid sit auaritia.*
Quid sibi velit nomen auaritiæ.
2 *Auaritia est peccatum.*
3 *Auaritia sumitur dupliciter.*
Quæ auaritia sit speciale peccatum.
4 *Auaritia quando sit peccatum mortale, & quando veniale.*
5 *Auaritia est peccatum in Deum, in proximum, & in seipsum.*
6 *Auaritia est peccatum spirituale.*
7 *Auaritia quomodo sit media inter peccata corporalia, & spiritualia.*
8 *Auaritia opponitur liberalitati, et iustitiæ.*
9 *Auaritia est vitium capitale.*
Auaritiæ septem filiæ, & quæ.
10 *Auaritiæ species quæ sint.*
11 *Auaritia non est simpliciter maximum peccatum.*
12 *Auaritia qua ratione dicatur peccatum insanabile.*
13 *Auaritia propriè non est in Dæmonibus.*
Auaritia in quo sensu dicatur esse in Dæmonibus.
14 *Personæ maritimæ, & negotiatores solent esse auaræ.*
15 *Senes naturaliter sunt auari.*
Senes non excusantur à peccato auaritiæ, si debitam rationis mensuram circa diuitias excedant.
16 *Auaritia facit auaros odiosos.*
17 *Non accipere ab aliquo est in se laudabile.*
Quòd auarus non accipiat ab alio ex causa propter quam facit, est vituperabile.
18 *Idem potest esse prodigus, & illiberalis secundùm diuersa.*

Quæritur quid sit auaritia.

1 Respondeo dicendum, quòd auaritia secundùm quòd est ex prima sui nominis impositione significat inordinatam cupiditatem pecuniarum; dicitur enim auarus quasi auidus æris, vt Isidorus dicit in lib. Ethymologiarum, & huic consonat, quod in Græco Auaritia Phylargiria nominatur, quasi amor argenti. q.13.de malo.a.1. in corp.

Quæritur an auaritia sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd in quibuscunque bonum consistit in debita mẽsura, necesse est, quòd per excessum, vel diminutionem illius mensuræ malũ proueniat, in omnibus autem, quæ sunt propter finem bonum consistit in quadam mensura, nam ea, quæ sunt ad finem, necesse est commensurari fini, sicut medicina sanitati; vt patet per Phylosophum in 1. Politicorum cap.6. Bona autem exteriora habent rationem vtilium ad finem, vnde necesse est, quòd bonum hominis circa ea consistat in quadam mensura, dum scilicet homo secundùm aliquam mensuram quærit habere exteriores diuitias, prout sunt necessariæ ad vitam eius secundùm suam conditionem; & ideo in excessu huius mensuræ consistit peccatũ, dum scilicet aliquis supra debitum modũ vult eas acquirere vel retinere, ꝙ pertinet ad rationẽ auaritię, q̃ diffinitur esse inordinatus amor habendi; vnde patet, quòd

stunt; & ideo vt in pluribus verificantur, quæ pronunciantur de actibus hominum secundùm considerationem cœlestium corporum, sed tamen vt Ptolomæus dicit in Centiloquio, Sapiens dominabitur astris, scilicet quia resistens passionibus impedit per voluntatem liberam, & nequaquam motui cœlesti subiectam huiusmodi cœlestium corporum effectus, vel vt Augustinus dicit 3. super Genesim ad litteram cap. 17. Fatendum est, quando ab Astrologis vera dicũtur instinctu quodam altissimo dici, quem nescientes humanę mentes patiuntur, quòd cum ad decipiendum homines fit, spirituum seductorum operatio est. p. 2. quæst. 9. art. 3. ad 3.] p. p. quæst. 15. art. 4.] quæst. 7. de Verit. art. 10. ad 7.] 2. sent. d. 7. quæst. 2. art. 2. in corp.] d. 25. art. 2. ad 5.

Quæritur quare Medici diuinant frequenter passiones hominum.

3 Respondeo dicendum, quòd Medici iudicant aliquem esse inuidum, vel tristem, vel lasciuum, vel aliquid huiusmodi, quorum iudicia frequenter vera sunt eo quod vt in pluribus ratio passionibus succumbit, & ab eis deducitur, quamuis non de necessitate, eo quòd ratio imperium super passiones habet. 2. sent. d. 15. q. 1. a. 3. ad 4.] 3. contra gentes cap. 84.

ASTVTIA.

1 *Quid sit peccatum astutiæ.*
2 *Officia astutiæ, & dolus quæ sint.*
3 *Astutia aliquando sumitur in bono.*
Astutia propriè sumitur in malo.
4 *Fraus pertinet ad astutiam.*

Quæritur quid sit astutia, & quomodo opponatur prudentiæ.

1 Respondeo dicendum, quòd prudentia est recta ratio agibilium, sicut scientia recta ratio scibilium: contingit autem contra rectitudinem scientiæ dupliciter peccari in speculatiuis, vno quidem modo quando ratio inducitur ad aliquam conclusionem falsam, quæ apparet vera; alio modo ex eo quòd ratio procedit ex aliquibus falsis, quæ videntur esse vera, siue sint ad conclusionem veram, siue ad conclusionem falsam: ita etiam aliquod peccatum potest esse contra prudẽtiam habens aliquam similitudinem eius dupliciter, vno modo quia studium rationis ordinatur ad finem, qui non est verè bonus, sed apparens, & hoc pertinet ad prudentiam carnis, alio modo inquantũ aliquis ad finem consequendum, vel ad bonum, vel ad malum vtitur nõ veris vijs, sed simulatis, & apparẽtibus, & hoc pertinet ad peccatum astutię, vnde est quoddam peccatum prudentiæ oppositum, & à prudentia carnis distinctum. 2. 2. q. 55. a. 3. in corp.] q. 111. a. 3. ad 2.

Quæritur in quo consistat astutia, & dolus.

2 Respondeo dicendum, quòd ad astutiam pertinet assumere vias nõ veras, sed simulatas, & apparentes ad aliquem finẽ prosequendum vel bonum, vel malum; assumptio autem harum viarum potest dupliciter considerari, vno quidem modo in ipsa excogitatione viarum huiusmodi, & hoc propriè pertinet ad astutiam, sicut etiam excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam; alio modo potest considerari talium viarum assumptio secundùm executionem operis; & secundùm hoc pertinet ad dolũ; & ideo dolus importat quãdam executionem astutiæ, & secundùm hoc ad astutiam pertinet. 2. 2. q. 55. a. 4. in corp.

Quæritur an astutia aliquãdo sumatur in bono.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in 4. contra Iulianum cap. 3. sicut prudentia abusiuè quandoque in malo

malo accipitur, ita etiam astutia quãdoque in bono; & hoc propter similitudinẽ vnius ad alterum; propriè tamen astutia in malo accipitur, sicut & Phylosophus dicit in 6.Eth.cap.11.2.2.q.55.a.3.ad 1.

Quæritur quomodo fraus pertineat ad astutiam.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut dolus consistit in executione astutiæ, ita etiam & fraus; sed in hoc differre videtur, quòd dolus pertinet vniuersaliter ad executionem astutiæ, siue fiat per verba, siue per facta; fraus autem magis propriè pertinet ad executionem astutię, secundũ quòd fit per facta.2.2.q.55.a.5.in corp.

AVARITIA.

1 *Quid sit auaritia.*
Quid sibi velit nomen auaritiæ.
2 *Auaritia est peccatum.*
3 *Auaritia sumitur dupliciter.*
Quæ auaritia sit speciale peccatum.
4 *Auaritia quando sit peccatum mortale, & quando veniale.*
5 *Auaritia est peccatum in Deum, in proximum, & in seipsum.*
6 *Auaritia est peccatum spirituale.*
7 *Auaritia quomodo sit media inter peccata corporalia, & spiritualia.*
8 *Auaritia opponitur liberalitati, et iustitiæ.*
9 *Auaritia est vitium capitale.*
Auaritiæ septem filiæ, & quæ.
10 *Auaritiæ species quæ sint.*
11 *Auaritia non est simpliciter maximum peccatum.*
12 *Auaritia qua ratione dicatur peccatum insanabile.*
13 *Auaritia propriè non est in Dæmonibus.*
Auaritia in quo sensu dicatur esse in Dæmonibus.
14 *Personæ maritimæ, & negotiatores solent esse auaræ.*
15 *Senes naturaliter sunt auari.*
Senes non excusantur à peccato auaritiæ, si debitam rationis mensuram circa diuitias excedant.
16 *Auaritia facit auaros odiosos.*
17 *Non accipere ab aliquo est in se laudabile.*
Quòd auarus non accipiat ab alio ex causa propter quam facit, est vituperabile.
18 *Idem potest esse prodigus, & illiberalis secundùm diuersa.*

Quæritur quid sit auaritia.

1 Respondeo dicendum, quòd auaritia secundùm quòd est ex prima sui nominis impositione significat inordinatam cupiditatem pecuniarum; dicitur enim auarus quasi auidus æris, vt Isidorus dicit in lib. Ethymologiarum, & huic consonat, quod in Græco Auaritia Phylargiria nominatur, quasi amor argenti, q.13.de malo.a.1. in corp.

Quæritur an auaritia sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd in quibuscunque bonum consistit in debita mẽsura, necesse est, quòd per excessum, vel diminutionem illius mensuræ malũ proueniat, in omnibus autem, quæ sunt propter finem bonum consistit in quadam mensura, nam ea, quæ sunt ad finem, necesse est commensurari fini, sicut medicina sanitati; vt patet per Phylosophum in 1. Politicorum cap.6. Bona autem exteriora habent rationem vtilium ad finem, vnde necesse est, quòd bonum hominis circa ea consistat in quadam mensura, dum scilicet homo secundùm aliquam mensuram quærit habere exteriores diuitias, prout sunt necessariæ ad vitam eius secundùm suam conditionem; & ideo in excessu huius mensuræ consistit peccatũ, dum scilicet aliquis supra debitum modũ vult eas acquirere, vel retinere, ꝙ pertinet ad rationẽ auaritię, ꝗ diffinitur esse inordinatus amor habendi: vnde patet, quòd

quòd auaritia eſt peccatum.2.2.q.118.a.1.in corp.] p.p.q.63.a.2.ad 2.

Quæritur an auaritia ſit ſpeciale peccatum.

3 Reſpondeo dicendum, quòd peccata ſortiuntur ſpeciem ſecundùm obiecta; obiectum autem peccati eſt illud bonum, in quod tendit inordinatus appetitus, & ideo vbi eſt ſpecialis ratio boni, quod inordinatè appetitur, ibi eſt ſpecialis ratio peccati; alia autem eſt ratio boni vtilis, & boni delectabilis:diuitiæ autem ſecundùm ſe habent rationem vtilis; ea enim ratione appetuntur inquantum in vſum hominis cedunt; & ideo ſpeciale quoddã peccatum eſt auaritia ſecundùm quòd eſt inordinatus amor habendi poſſeſſiones, quæ nomine pecuniæ deſignãtur, ex qua deſumitur auaritiæ nomen; verùm quia verbum habendi ſecundùm primariam impoſitionem ad poſſeſſiones pertinere videtur, quarum ſumus totaliter domini, ad multa alia deriuatur, ſicut dicitur homo habere ſanitatem, vxorem, veſtimentum,& alia huiuſmodi, vt patet in prædicamentis; per conſequens etiam & nomẽ auaritiæ ampliatum eſt ad omnem immoderatum appetitum habendi quamcunque rem, ſicut Gregorius dicit in hom.6. in Euang.quòd auaritia eſt non ſolùm pecuniæ, ſed etiam ſcientiæ,& altitudinis, cum ſupra debitum modum ſublimitas ambitur; & ſecundùm hoc auaritia non eſt ſpeciale peccatum: hoc etiam modo loquitur Auguſtinus in lib.de libero arbitrio;Auaritia,quæ Græcè Phylargiria dicitur,non in ſolo argento,vel in nummis, ſed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur,intelligenda eſt.2.2.q.118.a.2. in corp.]q.13.de malo,a 1.in corp.

Quæritur quando auaritia ſit peccatũ mortale.

4 Reſpondeo dicendum,quòd auaritia dupliciter dicitur, vno modo ſecundùm quòd opponitur iuſtitiæ, & hoc modo ex genere ſuo eſt peccatũ mortale: ſic enim ad auaritiam pertinet,quòd aliquis iniuſtè accipiat,vel retineat res alienas,quod pertinet ad rapinam, vel furtum,quæ ſũt peccata mortalia;contingit autem in hoc genere auaritiæ aliquid eſſe peccatum veniale propter imperfectionem actus.Alio modo poteſt accipi auaritia ſecundũ qđ opponitur liberalitati, & ſecundùm hoc importat inordinatum amorem diuitiarum. Si ergo intantum amor diuitiarum creſcat,quòd præferatur charitati,vt ſcilicet propter amorem diuitiarum aliquis non vereatur facere cõtra amorem Dei, & proximi, ſic auaritia erit peccatũ mortale; ſi autem inordinatio amoris intra hoc ſiſtat, vt ſcilicet homo quamuis ſuperfluè diuitias amet,non tamen præfert earum amorem amori Diuino, vt ſi propter diuitias non velit aliquod facere cõtra Deum,& proximum, ſic auaritia eſt peccatum veniale. 2.2. q.118.a.4.in corp.

Quæritur an auaritia ſit peccatum in Deum, in proximum, in ſeipſum.

5 Reſpondeo dicendum, quòd auaritia poteſt importare immoderantiam circa res exteriores dupliciter, vno modo immediatè quantum ad acceptionem, vel conſeruationem ipſarum, vt ſcilicet homo plus debito eas acquirat, vel conſeruet, & ſecundùm hoc eſt directè peccatũ in proximum, quia in exterioribus diuitijs non poteſt vnus homo ſuperabundare,niſi alter deficiat, quia bona temporalia non poſſunt ſimul poſſideri à multis; alio modo poteſt importare immoderantiam circa interiores affectiones, quas quis ad diuitias habet, puta quòd immoderatè aliquis diuitias amet, aut deſideret, aut delectetur in eis; & ſic auaritia eſt peccatum hominis in ſeipſum, quia per hoc deordinatur eius affectus, licet non deordinetur corpus ſicut per media carna-

carnalia, ex consequenti autem est peccatum in Deum, sicut & omnia peccata mortalia, inquantum homo propter bonum temporale contemnit æternum. 2. 2. q. 118. a. 1. ad 2. & 3. ad 1.

Quæritur an auaritia sit peccatum spirituale.

6 Respondeo dicendum, quòd peccata præcipuè in affectu consistunt, omnes autem affectiones animæ, siue passiones, terminantur ad delectationes, & tristitias, vt patet per Phylosophum in 2. Eth. cap. 5. delectationum autem quædam sunt carnales, & quædam spirituales; carnales quidem delectationes dicuntur, quæ in sensu carnis complentur, sicut delectationes ciborum, & venereorum; delectationes verò spirituales dicuntur, quæ complentur in sola animæ apprehensione: illa ergo peccata dicuntur carnalia, quæ perficiuntur in delectationibus carnalibus, illa verò dicuntur spiritualia, quæ perficiuntur in spiritualibus delectationibus absque carnali delectatione, & huiusmodi est auaritia; delectatur enim auarus in hoc, qđ considerat se possessorem diuitiarum, & ideo auaritia est peccatum spirituale. 2. 2. q. 118. a. 6. in corp.

Quæritur quomodo auaritia sit media inter peccata spiritualia, & carnalia.

7 Respondeo dicendum, quòd auaritia circa corporale obiectum non quærit delectationem corporalem, sed solùm animalem, prout scilicet homo in hoc delectatur, quòd diuitias possideat, & ideò nō est peccatum carnale; ratione tamen obiecti medium est inter peccata purè spiritualia, quæ quærunt delectationem spiritualem circa obiecta spiritualia; sicut superbia est circa excellentiam, & vitia purè carnalia, quę quęrunt delectationem purè corporalem circa obiectum corporale. 2. 2. quęst. 118. art. 6. ad 1. 1. p. 2. quęst. 72. ar. 2. ad 4.) 4. sent. d. 15. q. 1. ar. 4. quęst. 3. ad 2.

Quæritur quomodo auaritia opponatur iustitia, & liberalitati.

8 Respondeo dicendum, quòd auaritia importat immoderantiam quandam circa diuitias dupliciter, vno modo immediatè circa acceptionem, & conseruationem diuitiarum inquantum scilicet aliquis acquirit pecuniam vltra debitum aliena surripiendo, vel retinendo, & sic opponitur iustitię, & hoc modo accipitur auaritia Ezech. 22. vbi dicitur, Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prędam ad effundendum sanguinem, & auara lucra sectanda: alio modo importat immoderantiam circa interiores affectiones diuitiarum, puta cū quis nimis amat, vel desiderat diuitias, aut nimis delectatur in eis, etiam si nolit rapere aliena: & hoc modo auaritia opponitur liberalitati, quę moderatur huiusmodi affectiones, & sic accipitur auaritia 2. ad Corinth. 9. præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, & sic quasi benedictionem, non quasi auaritiam; Glosa scilicet vt doleant pro dato, & parum sit quod dent. 2. 2. q. 118. a. 3. in corp.

Quæritur an auaritia sit vitium capitale.

9 Respondeo dicendum, quòd vitium capitale dicitur, quod habet aliquē principalem finem, ad quem nata sunt multa ordinari, & sic secundùm originem causę finalis ex tali vitio multa alia oriuntur, finis autem totius humanę vitę est beatitudo, quam omnes appetunt, vnde inquantum in rebus humanis est aliquid participans quamcunque beatitudinis conditionem verè, vel apparenter, habet principalitatem quandam in genere finium: sunt autem tres conditiones fœlicitatis secundum Phylosophum in 1. Eth. scilicet, quòd

sit

sit quoddam perfectum bonum, & per se sufficiens, & cum delectatione; intantum autem aliquod bonum videtur esse perfectum, inquantum excellentiam quandam habet; & ideo excellentia videtur esse quoddam principaliter appetibile: & secundùm hoc superbia, vel inanis gloria ponitur vitium capitale; in rebus autem sensibilibus maxima delectatio est circa tactum in cibis, & venereis; & ideo gula, & luxuria ponuntur vitia capitalia; sufficientiam autem bonorum temporalium maximè promittunt diuitię, vt Boetius dicit in 2.& 3.de Consol.vnde etiam auaritia,quę est inordinatus appetitus debet poni vitium capitale, cuius ponit Gregorius 31. Moralium septem filias, quæ sunt proditio, fraus,fallacia,periuria,inquietudo, violentię,& contra misericordiam obduratio: quarum distinctio sic accipi potest; ad auaritiam enim pertinēt duo, quorum vnum est superabundare in retinendo; & ex hac parte ex auaritia oritur obduratio contra misericordiam,siue inhumanitas, quia videlicet obdurat cor suū auarus, ne alicui misericorditer subueniat; aliud autem ad auaritiam pertinens est,quod superabundat in accipiendo, & secundùm hoc auaritia dupliciter considerari potest, primò quidem secundùm quòd est in corde auari, & sic ex ea oritur inquietudo, quia ingerit homini sollicitudines,& curas superfluas; auarus enim adimpletur pecunia, vt dicitur Eccles.3. Secundò verò considerari potest, prout est in executione operis:& sic in acquirendo aliena vtitur quandoque quidem vi, & sic sunt violentiæ; quandoque autem dolo, qui quidem si fiat verbo erit fallacia in simplici verbo, quo quis decipit alium ad lucrandum:in verbo verò iuramento confirmato erit periurium; si autem dolus committatur in opere, sic in rebus quidem erit fraus, quātum ad personas autem proditio, sicut patet de Iuda, qui propter auaritiam factus est proditor Christi. q.13.de malo.a.3.in corp.] 2.2.q.118.a.8.in corp.] & a.7.in corp.)de malo.q.8.a.1.in corp. ad 8.) 2.sent. d.42. q.2.a.3.in corp.

Quæritur quænam sint auaritiæ species.

10 Respondeo dicendum,quòd illa, quę ponit Arist. in 4.Eth. cap.1. pertinentia ad auaritiam,quam nominat illiberalitatem, videlicet parcos, tenaces, chimibiles, illiberales, operationes operantes, & de meretricio pastos,& vsurarios, aleatores,& mortuorum spoliatores,& latrones, sunt illiberalitatis,& auaritiæ species magis quàm filiæ; potest enim aliquis dici illiberalis, vel auarus ex eo, quòd deficit in dando, etsi quidem parum dat, vocatur parcus; si autem nihil,tenax: si cum magna difficultate det, vocatur chimibilis, quasi chimini venditor, quia de paruis magnam vim facit:quandoque autem aliquis dicitur illiberalis, vel auarus,quia excedit in accipiendo, & hoc dupliciter, vno modo quia turpiter lucratur, vel vilia, vel seruilia opera exercendo per illiberales operationes; vel quia de aliquibus vitiosis actibus lucratur, sicut de meretricio,vel de aliquo huiusmodi; vel quia lucratur de eo, quod gratis oportet concedere, sicut vsurarij; vel quia lucratur parua cum magno labore; alio modo,qui iniustè lucratur vel viuis vim inferendo, sicut latrones; vel mortuos spoliando, vel ab amicis auferendo,sicut aleatores.2.2. q.118.a.8.ad 4.]4.Eth.lec.4.

Quæritur an auaritia sit maximum peccatorum.

11 Respondeo dicendum, quòd omne peccatum ex hoc ipso, quòd est malum, consistit in quadam corruptione,siue priuatione alicuius boni; inquantum autem est voluntarium, consistit in appetitu alicuius boni:dupliciter ergo ordo peccatorum

rum

rum poteſt attendi, vno modo ex parte boni, quod per peccatum contemnitur, vel corrumpitur, quod quanto maius eſt, tanto peccatum grauius eſt, & ſecũdũm hoc peccatum, quod eſt contra Deum eſt grauiſſimum, & ſub hoc eſt peccatũ, quod eſt contra perſonam hominis, ſub quo eſt peccatum, quod eſt contra res exteriores, quæ ſunt ad vſum hominis deputatæ, quod videtur ad auaritiã pertinere: alio modo poteſt attendi gradus peccatorum ex parte boni, cui inordinatè ſubditur appetitus humanus; quod quanto minus eſt, tanto peccatum eſt deformius; turpius eſt enim ſubeſſe inferiori bono, quàm ſuperiori. bonum autem exteriorum rerum eſt infimum inter humana bona; eſt etiam minus, quàm bonum corporis, quod etiã minus eſt, quàm bonum animæ, quod exceditur à bono Diuino. & ſecundùm hoc peccatum auaritiæ, quo appetitus humanus ſubijcitur etiam exterioribus rebus, habet quodammodo deformitatem maiorem: quia tamen corruptio, vel priuatio boni formaliter ſe habet in peccato; cõuerſio autem ad bonum cõmutabile materialiter, magis eſt iudicanda grauitas peccati ex parte boni, quod corrumpitur, quàm ex parte boni, cui ſubijcitur appetitus. & ideo dicendum eſt, quòd auaritia non eſt ſimpliciter maximum peccatorum. 2.2. quæſt. 118. a. 5. in corp.] ſuper Pſalm. 11.

Quæritur qua ratione auaritia dicatur peccatum inſanabile.

12 Reſpondeo dicendum, quòd aliter eſt inſanabile peccatum in Spiritum Sanctum, & aliter auaritia: nam peccatum in Spiritum Sanctum eſt inſanabile ex parte contemptus, puta quia homo contemnit vel miſericordiam, vel iuſtitiam Diuinã, aut aliquod horum, per quæ hominis peccata ſanantur. & ideo talis inſanabilitas pertinet ad maiorem grauitatem peccati: auaritia verò habet inſanabilitatem ex parte defectus humani, in quem ſcilicet ſemper procedit humana natura, quia quo aliquis eſt magis deficiens, eo magis indiget adminiculo exteriorum rerum: & ideo magis in auaritiam labitur, vnde per talem inſanabilitatem nõ oſtenditur peccatum eſſe grauius, ſed quodãmodo per hoc eſſe periculoſius. 2.2. q. 118. a. 5. ad 3.] q. 119. a. 3. in corp.] q. 13. de malo a. 2. ad 8.

Quæritur an auaritia ſit in Dæmonibus.

13 Reſpondeo dicendum, quòd auaritia ſecundùm quòd eſt ſpeciale peccatũ, eſt immoderatus appetitus rerum temporalium, quæ veniunt in vſum vitæ humanæ quæcunque pecunia æſtimari poſſunt; & ad iſta non afficiuntur Dæmones, ſicut nec ad delectationes carnales: vnde auaritia propriè ſumpta in eis eſſe non poteſt. Sed ſi auaritia dicatur omnis immoderata cupiditas habendi quodcunque bonum creatum, ſic auaritia continetur in ſuperbia, quæ eſt in Dæmonibus. p.p. q. 63. a. 2. ad 2.) 2.2. q. 118. art. 2. in corp.) art. 5. ad 2.

Quæritur quinam ſoleant eſſe auari.

14 Reſpondeo dicendum, quòd habitantes in maritimis, & intenti mercationibus conſueuerunt eſſe auari. lect. 3. cap. 11. 2. ad Corinthios.

Quæritur an ſenes, qui naturaliter ſunt auari, excuſentur à peccato.

15 Reſpondeo dicendum, quòd inclinationes naturales ſunt regulandæ ſecundùm rationem, quæ principatum tenet in natura humana; & ideo quamuis ſenes propter naturæ defectum auidius exteriorum rerum inquirant ſubſidia, ſicut & omnis indigens quærit ſuæ indigentiæ ſupplementum, non tamen à peccato excuſan-

causantur, si debitam rationis mensuram circa diuitias excedant. 2.2.q.118.a.1.ad 3.) q.119.a.3.in corp.

Quaritur quem effectum faciat auaritia.

16 Respondeo dicendum, quòd auaritia odiosos facit alijs, non autem sibi ipsi; quinimmò causatur ex inordinato sui amore, secundùm quem de bonis temporalibus plus sibi aliquis vult, quàm debeat. p.2.q.29.a.4.ad 3.

Quaritur an auarus bene faciat non accipiendo ab alijs.

17 Respondeo dicendum, quòd auarus abstineat ab accipiendis alienis, etsi in se laudabile videatur, tamen ex causa propter quam facit, vituperabile est, dum ideo non vult ab alijs accipere, ne cogatur alijs dare. 2.2.q.119.a.3.ad 2.

Quaritur an idem possit esse prodigus, & illiberalis.

18 Respondeo dicendum, quòd prodigus, & illiberalis potest esse aliquis secundùm diuersa, vt scilicet sit aliquis illiberalis in accipiendo, quæ non debet, & prodigus in dando, quæ non debet: nihil autem prohibet contraria inesse eidem secundùm diuersa. p.2.q.72.a.8.ad 3.

Quaritur an auaritia sit maius peccatum, quàm prodigalitas.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Prodigalitas, q.5.

Quaritur an ex auaritia oriatur prodigalitas.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Prodigalitas, q.6.

AVDACIA.

1 *Audacia quid respiciat.*
2 *Audacia est subiectiuè in irascibili.*
3 *Audacia est peccatum, si sit sine moderamine rationis.*
4 *Audacia opponitur virtuti fortitudinis.*
5 *Audacia vnde causetur.*
6 *Quæ audacia sit laudabilis.*

Quaritur an audacia respiciat malum.

1 Respondeo dicendum, quòd audacia licèt sit circa malum, cui cõiunctum est bonum victoriæ secundùm æstimationem audaciæ, tamen respicit malum: bonum verò adiunctum respicit spes; & similiter desperatio respicit bonum directè, quod refugit; malum verò adiunctum respicit timor: vnde propriè loquendo audacia non est pars spei, sed eius effectus, sicut nec desperatio est pars timoris, sed eius effectus, propter hoc etiam audacia principalis passio esse potest. p.2.q.45.a.2.ad 3.

Quaritur in quo subiectiuè sit audacia?

2 Respondeo dicendum, quòd irascibilis potentia denominatur ab ira, cum tamen in ea sint plures aliæ passiones, vt spes, & audacia, & huiusmodi. p.p. q.59. a.1. ad 2.

Quaritur quando audacia sit peccatum.

3 Respondeo dicendum, quòd audacia est quædam passio; passio autem quandoque quidem est moderata secundùm rationem, quandoque autem caret, moderatione vel per excessum, vel per defectũ; & secundùm hoc est passio vitiosa: sumuntur autem quandoque nomina passionum à superabundanti, sicut ira dicitur non quæcunque, sed superabundans, prout scilicet est vitiosa: & hoc etiam modo audacia

dacia per superabundantiam dicta ponitur esse peccatum. 2.2.q.127.a.1.in corp.

Quæritur cui virtuti opponatur audacia.

4 Respondeo dicendum, quòd ad virtutem moralem pertinet modum rationis seruare in materia, circa quam est; & ideo omne vitium, quod importat immoderantiam circa materiam alicuius virtutis moralis, opponitur illi virtuti morali, sicut immoderatum moderato; audacia autem, secundùm quòd sonat in vitium, importat excessum passionis, qui audacia dicitur; vnde manifestum est, quòd opponitur virtuti fortitudinis, quę est circa timores, & audacias. 2.2.q.127.a.2. in corp.

Quæritur ex quibus causetur audacia.

5 Respondeo dicendum, quòd audacia consequitur spem, & contrariatur timori, vnde quæcunque nata sunt causare spem, vel excludere timorem sunt causa audacię: quia verò timor, & spes, & etiam audacia cum sint passiones quędam consistunt in motu appetitus, & in quadam transmutatione corporali: dupliciter potest accipi causa audaciæ siue quantum ad prouocationem spei, siue quantum ad exclusionem timoris, vno modo quidem ex parte appetitiui motus, alio verò modo ex parte transmutationis corporalis: ex parte quidem appetitiui motus, qui sequitur apprehēsionem, prouocatur spes causans audaciam per ea, quæ faciunt nos æstimare, quòd possibile sit adipisci victoriam, vel secundum propriam potentiam, sicut fortitudo corporis, experientia in periculis, multitudo pecuniarum, & alia huiusmodi, siue per potentiam aliorum, sicut multitudo amicorum, vel quorumcunque auxiliantium, & præcipuè si homo confidat de auxilio Diuino: vnde illi, qui bene se habent ad Diuina, audaciores sunt, vt etiam Phylosophus dicit in 2. Rethor. cap. 5. Timor autem excluditur secundùm istum modum per remotionem terribilium appropinquātium, puta quia homo non habet inimicos, quia nulli nocuit, quia non videt aliquod periculum imminere, illis enim videtur maximè pericula imminere, qui alijs nocuerunt; ex parte verò trāsmutationis corporalis causatur audacia per prouocationem spei, & exclusionem timoris, vel ex his, quæ faciunt caliditatem circa cor, vnde Phylosophus dicit in lib. 3. de partibus animal. cap. 4. quòd illi, qui habent paruum cor secundùm quantitatem sunt magis audaces, & animalia habentia magnum cor secundùm quantitatem sunt timida, quia calor naturalis non tantum potest calefacere magnum cor, sicut paruū, sicut ignis non tantum potest calefacere magnam domum, sicut paruam; & in lib. de Problematibus dicit, quòd habentes magnum pulmonem sanguineum sunt audaciores propter caliditatem cordis exinde consequentem; & ibidem dicit, qnòd vini amatores sunt magis audaces propter caliditatem vini; vnde & ebrietas facit ad bonitatem spei, caliditas enim cordis repellit timorem, & causant spem propter cordis extensionem, & amplificationem. p.2.q.45.a.3. in corp.

Quæritur quæ audacia sit laudabilis.

6 Respondeo dicendum, quòd audacia, quæ operatur ad velocitatem operandi intantum laudabilis est, inquantum à ratione ordinatur. 2.2.q 127.a.2.ad 2.

AVGVRIVM, AVSPICIVM.

1 *Vnde dicatur augurium, & auspicium.*
Quid sit augurium, & auspicium.
2 *Augurium, & auspicium quando licita, & illicita.*

Quæ-

Quæritur quid ſit augurium, & auſpicium.

1 RESpondeo dicendum, quòd omnis diuinatio vtitur ad præcognitionem futuri euentus aliquo Dæmonũ conſilio, vel auxilio, quod quidem vel expreſsè imploratur, vel præter intentionẽ hominis ſe occultè Dæmon ingerit ad prænunciandum futura quædam, quę hominibus ſunt ignota; eis autem cognita per modos; Diuinatio autem, quæ fit abſque expreſſa Dæmonum inuocatione in duo genera diuiditur, quorum primum eſt, quando ad præcognoſcendum futura aliquid conſideramus in diſpoſitionibus aliquarum rerum; & ſiquidem aliquis conetur futura pręnoſcere ex conſideratione ſitus, & motus ſyderum pertineret ad Aſtrologos, qui & Genethliaci dicuntur propter natalium conſiderationes dierũ. Si verò per motus, vel voces auium, ſeu quorumcunque animalium, ſiue per ſternutationes hominum, vel membrorum ſaltus, hoc pertinet generaliter ad augurium, quod dicitur à garritu auium, ſicut auſpicium ab inſpectione auium, quorum primum pertinet ad aures, ſecundum ad oculos; in auibus enim huiuſmodi præcipuè conſiderari ſolent; ſi verò huiuſmodi conſideratio fiat circa verba hominum abſque intentione dicta, quę quis retorquet ad futurum, quod vult prænoſcere, hoc vocatur Omen. 2.2.q.95.a.3.in corp.] opuſcul.25.cap.5.

Quæritur quando augurium ſit ſuperſtitioſum, & illicitum.

2 Reſpondeo dicendum, quòd motus, vel garritus auium, vel quæcunque diſpoſitiones in huiuſmodi rebus conſideratæ manifeſtum eſt, quòd non ſunt cauſa futurorum euentuum, vnde ex his futura cognoſci non poſſunt ſicut ex cauſis; relinquitur ergo, quòd ſi ex eis aliqua futura cognoſcantur, hoc erit inquantum ſunt effectus aliquarum cauſarum, quæ etiam ſunt cauſantes, vel præcognoſcentes futuros euentus, cauſa autem operationum Brutorum animalium eſt inſtinctus quidam, quo mouentur motu naturali, non enim habent dominium ſui actus; hic autem inſtinctus poteſt ex duplici cauſa procedere, vno quidem modo ex cauſa corporali, cum enim Bruta animalia non habeant niſi animam ſenſitiuam, cuius omnes potentię ſunt actus corporalium organorum, ſubiacet eorum anima diſpoſitioni continentium corporum, & primordialiter cœleſtium; & ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes eſſe futurorum ſigna inquantum conformantur diſpoſitionibus corporum cœleſtium, & aeris continentis, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus. In hoc tamen duo conſiderari oportet, primum quidem vt operationes huiuſmodi non extendantur, niſi ad præcognoſcenda futura, quæ cauſantur per motus cœleſtium corporum. ſecũdò vt non extendantur niſi ad ea, quę aliqualiter poſſunt ad huiuſmodi animalia pertinere; conſequuntur enim per cœleſtia corpora cognitionem quandam naturalem, & inſtinctum ad ea, quę eorum vitæ ſunt neceſſaria, ſicut ſunt immutationes, quæ fiunt per pluuias, & ventos, & alia huiuſmodi; alio modo inſtinctus huiuſmodi cauſantur ex cauſa ſpirituali, ſcilicet vel ex Deo, vt patet in Columba ſuper Chriſtum deſcendente, & in Coruo, qui pauit Heliam, & in Cete, quę euomuit, & eiecit Ionam, vel etiam ex Dęmonibus, qui vtũtur huiuſmodi operationibus Brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus, & eadẽ ratio videtur eſſe de omnibus alijs huiuſmodi, præterquam de Ominibus: quia verba humana, quæ accipiuntur pro Omine non ſubduntur diſpoſitioni Stellarum; diſponuntur tamen ſecundùm Diuinam prouidentiam, & quandoque ſecundùm Dęmonum operationem. Sic ergo dicendum,

dum, quòd omnis huiusmodi diuinatio si extendatur vltra illud, ad quod potest pertingere secundùm ordinem naturæ, vel Diuinæ prouidentiæ, est superstitiosa, & illicita. 2.2.q.95.a.7.in corp.) opusculo 25.cap.5.

AVSTERITAS.

1 *Quid sit austeritas.*
Austeritas non tollit omnem delectationem in colloquijs.
2 *Austeritas pertinet ad affabilitatem, vel ad Eutrapeliam.*

Quæritur quid sit austeritas, & quid faciat.

1 RE spondeo dicendum, quòd austeritas est habitus secundùm quem aliqui neque afferunt alijs delectationes collocutionum, neque ab alijs recipiunt: Austeritas ergo secundùm quod ponitur virtus non omnino aufert delectationem, quæ est in colloquijs, sed aufert superabundantiam in illa, & quia maior difficultas accidit in abstinendo ab his, ideo à defectu hæc virtus nomen accepit. 3. sent. d.33.q.3.a.2.quæst.3.in corp. & ad 1.)2.2. q.168.a.4 ad 3.)143.in corp.

Quæritur ad quas virtutes pertineat austeritas.

2 Respondeo dicendum, quòd austeritas secundùm quod est virtus, non excludit omnes delectationes, sed superfluas, & inordinatas; vnde videtur pertinere ad affabilitatem, quam Phylosophus lib.4.Ethic.cap.6. amicitiam nominat; vel ad Eutrapeliam, siue iucunditatem. 2.2. quæst. 168. articulo 4. ad tertium.

BANAVSIA.

Quæritur quid sit Banausia, & cui opponatur.



REspondeo dicendum, q̃ paruo opponitur magnum; paruum aũt, & magnum relatiuè dñr. sicut autem contingit sumptũ esse paruum per comparationẽ ad opus, ita ẽt contingit sumptum esse magnũ in comparatione ad opus, vt.s.excedat proportionem, quæ esse debet sumptus ad opus sm̃ regulam rationis; vnde manifestũ est, q̃ vitio paruificentiæ, qua aliquis deficit à debita proportione expensarum ad opus, intendens minus expendere, quàm dignitas operis requirat, opponitur vitiũ, quo aliquis dictã proportionem excedit, vt.s.plus expendat, q̃ sit operi proportionatum, & hoc vitium Græcè dicitur Banausia à furno dicta, quia videlicet ad modum ignis, qui est in furno, omnia cõsumit; vel dr̃ Apyrocalia, idest sine bono igne, quia ad modum ignis omnia consumit non ꝓp bonum; vnde Latinè hoc vitium potest nominari consumptio. 2.2.q. 135.artic.2. in corp.

BAPTISMVS.

De Baptismo Ioannis. Cap. I.

1 *Baptismus Ioannis non erat Sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale.*
Baptismus Ioannis aliqualiter pertinebat ad legem Christi.
2 *Baptismus Ioannis non conferebat gratiam.*
Baptismus Ioannis præparabat ad gratiam.
3 *Examinatur sententia Magistri, an essent baptizandi baptismo Christi, baptizati baptismo Ioannis.*
Baptismus Ioannis non imprimebat caracterem.
Baptismus Christi fit in aqua, & Spiritu Sancto.

Baptizati baptiſmo Ioannis erant iterum baptizandi baptiſmo Chriſti.

Quæritur an baptiſmus Ioannis fuerit Sacramentum.

1 RESpondeo dicendum, quòd baptiſmus Ioannis non erat per ſe Sacramentum, ſed quaſi quoddam ſacramẽtale diſponens ad baptiſmum Chriſti, & ideo aliqualiter pertinebat ad legẽ Chriſti,non autem ad legem Moyſis.3.p.q.38. a.1. ad 1.

Quæritur an baptiſmus Ioannis gratiam conferret.

2 Reſpondeo dicendum, quòd tota doctrina, & operatio Ioannis præparatoria erat ad Chriſtum, ſicut miniſtri, & inferioris artificis eſt preparare materiã ad formã, q̃ inducit principalis artifex,gratia aũt conferenda erat hominibus per Chriſtum ſm̃ illud Ioannis 1.Gratia,& veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt: & ideo baptiſmus Ioannis gratiam non conferebat, ſed ſolùm ad gratiã præparabat tripliciter, vno quidẽ modo per doctrinam Ioannis inducentẽ homines ad fidẽ Chriſti; alio modo aſſuefaciendo homines ad ritũ baptiſmi;tertio modo per pęnitentiã præparando homines ad ſuſcipiendũ effectũ baptiſmi Chriſti.3.p.q.38.a.4.in corp.

Quæritur an baptizati baptiſmo Ioannis erãt iterum baptizandi baptiſmo Chriſti.

3 Reſpondeo dicendum, quòd ſecundũ opinionem Magiſtri in 3.d.4.ſent. illi,qui baptizati ſunt à Ioanne neſcientes Spiritum Sanctum eſſe,ac ſpem ponentes in illius baptiſmo poſtea baptizati ſunt baptiſmo Chriſti;illi verò,qui ſpem non poſuerunt in baptiſmo Ioannis, & Patrẽ, & Filium, & Spiritum Sanctum credebant non fuerunt poſtea baptizati,ſed impoſitione manuum ab Apoſtolis ſuper eos facta Spiritũ Sanctũ receperunt.Et hoc quidem verum eſt quantum ad primam partem, quod multis auctoritatibus confirmatur: ſed quantum ad ſecundam partẽ eſt penitus irrationabile, quod dicitur; primo quidem, quia baptiſmus Ioannis neque gratiam conferebat,neque caracterem imprimebat, ſed erat ſolùm in aqua, vt ipſemet dicit Matthæi 3. Vnde baptizatis fides,vel ſpes,quam habebant Chriſtum non poterat hunc defectũ ſupplere; ſecundo quia quando in Sacramẽto amittitur, quod eſt de neceſſitate ſacramenti non ſolũ oportet ſuppleri, quod fuerat omiſſũ,ſed oportet totaliter innouari. Eſt autem de neceſſitate baptiſmi Chriſti, ꝙ fiat non ſolùm in aqua, ſed etiam in Spiritu Sancto ſecundùm illud Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnũ Dei; vnde illis, qui tantùm in aqua baptizati erant baptiſmo Ioannis non ſolũ erat ſupplendum,ꝙ deerat(vt ſcilicet daretur eis Spiritus Sanctus per impoſitionem manuum) ſed erant iterato totaliter baptizandi in aqua,& ſpiritu. 3.p.q.38. a.6.in corp.

DE BAPTISMO CHRISTI.

De neceſſitate Baptiſmi, & de neceſſario requiſitis ad illum. Cap. II.

1 *Neceſſe fuit baptiſmum inſtitui.*
2 *Baptiſmus virtutem accepit, quando Chriſtus fuit baptizatus, & tũc fuit Sacramentum.*
Baptiſmo vtendi neceſſitas fuit indicta poſt paſſionem Chriſti,& eius reſurrectionem.
3 *Baptiſmus quando inſtitutus fuit.*
Vſus baptiſmi quando incepit.
Efficacia baptiſmi vnde fuit.
Diuulgatio baptiſm quando præcepta fuit.
4 *Baptiſmus eſt neceſſarius ſimpliciter.*
5 *Omnes homines tenentur ad baptiſmum.*

Sine

Sine baptiſmo nullus ſaluari poteſt.
6 *Aliquis poteſt ſaluari ſine baptiſmo realiter ſuſcepto, in voto tamen ſuſcepto.*
Sine baptiſmo vel in re, vel in voto ſuſcepto nullus ſaluatur.
7 *Pueri non habentes vſum rationis non poſſunt ſaluari abſque baptiſmo aquæ, vel ſanguinis.*
8 *Actus noſtri in baptiſmo ſunt diſpoſitiones ad baptiſmum.*
9 *Ad ſuſceptionem effectus baptiſmi in adulto requiritur fides, & deuotio ſuſcipientis, & quòd non accedat fictè.*
10 *Ad percipiendam gratiam in baptiſmo requiritur fides, & attritio in baptizãdo.*
11 *Ad quid requiratur cõtritio in baptizãdo.*
12 *In baptizando requiritur intentio recta, vt recipiat Sacramentũ, & rẽ Sacramenti.*
13 *Interior actus nõ eſt de neceſſitate baptiſmi.*
14 *Ad percipiendum effectum baptiſmi requiritur fictionis remotio.*
Quatuor modis dicitur aliquis fictus accedere ad baptiſmum.
15 *Fictio impedit remiſſionem peccati in baptiſmo.*
Fictio per peccatum mortale impedit totaliter remiſſionem peccatorum.
Fictio per peccatum veniale impedit remiſſionem tantùm illius venialis.
16 *Remota fictione ſtatim conſequitur effectũ baptiſmi.*
17 *Infidelitas circa alia, quàm circa Sacramẽtum baptiſmi non tollit Sacramentum.*
Infidelitas circa baptiſmum non excludens tamen intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, non tollit Sacramentum.
18 *In baptizatis duplex finis, & qui.*
Fides requiritur in baptizando adulto, vt habeat effectum baptiſmi.
Vt habeat Sacramentum non requiritur fides.
In paruulis ſufficit fides Eccleſiæ, quo ad vtrunque.
19 *Baptizati debent obligari ad ſatisfaciendũ proximis de iniurijs, & reſtituendum eis male ablata.*

Quæritur an neceſſe fuerit baptiſmũ inſtitui.

1 RESpondeo dicendum, quòd ſecundùm Hugonẽ de Sancto Victore oportuit, vt ſm̃ proceſſionem temporũ, ſpiritualium gratiarũ ſigna magis, ac magis euidentia darentur, & ideo oportuit, q̃d baptiſmus poſt circumciſionẽ inſtitueretur, quia circumciſio ſignificabat tm̃ remouendo; perfectio autem ſanctificationis non eſt in remouendo, ſed in collatione gratię, cuius effectus aqua figurat, ſ. vitam, illuminationem, & hmói, & præter hoc ſignificat ablutionem, & iterum etiã eſt perfectio quantũ ad vſum, quia ſexui vtrique cõis eſt, quod non erat de circũciſione. 4. ſent. d. 3. q. 2. a. 5. quæſt. 1. in corp.] q. 28. de Veritate a. 2. ad 12.] 3. p. q. 70. a. 4. in corp.] 4. ſent. d. 1. q. 2. a. 4. quæſtiunc. 1. in corp.

Quæritur quando fuerit inſtitutus baptiſmus.

2 Reſpondeo dicendum, quòd Sacramẽta ex ſui inſtitutione habent, quod conferant gratiam, vnde tunc videtur aliquod Sacramentum inſtitui, quando accipit virtutem producendi ſuum effectum; hanc autem virtutem accepit baptiſmus quando Chriſtus eſt baptizatus, vnde tunc verè baptiſmus fuit quantum ad ipſum Sacramentum, ſed neceſſitas vtendi hoc Sacramẽto indicta fuit hominibus poſt paſſionem, & reſurrectionem, tũ quia in paſſione Chriſti terminata ſunt figuralia Sacramenta, quibus ſuccedit baptiſmus, & alia Sacramenta nouæ Legis; tum etiam, quia per baptiſmum configuratur homo paſſioni, & reſurrectioni Chriſti, inquantum moritur peccato, & incipit nouam iuſtitiæ vitam, & ideo oportuit Chriſtum prius pati, & reſurgere, quàm hominibus indiceretur neceſſitas ſe configurandi morti, & reſurrectioni eius. 3. p. q. 66. a. 2. in corp.] 4. ſent. d. 3. artic. 5. quæſtiunc. 3. in corp.

Quaeritur quando inceperit vsus baptismi, à quo habeat efficaciam, & quando eius praedicatio fuerit praecepta.

3 Respondeo dicendum, quòd multiplex fuit baptismi institutio; fuit enim primò institutus quantum ad materiam in baptismo Christi; tunc enim vim regeneratiuam aquis contulit,& aliquo modo fuit forma figurata per praesentiam triũ Personarum in signo visibili, quia Pater apparuit in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in Columba; & similiter fructus Baptismi ibi praefiguratus fuit, quia Coeli aperti sunt super eum; sed necessitas eius fuit declarata Ioannis 3. vbi dicit, Nisi quis renatus &c. sed vsus fuit inchoatus, quando misit discipulos ad praedicandũ, & baptizandum, vt patet Matthaei 10. sed efficaciam habuit ex passione Christi, quantum ad vltimum effectum, qui est apertio ianuae; sed diuulgatio eius quantum ad omnes nationes praecepta fuit Matthaei vltimo, vbi dixit, Euntes docete omnes gentes &c. 4. sent. distinct. 3. art. 5. quaestiunc. 2. in corp.] 3. p. quaest. 73. art. 5. ad quartum.

Quaeritur an baptismus sit necessarius simpliciter.

4 Respondeo dicendum, quòd necessarium respectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter, vno modo sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitae humanae,& hoc est simpliciter necessarium ad finem; alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita conuenienter, sicut equus necessarius est ad iter; hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria Sacramenta necessaria, duo quidem personae singulari; Baptismus quidem simpliciter, & absolutè; Poenitentia autem supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiae, quia vbi non est gubernator, populus corrueret, vt dicitur Prouerb. 11. Sed secundo modo sunt necessaria alia Sacramenta; nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum, Extrema vnctio Poenitentiam, Matrimonium verò Ecclesiae multitudinem per propagationem conseruat. 3. p. q. 65. a. 4. in corp.

Quaeritur an omnes teneantur ad susceptionem Baptismi.

5 Respondeo dicendum, quòd ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt; manifestum est autem, quòd nullus potest salutem consequi nisi per Christum; vnde & Apostolus dicit Romanorum 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam omnes homines in iustificationem vitae. Ad hoc autem datur Baptismus, vt aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo factus membrum ipsius, vnde dicitur Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Vnde manifestum est, quòd omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus. 3. p. quaest. 68. artic. 1. in corp.] quaest. 70. artic. 2. ad 3.) quaest. 84. a. 5. in corp.

Quaeritur an aliquis possit sine baptismo saluari.

6 Respondeo dicendum, quòd Sacramentum Baptismi dupliciter alicui potest deesse, vno modo & re, & voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, quod manifestè ad contemptũ Sacramenti pertinet quantũ ad illos, qui habent vsũ liberi arbitrij; & iõ hi, qb' hoc modo deest baptismus salutẽ cõ-

ſequi non poſſunt, quia nec ſacramentaliter, nec mentaliter Chriſto incorporantur, per quem ſolum eſt ſalus; alio modo poteſt Sacramentum Baptiſmi alicui deeſſe re, ſed non voto, ſicut cum aliquis caſu præuenitur morte antequam Baptiſmum ſuſcipiat, & talis ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operantem, per quā Deus interius hominem ſanctificat, cuius potentia ſacramentis viſibilibus non alligatur; vnde Ambroſius dicit de Valentiniano, qui Cathecumenus mortuus fuit, quem regeneraturus eram, amiſi, veruntamen ille gratiam, quam popoſcit, non amiſit. 3.p.q.68.a.2.in corp.

Quæritur an pueri in deſerto nati poſſint ſaluari abſque baptiſmo in fide parentum.

7 Reſpondeo dicendum, quòd in pueris nondum habentibus vſum rationis nō poteſt eſſe motus fidei, & dilectionis, aut propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, & ideo non poſſunt ſaluari, niſi per Baptiſmum aquæ, vel per baptiſmū ſanguinis, ſi propter Chriſtum occidantur, ex quo nō ſolùm Chriſtiani, ſed etiā martyres fiunt, vt Auguſtinus dicit de Innocentibus, & ſic patet, quòd puer in deſerto moriens ſine baptiſmo ſalutem non conſequitur. Quodlibeto 6 a.4.in corp.

Quæritur quomodo actus noſtri ſe habeant in baptiſmo.

8 Reſpondeo dicendum, quòd etſi ſit aliquis actus noſter in baptiſmo ille non eſt de eſſentia baptiſmi, ſed diſpoſitio ad baptiſmum. 4. ſent. diſtinct. 16. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiunc. 1. ad ſecundum.] diſtinct. 34. artic. 4. ad ſecundum.

Quæritur quid requiratur in adulto baptizando, vt baptiſmi percipiat effectum.

9 Reſpondeo dicendum, quòd quando adultus baptizatur non ſolùm requiritur ad percipiendum baptiſmi effectum remouens prohibens, ſcilicet fictionem, ſed etiam requiritur diſpoſitio quaſi materialis, ſcilicet deuotio, & fides recipientis baptiſmum, & ſecundùm quòd magis, vel minus inuenitur diſpoſitus effectum baptiſmi diuerſimodè conſequitur. 4. ſent. d.4.q.2.a.3. quæſtiunc.2.ad 2.

Quæritur quid requiratur in baptizando, vt recipiat gratiam.

10 Reſpondeo dicendum, quòd ad hoc, quòd homo preparet ſe ad gratiam in baptiſmo percipiendam præexigitur fides, ſed non charitas, quia ſufficit attritio præcedens, etſi non contritio. 4. ſent. d.6.q.1. a.3.quæſt.1.ad 5.

Quæritur ad quid requiratur contritio in baptizando.

11 Reſpondeo dicendum, quòd baptiſmus non requirit contritionē quaſi cōcauſam ad deſtructionem peccati actualis, quaſi de ſe ad hoc non ſufficiat, ſed ſolùm ad remouendam fictionem, quæ eſt contraria diſpoſitio impediens effectum baptiſmi. 4. ſent. d.4.q.2.art.1.quæſtiunc.1. ad 1.] d.6.q.1.a.2.quæſt.3.in corp.] d.7.q. 1.a.2.quæſtiunc.1.in corp.] d.16.q.1.ar.2. queſt.1. in corp.] d.18.q.1.a 3.quæſtiunc. 1.in corp.

Quæritur an ſit neceſſaria recta intentio in baptizando.

12 Reſpondeo dicendum, quòd rectum eſt, cuius medium non exit ab extremis: Sacramentum autem baptiſmi eſt, quo mediante acquiritur effectus Baptiſmi

in anima baptizati; vnde tunc eſt recta intentio, quando baptizans, ſeu baptizatus Sacramentum ordinat ad effectum ſacramenti, qui eſt ſalus; ſi ergo intentio adſit in baptizante, quia intendit Sacramentum conferre, ſed deſit rectitudo, quia ordinat Sacramentum ad finem indebitum, non propter hoc in recipiente impeditur perceptio Sacramenti, quia adhoc fertur intentio baptizantis, neque effectus Sacramenti, quia mundatio interior à miniſtro non eſt, vnde eius intentio ad hoc nihil facit: ſi autem in baptizato ſit intentio percipiendi Sacramentum, ſed deſit rectitudo intentionis, recipit quidem, quod intendit, Sacramentum, ſed non rem Sacramenti, quia obicem per prauam intentionem Spiritui Sancto ponit. 4.ſent.d.6.q.1.a.2.quæſt.2.in corp.

Quæritur an actus interior ſit de neceſſitate Sacramenti.

13 Reſpondeo dicendum, quòd interior actus non eſt de neceſſitate baptiſmi, aliàs pueri non poſſent baptizari. 4.ſent. d.14. in expoſitione litteræ.

Quæritur an ſit neceſſe remouere fictionem, vt percipiatur effectus Baptiſmi.

14 Reſpondeo dicendum, quòd Damaſcenus dicit, Deus non cogit hominem ad iuſtitiam, & ideo ad hoc, quòd aliquis iuſtificetur per Baptiſmũ requiritur, quòd voluntas hominis amplectatur Baptiſmũ, & Baptiſmi effectum: dicitur autem aliquis fictus per hoc, quòd voluntas eius cõtradicit vel Baptiſmo, vel eius effectui, nã ſecundùm Auguſtinum quattuor modis dicitur aliquis fictus, vno modo ille, qui non credit, cum tamen Baptiſmus ſit fidei Sacramentum; alio modo per hoc, quòd contemnit ipſum Sacramentum; tertio modo per hoc, quòd aliter celebrat Sacramentum non ſeruans ritum Eccleſiæ; quarto modo per hoc, quòd aliquis indeuotè accedit; vnde manifeſtum eſt, quòd fictio impedit effectum Baptiſmi. 3.p.q.69.a.9.in corp.

Quæritur an fictio impediat remiſſionem peccatorum.

15 Reſpondeo dicendum, quòd quantum eſt de ſe Baptiſmus tollit omnem culpam originalem, & actualem non ſolùm mortalem, ſed venialem, quę quamuis nõ contrarietur gratiæ ſimpliciter, contrariatur tamen gratiæ baptiſmali, quæ debet eſſe perfecta ratione nouitatis vitæ, ſed poteſt impediri effectus eius ex parte recipientis, ſi ſit indiſpoſitus per fictionẽ, ſed cum fictio ſit peccatum, ſicut peccatũ mortale eſt peccatum ſimpliciter, ita facit fictum ſimpliciter, & totaliter effectũ Baptiſmi impedit quantum ad remiſſionem culpę, ſed peccatum veniale, quod in actu, vel in potentia eſt, facit fictum ſecundùm quid, & eſt ſecundùm quid peccatũ, vt diſpoſitio ad peccatum: & ideo impedit effectum Baptiſmi nõ ſimpliciter, ſed quantum ad remiſſionem illius venialis. 4.ſent.d.4.q.2.a.1.quæſt.1.ad 3.] q.3. a.2. quæſt.2.in corp.

Quæritur an remota fictione Baptiſmus ſuum conſequatur effectum.

16 Reſpondeo dicendum, quòd Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio; cum autem aliquid generatur ſimul cum forma recipit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit ſuum effectum, ſicut ſimul cum corpus graue generatur, mouetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, quo remoto ſtatim incipit moueri deorſum; & ſimpliciter quando aliquis baptizatur accipit characterem quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata; impeditur

tur autem quandoque per fictionem, vnde oportet, quòd remota ea per pœnitentiam Baptiſmus ſtatim cõſequatur ſuum effectum. 3.p.q.66.a.10.in corp.] 4.ſent.d. 4.q.3.a.2. quæſt.2.in corp.] d.15.q.2.a.3. quæſt.3.ad 2.] d.1. q.2. art.4.quæſtiunc.1. ad 3.

Quæ infidelitas tollat, & quæ non tollat veritatem Baptiſmi.

17 Reſpondeo dicendum, quòd poteſt contingere, quòd aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, & non circa veritatem Sacramenti, quòd exhibet, puta ſi aliquis credat iuramentum eſſe in omni actu illicitum, & tamen credat Baptiſmum efficaciam habere ad ſalutem, ſic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi Sacramentum; ſi verò patiatur fidei defectum circa ipſum Sacramẽtum, quod exhibet, licet credat per id, quod agitur exterius nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat, qđ Eccleſia Catholica intendit per huiuſmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum, vnde non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe, & talis intentio ſufficit ad Sacramentum, quia miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cuius fide ſuppletur id, ꝙ deeſt fidei in miniſtro. 3.p. q.64.a.9.ad 1.] 4. ſent.d.6.q.1.a.3.quæſt.2.ad 1.

Quæritur an ſit neceſſaria fides in baptizando, vt percipiat finem Baptiſmi.

18 Reſpondeo dicendum, quòd eſt duplex finis in baptizatis, primus eſt perceptio Sacramenti, ſecundus eſt perceptio rei Sacramenti; dico ergo quòd in adultis requiritur fides etiam perſonalis neceſſitate, quæ eſt ex ſuppoſitione finis ſecundi, quia niſi credat reputatur fictus, & ita nõ conſequitur rem Sacramenti, non autem requiritur ad primum finem conſequendum, quia Sacramentum percipit aliquis etiam ſi non credat, vnde Auguſtinus lib. 4.contra Donatiſtas cap.15. dicit, Quòd prorſus fieri poteſt, vt aliqui verum Baptiſma habeant, & non habeant veram fidem; In paruulis autem ſufficit fides Eccleſiæ ad vtrunque. 4.ſent. d.6.q.1.art.3. quæſtiunc.1.in corp.] 3.p.q 68.a.8 ad 3.

Quæritur an baptizati debeant obligari ad ſatisfaciendum.

19 Reſpondeo dicendum, quòd reſtituere malè ablata proximis, & ſatisfacere eis de iniurijs illatis, eſt ceſſare à peccando, quia hoc ipſum, quod eſt detinere aliena, & proximum læſum non placare, eſt peccatum, & ideo peccatoribus baptizatis iniungendum eſt, quòd ſatisfaciant proximis, ſicut & quòd deſiſtant à peccato, non eſt autem eis iniungendum, quòd pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur. 3.p.q 68.a.5.ad 3.

De Forma Baptiſmi. Cap. III.

1 *In baptiſmo tria conſiderantur.*
Quid ſit ſacramentum tantum in baptiſmo.
Quid ſit res, & ſacramentum.
Quid ſit res tantum.
Quid ſit baptiſmus.
2 *Duplex cauſa baptiſmi, & quę.*
Vtraque cauſa exprimitur in forma eius.
Forma conueniens baptiſmi aquę.
3 *Quare Gręci in forma baptiſmi non vtentur termino ſignificante miniſtrum baptizantem.*
Per formam Gręcorum perficitur Sacramentum.
4 *Gręci differunt à nobis in forma baptiſmi in tribus, & quibus.*
Melior eſt forma Latinorum, quàm Gręcorum, & quare.
Latinus baptizans in forma Gręcorum peccat grauiter.

5 *Omittens ista verba (Ego te baptizo) non perficit Sacramentum.*
6 *Illa particula, Ego, non est de essentia.*
7 *Dicendo, in nomine Genitoris, & Geniti, non perficitur baptismus.*
Perficitur baptismus in quacunque lingua proferatur forma.
8 *Dicendo, in nomine Trinitatis, non perficitur baptismus.*
9 *Baptizantes in nomine Christi non perficiunt Sacramentum.*
Exprimens vnam Personam tantum habendo fidem ad alias, non perficit baptismũ.
10 *Ex speciali reuelatione Apostoli baptizabant in nomine Christi, & quare.*
11 *Addendo verba corruptiua sensus debiti non perficitur baptismus.*
Addendo verba non corrumpentia sensum debitum perficitur baptismus.
Talis additio potest fieri in principio, medio, & fine verborum formæ
In quo sensu possit, vel non possit dici, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. & Beatæ Virginis.
12 *Non sufficit exprimere vnam Personam intelligendo alias.*
Quoddam dictum D. Ambrosij circa hoc multipliciter exponitur.
13 *Quare dicitur in Nomine, & non in nominibus.*
14 *Quæ interruptio tollat, & quæ non tollat veritatem baptismi.*
15 *Subtrahens aliquid de substantia baptismi non perficit Sacramentum.*
Quæ sint de essentia formæ baptismi.
16 *Dummodo seruetur integer sensus verborum formę potest ordo mutari inter ea.*
17 *Ex industria proferens verba corruptè, non perficit Sacramentum*
Ex errore, vel lapsu proferens corruptè verba si corruptio auferat sensum verborũ, non perficit Sacramentum.
Hoc precipuè est, si corruptio sit in principio dictionum.
Si per corruptionem verborum non auferatur sensus formæ, perficitur baptismus.
Hoc maxime est, si corruptio fiat in fine dictionum.
In corruptione magis debet attendi quantitas corruptionis verborum, an sit magna, vel parua.
18 *In quocunque idiomate proferatur sensus formæ baptismi, perficitur baptismus.*
19 *Forma, qua debemus vti in casu, quo dubitatur an aliquis sit baptizatus.*
20 *Quid dicendum, quando dubitatur de intentione baptizati.*
21 *Qua forma vti debeamus, quando plures baptizantur.*

Quæritur quid sit baptismus.

1 RESpondeo dicendum, quòd in Sacramento Baptismi est tria considerare, aliquid scilicet, quod est Sacramentum tantùm; aliquid autem, quod est res, & Sacramentum; aliquid verò, quod est res tantùm: Sacramentum tantùm est aliquid visibile exterius existens, quod scilicet est signum interioris effectus; hoc enim pertinet ad rationem Sacramenti; exterius autem suppositum sensui est, & ipsa aqua, & eius vsus, q. est ablutio. Quidam ergo existimauerũt, quòd ipsa aqua sit Sacramentum, quod quidem sonare videntur verba Hugonis de Sancto Victore, nam ipse in communi diffinitione Sacramenti dicit, quòd est materiale elemẽtum, & in diffinitione Baptismi dicit, qđ est aqua. Sed hoc non videtur esse verum: cum enim Sacramenta nouæ Legis sanctificationem quandam operentur, ibi perficitur Sacramentum, vbi perficitur sanctificatio; in aqua autem perficitur sanctificatio, sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis non permanens, sed fluens in hominem, qui est veræ sanctificationis subiectum, & ideo Sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio, & ideo Magister in 3.d.4. dicit, quòd Baptismus est ablutio corporis exterior

facta

facta ſub forma præſcripta verborum; res autem, & Sacramentum eſt caracter baptiſmalis, qui eſt res ſignificata per exteriorem ablutionem, & eſt ſignum ſacramentale interioris iuſtificationis, quę eſt res tantum huius Sacramenti, ſcilicet ſignificata, & non ſignificans. 3.p.q.66.a.1. in corp.

Quęritur an hęc ſit conueniens forma Baptiſmi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

2 Reſpondeo dicendum, quòd Baptiſmus per ſuam formam conſecratur ſecundùm illud Epheſ.5. Mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et Auguſtinus dicit in lib.6. de vnico Baptiſmo cap.25. Quòd baptiſmus verbis euangelicis conſecratur. Et ideo oportet, qđ in forma baptiſmi exprimatur cauſa baptiſmi. Eſt autem eius duplex cauſa, vna quidem principalis, à qua quidem virtutem habet, quę eſt Sancta Trinitas; alia autem inſtrumentalis, ſcilicet miniſter, qui tradit exterius Sacramentum: & ideo oportet in forma baptiſmi de vtraque fieri mentionem; miniſter autem tangitur cum dicitur, Ego te baptizo; cauſa autem principalis, cum dicitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: vnde hæc eſt conueniens forma baptiſmi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. 3. p. q.66. a.5. in corp.] 4. ſent. d.3. q.1. a.2. quęſtiunc. 1. in corp.

Quęritur an Baptiſmus Gręcorum ſit bonus, & eorum forma bona.

3 Reſpondeo dicendum, quòd actio attribuitur inſtrumento ſicut immediatè agenti; attribuitur autẽ huiuſmodi actio principali agenti, ſicut in cuius virtute inſtrumentum agit, & ideo in forma baptiſmi conuenienter ſignificatur miniſter, vt exercens actum baptiſmi per hoc, quod dicitur, Ego te baptizo; ſicut & ipſe Dominus baptizandi actum attribuit miniſtris dicens, Baptizantes eos &c. cauſa autem principalis ſignificatur, vt in cuius virtute Sacramentum agitur per hoc, qđ dicitur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; non enim Chriſtus baptizat ſine Patre, & Spiritu Sancto. Græci autem non attribuunt actum baptiſmi miniſtris ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptiſmi baptizantibus attribuebant dicentes, Ego ſum Pauli, & ego Cephę, & ideo dicunt, Baptizetur ſeruus Chriſti, talis, in nomine Patris &c. & quia exprimitur actus exercitus per miniſtrũ cum inuocatione Trinitatis, verum perficitur Sacramentum. 3.p.q.66. a.5. ad 1.] q.67. art.6. in corp.] 4. ſent. d.3. q.1. art.2. quęſtiunc.2. ad 1.

Quęritur in quot, & quibus forma Baptiſmi Latinorum, & Gręcorum differant, & quęnam melior.

4 Reſpondeo dicendum, quòd ſecundũ opinionem Gręcorum de neceſſitate formę eſt actus baptiſmi quantum ad ſignificatum, ſed non quantum ad conſignificatum; perſona autem baptizans per miniſterium non eſt de neceſſitate formę, quia ex eo baptiſmus efficaciam non habet, ſed perſona recipiens eſt de neceſſitate formę, quia actus ad ſuſcipientem terminatur: & ideo differunt in forma à nobis quantum ad tria, primo quia perſonam miniſtri in forma non exprimunt: ſecundo in hoc, quòd ſignificant actum ſub alia perſona, ſcilicet tertia, & ſub alio modo ſcilicet ſubiunctiuo, vel optatiuo ad ſignãdum, quòd actus interior expectatur ab extra: tertio, quia perſonam baptizatam ponunt in nominatiuo caſu, & in tertia perſona, quia quandoque baptizatus non habet intellectum, vt ad eum poſſit dirigi ſermo. Vtrum autem ipſi mutent aliquid, quod ſit de ſubſtantia formę, vt

ſic

ſic oporteat rebaptizari, quamuis quidã dicant hoc, non tamen eſt determinatũ, ſed dubium apud quoſdam, quibus videtur, quòd ſufficiat actum baptiſmi ſignificare ad perfectionem Sacramenti, & qđ conſignificationis determinatio ſit ex Eccleſiæ inſtitutione; hoc autem certum eſt, quòd forma, qua nos vtimur melior eſt, tum quia perfectior eſt, vt patet ex ſupra dictis, tum quia magis conſonat verbis Euangelij, quòd miniſtros baptizantes dicit, tum propter auctoritatem Eccleſię, quæ hanc formam tradit, quæ nunquam à vera fide legitur declinaſſe hanc formã ab Apoſtolis retinens, & ideo non licet prçcipuè Latinis in forma Grçcorum baptizare, quòd ſi prçſumerent, ſecundùm quoſdam non eſſet baptiſmus: ſecundùm quoſdam eſſet, ſed grauiter peccarent. 4. ſent. d.3.q.1.a.2.quçſt.2.ad 1.

Quçritur an omittens illa verba (Ego te baptizo) verè baptizet.

5 Reſpondeo dicendum, quòd quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri poteſt, oportet, quòd determinetur in verbis formæ, ad quem fiat, quòd quidem nõ fit per hoc, quòd dicitur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia omnia in tali nomine facere debemus, vt habetur Coloſſ. 3. & ideo ſi non exprimatur actus baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum non perficitur Sacramentum, ſecundùm illud Decret. Alexandri Tertij: Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen: & non dixerit, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen: nõ eſt puer baptizatus. 3.p.q.66.a.5.ad 2.) 4.ſent.d.3. q.1.a.2.quæſt.2. in corp. & ad 1.) quæſt.3. in corp.

Quæritur an illa particula, Ego, ſit de eſſentiâ formæ.

6 Reſpondeo dicendum, quòd, Ego, in forma noſtra non eſt de ſubſtantia formę, ſed potius ad maiorem expreſſionem intentionis. 3.p.q.66.a.5.ad 1.

Quæritur an perficeretur Baptiſmus; ſi alijs nominibus, quàm ordinarijs exprimerentur perſonæ Diuinę.

7 Reſpondeo dicendũ, quòd ſicut aqua aſſumitur ad Baptiſmum, quia eiùs vſus eſt communior ad abluendum, ita ad ſignificandum tres perſonas in forma Baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communius conſueuerunt nominari perſonæ in illa lingua, nec in alijs nominibus perficitur Sacramentum. 3.p.q.66.a.5.ad 7. vnde cum Genitor non ſignificet Perſonam Patris, ſicut hypoſtaſim ſubſiſtẽtem, vt hoc nomen Pater, ſed per modũ actus, & ideo non eſt eadem ſignificatio, ſi dicatur, In nomine Genitoris, & in nomine Patris, & ſimilis ratio eſt de alijs; Quamuis autem non ſit eadem vox in Græco, & Latino, tamen eſt eadem vocis ſignificatio, & in qualibet lingua verba illa pertinent ad formam, quæ principalius ſunt inſtituta ad ſignandum perſonas illas. 4.ſent.d. 3.a.2.quæſt.2.ad 5.] 3.p.q.60.a.7.ad 2.

Quæritur an dicendo, in nomine Trinitatis, perficiatur Baptiſmus.

8 Reſpondeo dicendum, quòd in nomine Trinitatis non exprimuntur ipſæ Perſonæ, ſed ſolùm numerus Perſonarum, & ideo non ſufficit dicere, In nomine Trinitatis, nec eſſet Baptiſmus, ſi diceretur. 4. ſent.d.3.q.1.a.2. quæſt.2. ad 4.] 3.p.q.66. a.6.ad 3.

Quæritur an baptizans in nomine Chriſti perficiat baptiſmum.

9 Reſpondeo dicendum, quòd Sacramenta

menta habent efficaciam ab inſtitutione Chriſti, & ideo ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, niſi ex ſpeciali diſpenſatione eius, qui virtutem ſuam Sacramentis nō alligauit. Chriſtus autem inſtituit Sacramentum Baptiſmi dari cum inuocatione Trinitatis, & ideo quicquid deſit ad plenam inuocationem Trinitatis tollit integritatem Baptiſmi: nec obſtat, quòd in nomine vnius Perſonæ intelligitur alia (ſicut iu nomine Patris intelligitur Filius) aut ille, qui nominat vnam ſolam Perſonam poteſt habere rectam fidem de tribus, quia ſicut ad Sacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis, vnde non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur; vnde & in Baptiſmo Chriſti (vbi fuit origo ſanctificationis noſtri Baptiſmi) affuit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, ſcilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in Columba. 3. p. q. 66. a. 6. in corp.

Quare Apoſtoli baptizabant in nomine Chriſti.

10 Reſpondeo dicendum, quòd ex ſpeciali Chriſti reuelatione Apoſtoli in primitiua Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant, vt nomen Chriſti, quod erat odioſum Iudæis, & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptiſmo. 3. p. q. 66. a. 6. ad 1.

Quæritur quando tollatur, vel non tollatur veritas baptiſmi ex additione verborum.

11 Reſpondeo dicendum, quòd circa additionem contingit aliquid opponi, quod eſt corruptiuum debiti ſenſus, puta ſi aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, ſicut Ariani baptizabant; & ideo talis additio tollit veritatem Sacramenti; ſi verò ſit talis additio, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur Sacramenti veritas: nec refert vtrum talis additio fiat in principio, medio, vel in fine, vt ſi aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus Sancti paraclyti, erit verum Baptiſma, & ſimiliter ſi quis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Virgo te adiuuet, erit verus Baptiſmus. Fortè autem ſi diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Virginis Mariæ non eſſet Baptiſmus, quia dicitur 1. ad Corinthios 2. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? ſed hoc verum eſt, ſi ſic intelligatur in nomine B. Virginis baptizare, ſicut in nomine Trinitatis, quo Baptiſmus conſecratur; talis enim ſenſus eſſet contrarius veræ fidei, & per conſequens tolleret veritatem Sacramenti; ſi verò ſic intelligitur, quòd additur, & in nomine B. Virginis, non quaſi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptiſmo, ſed vt eius interceſſio proſit baptizato ad conſeruandam gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio Sacramenti. 3. p. q. 60. a. 8. in corp.

Quæritur an ſufficiat exprimere vnam Perſonam ſenſibiliter cum expreſſione intelligibili aliarum.

12 Reſpondeo dicendum, quòd ſecundùm quoſdam ſufficiebat quantum ad inuocationem Trinitatis, vt nihil minueretur de forma intelligibili, quamuis minueretur de forma ſenſibili, quia in vna Perſona omnes intelligantur, ideo dicebant, quòd vna Perſona nominata plenus eſſet Baptiſmus, ſi fides interius plena eſſet, ſed quia fides Perſonæ baptizantis, vel infidelitas nihil prodeſt, nec nocet ad Baptiſmum, qui fit in fide Eccleſiæ: ideo

quaſi

quaſi communiori modo dicitur, quòd oportet omnes tres Perſonas exprimi, & ideo ad verbum Ambroſij (quòd ſi fides totius Trinitatis corde teneatur, & vna tantùm perſona ſit nominata ſit baptiſma verum) multipliciter reſpondetur: quidam enim dicunt, quòd cum dicit, plenũ ſit Sacramentum, ponit Sacramentũ pro fide, quia qui vnam tantùm Perſonam cõfitetur, ſi alias corde teneat, plenam habet fidem; quidam verò dicunt, quòd intelligitur quantum ad plenitudinem ipſius Sacramenti, quam habet ex fide, quod patet ex hoc, quòd dicit plenum eſt fidei Sacramentum; vel quòd intelligatur ſecundùm quoſdam in caſu, quando vna Perſona nominata puer, vel Sacerdos moreretur; creditur enim, quòd inuiſibilis Sacerdos suppleret defectum, vel in caſu ſimili, in quo Apoſtoli in nomine Chriſti baptizabant, & hoc magis conſonat verbis eius. 4. ſent. d. 3. a. 2. quæſt. 3. ad 4.

Quæritur quare dicitur in nomine, & non in nominibus.

13 Reſpondeo dicendum, quòd etſi ſint tria nomina perſonalia trium Perſonarũ, eſt tamen nomen vnum eſſentiale; virtus autem Diuina, quæ operatur in Baptiſmo ad eſſentiam pertinet, & ideo dicitur in nomine, & non in nominibus. 3. p. q. 66. a. 5. ad 6.] 4. ſent. d. 3. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 1. ad nonum.

Quæritur quę interruptio verborum tollat, & quæ non tollat veritatem baptiſmi.

14 Reſpondeo dicendum, quòd ſi fiat tanta interruptio, quòd intercipiat intentionem baptizantis, tunc non erit vna forma, & ideo vtraque per ſe erit imperfecta, nec ſufficit ad Baptiſmum, ſicut ſi dicatur in nomine Patris, & interponat longam fabulam, & poſtea dicat, & Filij; ſi autem ita fiat parua interruptio, vel verbi non corrumpentis formam, vt ſi dicatur in nomine Patris omnipotentis, aut ſilentij, aut tuſſis, vel alicuius huiuſmodi, quod intentionem non diſcontinuet, tunc erit ab vnitate intentionis vnitas formæ, conſtat enim, quòd continuitatis forma ex vocibus vnitatem habere non poteſt, cum oratio ſit quantitas diſcreta. 4. ſent. d. 3. a. 2. quæſtiunc. 4. ad 1.

Quæritur quæ ſubtractio verborum tollat, vel non tollat veritatem baptiſmi.

15 Reſpondeo dicendum, quòd de ſubtractione hoc certum eſt, quòd ſi ſubtrahatur aliquid, quod ſit de eſſentia formæ, quod non eſt Baptiſmus, & ille, qui baptizat grauiter peccat, & quia apud omnes inuocatio Trinitatis eſt de eſſentia formæ, ideo hoc nullo modo ſubtrahi poteſt: ſed quidam dicunt, quòd expreſſio actus non eſt de ſubſtantia formæ; vnde ſi ſubtrahatur facta ſola Trinitatis inuocatione, erit Baptiſmus, quamuis peccet baptizans; ſed contra hoc eſt Decretalis Alexandri Papæ Tertij, qui dicit, Quod ſi quis puerum in aqua merſerit dicendo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſi non dicat, Ego baptizo te, talis immerſio non facit Baptiſma; oportet enim, quòd per formam virtus Trinitatis inuocatæ ad materiam propoſitam determinetur, quod fit in expreſſione actus; ſimiliter etiam expreſſio perſonæ baptizatæ eſt de ſubſtantia formæ, quia per eam determinatur actus ad hunc Baptiſmum, & ideo ſi ſubtrahatur, non erit Baptiſmus; ſed expreſſio Perſonæ baptizantis dicitur, quod non eſt de forma quantnm ad neceſſitatem Sacramenti, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, vt intentio magis feratur ad actum illum, & ideo ſi omittatur, erit Baptiſmus, ſed peccat omittens. 4. ſent. d. 3. a. 2. quæſtiunc. 3. in corp.

Quæ-

Quæritur an poſſit fieri interpoſitio, vel tranſpoſitio verborum formæ.

16 Reſpondeo dicẽdum, quod cum forma verborum conſiſtat in tribus, ſcilicet, ſignificatione, integritate verborum, & ordine, quidam dicunt, quòd quidquid horum mutetur, vel varietur, non erit Baptiſmus: ſed quia formæ Sacramentorum ſunt quædam fidei profeſſiones, fidem autem non profitentur verba formæ, niſi ratione ſuæ ſignificationis, ideo alij dicunt, quòd dummodo ſeruetur intellectus vel implicitè, vel explicitè, etiam ſi non eſſet vocum integritas, nec ordo, idem erit Baptiſmus: ſed quia Sacramentum quãtum ad formam, & materiam debet eſſe eiuſdem ſignum, ideo alij dicunt medio modo, quòd requiritur & ſignificatio plena, & verba integra, quæ ſunt de eſſentia formæ; ſi autem ordo, vel aliquid circa verba mutetur, quòd non tollit nec ſignificationem, nec integritatem verborum, erit Baptiſmus 4. ſent. diſt. 3. ar. 2. queſtiunc. 4. in corp.

Quæritur quæ corruptio verborum tollat, & quæ non tollat veritatem Sacramenti baptiſmi.

17 Reſpondeo dicendum, quòd ille, qui corruptè profert verba ſacramentalia, ſi hoc ex induſtria facit, non videtur intendere facere, quod facit Eccleſia, & ita nõ videtur perfici Sacramentum; ſi autem hoc faciat ex errore, vel lapſu linguæ, ſi ſit tanta corruptio, quæ omnino auferat ſenſum locutionis, non videtur perfici Sacramentum, & hoc præcipuè contingit quando fit corruptio ex parte principij dictionis, puta ſi loco eius, quod eſt, in nomine Patris, dicat in nomine Matris; ſi verò non totaliter auferatur ſenſus locutionis per huiuſmodi corruptelam, nihilominus perficitur Sacramentum, & hoc præcipuè contingit quando fit corruptio ex parte finis, puta ſi aliquis dicat, in nomine Patris, & Filius, quamuis enim huiuſmodi verba corruptè prolata nihil ſignificent ex virtute impoſitionis, accipiũtur tamen vt ſignificantia ex accommodatione vſus, & ideo licet mutetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen idem ſenſus; quod autem dictum eſt de differentia corruptionis circa principium, vel finem dictionis rationem habet, quia apud nos variatio dictionis ex parte principij mutat ſignificationem; variatio autem ex parte finis dictionis, vt plurimum mutat conſignificationem, quæ tamen apud Græcos variatur etiam ſecundùm principium dictionis in declinationibus verborum; magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis, quia ex vtraque parte poteſt eſſe tam parua, quòd non aufert ſenſum verborum, & tam magna, quòd aufert, ſed vnum horum facilius accidit ex parte principij, & aliud ex parte finis. 3. p. q. 60. a. 7. ad 3.] 4. ſent. d. 3. a. 2. quæſt. 2. ad ſextum.

Quæritur an forma poſſit proferri in quocunque idiomate.

18 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit ſuper Ioannem Tractatu 80. Verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, ideſt non ſecundùm exteriorem ſonum vocis, ſed quia creditur, ideſt ſecundùm ſenſum verborum, qui fide tenetur, & hic quidem ſenſus eſt idem apud omnes, licet non eædem voces ſint quantum ad ſonum: & ideo cuiuſcunque linguæ verbis proferatur talis ſenſus, perficitur Sacramentum. 3 p. q. 60. a. 7. ad primum.

Quæritur quomodo dicendum, quando dubitatur de aliquo an ſit baptizatus.

19 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dicit Decretalis Alexandri Tertij, De quibus

quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis, ſi baptizatus es, ego non te baptizo, ſed ſi nondũ baptizatus es, ego te baptizo &c. nõ enim videtur iterari, quod neſcitur eſſe factũ. 3.p.q.66.ar.9. ad 4.] 4.ſent.d.6.q.2.art.1. quæſtiunc.1.in corp.

Quæritur quomodo dicendum, quando non conſtat de intentione baptiſmum ſuſcipientis.

20 Reſpondeo dicendum, quòd ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi baptiſmum, eſſet rebaptizandus; ſi tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum, ſi non es baptizatus, ego te baptizo. 3.p.q.68.art.7. ad ſecundum.

Quæritur qua forma vtendum, quando plures baptizantur ſimul.

21 Reſpondeo dicendum, quòd poſsũt, ſi neceſſitas exigit, plures ſimul baptizari, quia nullus eorum reciperet niſi vnum Baptiſmum, ſed tunc oportebit dicere, ego baptizo vos, nec erit mutatio formæ, quia vos nihil aliud eſt, quàm te, & te. 3.p. q.66.a.5.ad 4.] q.67.a.6.in corp. & ad 2.] 4.ſent. d.3.a.2.quæſt.2.ad 2.] d.6.q.2.a.1. quæſtiunc.1.ad 3.

De Materia Baptiſmi. Cap. IV.

1 *Aqua eſt materia propria baptiſmi.*
2 *Quanam ſit materia proxima, & remota baptiſmi.*
3 *Aqua diuerſimodè conſiderata dicitur materia remota, diſpoſita, & informata baptiſmi.*
4 *In qualibet aqua qualitercunque transmutata poteſt fieri baptiſmus, dummodo non ſoluatur ſpecies aquæ.*
Si ſpecies aquæ ſoluatur, in ea non poteſt fieri baptiſmus.
5 *In aqua maris, & in aquis, quæ ſunt apud nos poteſt fieri baptiſmus.*
6 *Quando aliquis baptizatur in mari, quæ pars aquæ maris pertineat ad baptiſmũ.*
7 *In aqua permixta Chriſmate poteſt fieri baptiſmus.*
In aqua lixatorum poteſt fieri baptiſmus.
Si tamen plus habeat de ſubſtantia lixatorum, in ea non poteſt fieri baptiſmus.
Hoc vnde cognoſci poſſit.
Baptiſmus poteſt fieri ex aqua ſubtili expreſſa ex liquore carnium lixatarum.
Ex aqua expreſſa ex luto poteſt fieri baptiſmus.
8 *Ex humore phlegmatico non poteſt fieri baptiſmus.*
Ex ſanguine, vino, & quocunque liquore plantarum non poteſt fieri baptiſmus.
Ex aqua, quæ fluxit de latere Chriſti poterat fieri baptiſmus.
9 *In lixiuio, in aqua ſulphureorum balneorum poteſt fieri baptiſmus.*
10 *In aqua roſacea nõ poteſt fieri baptiſmus.*
Nec in aquis Alchimicis.
In aqua pluuiali poteſt fieri baptiſmus.
11 *In aqua fluminis, ciſternæ, fontis, ſtagni poteſt fieri baptiſmus.*
12 *In aqua paludis quomodo poſſit, & non poſſit fieri baptiſmus.*
13 *Quid faciẽdum in loco, in quo non eſt aqua.*
14 *Poſt baptiſmum aqua nil plus habet, quam alia aqua, niſi ratione Chriſmatis.*
Chriſma non eſt de neceſſitate baptiſmi.
15 *Licet aquam emere pro baptiſmo, ſi aliter non poſſit haberi.*
Non licet dare pecuniam Sacerdoti pro baptiſmo.
Si Sacerdos non vult baptizare, niſi ei detur pecunia, ſæcularis baptizet.
16 *Benedictio aquæ non eſt de neceſſitate.*
Datur ad ſolemnitatem, & contra aſtutias Diaboli.
17 *Non licet omittere benedictionem.*

Quæ-

Quæritur an aqua sit propria materia Baptismi.

1 RESpondeo dicendum, quòd ex institutione Diuina aqua est propria materia baptismi,& hoc conuenienter,primò quidem quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam,quod maximè cōgruit aquę;vnde & semina, ex quibus generantur omnia viuentia,scilicet plantę,& animalia,humida sunt,& ad aquā pertinent, propter quod quidam Phylosophi posuerunt aquam rerum omnium principium: secundò quantum ad effectus baptismi, quibus competūt aquæ proprietates, quæ sua humiditate lauat, ex quo conueniens est ad significandam,& causandam ablutionem peccatorum; sua frigiditate etiā temperat superfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis sua diaphanitate est luminis susceptiua: vnde competit baptismo inquantum est fidei Sacramentū; tertiò quia conuenit ad repræsentandū mysteria Christi, quibus iustificamur, vt .n. dicit Chrysostomus super Ioannem 3 homil.24. Nisi quis renatus fuerit &c. sicut in quodam sepulchro in aqua submergentibus nobis capita vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, & deinde nouus rursus ascendit: quartò quia ratione suæ communitatis,& abundantię est conueniens materia necessitati huius Sacramenti; potest enim vbique de facili haberi.3.p.q.66.a.3.in corp.)q.60.a.7.ad 2.)q.66.a.5.ad 7.)q 67 a.3.in corp.)q.84. a.1.ad 1.) q.86.a.6.in corp.) 4.sent.d.1.q. 2.a.3.quæstiunc.3.ad primum.) d.3.art.3. quæstiunc.1. in corp.) distinct.5.quæst.2. artic.1.quæstiunc.1.in corp.& quæstiunc. 3.in corp.)4. contra Gentes cap.59.

Quæritur quęnam sit materia proxima, & remota baptismi.

2 Respondeo dicendum,qiòd Sacramētum nouæ Legis est signum, & causa gratiæ;vnde secundùm hoc est Sacramētum secundùm quod habet significare,& causare: aqua autem non habet significare, & causare effectum baptismi, nisi secundùm quod est abluens; vnde essentialiter baptismus est ipsa ablutio, quia ad ablutionem interiorem causādam institutus, quam signando causat ipsa exterior ablutio: sed aqua est materia eius remota, & ablutio est materiale in baptismo,sed verbum vitæ est forma completiua Sacramēti.4.sent.d.3.q.1.a.1. quæst.1.ad 2.

Quæritur quænam sit materia remota, disposita,& informata baptismi.

3 Respondeo dicendum, quòd aqua est materia baptismi,& potest tripliciter cōsiderari, quia secundùm quod consideratur in sua propria natura, est quasi materia remota, quia ex naturali proprietate habet aliquam conuenientiam ad hoc, quod sit baptismi materia ratione similitudinis; secundùm autem quod est instituta ad hoc, accipiens vim regeneratiuā ex tactu carnis Saluatoris, sic est materia quasi disposita; secundùm autem quòd consideratur sub forma verborum est quasi materia iam informata. 4.sent.d.3. in expositione litteræ.

Quæritur an ad baptismum requiratur aqua simplex.

4 Respondeo dicendum,quòd aqua suæ puritatem, & simplicitatem potest amittere dupliciter, vno modo per mixtionē alterius corporis,alio modo per alterationem; vtrumque autem horum contingit fieri dupliciter, scilicet per artem, & per naturam;ars autem deficit ab operatione naturæ,quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest, sed omnes formæ artificiales sunt accidentales, nisi fortè opponendo propriū genus ad propriam materiam, sicut ignem com busti-

buſtibili, per quem modum à quibuſdam quædam animalia per putrefactionem generantur; quęcunque igitur transſmutatio circa aquam facta per artem ſiue commiſcendo, ſiue alterando non tranſmutatur ſpecies aquæ, vnde in tali aqua poteſt fieri Baptiſmus, niſi fortè admiſceatur per artem in tam parua quantitate alicui corpori, quòd compoſitum magis ſit aliud, quàm aqua, ſicut lutum magis eſt terra, quàm aqua, & vinum lynphatum magis eſt vinum, quam aqua; ſed tranſmutatio, quæ fit à natura quandoque quidem ſpeciem aquæ ſoluit, & hoc fit quando aqua efficitur per naturam de ſubſtantia alicuius corporis mixti, ſicut aqua conuerſa in liquorem vuæ eſt vinum, vnde non habet ſpeciem aquæ; aliquando autem fit per naturam conſumatio aquæ ſine ſolutione ſpeciei, & hoc tam per alterationem, ſicut patet de aqua calefacta à Sole, quàm etiã per mixtionem, ſicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terreſtrium partium. Sic ergo dicendum eſt, quòd in qualibet aqua qualitercunque tranſmutata, dummodo nõ ſoluatur ſpecies aquę, poteſt fieri Baptiſmus: ſi verò ſoluatur ſpecies aquæ non poteſt fieri Baptiſmus. 3.p. q.66.a.4.in corp.] 4.ſent. d.3.a.3.quæſt.2. in corp.

Quæritur an in aqua maris, & in aquis, quæ ſunt apud nos poſſit fieri Baptiſmus.

5 Reſpondeo dicendum, quòd tranſmutatio facta in aqua maris, & etiam in alijs aquis, quæ penes nos ſunt, non eſt tanta, quòd ſoluat ſpeciem aquæ, & ideo in huiuſmodi aquis poteſt fieri Baptiſmus. 3.p. q.66.a.4.ad 1.] 4 ſent. d.3.a.3. quæſtiunc. 2.ad 4.

Quęritur quęnam pars aquæ pertineat ad Baptiſmum, ſi aliquis baptizetur in mari.

6 Reſpondeo dicendum, quòd ſi baptizetur aliquis in mari, ſola illa aqua maris pertinet ad Baptiſmum, quæ poteſt habere aliquem effectum in baptizato vel lauando, vel infrigidando, & non totum mare. 4.ſent.d.3.a.3.quæſt.3.ad 2.

Quæritur an Baptiſmus poſſit fieri in aqua mixta Chriſmate, & in aqua lixatorum.

7 Reſpondeo dicendum, quòd admixtio Chriſmatis non ſoluit ſpeciem aquæ, ſicut nec etiam aqua decoctionis carniũ, aut aliorum huiuſmodi, niſi fortè ſit facta tanta reſolutio corporum lixatorum in aqua, quòd liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de aqua, quòd ex ſpiſſitudine perſpici poteſt: ſi tamen ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua ſubtilis, poteſt in ea fieri Baptiſmus, ſicut & in aqua, quæ exprimatur ex luto, licet in luto Baptiſmus fieri non poſſit. 3.p.q.66.ar. 4.ad 2.] 4.ſent.d.3.a.3.quęſtiunc.3.ad 3.] q.27.de veritate a.4 ad 10.

Quæritur an potuiſſet fieri baptiſmus in aqua, quæ fluxit de latere Chriſti.

8 Reſpondeo dicendum, quòd aqua fluens de latere Chriſti pendentis in Cruce non fuit humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt; in tali enim humore non poſſet fieri Baptiſmus, ſicut nec in ſanguine animalis, aut in vino, aut quocunque liquore alicuius plantæ; fuit autem aqua pura miraculosè egrediẽs à corpore mortuo, ſicut & ſanguis ad comprobandam veritatem Dominici corporis contra Manichæorum errorem, vt ſcilicet per aquã, quæ eſt vnum quattuor elementorum, oſtenderetur corpus Chriſti verè fuiſſe compoſitum ex quattuor elementis; per ſanguinem verò oſtenderetur eſſe compoſitum ex quattuor humoribus. 3.p. q.66. a.4.ad 3.

Quæ-

Quæritur an poſſit fieri Baptiſmus in lixiuio, in aquis ſulphureorum Balneorum.

9 Reſpondeo dicendum, quòd in lixiuio, & in aquis ſulphureorum Balneorum poteſt fieri Baptiſmus, quia tales aquæ non incorporantur per artem; vel naturam aliquibus corporibus mixtis, ſed ſolùm alterationem quandam recipiunt ex hoc, quòd tranſeunt per aliqua corpora. 3.p.q.66. a.4.ad 4.] 4.ſent. d.3.a.3.quæſt. 2.ad 5.

Quæritur an in aqua roſacea poſſit fieri Baptiſmus.

10 Reſpondeo dicendum, quòd aqua roſacea eſt liquor roſæ reſolutus, vnde in ea non poteſt fieri Baptiſmus; & eadem ratione nec in aquis alchimicis, ſicut nec in vino; nec eſt eadem ratio de aquis pluuialibus, quæ generantur ex maiori parte ex ſublimatione vaporum reſolutorum ex aquis: minimum autē eſt ibi de liquoribus corporum mixtorum, qui tamē per huiuſmodi ſublimationem virtute naturæ, quæ eſt fortior arte, reſoluuntur in veram aquam, quod ars facere non poteſt; vnde aqua pluuialis nullam proprietatē retinet alicuius corporis mixti, quod de aquis roſaceis, & aquis alchimicis dici non poteſt. 3.p.q.66.a.4.ad 5.] 4.ſent.d.3. a.3.quæſt.2.in corp. & ad 5.

Quæritur an in aquis fluminis, ciſternæ, fontis, ſtagni poſſit fieri Baptiſmus.

11 Reſpondeo dicendum, quòd diuerſitas aquarum, quæ eſt inter loca, & ſitus, eſt differentia accidentalis, vnde non mutat ſpeciē aquæ; & ideo in qualibet aqua huiuſmodi vel maris, vel fluminis, vel ciſternæ, vel fontis, vel ſtagni poteſt fieri Baptiſmus. 4.ſent. d.3.art.3.quæſtiunc.3. ad primum.

Quæritur an Baptiſmus poſſit fieri in aqua Paludis.

12 Reſpondeo dicendum, quòd ſi aqua paludis eſſet intantum ingroſſata, quòd recederet à vera raritate aquæ, non eſſet Baptiſmus, ſicut ſi eſſet lutum, aliàs eſſet Baptiſmus, quia adhuc ſpecies aquæ manet. 4.ſent.d.3.a.3.quæſt.3.ad 3.

Quæritur quid faciendum in loco vbi non eſt aqua.

13 Reſpondeo dicendum, quòd ſi Sacerdos ſit in tali loco, quòd non poſſit habere aquam de fonte, vel de riuo, vel aliam, defodiat terram, ſi poſſit inuenire; & ſi non poterit habere, imploranda eſt bonorum omnium largitoris gratia, vt 20.diſt. De quibus, ſi enim Sacerdos facit quod poteſt, & quod non poteſt, cōmittit Deo, tunc ipſe ſupplet defectum, vt 22.diſt. qui quæritur. opuſculo 25.cap.2.

Quæritur an in aqua Baptiſmi remaneat aliqua virtus poſt vſum eius.

14 Reſpondeo dicendum, quòd in ſacramentis, quæ non indigent materia ſanctificata, nihil manet poſt ſacramēti vſū; vnde aqua, in qua celebratus eſt Baptiſmus, nihil plus habet, quàm alia aqua, niſi fortè propter mixtionem Chriſmatis, quod tamen non eſt de neceſsitate ſacramenti: nec eſt inconueniens, vt virtus illa ceſſet, quia virtus illa ſe habet vt in fieri exiſtens, & moueri, & huiuſmodi ceſſat ceſſante motione mouentis, ſtatim.n.quando mouens ceſſat mouere, & mobile ceſſat moueri. q.27.de veritate a.4.ad 10.

Quæritur an liceat dare pecuniā Sacerdoti pro Baptiſmo, & an liceat emere aquam.

15 Reſpondeo dicendum, quòd ſi puer eſt baptizandus, potius dēt ſecularis pue-

rum baptizare, quam precium Sacerdoti pro Baptismo simoniacè dare, & tamen licitum est ei aquam emere, si aliàs habere non posset; quia aqua non est sacrum quid; etsi sit sanctificata non operatur ad Baptismum de necessitate eius existens, quasi sanctificata, sed quasi aqua, & ideo non emit aquam sanctificatam, sed aquã. Quidam verò dicunt, quòd potest preciũ dare, quia hoc non est simoniam committere, sed redimere vexationem suam, sed primum melius videtur, 4.sent.d.5.q.2.a.2.quæst.5.ad 2.

Quæritur an benedictio aquæ sit de necessitate Baptismi.

16 Respondeo dicendum, quòd illa benedictio, quæ adhibetur aquæ, non est de necessitate Baptismi, sed pertinet ad quãdam solemnitatem, per quam excitatur deuotio fidelium, & impeditur astutia Dæmonis, ne impediat Baptismi effectũ. 3.p.q.66. a.3.ad 5.

Quæritur an liceat hanc benedictionem omittere.

17 Respondeo dicendum, quòd non licet benedictionem prætermittere propter Ecclesiæ institutionem, 4.sent.d.5.q.2.a.1.quæst.1.in corp.

De eo, qui potest baptizare. Cap. V.

1 *Iudæi, Pagani possunt baptizare, & quomodo.*
Dictum D. Gregorij circa hoc exponitur.
In casu necessitatis quilibet põt baptizare.
Extra casum necessitatis non baptizatus baptizans grauiter peccat. sicut & baptizatus, tenet tamen sacramentum, licet tollatur eius effectus.
2 *Suscipiens baptismum à præciso ab Ecclesia, tolerato tamen ab ea, non peccat.*
Si non toleratur, peccat.
3 *Non ordinatus potest baptizare in casu necessitatis.*
4 *Sacerdos requiritur ad solemnitatem, & ex congruentia.*
Baptizatus à seculari extra casum necessitatis non est rebaptizandus.
5 *Si baptizet mulier extra casum necessitatis non est rebaptizandus.*
Peccat tamen ipsa, & cooperantes ad hoc.
6 *Laicus non potest sacramentalia baptismi perficere, & quare.*
7 *Ad Diaconum non spectat baptizare ex officio.*
Ad Diaconum spectat assistere Sacerdoti baptizanti.
8 *Absente Episcopo. & Sacerdote, Diaconus potest baptizare.*
9 *Ad Sacerdotem spectat baptizare.*
10 *Non potest mulier baptizare præsente masculo.*
Nec masculus præsente Clerico.
Nec clericus præsente Sacerdote.
Sacerdos potest baptizare etiam præsente Episcopo.
11 *Quando solemniter celebratur* Baptismus, *Sacerdos curam habens animarum illum perficiat, vel eius vicem gerens.*
12 *Plures non possunt vnum baptizare simul, & quare.*
Quando contentiosè plures volunt baptizare vnum, primus proferens verba baptizat, & alij nil faciunt.
Secundus si profert verba, est puniendus.
Plures simul immergentes, vel aspergentes, & simul proferentes formam, sunt puniendi de inordinato modo baptizandi.
13 *In casu necessitatis vnus potest plures baptizare.*
Qua forma tunc vti debeat.
14 *Non potest quis baptizare se ipsum.*
Quædam Decretalis Innocentij Tertij explicatur.
15 *Non tenet Baptismus, si vnus proferat verba, & alius immergat.*

Malus

Malus minister potest baptizare.
17 *Malus minister confert gratiam.*
18 *Effectus per se aequaliter confertur à malo, & à bono ministro cęteris paribus ex parte baptizati.*
Effectus per accidens inaequaliter ab vtroque confertur.
19 *Sacerdos solemniter baptizans in peccato mortali peccat mortaliter.*
Sacerdos in peccato mortali baptizans simpliciter, sicut vetula, non peccat.
20 *Intentio baptizandi requiritur in baptizante.*
21 *Quae intentio mala ministri tollat veritatem Baptismi, & quae non.*
22 *Non licet pro Baptismo pecuniam dare Sacerdoti.*

Quaeritur an non baptizatus possit baptizare.

1 RESpondeo dicendum, quòd per Ecclesiam determinatum est, quòd non baptizati siue sint Iudaei, siue Pagani, possunt sacramentum Baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesię baptizent; vnde Nicolaus Papa respondet de Consecrat. dist.4 ad consulta Bulgar. c.3. à quodam Iudaeo, nescitis vtrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra asseritis baptizatos, & quid inde sit agendum consulitis; hi profectò si in nomine Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent; si autem forma Ecclesiae non fuerit obseruata, sacramentum Baptismi non confertur. Et sic intelligendum est, quod Gregorius II. scribit Bonifacio Episcopo: quos à Paganis baptizatos asseruisti scilicet Ecclesiae forma non seruata, vt de nouo baptizes in nomine Trinitatis mandamus: & huius ratio est, quia sicut ex parte materiae quantum ad necessitatem sacramenti sufficit quaecunque aqua, ita et sufficit ex parte ministri quicunque homo, & ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest, vt sic duo non baptizati se inuicē baptizarent, dum prius vnus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem; & consequeretur vterque non solum sacramentum, sed et rem sacramenti; si verò extra articulum necessitatis hoc fieret, vterque grauiter peccaret, scilicet baptizans, & baptizatus, & per hoc impediretur Baptismi effectus, licèt non tolleretur ipsum sacramentum. 3.p.q.67.a.5.in corp.] 2.2.q. 39.a.4.ad 1.

Quaeritur an liceat accipere Baptismum à praeciso ab Ecclesia.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui ad sacramentum accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesiae, non inquantū est talis persona, sed inquantum est minister Ecclesiae; & ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiae, quae eum tanquam ministrum exhibet; si verò ab Ecclesia non toleretur (puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) peccat, qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius. 3.p.q.64.a.6.ad 2.] 4.sent.d.5.q.2.ar. 2.quaest.5.in corp.] 2.2. q.39.a.4.ad 1.] 4. sent. d.24.q.1.a.3.quaest.5.ad 3.

Quaeritur an laicus possit baptizare.

3 Respondeo dicendum, quòd ad misericordiam eius, qui vult omnes homines saluos fieri, pertinet, vt in his, quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inueniat; inter omnia autem sacramenta maximae necessitatis est Baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia pueris aliter omnino subueniri non potest, & adulti non possunt aliter, quàm per Baptismum plenam remissionem consequi & quantum ad culpam, & quantum ad poenam; & ideo vt homo circa remedium tam necessarium

farium defectum pati non possit institutũ est, vt & materia Baptismi sit cõmunis, s. aqua, quæ à quolibet de facili haberi potest, & minister Baptismi etiam sit quicunque non ordinatus, ne propter defectum Baptismi homo salutis suæ dispendium patiatur. 3. p. q. 67. a. 3. in corp.

Quæritur an peccet laicus, si baptizet absque necessitate.

4 Respondeo dicendum, quòd baptizare pertinet ad ordinem Sacerdotalem secundùm quandam conuenientiam, & solemnitatem, non autem hoc est de necessitate sacramenti; vnde etiam si extra necessitatis articulum laicus baptizat, peccat quidem, tamen sacramentum Baptismi confert, nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus. 3. p. q. 67. a. 3. ad 1.] 4. sent. d. 5. q. 2. a. 1. quæst. 1. in corp.

Quæritur an mulier peccet, si baptizet extra casum necessitatis.

5 Respondeo dicendum, quòd si mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus, sicut & de laico dictum est; peccaret tamen ipsa baptizans, & alij, qui ad hoc cooperarentur, vel Baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo. 3. p. q. 67. a. 4. ad 3.

Quæritur an laicus possit sacramentalia Baptismi perficere.

6 Respondeo dicendum, quòd sacramentalia Baptismi, sicut catechizare, exorcizare, & aquam baptismalem benedicere, pertinent ad solemnitatem, non autem ad necessitatem Baptismi; & ideo fieri non debent, nec possunt à laico, sed solùm à Sacerdote, cuius est solemniter baptizare. 3. p. q. 67. a. 3. ad 2.

Quæritur an pertineat ad Diaconum baptizare.

7 Respondeo dicendum, quòd sicut cælestium ordinum proprietates, & eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, vt Dionysius dicit 7. cap. Cœlestis Hierarchiæ, ita etiam ex nominibus Ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad vnumquemque pertineat ordinem: dicuntur autem Diaconi quasi ministri, quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium alijs maioribus in sacramentorum exhibitione: & sic ad Diaconũ non pertinet quasi ex proprio officio tradere sacramentum Baptismi, sed in collatione huius sacramenti, & aliorum assistere, & ministrare maioribus; vnde Isidorus dicit, ad Diaconum pertinet assistere, & ministrare Sacerdotibus in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi, in Baptismo scilicet, in Chrismate, in Patena, & Calice. 3. p. q. 67. a. 1. in corp.] 4. sent. d. 5. q. 2. a. 1. quæst. 2. in corp.

Quæritur quando liceat Diacono baptizare.

8 Respondeo dicendum, quòd quia Baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur Diaconibus necessitate vrgente in absentia maiorum baptizare; sicut patet ex auctoritate Gelasij, & habetur in Decret. q. 3. dist. Diaconos propriã constituimus obseruare mensuram, & infra, Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat; & hoc modo B. Laurentius Diaconus existens baptizauit. 3. p. q. 67. a. 1. ad 3.

Quæritur an baptizare pertineat ad Presbyterum.

9 Respondeo dicendum, quòd Sacerdotes

tes adhoc conſecrantur, vt Sacramentum Corporis Chriſti conficiant; illud autem eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ vnitatis ſecundùm illud Apoſtoli 1. Corinth. 10. Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus; per Baptiſmum autem aliquis fit particeps Eccleſiaſticæ vnitatis, vnde & accipit ius ad menſam Domini accedendi; & ideo ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam (ad quod principaliter Sacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare; eiuſdem enim videtur eſſe operari totum, & partem in toto diſponere. 3.p.q.67.a.2.in corp.

Quæritur ad quem pertineat baptizare, quando plures diuerſi ſtatus, & conditionis ſunt præſentes.

10 Reſpondeo dicendum, quòd Chriſtus eſt, qui principaliter baptizat, ſecundùm illud Ioannis 1. Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt qui baptizat; dicitur aũt Coloſs. 3. Quòd in Chriſto non eſt maſculus, & fœmina; & ideo ſicut maſculus laicus poteſt baptizare, quaſi miniſter Chriſti, ita etiã & fęmina: quia tamen caput mulieris eſt vir, & caput viri eſt Chriſtus, vt dicitur 1. Corinth. 11. Non debet mulier baptizare ſi adſit copia viri, ſicut nec laicus præſente clerico, nec clericus præſente Sacerdote, qui tamen poteſt baptizare præſente Epiſcopo eo quòd hoc pertinet ad officiũ Sacerdotis. 3.p.q.67.a.4.in corp.

Quæritur à quo ſuſcipiendus ſit baptiſmus ſolemniter celebratus.

11 Reſpondeo dicendum, quòd quando Baptiſmus ſolemniter, & ordinariè celebratur, debet aliquis ſacramentum Baptiſmi ſuſcipere à Presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice eius, hoc tamen non requiritur in articulo neceſſitatis. 3.p.q.67.a.4.ad 2.

Quæritur an plures poſſint ſimul vnum baptizare.

12 Reſpondeo dicendum, quòd Sacramentum Baptiſmi præcipuè habet virtutem ex forma, quam Apoſtolus nominat verbum vitæ Epheſ. 5. & ideo conſiderare oportet, ſi plures ſimul vnum baptizarẽt, qua forma vterentur; ſi enim dicerent nos te baptizamus, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, dicunt quidam quòd non conferretur ſacramentum Baptiſmi eo quòd non ſeruaretur forma Eccleſiæ, quæ ſic habet, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ſed hoc excluditur per formam baptizandi, qua vtitur Eccleſia Græcorum, poſſunt .n. dicere, Baptizetur ſeruus Chriſti N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. &c. ſub qua forma Græci Baptiſmum ſuſcipiunt; quæ tamen forma multo magis diſſimilis eſt formæ, qua nos vtimur, quã ſi dicatur, nos te baptizamus; ſed conſiderandum eſt, quòd ex tali forma, nos te baptizamus, exprimitur talis intentio, quòd plures conueniant ad vnum Baptiſmum conferendum, quod quidem videtur eſſe contra rationem miniſterij, homo .n. non baptizat, niſi vt miniſter Chriſti, & vicem eius gerens: vnde ſicut vnus eſt Chriſtus, ita oportet eſſe vnum miniſtrum, qui Chriſtum repræſentet, propter quod ſignanter Apoſt. ait Eph. 4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma, & ideo contraria intentio vr̃ excludere Baptiſmi ſacramentum: Si verò vterque diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vterque exprimeret ſuã intentionem, quaſi ipſe ſingulariter Baptiſmũ cõferret, quod poſſet contingere in eo caſu, in quo contentioſè vterque aliquem baptizare conaretur: & tũc manifeſtum eſt, quòd ille, qui prius verba proferret, daret

Baptismi sacramentum, alius verò quantumcunque ius baptizandi haberet, nihil faceret, & si verba pronunciare præsumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator; Si verò omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de intentione Baptismi, quia vterque intenderet non baptizatum baptizare, & vterque quantum est in se baptizaret, nec traderent aliud, & aliud sacramentum, sed Christus, qui est vnus interius baptizans, vnum sacramentum per vtrunque conferret. 3.p.q.67.a.6.in corp.] q.66.a.5.ad 4.) 4.sent.d.3.a.2. quæstiunc.2.ad 3.) d.6. q.2.a.1.quæst.1.ad 3.

Quæritur an vnus possit plures baptizare, & quando.

13 Respondeo dicendum, quòd in casu necessitatis vnus posset simul plures baptizare sub hac forma, Ego vos baptizo: puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quod omnino moram non pateretur, vt sigillatim omnes baptizarentur: nec per hoc diuersificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cum pluraliter dicatur Matthæi vltimo, Baptizantes eos &c. nec est simile de baptizante, & baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est vnus, sed multi per baptismum efficiuntur vnum in Christo. 3.p. q.67.a.6.ad 2.) q.66.a.5.ad 4.) 4.sent.d.3. a.2.quæst.2.ad 2.

Quæritur an aliquis possit se ipsum baptizare.

14 Respondeo dicendum, quòd quamuis posset aliquis non baptizatus baptizare alium, non tamen potest seipsum baptizare, quia nulla res secundùm Augustinũ seipsam gignit, vt sit. Baptismus autem regeneratio quædam est; tum quia non posset seruari forma Ecclesiæ: sed quod Innocentius Tertius in Decretali quadã dicit (Iudæus, qui seipsum in aquam immersit dicens, Ego baptizo me in nomine Patris &c. si decessisset, ad Patriam euolasset) intelligendum est propter vim cõtritionis, & deuotionis, ex cuius magnitudine hoc procedere videbatur, vt inter Iudæos existens quasi periculo mortis se offerret. 4.sent.d.5.quęst.2.a.1 quęstiunc. 3.ad 2.) 3.p.q.82. a.4.ad 2.) opusculo 63. cap. 3.

Quęritur an teneat baptismus, quando vnus immergit, & alter profert verba.

15 Respondeo dicendum, quòd integritas Baptismi consistit in forma verborum, & in vsu materiæ; & ideo neque ille, qui tantùm verba profert, baptizat, neque ille, qui immergit; & ideo si vnus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conueniens, neque enim poterit dici, Ego te baptizo, cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet, neque etiam poterit dici, nos te baptizamus, cum neuter baptizet; si enim duo sint, quorum vnus vnam partem libri scribat, & alius aliam, non erit propria locutio, nos scripsimus librum istum, sed Synecdochica, inquantum totum ponitur pro parte. 3.p.q.67.a.6.ad 3.) a.5.ad 4.

Quæritur an baptismus collatus à malo ministro teneat.

16 Respondeo dicendum, quòd in sacramentis est aliquid, quod est de substantia sacramenti, & aliquid, quod est de cõuenientia sacramenti, & solemnitate; si ergo subtraheretur aliquid, quod est de substantia sacramenti, non erit verum sacramentum; si autem subtraheretur aliquid eorum, quæ requiruntur ad solemnitatem, vel conuenientiam Sacramenti: propter

propter hoc non deſinit eſſe ſacramentũ, vnde cum bonitas miniſtri non ſit de ſubſtantia ſacramenti, quia non omnino certa eſt, ſed quandoque ignorata; ea autẽ, quæ ſunt de ſubſtantia ſacramenti, oportet eſſe certa, patet, quòd ſubtracta bonitate miniſtri adhuc eſt ſacramentum, dummodo alia, quæ ſunt de ſacramenti ſubſtantia, obſeruentur. 4. ſent. d. 5. q. 2. a. 2. quæſt. 1. in corp. & ad 1.

Quęritur an malus miniſter baptizando conferat gratiam.

17 Reſpondeo dicendum; quòd duplex eſt agens, vnum principale, & aliud inſtrumentale; agens autem principale, cũ agàt ſibi ſimile, oportet, quòd habeat formam, quam inducit per ſuam actionem in agẽtibus vniuocis, vel aliquam nobiliorem in agentibus non vniuocis; ſed agens inſtrumentale non opòrtet, quòd habeat formam, quam inducit, vt diſponentem ipſum, ſed ſolùm per modum intentionis, ſicut de forma ſcamni in terra patet, agẽs autem principale in baptizando eſt ipſe Deus per auctoritatem, & ipſe Chriſtus ſecundùm quòd homo, cuius meritum operatur in baptiſmo, & ex plenitudine Diuinæ Bonitatis, & gratiæ Chriſti peruenit gratia ad baptizatum; ſed baptizãs eſt tantùm agens inſtrumentale, vnde non refert ad rem ſacramenti percipiendam, vtrum ipſe gratiam habeat, vel nõ. 4. ſent. d. 5. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 2. in corp.

Quęritur an ęqualis effectus conferatur baptizato per malum miniſtrum, ſicut per bonum.

18 Reſpondeo dicendum, quòd aliquid dicitur effectus alicuius per ſe, & per accidẽs; per ſe quidem effectus alicuius eſt, quod per ipſum ad hoc ordinatum perducitur, ſicut domus ædificatoris; per accidens, quod coniungitur ei, quod eſt effectus per ſe, ſicut ſi habitatio domus dicatur effectus ædificatoris; ſic ergo dico, ꝙ effectus per ſe Baptiſmi æqualis eſt à quocunque detur vel malo, vel bono cæteris paribus ex parte baptizati, ſed cum effectu Baptiſmi poteſt aliquid aliud baptizato conferri ſiue pertineat ad ſalutem corporis, ſiue animæ ex merito baptizantis, & hoc non eſt propriè effectus baptiſmi, quia baptiſmus non eſt cauſa niſi inſtrumentalis, & non eſt inſtrumentum agens in virtute miniſtri, qui & ipſe inſtrumentum eſt in virtute Chriſti, & Dei. 4. ſent. d. 5. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 1. 2. 3. in corp.

Quæritur an Sacerdos baptizans in peccato mortali, peccet mortaliter.

19 Reſpondeo dicendum, quòd quicunque in peccato mortali exiſtens exhibet ſe miniſtrum Eccleſiæ etiam in quocunque ſpirituali, peccat ſecundùm quorundam opinionem ſatis probabilem, & quæ per auctoritatem Dionyſij confirmatur, & ideo Sacerdos baptizans cum ſolemnitate, miniſtrum Eccleſiæ ſe exhibens, peccat mortaliter; ſi autem ſimpliciter baptizet in articulo neceſſitatis, non quaſi miniſter Eccleſiæ, ſed ſicut vetula baptizare poſſet, non peccat. 4. ſent. d 5. q. 2. ar. 2. quæſt. 4. in corp.] 3. p. q. 64. a. 6. ad 3.

Quęritur an intentio miniſtri requiratur in Baptiſmo.

20 Reſpondeo dicendum, quòd quando aliquid ſe habet ad multa oportet, ꝙ per aliquid determinetur ad vnum, ſi illud effici debeat; ea verò, quę in Sacramẽtis aguntur poſſunt diuerſimodè agi, ſicut ablutio aquæ, quę fit in Baptiſmo poteſt ordinari & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiuſmodi: & ideo oportet, quòd determinetur ad vnum, ideſt ad ſacramentalem effectum per intentio-

tentionem abluentis, & hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicitur, Ego te baptizo in nomine Patris &c. 3.p.q.64.a.8. in corp.] 4.sent.d.6.q.1.a.2.quæstiunc.1. in corp.

Quæritur an requiratur recta intentio baptizantis.

21 Respondeo dicendum, quòd intentio ministri potest peruerti dupliciter, vno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentũ conferre, sed derisoriè aliquid agere; & talis peruersitas tollit veritatem sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat: alio modo potest peruerti intentio ministri quantum ad id, quòd sequitur sacramentum, puta si Sacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, vt abutatur ea: & quia prius non dependet à posteriori, inde est, quòd talis intentionis peruersitas veritatem sacramenti non tollit, sed ipse minister ex tali intentione grauiter peccat. 3.p.q.64.a.10.in corp.

Quæritur an liceat dare pecuniam Sacerdoti pro Baptismo in casu necessitatis.

22 Respondeo dicendum, quòd in casu necessitatis licet baptizare puerum etiã mulieri, vnde non debet aliquo modo pro ipso Baptismo Sacerdoti pecuniam dare, & similiter est de adulto, nisi quando potest differri, quousque ad superiorem recurratur, vt ab eo Baptismum suscipiat, cui ex officio competit dare. 4.sent.d.25.q.3.a.2.quæstiunc.1. ad 3.] d.5.q.2.art.2.quæst.5.ad 2.

De baptizandis. Cap. VI.

1 *Pueri contrahunt peccatum originale.*
Pueri baptizandi sunt.

2 *Pueris non est differendus baptismus, & quare.*
Adultis non statim conferendus est baptismus, & quare.
Dilatio baptismi vsque ad Pascha, & Pentecosten est dimittenda duplici ratione.
Adulti in casu necessitatis sunt omni tempore baptizandi.
Expectans baptismum tempore ab Ecclesia præfixo, si morte præueniatur, saluatur per ignem.
Peccat adultus expectans baptismum vltra tempus præfixum, nisi adsit causa necessaria, & facultas Prælatorum.

3 *Pueri Iudæorum habentes vsum rationis propria voluntate sunt baptizandi inuitis parentibus. huiusmodi possunt induci ad suscipiendum baptismum.*
Pueri Iudæorum non habentes vsum rationis non sunt baptizandi inuitis parentibus, & quare.

4 *Infantes existentes in vtero matris non possunt baptizari.*
Non potest in hoc casu ablui corpus matris.

5 *Pueri existentes in vtero matris possunt sanctificari à Deo.*
Mortua mater potest aperiri, vt proles viuens baptizetur.

6 *Non est occidenda mater, vt puer baptizetur.*

7 *Antequam pueri baptizentur expectanda est totalis egressio pueri à corpore matris.*
In casu necessitatis potest baptizari caput, si appareat extra vterum matris.
In hoc casu non est postea rebaptizandus.
Si appareat qualibet alia pars corporis, illa potest baptizari.
Sed in hoc casu post perfectam natiuitatem debet baptizari sub conditione, vt videtur aliquibus.

8 *Quibus peccatoribus est conferendus baptismus, & quibus non.*

9 *Duplex confessio scilicet interior, & exterior.*
Interior confessio requiritur ante baptismum, non autem exterior, & quare.

Si quis velit confiteri exterius, est audiendus, & quomodo.
10 *Baptizatis non est imponenda aliqua satisfactio.*
11 *Furiosi, & amentes à natiuitate, qui nullum habent vsum rationis, sunt baptizandi.*
Furiosi, & amentes, qui erant prius suæ mētis, si tunc habebant desiderium baptismi, sunt baptizandi in furia, & amentia, etiam si tunc contradicant.
Si non habuerunt desiderium baptismi non sunt baptizandi.
Furiosi, & amentes à natiuitate, habentes tamen lucida interualla, si tunc habuerūt desiderium baptismi, sunt baptizandi in sua amentia in casu necessitatis.
Extra casum necessitatis melius est expectare tempus sanitatis.
Si tempore sanitatis non habuerunt desiderium baptismi, non sunt baptizandi in amentia.
Non omnino amentes, qui scilicet possunt cogitare de sua salute, non sunt baptizandi inuiti.
12 *Amentes, qui non habuerunt, nec habent vsum rationis, baptizantur ex intentione Ecclesiæ.*
Amentes, qui habuerunt, vel habent vsum rationis, baptizantur secūdùm propriam intentionem.
13 *Dormientes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat.*
Si tamen in hoc casu, dum vigilabant, habebant desiderium baptismi.
14 *Brutum non potest baptizari.*
15 *Mortuus baptizatus, si resuscitet, non rebaptizatur.*
16 *Non potest quis baptizari pro mortuo infideli.*
17 *Baptizando vnum pro alio, tenet baptismus pro primo.*
18 *Requiritur in baptizato intentio suscipiendi baptismum.*
19 *Duo in anima fiunt per baptismū, & quæ.*
Ad suscipiendam gratiam per baptismum requiritur recta fides in baptizato.
Ad suscipiendum caracterem non requiritur recta fides in baptizato ex necessitate.
20 *Pueri in fide Ecclesiæ baptizantur.*
21 *Baptizati ab hæreticis in debita forma non rebaptizantur.*
Secus autem si non seruetur debita forma.
22 *Qui ludus tollat, & qui non tollat veritatem baptismi.*
23 *Baptizatus per baptismum duo recipit, & quæ.*
In adultis requiritur deuotio, & voluntas, vt illa duo recipiat.
In pueris neutrum illorum requiritur ad vtrunque.
Coactio sufficiens tollit vtrunque, scilicet sacramentum, & rem sacramenti.
Coactio inducens tollit rem sacramenti, & non sacramentum.
24 *Ille, de quo dubitatur an sit baptizatus, debet baptizari.*
25 *Quomodo baptizandus magnus corpore.*
26 *Adultus respondeat per se Sacerdoti, dum baptizatur.*
Puer respondet per alios.
Sacerdos Stolam deferat ad collum dum baptizat.
27 *Muti, surdi, ægroti respondent per alios.*
Potest puer baptizari eadem hora, qua nascitur.
28 *Sacerdos dum profert verba, immergat.*
Sacerdos peccat grauiter omittens verba, & ea, quæ non sunt de essentia Baptismi.
29 *Sacerdos per se immergat, & per se eleuet puerum.*
30 *Baptizatus ab hæretico non priuatur gratia baptismali propter peccatum hæretici.*
Priuatur baptizatus gratia tali per proprium peccatum.
Puer baptizatus ab hæretico recipit sacramentum, & rem sacramenti.
Adultus baptizatus ab hæretico non manifesto, & in casu necessitatis, recipit sacramentum, & rem sacramenti.

Adultus suscipiens baptismum ab hæretico sibi noto non accipit rem Sacramenti.
31 *Ea, quę fiunt in exorcismo, si non fiunt ante baptismum, suppleantur post illum.*

Quæritur an pueri sint baptizandi.

1 RESpondeo dicendum, quòd Apostolus dicit Roman. 5. Si vnius delicto mors regnauit per vnum scilicet per Adam, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt, quod patet ex hoc, quòd sunt mortalitati subiecti, quæ per peccatum primi hominis in omnes pertransijt, vt Apostolus ibidem dicit; vnde multo magis pueri possunt per Christum gratiam recipere, vt regnent in vita æterna; ipse autem Dominus dicit Ioannis 3. Quòd nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei; vnde necessarium fuit pueros baptizari: vt sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo: fuit etiam conueniens pueros baptizari, vt à pueritia nutriti in his, quæ sunt Christianæ vitæ, firmius in ea perseuerent secundùm illud Prouerb. 12. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Et hanc rationem assignat Dionysius vlt. cap. Cœlestis Hierarchiæ. 3. p. q. 68. a. 9. in corp.) p. 2. q. 113. a. 3. ad 1.) 4. sent. d. 4. q. 3. a. 1. quæst. 1. in corp.) d. 9. a 9. quæst. 4. ad 2.) d. 18. q. 1. a. 3. quæst. 1. in corp.) d. 15. q. 2. a. 1. quæst. 2. in corp.) Quodlibeto 4. a. 10. in corp.

Quæritur an sit differendus baptismus.

2 Respondeo dicendum, quòd si pueri sunt baptizandi non est differendum baptisma, primò quidem quia non expectatur in eis maior instructio, aut etiam plenior conuersio; secundò propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subueniri, nisi per sacramentum Baptismi; adultis verò subueniri potest per solum Baptismi desiderium, & ideo adultis non statim cum conuertuntur est sacramentum Baptismi conferendum, sed oportet differre vsque ad aliquod certum tempus; primò quidem propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur sacramentum fictè accedentibus conferens, secundùm illud 1. Ioannis cap. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quæ quidem probatio sumitur de accedentibus ad Baptismum, quando per aliquod spacium eorum fides, & mores examinantur: secundò hoc est necessariũ ad vtilitatem eorum, qui baptizantur, quia aliquo temporis spacio indigent ad hoc, quod plenè instruantur de fide, & exercitentur in his, quæ pertinent ad vitam Christianam: tertiò hoc est necessarium ad quandam reuerentiam sacramenti, dum in solemnitatibus præcipuis scilicet Paschæ, & Pentecostes homines ad Baptismum admittuntur, & ita deuotius sacramentum suscipiunt; hæc tamen dilatio est prætermittenda duplici ratione: primò quidem quando illi, qui sunt baptizandi apparent perfectè instructi in fide, & ad Baptismum idonei, sicut Philippus statim baptizauit Eunuchum, vt habetur Actor. 8. & Petrus Cornelium, & eos, qui cum eo erant, vt habetur Act. 10. secundò propter infirmitatem, aut aliqđ periculum mortis, vnde Leo Papa dicit, Hi qui necessitate mortis, ęgritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragij vrgentur, omni tempore debent baptizari; si tamen aliquis morte præueniatur, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, saluatur, licet per ignem; peccat autem si vltra tempus institutum ab Ecclesia differat accipere Baptismum, nisi ex causa necessaria, & licentia Prælatorum Ecclesiæ,

Eccleſię, ſed tamen & hoc peccatum cum alijs deleri poteſt per ſuccedentem contritionem, quæ ſupplet vicem Baptiſmi. 3.p.q.68.a.3. in corp.) 4.ſent.d.4.q.3.a.1. quæſtiunc.2.in corp.) d.6. q.2. a.1.quæſt. 2.ad 1.

Quæritur an pueri Iudęorum ſint baptizandi inuitis parentibus.

3 Reſpondeo dicendum, quòd pueri infidelium filij aut habent vſum rationis, aut non habent: ſi autem habent iam quãtum ad ea, quæ ſunt iuris Diuini, vel naturalis incipiunt ſuæ poteſtatis eſſe, & ideo propria voluntate inuitis parentibus poſſunt Baptiſmum ſuſcipere, ſicut & Matrimonium contrahere, & ideo tales licitè moneri poſſunt, & induci ad ſuſcipiendum Baptiſmum; Si verò nondum habent vſum liberi arbitrij, secũdum ius naturale ſunt ſub cura parentum, quamdiu ipſi ſibi prouidere non poſſunt; vnde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quòd ſaluabantur in fide parentum. Et ideo contra iuſtitiam naturalem eſſet, ſi tales pueri inuitis parentibus baptizarentur, ſicut etiam ſi aliquis habens vſum rationis baptizaretur inuitus; eſſet etiam periculoſum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes, & ideo non habet hoc Eccleſiæ conſuetudo, quòd filij infidelium inuitis parentibus baptizentur. 3.p.q.68.a.10.in corp.)2.2.q.10.a.12.in corp.) Quodlibeto 2.a.7.in corp.

Quęritur an infantes poſſint baptizari in maternis vteris.

4 Reſpondeo dicendum, quòd de neceſſitate Baptiſmi eſt, quòd corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum Baptiſmus ſit quædam ablutio, corpus autem infantis antequam naſcatur ex vtero non poteſt aliquo modo ablui aqua, niſi fortè dicatur, quòd ablutio baptiſmalis, qua corpus matris lauatur, ad filium in ventre exiſtentem perueniat: ſed hoc eſſe non poteſt, tum quia anima pueri, ad cuius ſanctificationẽ ordinatur Baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris; tum quia corpus puerperij animati iam eſt formatum, & per conſequens à corpore matris diſtinctum; & ideo Baptiſmus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in vtero matris exiſtentem: vnde Auguſtinus dicit contra Iulianum, ſi ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet ita vt eius pars imputetur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata eſt in aliquo mortis vrgente periculo, cum eum geſtaret in vtero. Nunc verò cum ipſe etiam ſcilicet infans baptizetur, non vtique ad maternum corpus, cum eſſet in vtero, pertinebat; & ita relinquitur, quòd nullo modo infantes in maternis vteris exiſtentes baptizari poſſunt. 3.p.q.68.ar. 11.in corp.] 3.ſent.d.3.q.1.a.1.quęſtiunc. 3.ad 1.] 4.ſent. d.1.q.2.a.6.quæſt.2.ad 2.] d.6.q.1 a.1.quæſt.1.in corp.] d.23.q.2.ar. 2.quæſt.1.ad 1.

Quæritur an pueri exiſtentes in maternis vteris poſſint ſanctificari.

5 Reſpondeo dicendum, quòd pueri in maternis vteris exiſtentes nondum prodierunt in lucem, vt cum alijs hominibus vitam ducant, vnde non poſſunt ſubijci actioni humanæ, vt per eorum miniſterium ſacramenta recipiant ad ſalutem: poſſent tamen ſubijci operationi Dei, apud quem viuunt, vt quodam priuilegio gratiæ ſanctificationem conſequantur, ſicut patet de ſanctificatis in vtero. 3. p. quæſt. 68. articulo 11. ad primum.

Quæ-

Quæritur an sit occidenda mater, vt baptizetur infans in vtero existens.

Respondeo dicendum, quòd non sūt facienda mala, vt veniant bona, vt dicitur Roman.3. & ideo non debet homo occidere matrem, vt baptizet puerum: si tamen mater mortua fuerit viuente prole in vtero debet aperiri, vt puer baptizetur. 3.p.q.68.a.11.ad 3.]4.sent.d.6.q.1.a.1.quæst.1.ad 4.

Quæritur an in casu necessitatis possit baptizari qualibet pars pueri.

7 Respondeo dicendum, quòd expectāda est totalis egressio pueri ex vtero ad Baptismum, nisi mors immineat; si tamē primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus; debet baptizari periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit: et videtur idem faciendum, quæcunque alia pars egrediatur periculo imminente; quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quòd propter dubium quacunque alia parte corporis abluta puer post perfectam natiuitatem est baptizandus sub hac forma, Si non es baptizatus, ego te baptizo. 3.p.q.68.a.11. ad 4.]q.66.a.7.ad 3.]4.sent.d.3.a.4.quæstiunc.1.ad 2.]d.6.q.1.art.2.quæstiunc.1. ad tertium.

Quæritur an peccatores sint baptizandi.

Respondeo dicendum, quòd aliquis potest dici peccator dupliciter, vno modo propter maculam, & reatum præteritum, & sic peccatoribus est sacramentum Baptismi conferendum, quia est ad hoc specialiter institutum, vt per ipsum peccatorum sordes mundentur secundùm illud Ephes.5. Mundans eum scilicet Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ; alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato, & sic peccatoribus non est sacramentum Baptismi conferendum; primò quidem, quia per Baptismum homines Christo incorporantur, secundùm illud Galat.3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis: quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi non potest esse Christo coniunctus, secundùm illud 2.Corinth.6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? vnde & Augustinus dicit in lib. de Pœnitentia, Quòd nullus suæ voluntatis arbiter constitutus potest nouam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat: secundò quia in operibus Christi, & Ecclesiæ nihil debet fieri frustra; frustra autem est, quòd non pertingit ad finem, ad quem est ordinatum. Nullus autem habens voluntatem peccandi simul potest à peccato mundari, ad quod ordinatur Baptismus, quia hoc esset ponere contradictoria esse simul: tertiò quia in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas; est autem signum falsum, cui res significata non respondet; ex hoc autem, quòd aliquis lauandum se præbet per Baptismum, significat, quòd se disponat ad interiorem ablutionem, quod non contingit de eo, qui habet propositū persistendi in peccato; vnde manifestum est, quòd talibus sacramentum Baptismi non est conferendum. 3.p.q.68.art.4.in corp.]a.8.ad 4.

Quæritur an peccatores baptizandi teneantur ad confessionem ante Baptismum.

9 Respondeo dicendum, quòd duplex est peccatorum confessio, vna quidem interior, quæ fit Deo, & talis confessio peccatorum requiritur ante Baptismum, vt scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat; non enim potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, vt dicit Augustinus in lib.de Pœnitentia;

tia; alia verò eſt confeſſio peccatorum exterior, quæ fit Sacerdoti,& talis confeſſio non requiritur ante Baptiſmum: primò quidem, quia talis confeſſio, cum reſpiciat perſonam miniſtri, pertinet ad Pœnitentiæ ſacramentum,quod non requiritur ante Baptiſmum, quia eſt ianua omnium Sacramentorum: ſecundò, quia cōfeſſio exterior, quæ fit Sacerdoti, ordinatur ad hoc, quòd Sacerdos confitentem abſoluat à peccatis, & liget ad opera ſatisfactoria,quæ baptizatis non ſunt imponenda; nec etiam baptizati indigent remiſſione peccatorum per claues Eccleſię, quibus omnia remittuntur per Baptiſmũ: tertiò, quia ipſa particularis confeſſio homini facta eſt pęnoſa propter verecundiã confitentis; baptizato autem nulla exterior pęna imponitur, & ideo à baptizatis non requiritur ſpecialis confeſſio peccatorum,ſed ſufficit generalis,quam faciũt; cum ſecundùm ritum Eccleſiæ abrenunciant Sathanæ, & omnibus pompis eius; & hoc modo dicit quædã Gloſa Matth.3. quòd in Baptiſmo Ioannis exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata, & promittendi meliora.Si qui tamen baptizandi ex deuotione ſua peccata confiteri vellent, eſſet eorum confeſſio audienda, non ad hoc, quòd eis ſatisfactio imponeretur, ſed ad hoc, quòd contra peccata conſueta eis ſpiritualis informatio vitæ traderetur. 3.p.q.68.a.6.in corp.] lect.4. ſuper cap.11.Romanorum.

Quæritur an baptizatis ſint imponenda opera ſatisfactoria.

10 Reſpondeo dicendum, quòd Apoſtolus dicit Rom.7. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto in morte ipſius baptizati ſumus;conſepulti enim ſumus ei per Baptiſmum in mortem: ita ſcilicet,quòd homo per Baptiſmũ incorporatur ipſi morti Chriſti. Manifeſtum eſt autem, quòd mors Chriſti ſatisfactoria fuit ſufficienter pro peccatis non ſolùm noſtris, ſed et totius mundi, vt dicitur 1. Ioannis 2. & ideo ei,qui baptizatur pro quibuſcunque peccatis non eſt aliqua ſatisfactio iniungenda;hoc enim eſſet iniuriam facere paſſioni, & morti Chriſti, quaſi ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum. 3.p.q.68.a.5. in corp.] lect.4.ſuper cap.11.Rom.

Quæritur an furioſi,& amentes ſint baptizandi.

11 Reſpondeo dicendum, quòd circa amentes, & furioſos eſt diſtinguendum; quidam enim ſunt à natiuitate tales nulla habentes lucida interualla, in quibus etiam nullus vſus rationis apparet; & de talibus quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem videtur eſſe idem iudicium,quod de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ; alij verò ſunt amentes, qui ex ſana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, & tales ſunt iudicandi ſecundùm voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent; & ideo ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum,debet eis exhiberi in furia, & amentia conſtitutis, etiam ſi tunc actu contradicant; alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi. Quidam verò ſunt, qui etſi à natiuitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamē aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione vti poſſunt; vnde ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt etiam in amentià conſtituti,& debet eis tunc ſacramentum conferri,ſi periculum timeatur, alioquin melius eſt, vt tempus expectetur, in quo ſint ſanæ mentis ad hoc, quòd deuotius ſuſcipiant ſacramentum. Si autem tempore lucidi interualli non appareat in eis volũtas ſuſcipiendi Baptiſmũ, baptizari non debent in amentia conſtituti. Quidam verò ſunt,qui etſi non omnino

nino ſanæ mentis exiſtunt, intantum tamen ratione vtuntur, quòd poſſunt de ſua ſalute cogitare, & intelligere ſacramenti virtutem: & de talibus idem eſt iudiciũ, ſicut de his, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inuiti. 3.p.q.68.a.12.in corp.] 4.ſent.d.6.q.1.ar. 2.quæſt.3.ad 2.] q.28.de verit.a.3.ad 2.

Quæritur qua intentione baptizantur amentes.

12 Reſpondeo dicendum, quòd amentes, qui nunquam habuerunt, nec habent vſum rationis, baptizantur ex intentione Eccleſiæ, ſicut & ex actu Eccleſiæ credũt, & pœnitent; illi verò, qui aliquo tempore habuerunt, vel habent vſum rationis, ſecundùm propriam intentionem baptizãtur, quam habent, vel habuerunt tempore ſanæ mentis. 3.p.q.68,a 12.ad 1.

Quæritur an dormientes ſint baptizandi.

13 Reſpondeo dicendum, quòd dormiẽtes non ſunt baptizandi, niſi periculum mortis immineat, in quo caſu baptizari debent, ſi prius eis voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum, ſicut & de amentibus dictum eſt, ſicut Auguſtinus narrat in 4.lib.Confeſſionum de amico ſuo, qui baptizatus eſt neſciens propter periculum mortis. 3.p.q.68.a.12.ad 3.] 4.ſent.d.4.q. 3.a.1 quæſt.3.ad 3] diſtinct.17.q.1.art.3. quæſt.2.ad 3.] q.25. de malo.a.3.ad 8.

Quæritur an brutum poſſit baptizari.

14 Reſpondeo dicendum, quòd illud, quod eſt ſacramentum in Baptiſmo eſt aliquis effectus inductus in recipiente, cuius creatura irrationalis capax eſſe non poteſt; & ideo ſacramentum Baptiſmi creatura irrationalis neque per ſe, neque per accidens recipit. 4.ſent.d.9.a.2.quęſt. ad 2.

Quæritur an mortuus baptizatus, ſi reſuſcitet, ſit rebaptizandus.

15 Reſpondeo dicendum, quòd ſi baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus moriatur, & reſurgat, non debet iterum eadem ſacramenta accipere. lect.1.ſuper cap.7.ad Romanos.

Quæritur an quis poſſit baptizari pro mortuo infideli.

16 Reſpondeo dicendum, quòd Baptiſmus non habet virtutem ex intentione noſtra, ſed ex intentione Chriſti; intentio autem Chriſti eſt, vt Baptiſmus illis proficiat, qui in Chriſti fide baptizantur. lec. 4.ſuper cap.15. 1.ad Corinth.

Quæritur an baptizando vnum pro alio teneat baptiſmus pro primo.

17 Reſpondeo dicendum, quòd ſi aliquis baptizat Ioannem, & credit baptizare Petrum, nihilominus Ioannes verè baptizatus eſt, quia character baptiſmi nõ cauſatur ex intentione baptizantis directè, ſed ex elemento materiali exterius adhibito; intentio autem operatur ſolùm, vt dirigens elementum materiale ad effectum proprium. 4.ſent.d,30,q.1.a.1.ad 3.

Quæritur an in baptizato requiratur intentio ſuſcipiendi baptiſmum.

18 Reſpondeo dicendum, quòd per Baptiſmum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ nouitatem, ſecundùm illud Rom.6. Cõſepulti ſumus Chriſto per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus; & ideo ſicut ad hoc, quòd homo moriatur veteri vitæ requiritur, ſecundùm Auguſtinum, in habente vſum liberi arbitrij voluntas, qua eum veteris

vitæ

vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ nouitatem, cuius principium est ipsa susceptio sacramenti, & ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, siue intentio suscipiendi sacramentũ. 3.p.q.68. a.7.in corp.

Quæritur an requiratur fides in baptizando.

19 Respondeo dicendum, quòd duo efficiuntur in anima per Baptismum scilicet caracter, & gratia: dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad Baptismum, vno modo sine quo gratia haberi non potest, quæ est vltimus effectus sacramenti, & hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad Baptismum, quia sicut dicitur Rom.3. Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi; alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad Baptismum, sine quo caracter Baptismatis imprimi nō potest; & sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad Baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramenti; non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum, sed per virtutem Dei. 3.p.q.68. a.8. in corp.] 4.sent. d.30. q.1.a.2.ad 2.

Quæritur in fide cuius baptizentur pueri.

20 Respondeo dicendum, quòd sicut Mater Ecclesia accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, vt veniant, & aliorum cor, vt credant, ita etiam accommodat eis aliorum aures, vt audiant, & intellectum, vt per alios instruantur: & eadem ratione sunt cathechizandi, qua sunt baptizandi. 3.p. quæst. 71. art.1. ad secundum.] 4. sentent. distinct. 6. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. prima, & secunda, in corp.

Quæritur an baptizati ab hæreticis sint iterum baptizandi.

21 Respondeo dicendum, quòd Gregorius dicit scribens Quirino Episcopo: Hi hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizant, sicut sunt Bonosiani, & Cataphrygæ (qui scilicet idem sentiebant cum Paulianis, quia & illi Christum Deũ non credunt existimantes ipsum scilicet esse purum hominem, & isti scilicet Cataphrygæ, Spiritum Sanctum peruerso sensu esse purum hominem montanum scilicet credunt) tales, cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptisma non fuit, quod in errore positi Sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt, sed (sicut in regulis Ecclesiasticis dicitur) si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in Sanctæ Trinitatis confessione baptizabant, & veniunt ad Catholicam Fidem, recipiantur vt baptizati. 3. p. q.66. a.9.ad 3.

Quæritur an ludo baptizati debeant iterum baptizari.

22 Respondeo dicendum, quòd ludus aliquando excludit intentionem, & aliquando non; cum enim ludo fieri dicantur, quæ præter intentionem alicuius vtilitatis fiunt, ad solam delectationem ludus baptizantium potest excludere intentionem respectu vtriusque effectus ablutionis, scilicet sacramenti collationis, & rei sacramenti, & tunc non intendit facere, quod facit Ecclesia in collatione sacramenti, & ita talis ludus euacuat intentionem, quæ requiritur in sacramento; vel potest excludere tantùm secundam vtilitatem, vt scilicet velit de hoc ludum suum facere ex eo, quòd Baptismi sacramentum conferat non propter sanctificationem baptizando hoc faciens, & tunc manet intentio, quæ sufficit ad Baptismũ: & propter hoc dubium dixit Augustinus,

implo-

implorandum eſt Diuinum iudicium; & ideo dicitur, quod puer Athanaſius ludendo ſimulans ſe Epiſcopum baptizauit quoſdam,& iudicatum eſt ab Alexandro Epiſcopo, vt non rebaptizarentur, quia inuentum eſt, quòd ipſe intentionẽ baptizandi habuit, quod etiam patet ex hoc, quòd non baptizabat, niſi cathecumenos. 4. ſent. d. 6. in expoſitione litteræ.

Quæritur an baptizati coactè ſint iterum baptizandi.

23 Reſpondeo dicendum, quòd in Baptiſmo baptizatus duo recipit ſcilicet ſacramentum, & rem ſacramenti: ſed ad hæc duo recipienda non requiritur aliquid cauſans ex parte recipientis,ſed ſolùm impedimentum remouẽs, quod quidem impedimentum nil aliud eſt, quàm voluntas contraria alteri prædictorum: & ideo in adultis, & in habentibus vſum rationis, in quibus poteſt eſſe contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, ſiue deuotio ad percipiendam rem ſacramenti, & intentio, vel voluntas ad recipiendum ſacramentum; in pueris autem abſque vtroque percipitur & ſacramentum, & res ſacramenti; & ſimiliter eſt in carentibus vſu rationis, niſi cõtraria voluntas habitu inſit,& ſi non actu; tamen ſciendum, quòd non requiritur in adulto voluntas abſoluta ſuſcipiendi, qđ Eccleſia confert, ſed ſufficit voluntas cõditionata, ſicut eſt in voluntarijs miſſis, vt dicitur in 3. Ethycorum, & ideo ſi ſit coactio ſufficiens,ità quòd principium ſit ex toto extra nil conferente vim paſſo, vt cum aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec ſacramentum ſuſcipit,nec rem ſacramenti; ſi autem ſit coactio inducens ſicut minis, vel flagellis,ita quod baptizatus potius eligat Baptiſmũ ſuſcipere, quam talia pati, tunc ſuſcipit ſacramentum, ſed non rem ſacramenti. 4. ſent. d. 6. q. 1. a. 2. quæſt. 3. in corp.

Quæritur an ille, de quo dubitatur an ſit baptizatus, debeat baptizari.

24 Reſpondeo dicendum, quòd ſi puer inueniatur in Platea,vel Cimiterio,& dubitetur vtrum ſit baptizatus,ſicut ſæpè ſit de expoſitis,& proiectis,baptizari debet. de conſecrat. d. 4. Paruulus. opuſculo 65. cap. 3.

Quæritur quomodo ſit baptizandus magnus corpore.

25 Reſpondeo dicendum, quòd ſi aliquis magnus, & adultus venit ad baptizandum, quem Sacerdos præ mole corporis non poſſit immergere, tunc Sacerdos fundat aquam ſuper corpus eius dicens, Ego baptizo te In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; & ſic recipit Baptiſmũ. opuſculo 65. cap. 3.

Quæritur quid facere debeat adultus dum baptizatur, & Sacerdos dum baptizat.

26 Reſpondeo dicendum, quòd adultus debet reſpondere de fide per ſe, non per alium, cum Sacerdos quærit de articulis fidei dicens, credis in Deum Patrem &c. credis & in Ieſum Chriſtum &c. vt de conſecrat. d. 4. paruulus; ſed paruuli reſpondeant per alios, quia per ſe non poſſunt hoc proferre, de conſecrat. d. 4. paruulus. Habeat autem Sacerdos Orarium, ſiue Stolam ad collum, cum baptizat. 13. diſt. Eccl. Habeat etiam Cereum accenſum, vt oſtendatur ſub typo luminis corporalis lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſicut 21. diſt. Clericos, vel Cleros, vt ex hoc apud homines fides augeatur, ſimiliter extra de celeb. Miſſæ. Sanè. opuſculo 65. cap. 3.

Quæ-

Quæritur quid dicendum de pueris mutis, ſurdis, ægrotis dum baptizantur, & quando eſt baptizandus puer.

27 Reſpondeo dicendum, quòd paruuli delati ad Baptiſmum reſpondeant per alios, quia per ſe non poſſunt; idem eſt de mutis, ſurdis, & ægrotis, qui per ſe non poſſunt, vt de conſecrat. diſt. 4. Paruuli. Poteſt autem dari Baptiſmus quãdoque eadem hora, quãdo natus eſt puer, ne interueniente morte paganus mori valeat, qui redimitur per Baptiſmum, vt de conſecr. diſt. 4. Beati. Generalis autem Baptiſmus non debet celebrari, niſi in Sabbato Sancto, & Sabbato Pentecoſtes, vt de conſecr. diſt. 4. Duo tempora. opuſculo 65. cap. 3.

Quæritur quando Sacerdos debeat immergere puerum.

28 Reſpondeo dicendum, quòd dũ dicit verba baptizando debet immergere in aquam, vt 1. q. 1. Detrahe. cætera verba, quæ adhibentur ante, & poſt Oleum, & Chriſma, non ſunt de ſubſtantia Baptiſmi, ſed de ſolemnitate; ſi tamen Sacerdos illa omittat ex contemptu, peccat grauiter, quia ſunt introducta ex generali conſuetudine Eccleſiæ. de conſecr. d. 4. Sine paruuli: & generales conſuetudines ſeruari debent ſicut Euangelia. vt 11. diſt. Eccleſiaſticarum. opuſculo 25. cap. 3.

Quæritur per quem debeat immergi, & eleuari puer de aqua.

9 Reſpondeo dicendum, quòd ſit Saerdos cautus, vt per ſe immergat, & per : eleuet puerum de ſacro fonte propter ontingens periculum pueri, & poſtea adat eum aſtantibus, & ſciat ſe patrem iritualem pueri, & compatrem parenm ex ſola immerſione, ſicut alij eleuans. 20. q. 1. Omnes, opuſculo 65. cap. 3.

Quæritur an infidelitas baptizantis redundet in baptizatum.

30 Reſpondeo dicendum, quòd ille, qui ab hæretico baptizatur, propter peccatũ hæretici non priuatur gratia baptiſmali, ſed quandoque propter peccatum proprium; vnde ſi ſit puer, in quem culpa actualis non cadit, ſi baptizatur in forma Eccleſiæ, recipit ſacramentum, & rem ſacramenti: ſimiliter ſi ſit adultus, & baptizans non ſit hæreticus manifeſtus, & ab Eccleſia præciſus, vel ſi baptizatus ſit in articulo neceſſitatis; ſi autem ipſum ſciat eſſe hæreticum, & Baptiſmum ab ipſo ſuſcipiat, hoc contingit vel quia fauet hæreſi ſuæ, vel in contemptum Eccleſiæ, vel propter aliquod temporale commodum, & ſic ipſemet peccat; vnde proprio peccato obicem ponit Spiritui Sancto, ne conſequatur rem ſacramenti. 4. ſent. d. 6. q. 1. a. 3. quæſt. 3. in corp.] 3. p. q. 69. a. 6. ad 4.] q. 68. a. 9. ad 2.

Quæritur an ea, quæ fiunt in exorciſmo debeant ſuppleri poſt Baptiſmum, ſi omittantur ante.

31 Reſpondeo dicendum, quòd diſpoſitio ſufficiens ad ſuſcipiendam gratiam baptiſmalem eſt fides, & intentio vel propria eius, qui baptizatur, ſi ſit adultus, vel ipſius Eccleſiæ, ſi ſit paruulus; ea verò, quæ aguntur in exorciſmo ordinantur ad remouendum impedimenta; & ideo ſine eo poteſt aliquis conſequi effectum Baptiſmi; non tamen ſunt huiuſmodi prætermittenda, niſi in neceſſitatis articulo, & tunc ceſſante periculo debent ſupplere, vt ſeruetur vniformitas in Baptiſmo: nec fruſtra ſupplentur poſt Baptiſmum, quia ſicut impeditur effectus Baptiſmi antequã percipiatur, ita poteſt impediri poſtquam fuerit perceptus. 3. p. q. 71. artic. 3. ad tertium.

De leuantibus de Fonte sacro. Cap. VII.

1 *Necesse est dari patrem spiritualem in baptismo.*
Officia patris spiritualis.
2 *Pater spiritualis sit alius à carnali, nisi necessitas velit oppositum.*
3 *Vnus sit susceptor, licèt possint etiam alij assumi vt coadiutores.*
4 *Vir non debet esse patrinus filij suæ vxoris.*
Nec è conuerso.
Si tamen oppositum faciant non sunt separandi.
5 *In quo casu susceptor debeat esse doctus.*
Non baptizatus non potest suscipere in baptismo.
6 *Patrini tenentur instruere puerum de fide, & charitate.*
7 *Leuans de fonte sacro assumit officium pedagogi.*
Leuans de fonte tenetur instruere puerum inter infideles nutritum.
Si puer nutriatur inter fideles, excusatur patrinus ab hoc officio.
Si parentes carnales non instruerent puerũ, & hoc sciret eius patrinus, tenetur ipse prouidere saluti sui filij.
8 *Quid promittit, & profitetur patrinus in baptismo pueri.*
9 *Cognatio spiritualis contrahitur inter baptizatum, & leuantem de fonte.*
10 *Qui est patrinus in baptismo, potest etiam esse patrinus in confirmatione.*
11 *Pater, vel mater baptizantes puerum in mortis articulo, non sunt propter hoc separandi.*
Si tamen alium inuenire non potuerint, qui baptizaret.
12 *Filia carnalis Sacerdotis non potest cõtrahere matrimonium cũ baptizato ab ipso.*
Matrimonium inter eos factum, & consumatum dissoluitur.

Quæritur an necesse sit dari patrinum in baptismo.

1 Respondeo dicendum, quòd spiritualis regeneratio, quæ fit per Baptismũ assimilatur quodã modo generationi carnali; vnde dicitur 1. Petri 2. Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite: in generatione autem carnali paruulus nuper natus indiget nutrice, & pedagogo; vnde & in spirituali generatione Baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pedagogi informando, & instruendo eum quasi nouitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam, ad quod Prelati Ecclesię vacare non possunt circa cõmunem curam populi occupati. Paruuli enim, & nouitij indigent speciali cura præter communem; & ideo requiritur, quòd aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem, & tutelam; & hoc est, quod Dionysius dicit vltimo cap. Cœlestis Hierarchiæ. Diuinis nostris Ducibus (idest Apostolis) ad mentem venit, & visum est suscipere infantes secundùm istum sanctum modum, quòd naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in Diuinis pedagogo, & reliquum sub ipso puero ageret, sicut sub diuino patre, & saluationis sanctæ susceptore. 3. p. q. 67. a. 7. in corp.

Quæritur an pater spiritualis debeat esse alius à patre carnali.

2 Respondeo dicendum, quòd sicut est alia generatio spiritualis à carnali; ita etiam debet esse alia disciplina secũdùm illud Hebr. 13. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos, non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus: & ideo alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat. 3. p. q. 67. a. 8. ad 2.

Quæ-

Quæritur quot debeant eſſe ſuſceptores in baptiſmo.

3 Reſpondeo dicendum, quòd confuſio eſſet diſciplinæ, niſi eſſet vnus principalis instructor: & ideo in Baptiſmo vnus debet eſſe principalis ſuſceptor; alij tamen poſſunt admitti, quaſi coadiutores. 3.p.q.67. a.8.ad 3.

Quæritur an vir poſſit eſſe patrinus filij vxoris ſuæ, & è conuerſo, & ſi ſint, an ſint ſeparandi.

4 Reſpondeo dicendum, quòd cauere debet Sacerdos, ne vir teneat filium vxoris ſuæ ad Baptiſmum, ſiue habeat de ſe, ſiue de alio, neque vxor filium viri ſui; ſi tamen factum fuerit ex ſimplicitate, vel ex malitia, non ſunt propter hoc ſeparandi, vt 30.q.1.dictum, & extra de cogn ſpirituali cap. Si quis. opuſculo 65.cap.3.

Quæritur in quo caſu ſuſceptor debeat eſſe doctus in Diuinis.

Reſpondeo dicendum, quòd vbi imminet periculum oporteret eſſe aliquem doctum in Diuinis, ſicut Dionyſius dicit, qui baptizatum de ſacro fonte ſuſciperet; ſed vbi hoc periculum non immineret propter hoc, quòd pueri nutriuntur inter Catholicos, admittitur quicunque ad hoc officium, quia ea, quæ pertinent ad Christianam vitam, & fidem, publicè omnibus nota ſunt; & tamen ille, qui non eſt baptizatus, non poteſt ſuſcipere baptizatum, vt declaratum in Concilio Maguntino; et nô baptizatus poſſit baptizare, quia perſona baptizâtis eſt de neceſſitate ſacramenti, non autem perſona ſuſcipientis. quæſt. 67. artic. 8. ad primum.] 4. ſent. diſtinct. 42. quæſt. 1. a. 3. queſtiunc. ad tertium.

Quæritur de quibus teneantur inſtruere patrini puerum.

6 Reſpondeo dicendum, quòd compaterni, qui confitentur fidem pro puero in Baptiſmo, tenentur inſtruere ipſum puerum iam adultum de fide, & charitate, vt de conſecrat. d.4. Vos autem omnia. opuſculo 65. cap.3.

Quæritur an patrini poſſint aliquando excuſari, ſi non doceant pueros.

7 Reſpondeo dicendum, quòd vnuſquiſque obligatur ad exequendum officium, quod accepit: dictum eſt autem, quòd ille, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pedagogi, & ideo obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſſitas immineret, ſicut eo tempore, & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur; ſed vbi nutriuntur inter Catholicos Christianos, ſatis poſſunt ab hac opera excuſari præſumendo quòd à ſuis parentibus diligenter inſtruantur; ſi tamen quocunque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundùm ſuum modum ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere. 3.p.q.67.a.8.in corp.

Quæritur quid promittit, vel profiteatur patrinus in baptiſmo.

8 Reſpondeo dicendum, quòd ille, qui pro puero baptizato reſpondet, Credo, non prædicit puerum crediturum, cum ad legitimos annos peruenerit, alioquin dicet, Credet, ſed profitetur fidem Eccleſiæ in perſona pueri, cui communicatur, cuius ſacramentum ei tribuitur, & ad quã obligatur per alium: non eſt enim inconueniens, quòd aliquis obligetur per alium in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis: ſimiliter etiam patrinus pro puero reſpondens, promittit operam daturum ad hoc, quòd puer credat, quod tamen non ſuffi-

ueret in adultis vsum rationis habētibus. 3.p. q.71. a.1.ad tertium.

Quaritur an contrahatur cognatio spiritualis inter baptizatum,& leuantem de sacro fonte.

9 Respondeo dicendum, quòd sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex patre, & matre; ita in generatione spirituali aliquis renascitur filius Dei sicut patris, & Ecclesiæ sicut matris. Sicut autem ille, qui sacramentum confert, gerit personam Dei,cuius instrumentum, & minister est;ita ille,qui baptizatum suscipit de sacro fonte,aut confirmandum tenet, gerit personam Ecclesiæ,vnde ad vtrumque spiritualis cognatio contrahitur. 4. sent. sent.d.42.q.1.a.3. quæstiunc.1.in corp.

Quęritur an tenens ad Baptismum,possit etiam tenere ad Confirmationem.

10 Respondeo dicendum, quòd potest ille idem, qui tenuit puerum ad Baptismum,tenere ad Chrisma: cum ex pluribus filijs aliquis compater fieri possit. de consecrat.d.4.in Cathechismo: ille tamē, qui non baptizatur, vel chrismatur, nec ad Baptismum, nec ad Chrisma tenere potest. vt de consecrat.d.4. In Baptismate. opusculo 65. cap.3.

Quaritur an pater, vel mater in articulo mortis baptizantes puerum sint separandi.

11 Respondeo dicendum, quòd si pater,vel mater filium baptizauerit in mortis articulo, cum non potest habere alium,qui baptizaret, non sunt separandi, nec aliquo modo peccauerunt.vt 30.1.ad limina.opusculo 65.cap.3.

Quaritur an filia carnalis Sacerdotis possit contrahere matrimonium cum baptizato ab ipso.

12 Respondeo dicendum, quòd filia carnalis Sacerdotis contrahere non potest cum baptizato ab ipso, & matrimonium contractum, & consumatum dissoluitur, sicut inter filios duorum compatrum.extra de cogn.spirit.Ex litteris.opusculo 65.cap.3.

De triplici Baptismo, & de modo baptizandi in aqua. Cap. VIII.

1 *Triplex Baptismus scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis.*

2 *Baptismus sanguinis est potissimus omniū.*

3 *Praeminentia Baptismi sanguinis in quo consistat.*

4 *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi,si sit sine charitate.*

5 *Baptismus sanguinis in quo dicatur supplere pro baptismo aquæ.*

6 *Baptismus sanguinis, & flaminis valent, quando adest propositum suscipiendi Baptismū aqua, & non potest actu suscipi.*

7 *Absolutè non sufficit Baptismus flaminis ad salutem.*

In casu necessitatis sufficit ad salutem.

8 *Baptismus aquę pōt fieri tribus modis,s.per immersionē per aspersionē, per effusionē.*

Communis modus est per immersionem.

In quibus casibus fiat per aspersionem, & effusionem.

Immersio non est de necessitate Baptismi.

9 *Trina immersio non est de essentia Baptismi.*

Peccat grauiter omittens trinā immersionē.

10 *Per tres immersiones non triplicatur Baptismus.*

Si tamen per singulas tres immersiones intenderet ter baptizare, & proferret ter verba formæ, erit triplex Baptismus, & talis peccat.

Inten-

11 *Intendens ter immergere, per primam puer non eſt baptizatus.*
Si intendat baptizare per primam immerſionē, illa cōpleta eſt cōpletus baptiſmus.
12 *Si ſit pauca aqua ſufficit perfundere caput.*
Non ſunt aſpergenda potius membra genitalia, quàm caput.
13 *De neceſſitate baptiſmi eſt forma, miniſter, & vſus aquæ.*
Cætera, quæ fiunt in baptiſmo, ſunt ad ſolemnitatem, & hoc propter tria.
14 *Quattuor obſeruabantur circa baptiſmum in primitiua Eccleſia; primum pertinet ad cathechiſmum; ſecūdum ad exorciſmū; tertium ad baptiſmum; quartum ad baptiſmi complementum.*
15 *Quid nunc ſit ablatum, vel additum ad ea, quæ fiebant in primitiua Eccleſia.*
16 *Baptiſmum præcedere debet cathechiſmus.*
17 *Exorciſmus debet præcedere baptiſmum.*
18 *In quibus partibus vngatur baptizatus.*
Quid ſignificent illę vnctiones.
19 *Baptiſmus non poteſt iterari, & quare.*

Quæritur quotuplex ſit baptiſmus.

1 RESpondeo dicēdum, ꝙ Baptiſmus aquę efficaciam habet à paſſione Chriſti, cui aliquis configuratur per Baptiſmum, & vlterius ſicut à prima cauſa à Spiritu ſancto. Licèt aūt effectus depēdeat à prima cauſa, cauſa tñ ſuperexcedit effectum, nec dependēt ab effectu: & iō pręter Baptiſmū aquę pōt aliquis conſequi ſacramēti effectū ex paſſione Chriſti inquantū quis ei conformatur pro Chriſto patiēdo, vnde dr̄ Apocalypſ. 10. Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Eadem ēt ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti conſequitur effectū Baptiſmi non ſolùm ſine Baptiſmo aquę, ſed etiam ſine Baptiſmo ſanguinis, inquātum ſcilicet alicuius cor per Spiritum Sāctum mouetur ad credendum, & diligendum Deū, & pęnitendum de peccatis; vnde etiam dr̄ Baptiſmus pęnitentiæ, & de hoc dicitur Iſaiæ 4. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. Sic igitur vtrūque aliorum Baptiſmatum nominatur Baptiſmus inquantum ſupplet vicem Baptiſmi aquæ; vnde dicit Auguſt. in 4. lib. de vnico Baptiſmo paruulorum, Baptiſmi vicē aliquando implere paſſionē; vt de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt, Hodie mecum eris in Paradiſo. B. Cyprianus nō leue documentum aſſumit, quod etiā, atq; etiam conſiderans, inuenio non tantùm paſſionē pro nomine Chriſti id, qđ Baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidē, confeſſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt. 3. p. q. 66. a. 11. in corp.] 4. ſent. d. 4. q. 3. a 3. quæſtiunc. 1. in corp.] Quodlibeto 6 art. 8. in corp.] lect. 1. ſuper cap. 3. Ioannis] lect. 1. ſuper cap. 6. ad Hebræos.

Quæritur quiſnam horum baptiſmatum ſit potiſſimum.

2 Reſpondeo dicendum, ꝙ effuſio ſanguinis pro Chriſto, & operatio interior Spiritus Sancti dicuntur Baptiſmata inquantum efficiunt effectū Baptiſmi aquę; Baptiſmus autem aquæ efficaciam habet ex paſſione Chriſti, & à Spiritu Sācto, quę quidem cauſæ operantur in quolibet horum trium Baptiſmatum, excellentiſſimè tamen in Baptiſmo ſanguinis; nam Paſſio Chriſti operatur quidem in Baptiſmo aquæ per quandam figuralem repræſentationem; in Baptiſmo autem flaminis, vel pœnitentiæ, per quandam affectionem; ſed in Baptiſmo ſanguinis per imitationem operis; ſimiliter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in Baptiſmo aquæ per quandam virtutem latentem; in Baptiſmo autem pęnitentiæ per cordis commotionem; ſed in Baptiſmo ſanguinis

per potissimum dilectionis affectum secundùm illud Ioannis 15. maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animā suam ponat quis pro amicis suis. 3.p. q. 66. art.12. in corp.] lect.1. super cap.6. ad Hebræos.

Quæritur in quo consistat praeminentia Baptismi *sanguinis.*

3 Respondeo dicendum, quòd Baptismus sanguinis non habet præeminentiā secundùm rationem sacramenti, sed quātum ad sacramenti effectum. 3. p. q.66. art.12. ad primum.

Quæritur quando effusio sanguinis habeat rationem Baptismi.

4 Respondeo dicendum, quòd effusio sanguinis non habet rationem Baptismi si sit sine charitate, ex quo patet, quòd Baptismus sanguinis includit Baptismum Flaminis, & non è conuerso, vnde ex hoc ipso probatur perfectior. 3.p. q.66. a.12. ad 2.] 4.sent. d.4.q.3.a.3.quæst.3.in corp.

Quæritur in quo suppleat Baptismus *sanguinis pro Baptismo aquæ.*

5 Respondeo dicendum, quòd Baptismus aquæ efficaciam habet à passione Christi, inquantum eam sacramentaliter repræsentat; Baptismus autem sanguinis passioni Christi conformat realiter, non sacramentali repræsentatione: & ideo in his, quæ sacrementalia sunt Baptismus sanguinis non supplet vicem Baptismi aquæ, sicut est impressio caracteris, & huiusmodi: sed in eo, quòd est res tantùm, supplet totaliter vicem Baptismi aquæ, quando articulus necessitatis sacramentum excludit; sicut enim in Baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente, & pœna, ita in Baptismo sanguinis. 4.sent.d.4.q.3.a.3.quæst.3.in corp.

Quæritur quando valeant Baptismus pœnitentia, & sanguinis.

6 Respondeo dicendum, quòd Baptismus sanguinis, & Baptismus pœnitentiæ habent vim eandem regenerandi cum Baptismo aquæ, quia Baptismus sanguinis, & pœnitentiæ non valent ad regenerationem, nisi ei, qui habet Baptismum aquæ in proposito, scilicet quando articulus necessitatis, non contemptus religionis sacramentum excludit, & sic quodammodo agunt vi Baptismi aquæ. 4.sent.d.4.q. 3.a.3.quæst.1.ad 1.

Quæritur an Baptismus flaminis sufficiat ad salutem.

7 Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur ad salutem sufficere dupliciter, vno modo simpliciter, & absolutè, & sic Baptismus pęnitētiæ sine Baptismo aquæ non sufficit ad salutem; alio modo secundùm quid, & in casu, & sic sufficit quando articulus necessitatis sacramentum excludit, nec actu percipi possit; tunc enim quamuis sit pœnitentia sine Baptismo actu, est tamen cum desiderio, & proposito Baptismi, & voluntas pro facto reputatur ei, qui non habet tempus operandi. 4. sent.d.4.q.3.a.3.quæst.2.in corp.

Quæritur quot modis possit fieri Baptismus aquæ.

8 Respondeo dicendum, quòd aqua assumitur in sacramento Baptismi ad vsum corporalis ablutionis, per quam significatur interior ablutio peccatorum; ablutio autem fieri potest per aquam non solùm per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis: & ideo quamuis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior vsus) potest tamen fieri Baptismus per modum aspersionis, vel etiā per

modum

modum effuſionis ſecundùm illud Ezechielis 36. Effundam ſuper vos aquam mundam; ſicut B. Laurentius legitur baptizaſſe: & hoc præcipuè propter neceſſitatem, vel quia eſt magna multitudo baptizandorum, vt patet Act.2.& 4. vbi dicitur, quòd crediderunt vna die tria millia. Quandoque autem poteſt imminere neceſſitas propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem miniſtri, qui non poteſt ſuſtentare baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi, cui poſſet imminere periculum mortis ex immerſione; & ideo dicendum eſt, quòd immerſio non eſt de neceſſitate Baptiſmi. 3.p. q.66.a.7. in corp.] 4.ſent. d.3.q 1.a.4. quæſtiunc.1. in corp.

Quæritur an trina immerſio ſit de neceſſitate baptiſmi.

9 Reſpondeo dicendum, quòd ad Baptiſmum per ſe requiritur ablutio aquæ, quæ eſt de neceſſitate ſacramenti; modus autem ablutionis per accidens ſe habet ad ſacramentum: & ideo quantum eſt de ſe vtrumque licitè fieri poteſt, ſcilicet & ſemel, & ter immergere, quia vnica immerſione ſignificatur vnitas mortis Chriſti, & vnitas Deitatis; per trinam autem immerſionem ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti, & etiam Trinitas Perſonarũ. Sed diuerſis ex cauſis ſecundùm ordinationem Eccleſiæ quandoque inſtitutus eſt vnus modus, quandoque alius; quia.n. à principio naſcentis Eccleſię quidam de Trinitate malè ſentiebant, Chriſtum purum hominem eſſe exiſtimantes, nec dici filium Dei, & Deum, niſi propter meritũ eius, quod præcipuè fuit in morte, & ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, ſed in commemoratione mortis Chriſti, & vna immerſione, quod reprobatum fuit in primitiua Eccleſia; vnde in Canonibus Apoſtolorum legitur: Si quis Presbyter, aut Epiſcopus non trinam immerſionem vnius miniſterij, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari à quibuſdam dicitur in morte Domini, deponatur; non enim nobis dixit Dominus, in morte mea baptizate, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Poſtmodum verò inoleuit quorundam ſchiſmaticorum, & hæreticorum error homines rebaptizantium, ſicut de Donatiſtis Auguſtinus narrat ſuper Ioannem: & ideo in deteſtatione erroris eorum fuit ſtatutum in Concilio Toletano, quòd fieret vna ſola immerſio, vbi ſic legitur: Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis vſum, ſimplam tenemus Baptiſmi immerſionem; ſed ceſſante tali cauſa communiter obſeruatur in Baptiſmo trina immerſio: & ideo grauiter peccaret aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſię non obſeruans, nihilominus tamen eſt Baptiſmus. 3.p. q. 66.a.8.in corp.] 4.ſent. d.3.a.4.quæſt.2.in corp.] d.23.q.1.a.1.quæſt.2.in corp.

Quæritur an per tres immerſiones trinus detur Baptiſmus.

10 Reſpondeo dicendum, quòd intentio requiritur ad Baptiſmum: & ideo & intentione miniſtri Eccleſiæ, qui intendit vnum Baptiſmum dare trina immerſione, efficitur vnum Baptiſma, vnde Hieronymus dicit ſuper Epiſtolam ad Phylippenſes, licet ter baptizetur, ideſt immergatur propter miſterium Trinitatis, tamẽ vnum Baptiſma reputatur: ſi verò intenderet ad vnamquamque immerſionem vnum Baptiſma dare, ad ſingulas immerſiones repetens verba formæ, peccaret, quantum in ſe eſt pluries baptizans. 3.p. q.66.a.8.ad 3.] 4 ſent. d 3. a.4. q 3. ad 3.] d.8.q.2.a.4.q.1.ad 3.] 3.p.q.78.a.6.ad 2.

Quæritur in qua immerſione compleatur Baptiſmus.

11 Reſpondeo dicendum, quòd vnitas

intentionis in tribus immersionibus facit vnitatem Baptismi; & ideo quando aliquis intendit ter immergere, prima immersio non terminat intentionem baptizantis, & per consequens nec esse Baptismi completur, nec per illum tantùm habet effectum, nisi per ordinem ad alias, vnde aliæ non superfluunt; si autem non intendit nisi vnam facere, prima sola complet Baptismum terminans intentionem baptizantis. 4. sent. d. 3. a. 4. quæst. 3. ad 3.

Quæritur an sufficiat immergere caput.

12 Respondeo dicendum, quòd principalis pars corporis præcipuè quantum ad exteriora membra est caput, in quo vigent omnes sensus, & interiores, & exteriores; & ideo si totum corpus aqua non possit perfundi propter aquæ paucitatē, vel propter aliquam aliam causam, oportet caput perfūdere, in quo manifestatur principium animalis vitæ; & licèt per mēbra, quæ generationi deseruiunt, peccatū originale traducatur, non tamen sunt mēbra illa potius aspergenda, quàm caput, quia per Baptismum non tollitur transmissio originalis in prolem per actum generationis, sed liberatur anima a macula, & reatu peccati, quod incurrit: & ideo debet præcipuè lauari illa pars corporis, in qua manifestantur opera animæ. In veteri autem lege remedium contra originale peccatum institutum erat in membro generationis, quia adhuc ille, per quē originale erat amouendū, nasciturus erat ex semine Abrææ, cuius fidē circumcisio significabat, vt dicitur Rom. 4. 3. p. q. 66. a. 7. ad 3.) 4. sent. d. 3. a. 4. quæst. 1. ad 2. & 3.

Quæritur quæ sint necessaria in baptismo, & quæ ad solemnitatem.

13 Respondeo dicendum, quòd in sacramento Baptismi aliquid agitur, quod est de necessitate sacramenti, & aliquid est, quod ad quandam solemnitatem sacramenti pertinet; de necessitate quidem sacramenti est forma, quæ designat principalem causam sacramenti; & minister, qui est causa instrumentalis; & vsus materiæ, scilicet ablutio in aqua, quæ designat principalem sacramenti effectum; cætera verò omnia, quæ in ritu baptizandi obseruat Ecclesia, magis pertinent ad quandā solemnitatem sacramenti. Quæ quidem adhibentur sacramento propter tria, primò quidem ad excitandam deuotionem fideliū, & reuerentiam ad sacramentū; si n. simpliciter fieret ablutio in aqua absq. solemnitate, de facili ab aliquibus æstimaretur quasi quædam cōis ablutio: secundò ad fidelium instructionem; simplices enim, qui litteris non erudiūtur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas, & aliqua huiusmodi, & per hunc modum per ea, quæ in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel solicitantur ad quærendum de his, quę per sensibilia signa significantur: & ideo quia præter principalem sacramenti effectum oportet quædam alia scire circa Baptismum, conueniens fuit, vt etiam quibusdam exterioribus signis repræsentarentur: tertiò quia per orationes, & benedictiones, & alia huiusmodi cohibetur vis Dæmonis ab impedimento sacramentalis effectus. 3. p. q. 66. a. 10. in corp.) 4. sent. d. 2. q. 1. ar. 2. ad 7.) d. 6. q. 2. a. 1. quæst. 1. in corp.

Quæritur quid obseruabatur in primitiua Ecclesia circa baptismum.

14 Respondeo dicendum, quòd Dionysius prosequitur ritum Baptismi, qui in primitiua Ecclesia seruabatur in solemni celebratione Baptismi, quando adulti ad Baptismum veniebant; & ideo quatuor per ordinem ponit, quorum primum pertinet ad Cathechismum, secundum ad Exorcismum, tertium ad Baptismum, quartum ad Baptismi complementum.

Quan-

Quantum ad Cathechiſmum pertinent hæc, primo inſtructio de fide per prędicationem Epiſcopi; ſecundo conuerſio infidelis ad fidem, & acceſſus ad Epiſcopū mediante Patrino, quem Anadochum dicit; tertio gratiarum actio, & oratio ab Epiſcopo, & clericis facta; quarto petitio Baptiſmi, & profeſſio obſeruantiæ Chriſtianæ religionis; quinto manus impoſitio, & ſignatio eius ſigno Crucis; ſexto conſcriptio baptizandi, & Anadochi. Sed quantum ad Exorciſmum ponuntur quattuor, primo effufflatio verſus occidentalem partem, & abrenunciatio; ſecundo manuum ad cœlum erectio, cum ſacra confeſſione fidei, & profeſſione Chriſtianæ religionis; tertio oratio, benedictio, & manus impoſitio; quarto denudatio, & vnctio Oleo Sancto: quod dicitur ad cathecumenos; ſed quantum ad Baptiſmum ponit trinam immerſionem cum alijs, quæ requiruntur ad Baptiſmum; quantum verò ad perfectionem Baptiſmi, quæ conſequitur, ponit tria, ſcilicet, veſtis traditioné, linitionem Chriſmatis in vertice, & Euchariſtiæ perceptionem. 4. ſent. d. 6. q. 2. a. 1. quæſt. 3. in corp.

Quæritur quid nunc ſit ablatum, & additum ad ſupradicta.

15 Reſpondeo dicendum, quòd de illis ſacramentalibus, quæ pertinent ad ſolemnitatem Baptiſmi, quędam fuerunt in primitiua Eccleſia, quæ nunc non ſunt, & quædam poſtea ſuperaddita ſunt; vnde in exorciſmo aliquid ſubtractum eſt, vt patet per ritum, quem docet Rabanus, ſcilicet conuerſio ad occidentalem partem, & orientalem; & aliquid additum, ſcilicet ſalis cibatio, & aurium, & naris ſputo linitio ad deſignandum remotionem illorum, quæ precipuè poſſunt impedire fidei doctrinam, cuius ſacramentum percipiendum eſt; poteſt .n. impediri ne recipiatur, & contra hoc adaperiuntur aures ſputo ad recipiendū fidem ex auditu per verbum Dei, & nares ad quærendum doctrinam fidei per odoré bonū notitię ſuæ ſparſum in conuerſatione, & doctrina Sāctorum ad ſimilitudinem eius, ꝙ Dominus luto ex ſputo facto liniuit oculos cęci nati; ideo autem oculi non liniuntur, qui viſus inuentioni ſeruit; fides aūt non eſt per inuentionem humanam; poteſt ét impediri diuulgatio fidei in cōfitentibus, & docentibus ipſā, & ideo apponitur in ore ſal diſcretionis, vt omnis ſermo fideliū ſit ſale conditus. 4. ſent. d. 6. q. 2. a. 1. q. 3. ad 3.

Quæritur an Cathechiſmus debeat præcedere baptiſmum.

16 Reſpondeo dicendum, quòd Baptiſmus eſt fidei Chriſtianæ ſacramentum, cū ſit quædam profeſſio fidei Chriſtianæ; ad hoc autem quòd aliquis fidem accipiat requiritur, quòd de fide inſtruatur ſecundùm illud Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo auté audient ſine prędicante? & ideo ante Baptiſmum conuenienter præcedit cathechiſmus; vnde & Dñs præceptum baptizandi diſcipulis tradens, pręmittit doctrinā Baptiſmo dicens, Euntes docete oēs gentes baptizantes eos &c. 3. p. q. 71. a. 1. in corp.

Quæritur an Exorciſmus debeat præcedere baptiſmum.

17 Reſpondeo dicendum, quòd quicunque ſapienter aliquod opus facere proponit prius remouet impedimenta ſui operis; vnde dicitur Hierem. 4. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Diabolus auté eſt hoſtis humanę ſalutis, quę homini per Baptiſmum exhibetur, & habet poteſtaté aliquam in hominem ex hoc ipſo, ꝙ ſubditur originali peccato, vel ét actuali: vnde cōuenienter ante Baptiſmū expellūtur Demones ꝑ exorciſmos, ne ſaluté hoīs impediāt, q̃ quidé expulſioné ſigni-

significat essufflatio. Benedictio autem cum manus impositione præcludit expulso viam ne redire possit; Sal autem in os missum, & narium, & aurium sputo linitio significat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures,& approbationẽ quantum ad nares, & confessionem quantum ad os;olei verò inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra Dęmones.3.p.q.71.a.2,in corp.

Quæritur in quibus partibus inungi debeat baptizandus.

18 Respondeo dicendum, quòd vsus olei, vel Chrismatis adhibetur ad quandam solemnitatem,nam primò baptizandus inungitur oleo sancto & in pectore, & in scapulis quasi athleta Dei, vt Ambrosius dicit in libro de Sacramentis, sicut pugiles inungi consueuerunt;vel sicut Innocentius dicit in quadam Decretali de sacra Vnctione, Baptizandus in pectore inungitur, vt per Spiritus Sancti donũ errorem abijciat, & ignorantiam, & fidẽ rectam suscipiat,quia iustus ex fide viuit; Inter scapulas autem inunguntur, vt per Spiritus Sancti gratiam excutiant negligentiam,& torporem,& bonam operationem exerceant, quia fides sine operibus mortua est, vt per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, & fortitudo laborum in scapulis; post Baptismum verò (vt Rabanus dicit) statim signatur in cerebro à Presbytero cum sacro Chrismate, sequente simul & oratione, vt Christi regni particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari: vel sicut Ambrosius dicit: Vnguentum super caput effunditur, quia sapientis sensus in capite eius,vt scilicet sit paratus omni petenti de fide reddere rationem. 3.p.q.66. a.10.ad 2.

Quæritur an Baptismus debeat iterari.

19 Respondeo dicendum,quòd Baptismus iterari non potest, primò quidem quia Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, prout scilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit nouam vitam agere, vnde dicitur Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei; vnius autem nõ est nisi vna regeneratio: & ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio; vnde Augustinus dicit super illud Ioannis 3 Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire,& renasci: sic tu (inquit) intellige natiuitatem spiritus,quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis; quomodo enim vterus non potest repeti, sic nec Baptismus: secundò quia in morte Christi baptizamur,per quam morimur peccato, & resurgimus in nouitatem vitæ;Christus autem semel tantùm mortuus est: & ideo Baptismus iterari non debet; propter qđ Hebræorum 6. contra quosdam rebaptizare volentes dicitur, rursus crucifigentes sibimet ipsis filium Dei; vbi Glossa dicit; vna Christi mors vnum Baptisma cõsecrauit: tertiò quia Baptismus imprimit caracterem, qui est indelebilis, & cũ quadam consecratione datur;vnde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec Baptismus: & hoc est,quòd Augustinus dicit in 2.contra Epistolam Parmeniani, quòd caracter militaris, non repetitur,& quòd non minus hæret sacramentum Christi, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec Apostatas carere Baptismate, quibus vtique per pœnitentiã redeuntibus,non restituitur: quartò quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum: & ideo sicut originale peccatum non iteratur,ita etiam nec Baptismus iteratur, quia vt dicitur Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam

ſtitiam in homines in iuſtificationem vitæ. 3.p.q.66. a.9.in corp.] q.49.a.3.ad 2.] q.80.a.10.ad 1.] q.82.a.8.in corp.] q.84. a.10. ad 5.] 4.ſent.d.6.q.2.a.1. quæſt.1. in corp.] d.14.q.1. a.4. quæſt.3.in corp.] 4. contra gentes cap.59.]lect.2.ſuper cap.4. ad Epheſios] lect. 1. ſuper cap.6. ad Hebræos]lect.1.ſuper cap.3.Ioannis.

De effectu Baptiſmi. Cap. IX.

1 *Per Baptiſmum nõ recuperatur virginitas.*
2 *Baptiſmus delet culpam,& pœnam.*
3 *Baptiſmus tollit peccata præterita,& præſentia,non autem futura.*
4 *Baptiſmus tollit omne peccatum.*
5 *Baptiſmus etiam impedit peccata futura, ne fiant.*
6 *Cathecumenus habens deſiderium baptiſmi moriens in charitate ſaluatur.*
Non ſtatim tamen peruenit ad vitam, ſed patitur pœnam pro peccatis præteritis.
7 *Baptiſmus non liberat à ſeruitute ſeruum.*
8 *Homicidæ baptizati liberantur à pœna debita homicidio quo ad Deum.*
Non liberantur tamen quo ad homines.
Princeps poſſet talibus pœnam indulgere.
9 *Duplex effectus baptiſmi & qui.*
Pueri omnes æqualem habent effectum per ſe baptiſmi.
Adulti non æqualem habent effectum per ſe baptiſmi.
Effectus per accidens baptiſmi non æqualiter ſuſcipitur ab omnibus baptizatis.
10 *Per baptiſmum aperitur ianua cœli.*

Quæritur an virginitas per baptiſmum recuperetur.

1 RESpondeo dicendum, quòd aliquis virginitatem per Baptiſmũ non recuperat, & ſimiliter nec carnis indiuiſionem 4. ſent. diſtinct.27.quæſt.3.a.2.ad 3.& 4.

Quæritur an baptiſmus deleat culpam, & pœnam.

2 Reſpondeo dicendum,quòd ſacramẽtum Baptiſmi directè ordinatur ad remiſſionem pœnæ,& culpę,quia Baptiſmus datur homini, quaſi commorienti Chriſto. 3.p.q.79.a.5.ad 1.

Quæritur quæ peccata tollat baptiſmus.

3 Reſpondeo dicendum, quòd effectus Baptiſmi non eſt tollere peccata futura, ſed præſentia, vel præterita: & ideo recedente fictione peccata ſequentia remittuntur quidem,ſed per Pęnitentiam, non per Baptiſmum; vnde non remittuntur quantum ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia Baptiſmum. 3 p. q.69.ar.10. ad tertium.

Quæritur an omne peccatum tollatur per baptiſmum.

4 Reſpondeo dicendum, quòd Apoſtolus dicit Rom.6. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus: & poſtea concludit, ita & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ex quo patet, quòd per Baptiſmum homo moritur vetuſtati peccati, & incipit viuere nouitate gratiæ; omne autem peccatum ad priſtinam vetuſtatem pertinet; vnde conſequens eſt, quòd omne peccatum per Baptiſmum tollatùr. 3.p.q 69. a.1. in corp.] q.68. a.7.ad 3.) q.70. a.4.ad 5.) q 79. a.5 ad 1.)lect.1. ſuper cap.6.ad Hebræos) 4.ſent. d.4.q.2. a.1.quæſt.1.in corp.& ad 1.

Quæritur an baptiſmus impediat peccata futura.

5 Reſpondeo dicendum, quòd Baptiſmus per gratiam, quam confert non ſolũ

remittit

remittit peccata præterita, sed etiam impedit peccata futura, ne fiant; hoc autem præcipuè desiderandum est, vt homines non peccent; secundariò autem, vt leuius peccent, vel etiam vt eorum peccata mundentur, secundùm illud 1. Ioannis 2. Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed etsi quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 3.p q.68 a.3.ad 3.) 4.sent. d.4. q.3.a.1. quæstiunc.1.ad 2.

Quæritur an cathecumenus habens desiderium baptismi si moriatur, saluetur, & aliquam pœnam patietur.

6 Respondeo dicendum, quòd nullus peruenit ad vitam æternam nisi absolutus ab omni culpa, & reatu pęnæ, quę quidem vniuersalis absolutio fit in perceptione Baptismi, & in martyrio, propter quod dicitur, quòd in martyrio omnia sacramenta Baptismi complentur, scilicet quantum ad plenam liberationem à culpa, & pœna. Si quis ergo cathecumenus sit habens desiderium Baptismi, quia aliter in bonis operibus non moreretur, quæ nō possunt esse sine fide per dilectionem operante; talis decedens non statim peruenit ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipse tamen saluus erit, sic quasi per ignem, vt dicitur 1. ad Corinthios 3. 3.p. q.68.a.2.ad 2.

Quæritur an baptismus liberet seruum à seruitute.

7 Respondeo dicendum, quòd Baptismus non delet statim omnes pœnalitates ex peccato primi parentis consequentes, sicut necessitatem moriendi, & cęcitatē, vel aliquid huiusmodi, sed regenerat in spem viuam illius vitæ, in qua omnia illa tollentur; & sic non oportet, vt aliquis statim baptizatus à seruili conditione liberetur, quamuis illa sit pœna peccati. 2. sent. d. 44. q.2.a.2. ad 2.& 3.) 4.sent. d.39. a.4.ad 1.

Quæritur an homicida baptizatus liberetur à pœna debita homicidio.

8 Respondeo dicendum, quòd in pęnis, quæ iudicio humano inferuntur, non solùm attenditur qua pęna sit homo dignus quo ad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quo ad homines, qui lęsi, & scandalizati sunt per peccatum alicuius; & ideo licet homicida per Baptismum liberetur à reatu pœnæ quo ad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quo ad homines, quos iustum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Piè tamen talibus Princeps posset pœnam indulgere. 3.p.q.69.a.2.ad 3.

Quæritur an effectus baptismi æqualis sit omnibus baptizatis.

9 Respondeo dicendum, quòd duplex est effectus Baptismi, vnus per se, & alius per accidens; per se quidem effectus Baptismi est id, ad quod Baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam; & hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad Baptismum; vnde quia omnes pueri æqualiter se habent ad Baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in Baptismo. Adulti verò, qui per propriam fidem ad Baptismum accedunt non æqualiter se habent ad Baptismum; quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad Baptismum accedunt: & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit, plus caloris, qui plus ei appropinquat, licèt ignis quantum est de se æqualitèr ad omnes suum calorem effundat: effectus

autem

autem Baptismi per accidens est, ad quę Baptismus non est ordinatus, sed Diuina virtus hoc in Baptismo miraculosè operatur; sicut super illud Rom. 6. vt vltra nō seruiamus peccato dicit Glosa, non hoc præstatur in Baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili Creatoris, vt lex peccati, quę est in membris prorsus extinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiamsi cum ęquali deuotione accedant; sed dispensantur huiusmodi effectus secundùm ordinem prouidētię Diuinæ. 3. p. q. 69. a. 8. in corp.) 4. sent. d. 4. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an per Baptismum aperiatur ianua regni cælestis.

10 Respondeo dicendum, quòd aperire ianuam regni cœlestis est amouere impedimentum, quo quis impeditur regnū cœleste introire; hoc autem impedimentum est culpa, & reatus pœnæ; per Baptismum autem omnis culpa, & omnis reatus pœnæ tollitur; vnde consequens est, quòd effectus Baptismi sit apertio ianuæ regni cœlestis. 3. p. q. 69. a. 7. in corp.

BELLATOR.

1 *Quid sint bellatores.*
Ad quid instituti.
Bellatores sunt necessarij in Republica.
Bellatores debent assistere Principi.
2 *Bellatores naturaliter sunt proni ad luxuriam.*
Bellatores si abstinent à mulieribus prolabuntur in masculos.
Bellatoribus permittuntur meretrices.

Quæritur ad quid teneatur bellator.

Respondeo dicendum, quòd bellatores congrua sunt pars Politiæ dinata quidem contra impulsores aliam partium, & ad ipsarum munimen; ad hoc enim constituitur miles in Ciuitate, vt se pro sua patria contra hostes opponat; vnde ad hoc iuramento astringuntur, cum ad gradum militarem ascendūt pro Republica non recusantes mortem, vt in Policrato traditur, vbi de sacramentis militis agitur. Est ergo bellator in Republica necessarius, & pars præcipua Politiæ, quia eius officium est assistere Principi pro exequenda iustitia, vt dicitur in commemorato libro, & fideliter, & constanter contra hostes pugnare pro conseruanda patria, & sic non solùm parti Politiæ, sed toti militaris gradus in Republica singulariter est fructuosus. opusculo 20. lib. 4. cap. 24. & cap. 10.

Quæritur an bellatoribus debeant permitti meretrices.

2 Respondeo dicendum, quòd Aristoteles disputat de Lacedæmoniorum Politia circa milites, vtrum deberent vxores habere, vel mulieribus coniungi, quia si hoc est, distrahuntur à pugna; ex actu .n. carnalis delectationis mollescit animus, & minus virilis redditur; & sententia est Platonis, vt Theophrastus refert, quòd militaribus rebus intentis non expedit nubere: sed Aristoteles illud reprobat, quia bellatores naturaliter sunt proni ad luxuriam. Causa verò assignatur in quodā libello de Problematibus trāslato de Gręco in Latinum Federico Imperatori: sed Phylosophus ibidem introduxit Hesiodi Poetæ fabulam, quæ Martem cum Venere iunxit; vnde si abstineant à mulieribus prolabuntur in masculos: & ideo Aristot. in hoc reprobat Platonis sentētiam, quia minus malum est mulieribus carnaliter commiscere, quàm in vilia declinare flagitia; vnde Augustinus dicit, quòd hoc facit meretrix in mundo, quòd sentinà in mari, & cloaca in palatio; tolle cloacam, & replebit fętore palatium, & similiter de sentina: tolle meretrices de mundo, &

replebis

replebis ipsum sodomia: propter quam causam idem Augustinus ait in 13. de Ciuitate Dei, quòd terrena Ciuitas rerum scortorum licitam turpitudinem fecit. Hoc etiam vitium sodomiticum ipse Phylosophus in 7 Eth. dicit accidere propter vitiosam naturam, & peruersam consuetudinem; & horum etiam non est conuenientiam, vel inconuenientiam assignare, cum non sint per se delectabilia humanæ naturæ, vnde medium virtutis ibi esse non potest, & hoc concordat cum Apostolo ad Rom. 1. qui tales actus ignominiæ passiones appellat. opusculo 20. lib. 4. cap. 14.

BELLVM.

1 *Quotuplex bellum iustum.*
2 *Ad hoc quòd bellum sit iustum tria requiruntur, nempe auctoritas Principis, causa iusta, & recta intentio bellantium.*
Si adsint duo prima, & desit tertium, non est licitum bellum.
3 *Quæ exercitia bellica sint licita, & quæ nō.*
4 *Bellantes iustè possunt accipere prædam ab hostibus.*
Possunt tamen peccare in acceptione prædæ ex praua intentione.
Bellantes iniustè prædam accipientes peccant, & restituere tenentur.
5 *Fallere hostes dicendo eis falsum, vel non seruando promissum, est illicitum.*
Licitum est occultare cogitationes, & consilia sua hostibus.
6 *Bellica exercitia repugnant officio Episcoporum, & Clericorum duplici ratione, & quibus.*
Non licet Clericis bellum gerere.
7 *Prælati, & Clerici possunt interesse bello ex auctoritate Superioris.*
Quo fine possint interesse bello.
Quòd aliqui Clerici prælientur est abusus.
8 *Clerici possunt inducere alios ad bellandum bella iusta.*
Clericis interdicitur bellare, non quia sit peccatū, sed quia non congruit eorum officio.
9 *Prælati contra hostes non vtantur armis corporalibus.*
Vtantur armis spiritualibus, scilicet admonitionibus, orationibus.
Contra pertinaces vtantur excommunicationibus.
10 *Licitum est bellare in diebus festis in casu necessitatis.*
Extra casum necessitatis non est licitum bellare in diebus festis.

Quæritur quotuplex sit bellum iustum.

1 Respondeo dicendum, quòd potest aliquod esse iustum bellum dupliciter, vno modo generale, sicut cum aliqui decertant in acie; alio modo particulare, puta cum aliquis Iudex, vel etiā priuata persona non recedit à iusto iudicio timore gladij imminentis, vel cuiuscunque periculi etiamsi sit mortiferum. 2.2.q.123.a.5. in corp. & ad 2.

Quæritur an bellare sit semper peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd ad hoc, quòd aliquod bellum sit iustum tria requiruntur; primò quidem auctoritas Principis, cuius mandato bellum est gerendū; non enim pertinet ad personam priuatā bellum mouere, quia potest ius suum in iudicio superioris prosequi: similiter etiā conuocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad priuatam personam; cum autem cura Reipublicæ commissa sit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam Ciuitatis, vel Regni, seu Prouinciæ sibi subditæ tueri; & sicut licitè defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores, dū malefactores puniunt, secundùm illud Apostoli ad Rom. 13. Non sine causa gladiū portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui malè agit; ita etiam gladio bellico ad eos pertinet Rempublicam tueri ab exterioribus hostibus: vnde & Prin-

Principibus dicitur in Psalm.81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: vnde Augustinus dicit contra Faustum, Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principes sit. Secundò requiritur causa iusta, vt scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur: vnde Augustinus dicit in lib.83.quæst. Iusta bella solent diffiniri, quæ vlciscuntur iniurias si gens, vel Ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est: Tertiò requiritur vt sit intentum bellantium recta, qua scilicet intenditur, vel vt bonum promoueatur, vel vt malum vitetur: vnde Augustinus in lib. de verbis Domini, Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata non sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt mali coerceantur, & boni subleuentur: potest autem contingere, vt si sit legitima auctoritas indicentis bellũ, & causa iusta, nihilominus propter prauã intentionem bellum reddatur illicitum: dicit enim Augustinus in lib.contra Faustum; Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur. 2.2. q.40.artic.1.in corp.]q.41.a.1.ad 2.& 3.]q.42.a.2.ad 1.

Quæritur quæ exercitia bellica sint prohibita, & quę non.

3 Respondeo dicendum, quòd exercitia hominum ad res bellicas spectantia non sunt vniuersaliter prohibita, sed inordinata exercitia, & periculosa, ex quibus occisiones, & deprædationes proueniunt. Apud antiquos autem exercitationes ad bella sine huiusmodi periculis erant, & ideo vocabantur meditationes armorum, vel bella sine sanguine; vt per Hieronymum patet in quadam Epistola.2.2.q.40.a.1.ad 4.

Quæritur an liceat bellantibus accipere prædam ab hostibus.

4 Respondeo dicendum, quòd circa prædam distinguendum est, quia si illi, qui deprædantur hostes, habent bellum iustum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur, & hoc non habet rationem rapinæ, vnde nec ad restitutionem tenentur; quamuis possint in acceptione prædæ iustum bellum habentes peccare per cupiditatem ex praua intentione, si scilicet non propter iustitiam, sed propter prædam principaliter pugnent: dicit enim Augustinus in lib. de verbis Domini, quòd propter prædam militare peccatum est; si verò illi, qui prędam accipiunt, habent bellum iniustum, rapinam committũt, & ad restitutionem tenentur. 2.2.q.66.a.8.ad 1.

Quæritur an sit licitum vti insidijs in bello.

5 Respondeo dicendum, quòd insidiæ ordinantur ad fallendum hostes; dupliciter autem aliquis potest falli ex facto, vel ex dicto alterius; vno modo ex eo, quòd ei dicitur falsum, vel non seruetur promissum; & istud semper est illicitum: & hoc modo nullus debet hostes fallere; sunt.n. quædam iura bellorum, & fędera etiam inter ipsos hostes seruanda; vt Ambrosius dicit in lib.de officijs: alio modo aliquis potest falli ex dicto, vel facto nostro, quia ei propositum, aut intellectum non aperimus: hoc autem semper facere non tenemur, quia etiam in doctrina sacra multa sunt occultanda, maximè infidelibus, ne irrideant, secundùm illud Matthæi 7. Nolite sanctum dare canibus: vnde multo magis ea, quę ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda, vndè inter

cætera

cætera documenta rei militaris hoc præcipuè ponitur de occultandis consilijs, ne ad hostes perueniant, vt patet in lib. Strategematum Francorum; & talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est vti in bellis iustis; nec propriè huiusmodi insidiæ vocantur fraudes, nec iustitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati: esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab alijs occultari. 2.2.q 40.a.3.in corp.

Quæritur an Episcopis, & Clericis licitum sit pugnare.

6 Respondeo dicendum, quòd ad bonũ societatis humanæ plura sunt necessaria; diuersa autem à diuersis melius, & expeditius aguntur, quàm ab vno, vt patet per Phylosophum in sua Politica; & quædam negotia sunt adeo sibi repugnantia, vt conuenienter simul exerceri non possint: & ideo illis, qui maioribus deputantur, prohibentur minora; sicut secundùm leges humanas militibus, qui deputantur ad exercitia bellica, negotiationes interdicuntur. Bellica autem exercitia maximè repugnant illis officijs, quibus Episcopi, vel Clerici deputantur, propter duo, primò quidem generali ratione, quia bellica exercitia maximas inquietudines habent, vnde multum impediunt animum à contemplatione Diuinorum, scilicet laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum; & ideo sicut negotiationes propter hoc, quòd nimis implicant animum interdicuntur Clericis, ita & bellica exercitia secũdùm illud 2 ad Timoth.2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotijs: secundò propter specialem rationem, nam omnes Clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub Sacramento repræsentatur passio Christi, secundùm illud 1. ad Corinth. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: & ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, vt imitentur opere, quod gerunt ministerio: & propter hoc est institutum, vt effundentes sanguinem etiam sine peccato sint irregulares; nulli autem, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod suo officio incongruus redditur: vnde Clericis non licet omnino bella gerere, quæ ordinantur ad sanguinis effusionem. 2. 2. q.40. artic.2. in corp.

Quæritur an Prælati, & Clerici possint interesse bello.

7 Respondeo dicendum, quòd Prælati, & Clerici ex auctoritate Superioris possunt interesse bellis, non quidem vt ipsi propria manu pugnent, sed vt iustè pugnantibus spiritualiter subueniant suis exortationibus, & absolutionibus, & alijs huiusmodi spiritualibus subuentionibus, sicut & in veteri lege mandabatur Iosue 6. Quòd Sacerdotes sacris bucinis in bellis clangerent: & ad hoc primò fuit concessum, quòd Episcopi, vel Clerici ad bella procederent: quòd autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est. 2. 2. q. 40.a.2.ad 2.

Quæritur an liceat Clericis inducere alios ad bellandum.

8 Respondeo dicendum, quòd bella carnalia in populo fideli sunt referenda sicut ad finem ad bonum spirituale Diuinum, cui Clerici deputantur: & ideo ad Clericos pertinet disponere, & inducere alios ad bellandum bella iusta: non enim interdicitur eis bellare, quia peccatum sit, sed quia tale exercitium eorum personæ non congruit. 2. 2. quæst. 40. artic.2. ad tertium.

Quæ-

Quaritur quibus armis vti debeant Pralati.

9 Respondeo dicendum, quòd Prælati debent resistere non solùm lupis, qui spiritualiter interficiunt gregem, sed etiam raptoribus, & tyrannis, qui corporaliter vexant; non autem materialibus armis in propria persona vtendo, sed spiritualibus secundùm illud Apostoli 2. ad Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sũt, sed potentia Dei: quæ quidem sunt salubres admonitiones, deuotæ orationes, contra contumaces excommunicationis sententia, 2.2.q.40.a.2.ad 1.

Quaritur an liceat in diebus festis bellare.

10 Respondeo dicendum, quòd obseruatio festorum non impedit ea, quæ ordinantur ad hominis salutem, etiam corporalem: vnde Dominus arguit Iudæos dicens Ioannis 7. Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato; & inde est, quòd Medici licitè possunt medicari homines in die festo: multo aũt magis est obseruanda salus Reipublicæ, per quam impediuntur occisiones plurimorum, & innumera mala & temporalia, & spiritualia, quã salus corporalis vnius hominis: & ideo pro tuitione Reipublicæ fidelium licitum est iusta bella exercere in diebus festis, si tamen hoc necessitas exposcat: hoc.n. esset tentare Deũ, si quis imminente tali necessitate vellet à bello abstinere, sed necessitate cessante non est licitum bellare in diebus festis: festa .n. sunt ordinata ad vacandum Diuinis. vnde intelliguntur per obseruationem Sabbati, quæ præcipitur Exodi 20. Sabbatum .n. interpretatur requies, sed bella maximam inquietudinem habent: secundò Isaiæ 58. reprahenduntur quidam, quòd in diebus ieiunij repetunt debita, & committunt lites, pugno percutientes; ergo multo magis in diebus festis illicitum est bellare: tertiò nihil est inordinatè agendum ad vitandum incommodum temporale, sed bellare in die festo hoc videtur secundùm se inordinatum: ergo pro nulla necessitate temporalis incommodi vitandi debet aliquis in die festo bellare, 2.2. q.40.a.4. in corp.

Quaritur an liceat inimicos impugnare.

Respondeo sicut verbo, Impugnatio, quæst. 1.

BENEDICERE.

1 *Quid sit benedicere.*
Bonum dicere contingit tripliciter, scilicet enunciando, imperando, & optando.
Benedicere imperando est proprium Dei.
2 *Duplex benedictio.*
Qua benedictio requirat maiorem bonitatem, & qua non.
3 *Non omnis benedictio est sacramentum.*
Benedictio Abbatum, & vnctio regalis, non sunt sacramenta.
4 *Prasente maiori minor non benedicat.*
5 *Vestibus sufficit benedictio.*
6 *Episcopus debet benedicere vestes, vasa ad cultum Dei pertinentia.*
7 *Solus Episcopus benedicit Virgines.*
8 *Benedictio Sacerdotis in Sacramento Altaris super quid feratur.*

Quaritur quot modis dicatur benedicere.

1 RESpondeo dicendum, ꝙ benedicere est bonum dicere: cõtingit aũt bonũ dicere tripliciter, vno modo enunciãdo, puta cũ quis bonũ alterius laudat. Eccl 31. Splendidũ in panibus benedicent labia multorũ, & testimoniũ veritatis illius fidele: alio modo imperãdo, & sic benedicere per auctoritatẽ est propriũ Dei, cuius imperio bonũ ad creaturas deriuat: ministeriũ aũt ꝑtinet ad ministros Dei ꝙ nomẽ Dñi super populũ inuocãt. Num. 6. Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis,

Benedicat tibi Dñs,& custodiat te, ostendat Dñs faciẽ suã tibi, & misereatur tui: conuertat Dominus vultũ suum ad te,& det tibi pacem:& post, inuocabunt nomẽ meum super filios Israel, & ego benedicã eis: tertiò benedicit aliquis optando, Ps. 128. & non dixerunt, qui præteribant Benedictio Domini super vos. lect. 3. super cap.12.ad Rom.

Quæritur an à quocũque possit fieri benedictio.

2 Respondeo dicendum, quòd duplex est benedictio, vna quæ est ab ipso homine puro, sicut merente per proprium actum; & talis potest fieri à quolibet Sancto, in quo Christus habitat per gratiam, & hæc requirit maioritatem bonitatis ad minus, inquantum meretur huiusmodi; alia est benedictio, qua homo benedicit, vt benedictionem,quæ est ex merito Christi, instrumentaliter alicui applicans; & quantum ad hanc requiritur maioritas Ordinis,& non virtutis. 4.sent. d.19. q.1. a.2.quæstiunc.1.ad 2.

Quæritur an omnis benedictio sit sacramentũ.

3 Respondeo dicendum, quòd non omnis benedictio,quæ adhibetur homini,vel consecratio,est sacramentum,quia & Monachi & Abbates benedicuntur,& tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta; & similiter nec regalis inunctio, quia per huiusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem Diuinorum sacramentorum, sicut per benedictionem Ordinis.4 sent.d.24.q.1.art.1.quæstiunc. 3.ad tertium.

Quæritur an minor præsente maiore benedicere debeat.

4 Respondeo dicendum, quòd benedictio etsi sit de genere suo bona, tamen ad hoc,quòd sit actus virtutis exigitur,quòd sit vestita debitis circumstantijs, vt sit conueniens & personæ, & loco, & tempori: non est autem conueniens personæ, quando minor præsente maiore benedicit,quia sicut dicitur ad Hebr.7. Sine vlla contradictione, quod minus est à maiore benedicitur.Quodlibeto 4.a.12.ad 13.

Quæritur an vestibus Diuino cultui dicatis sufficiat benedictio.

5 Respondeo dicendum, quòd in vestibus non requiritur alia consecratio, nisi quod Diuino cultui mancipentur, & ideo sufficit eis pro consecratione benedictio.4.sent.d.24.q.2.a.3 ad 3.

Quæritur ad quem pertineat benedicere vestes, vasa,& alia, quæ ad cultum Dei sunt.

6 Respondeo dicendum, quòd Episcopus vestes benedicit,& vasa,& omnia quę ad cultum Diuinum applicantur. 4 sent. d.24.q.3.a.1.quæst.2.ad 2.] a 2.quęstiunc. 1.in corp.

Quęritur ad quem pertineat Virgines benedicere.

7 Respondeo dicendum,ꝙ solus Episcopus Virgines benedicit, quæ figuram gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cuius cura ipsi principaliter committitur; ipse etiam in ministris ordinum ordinandos consecrat, & vasa, quibus vti debent eis determinat sua consecratione. 4.sent. d. 25.q.1.a.1.in corp.

Quęritur super quid cadat benedictio Sacerdotis in sacramento Altaris.

8 Respondeo dicendum, ꝙ in sacro Altaris benedictio Sacerdotis fertur super terminum à quo, idest super panem, non super terminum ad quem, idest Corpus Christi.lect.4.super cap. 10.1.ad Corint.] lect.2.super cap.7.ad Hebræos.

BE-

BENEFACERE.

1 *Benefaciendum est oĩbus pro loco, & tẽpore.*
2 *Licèt singulis non possimus benefacere actu, debemus tamen animum habere paratum ad illis benefaciendum.*
Orare est beneficiũ ꝙ pro omnibus põt fieri.
3 *Benefaciendũ est peccatoribus quãtũ ad sustẽtationẽ naturæ, non ad fomentum culpæ.*
4 *Magis est benefaciendum propinquis, quàm extraneis.*
In casu necessitatis magis est benefaciendũ extraneo, quàm coniuncto puta patri.
5 *In bello magis est benefaciendum militi, quàm coniuncto, & quare.*
6 *Debita sunt duplicis generis, & quæ.*
Debita, quæ sunt bona creditorum extraneorũ, sunt magis illis danda, q̃ coniunctis.
In casu tamen necessitatis extremæ coniunctorũ sunt magis dãda cõiunctis. Nisi creditor, et cõiũctus sint in ęquali necessitate.
In huiusmodi casu pensandæ sunt vtriusque conditiones.
Quando debitum computatur in bonis eius, qui habet, & non eius cui debetur, magis dandum est coniunctis, quàm extraneis.
In recompensandis beneficijs parentes sunt præferendi extraneis.
Aliter est in casu necessitatis, & quando adest vtilitas cõis Ecclesię, & Reipublicę.
7 *In casu necessitatis est magis benefaciendum parentibus, quàm filijs.*

Quęritur an omnibus sit benefaciendum.

1 Respondeo dicendum, quòd beneficentia consequitur amorem ex ea parte, qua mouet superiora ad prouisionem inferiorum: gradus autem in hominibus non sunt immutabiles, sicut in Angelis, quia homines possunt pati multiplices defectus: vnde qui est superior secundũ aliquid vel est, vel potest esse inferior secundùm aliud: & ideo cum dilectio charitatis se extendat ad omnes, etiã magnificentia se debet extendere ad omnes, pro loco tamen, & tempore: omnes. n. actus virtutum sunt secundùm debitas circumstantias limitandi. 2.2.q.31.a.2.in corp.

Quæritur an omnibus in speciali teneamur benefacere.

2 Respondeo dicendum, quòd simpliciter loquendo non possumus omnibus benefacere in speciali: nullus tamen est, de quo non possit occurrere casus, in quo oporteat ei benefacere etiam in speciali: & ideo charitas requirit vt homo etiam si non actu aliquibus benefaciat, habeat tamen hoc in animi sui præparatione, vt benefaciat cuicumque, si tempus adesset: aliquod tamen beneficium est, quod possumus omnibus impendere si non in speciali, saltem in generali, sicut cum oramus pro omnibus fidelibus, & infidelibus. 2.2.q.31.a.2.ad 1.

Quæritur an peccatoribus sit benefaciendum.

3 Respondeo dicendum, quòd in peccatore duo sunt, s. culpa, & natura: est ergo subueniendũ peccatori quantum ad sustẽtationem naturæ, non est aũt ei subueniẽdum ad fomentum culpæ: hoc. n. non esset benefacere, sed potius malefacere, 2.2.q.31.a.2.ad 2.] q.32.a.9.ad 1.] 4.sent.d.15.q.2.a.6.quæst.2.in corp.] lect.2.super cap.12.ad Rom.] 2.2.q.25.a.6.ad 1.

Quæritur quibus sit magis benefaciendum, propinquis, an extraneis.

4 Respondeo dicendum, ꝙ gratia, & virtus imitantur naturæ ordinem, qui est ex Diuina Sapientia institutus: est aũt talis ordo naturę, vt vnumquodque agens naturale per prius magis diffundat suã actionẽ ad ea, quæ sunt sibi magis propinqua, sicut ignis magis calefacit rem sibi magis propinquã: & similiter Deus in substãtias sibi propinquiores per prius, & copiosius dona suæ bonitatis diffundit, vt patet per

Dionysium 7. cap. Cœlestis Hierarchiæ: exhibitio aũt beneficiorum est quædã actio charitatis in alios, & ideo oportet, ꝙ ad magis propinquos simus magis benefici: sed propinquitas vnius hominis ad alium põt attendi secundũ diuersa, in quibus sibi ad inuicem homines cõicant, vt consanguinei naturali communicatione, conciues in ciuili, fideles in spirituali, & sic de alijs, & secundùm diuersas coniunctiones sunt diuersimodè diuersa beneficia dispensanda; nam vnicuique est magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem, sm̃ quam est nobis magis cõiunctus simpliciter loquendo: tñ hoc potest variari secundùm diuersitatem locorũ, & temporum, & negotiorum; nam in aliquo casu est magis subueniendum extraneo, puta si sit in extrema necessitate, quàm ẽt patri non tantã necessitatem patienti. 2. 2. q. 31. a. 3. in corp. & q. 71. a. 1. ĩ corp. & ad 1.

Quæritur an in bello sit magis benefaciendum militi, quam coniuncto.

5 Respondeo dicendum, ꝙ bonum multorum cõe diuinius est, quam bonũ vnius; vnde pro bono cõi Reipublicæ vel spiritualis, vel temporalis virtuosum est ẽt, ꝙ aliquis propriam vitam exponat periculo: & ideo cum cõicatio in bellicis actibus ordinetur ad conseruationem Reipublicæ, in hoc miles impendens commilitonibus auxilium, non impendit ei tanquam priuatæ personæ, sed sicut totam Rempublicam iuuans; & ideo in hoc præfertur extraneus coniuncto secundùm carnem. 2. 2. q. 31. a. 3. ad 2.

Quæritur an prius sint restituenda debita, quã benefaciendum propinquis.

6 Rñdeo dicendum ꝙ duplex est debitum, vnum quidem, quod non est numerãdum in bonis eius, qui debet, sed potius in bonis eius, cui debetur, puta si aliquis habet pecuniam, aut rẽ aliquam alterius vel furto sublatam, vel mutuo acceptam, siue depositam, vel aliquo alio simili modo; quãtum ad hoc debet homo prius reddere debitum, q̃ ex eo benefacere cõiunctis, nisi fortè esset tantæ necessitatis articulus, in quo etiam liceret ipsi rem alienã accipere ad subueniendum necessitatem patienti, nisi fortè & ille, cui res debetur in simili necessitate esset, in quo tamen casu pẽsanda esset vtriusque conditio sm̃ alias conditiones requisitas prudentis iudicio, quia in talibus non potest vniuersalis regula dari pp varietatem singulorũ casuum, vt Phyl. dicit in 9. Eth. aliud aũt est debitum, ꝙ computatur in bonis eius, qui habet, & non eius, cui debetur, puta si debeatur non ex iustitiæ necessitate, sed ex quadam morali æquitate, vt contingit in beneficijs gratis susceptis: nullius aũt benefactoris beneficium est tm̃, sicut parentum; & ideo parentes in recõpensandis beneficijs sunt oĩbus alijs præferendi, nisi necessitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio, puta cõis vtilitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ: in alijs autem est æstimatio habenda & coniunctionis, & beneficij suscepti, quæ similiter non potest communi regula determinari. 2. 2. q. 31. a. 3 ad 3.

Quæritur an in casu necessitatis sit magis benefaciendum parentibus, quàm filijs.

7 Respondeo dicendum, quòd parentes sunt sicut superiores: & ideo amor parentum est ad benefaciendum: amor autem filiorum ad honorandum parentes, & tamen in necessitatis extremæ articulo magis liceret deserere filios, quàm parentes, quos nullo modo deserere licet propter obligationem beneficiorum susceptorum, vt patet per Phylosophum in 8. Ethicorum cap. vltimo. 2. 2. quæst. 31. ar. 3. ad quartum.

BENEFICIVM.

De beneficijs Ecclesiasticis. Cap. I.

1 Beneficia Ecclesiastica sunt magis conferenda idoneo extraneo, quàm coniuncto non idoneo.

Bona patrimonialia, & lucrata, possunt magis dari consanguineis, quàm alijs.

Oppositum tamen fieri debet si adsit vtilitas, & indigentia.

2 Episcopus non tenetur dare beneficium meliori simpliciter.

Episcopus tenetur dare beneficium meliori, quo ad hoc officium.

3 Prælatus non est dominus beneficiorum, sed dispensator eorum.

Pro libito nō potest ea conferre cui voluerit.

Peccant Prælati si præferant consanguineos extraneis dignioribus simpliciter, & secundùm quid in distributione beneficiorū.

Quando consanguineus est æquè dignus cum extraneo, potest à Prælato præferri in distributione beneficiorum, & quare.

Si tamen ex hoc oriretur scandalum, non deberet fieri.

4 Dans beneficium ratione consanguinitatis peccat sed non peccato simoniæ.

Si in huiusmodi distributione intenderet sibi aliquod commodum, esset simonia.

5 Prælatus in collatione beneficij obligans beneficiatum ad recompensandum sibi, vel alijs, est simoniacus.

Si tamen in collatione non obligaret, sed intenderet solùm, quòd beneficiatus sua sponte recompenset, non est simonia, intentio tamen est praua.

6 Licitum est Episcopis, & Clericis aliquid de bonis Ecclesiasticis dare consanguineis, quod sibi subtraxerunt.

Hoc tamen fiat moderatè, idest vt non indigeant; non autem vt inde ditiores fiant.

7 Licet pro se petere beneficium simplex.

Non licet per se petere beneficium cui sit annexa cura animarum.

8 Non potest quis habere plura beneficia, vt sit ditior, lautius viuat &c. & quare.

9 Ecclesia sustinet, vt aliqui habeant duas præbendas.

10 Clerici vxorati nō possunt habere beneficia.

Quæritur quibus danda sint beneficia Ecclesiastica.

1 Respondeo dicendum, quòd in illis, quę non pertinent ad communicationem naturalem, quam cum patre, vel consanguineis habemus, non oportet, quòd magis cōsanguineis benefaciamus, sed illis, qui magis coniuncti sunt nobis secundùm illam communicationem, ad quam illa bona pertinent: & ideo beneficia Ecclesiastica non sunt danda magis consanguineis, sed eis, qui magis sunt idonei ad regimen Ecclesiæ, quia illi quantū ad hoc, quòd dispensatores Diuinorum sumus, magis nobiscum communicant: sed de patrimonio proprio, & de his, quæ homo proprio, & licito lucro acquirit, potest benefacere consanguineis potius, quā alijs, & debet, nisi ex alia parte sit aliquid, quod præponderet, vt indigentia, vel vtilitas. 3. sent. d. 29. a. 6. ad 3.

Quæritur an Episcopus teneatur dare beneficium meliori simpliciter.

2 Respondeo dicendum, quòd contingit quandoque aliquem esse meliorē simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quòd beneficium percipiat, quia alius fortè potest Ecclesiam magis iuuare vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia seruiuit in Ecclesia: non ergo Episcopus tenetur semper dare simpliciter meliori, sed tenetur dare meliori quo ad hoc: non enim potest esse, quòd vnum præferat alteri, nisi propter aliquam causam, quæ, si quidem pertineat ad honorem Dei, & vtilitatem

tatem Ecclesiæ, iam quantum ad hoc iste est melior. Quodlibeto 6.a.9.in corp.

Quæritur an consanguinei possint præferri in distributione beneficiorum.

3 Respondeo dicendum, quòd circa cõsanguineos Prælati distinguendum est: quia quandoque sunt minus digni & simpliciter, & per respectum ad bonum commune, & sic si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus Ecclesiasticus non est dominus, vt possit ea dare pro libito, sed dispensator secundùm illud 1. ad Corinth.4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei; quandoque verò consanguinei Prælati Ecclesiastici sunt æquè digni, vt alij, & sic licitè potest absque personarum acceptione cõsanguineos suos præferre quia saltem magis in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum negotia Ecclesię tractent; esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent etiam præter dignitatem bona Ecclesiæ consanguineis dandi. 2.2.q.63.a.2.ad 1.

Quæritur quando collatio beneficij facta consanguineis sit simoniaca.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui dat ratione consanguinitatis præbendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius, cui datur, & non alterius, & sic peccat grauiter, sed simoniam non committit, quia non vendit, cum nihil accipiat; aut intendit aliquod bonum in seipsum redundans sic, quòd magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quòd ipse in consanguineis sit fortior, & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, & simoniam committit, & reducitur ad id munus, in quo continetur commodum, quod ex tali datione sperat. 4.sent.d.25.q.3.a.3.ad 7. 2.2. q.100.a.5.ad 2.

Quæritur quando Prælatus fiat simoniacus in collatione beneficij.

5 Respondeo dicendum, quòd si Prælatus intendit obligare eum, cui dat beneficium Ecclesiasticum, ad aliquam recompensationem faciendam sibi, vel suis cõsanguineis, intentio simoniaca est: intendit enim quandam tacitam vẽditionem; si verò non intendat eum obligare, sed intendat, quòd ille sibi, vel sua propria spõte temporaliter recompenset, est quidem praua intentio, & carnalis, sed non simoniaca. Quodlibeto 5.a.23.in corp.

Quæritur de quibus bonis Ecclesiasticis possint Episcopi, & Clerici suis consanguineis prouidere.

6 Respondeo dicendum, quòd bona Ecclesiarum non sunt solùm expendenda in vsus pauperum, sed etiam in alios vsus: & ideo si de eo, quod vsui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel alijs dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, idest vt non indigeant, non autem ditiores inde fiant; vnde Ambrosius dicit in lib.de officijs, Hæc est approbanda libertas, vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas, non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quòd tu potes conferre in opibus. 2.2.q.185.art.7. ad secundum.

Quæritur an aliquis possit per se ipsum petere beneficium.

7 Respondeo dicendum, quòd potest aliquis per se petere, si dignus sit, beneficium Ecclesiasticum non habens curam animarum, si indiget, sed non si habeat cu

ram

ram animarum, quia præsumptuosum est, nec tamen est simonia, nisi pro tanto, qđ ex ipsa presumptione indignus reddatur, & tunc preces suæ ex hoc ipso, quòd rogat, pro indigno fiunt. 4. sent. d. 25. q. 3. a. 3. ad 4.] 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3.

Quæritur an liceat habere plura beneficia.

8 Respondeo dicendum, quòd si aliquis hac intentione plura beneficia habeat, vt sit ditior, vt lautius viuat, & vt facilius ad Episcopatum perueniat in aliqua Ecclesiarum, vbi est præbendatus, non tolluntur deformitates, vtpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesijs deseruire, in quibus est præbendatus, cum præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quędam stipendia Deo ibidem ministrantium; sequitur etiam diminutio cultus Diuini, dum vnus loco plurium instituitur; sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ob hoc aliqua bona Ecclesijs contulerunt, vt certus numerus Deo deseruientium ibi esset: sequitur etiam inæqualitas, dum vnus pluribus beneficijs abundat, & alius nec vnũ habere potest, & multa alia huiusmodi, quæ de facili patent; sed augentur, quia cum tali intentione & vnum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum Quodlibeto 9. a. 15. in corp.

Quæritur quomodo se habeat Ecclesia circa habentes plura beneficia.

9 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia sustinet, vt aliqui communiter habeant duas præbendas. Quodlibeto 9 a. 15.

Quæritur an Clerici vxorati possint habere beneficium Ecclesiasticum.

10 Respondeo dicendum, quòd illi, qui sunt in minoribus ordinibus constituti ex vi ordinis non prohibentur matrimoniũ contrahere, quia quamuis ordines illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamẽ immediatè habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi, qui sunt in sacris ordinibus; sed secundùm statutum Occidentalis Ecclesiæ matrimonij vsus executionem Ordinis non sacri impedit propter seruandam maiorem bonitatẽ in officijs Ecclesiæ; & quia aliquis ex beneficio Ecclesiastico tenetur ad executionem Ordinis, & ex hoc ipso priuilegio Clericali gaudet: ideo hæc apud Latinos Clericis vxoratis auferuntur. 4. sent. d. 37. q. 1. art. 1. ad quartum.

De recompensatione beneficiorum. Cap. II.

1 *In recompensatione beneficiorum duo sunt attendenda, scilicet affectus & donum.*
Attendendo affectum statim debet fieri recompensatio.
Attendendo donum recompensatio debẽt fieri tempore opportuno.
Vitiosa recompensatio est illa, quæ fit tempore non opportuno.
2 *Qui accipit beneficium gratis debet recompensare.*
Qui reddit minus, vel ęquale non dat gratis.
Reddendum semper est maius
3 *In recompensatione potius attenditur affectus, quàm effectus.*
Si attendamus effectum beneficiorum in parentibus filius non potest reddere ęquale.
Si attendamus affectum dantis, & retribuentis filius potest dare parentibus maius.

Quæritur an statim sit recompensandum beneficium.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut in beneficio dando duo considerantur scilicet affectus, & donum, ita etiã

hæc duo considerantur in recompensatione beneficij; & quantum quidem ad affectum recompensatio statim fieri debet: vnde Seneca dicit in 2. de beneficijs, Vis reddere beneficium? accipe benignè. Quantum autem ad donum debet expectari tempus, quo recompensatio fit benefactori opportuna. Si autem non conuenienti tempore statim velit aliquis munus pro munere reddere, non videtur esse virtuosa recompensatio, sed inuita, vt enim Seneca dicit in 4. de beneficijs; Qui nimis cito cupit soluere, inuitus debet, & qui inuitus debet, ingratus est. 2.2. q. 106. a. 4. in corp.

Quaritur an oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione, quàm susceperit in beneficio.

2 Respondeo dicendum, quòd recompensatio gratiæ respicit beneficium secundùm volũtatem benefacientis; in quo quidem præcipuè hoc commendabile videtur, quòd gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur: & ideo qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, vt similiter aliquid gratis impendatur; non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficij, quia quamdiu recompensat minus, vel æquale non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit; & ideo gratiæ recompensatio semper tendit, vt pro suo posse aliquid maius retribuat. 2.2.q.106.a.6. in corp.

Quaritur an possit recompensari beneficium parentum.

3 Respondeo dicendum, quòd in recompensatione beneficij magis considerãdus est affectus, quàm effectus; si ergo consideremus effectum beneficij, quod filius à parentibus accepit, scilicet esse, & viuere, nihil æquale filius recompensare potest, vt Phylosophus dicit: Si autem attendamus ad ipsam voluntatem dantis, & retribuentis, sic potest filius aliquid maius patri retribuere, vt Seneca dicit in 3. de beneficijs; si tamen non posset, sufficeret ad gratitudinem recompensandi voluntas. 2.2.q.106.a.6. ad 1.

De recompensatione beneficiorum in ordine ad Deum, & Angelos. Cap. III.

1 *Deo sunt agendæ gratiæ pro beneficijs acceptis.*
Ante omnia debemus præmittere gratiarum actiones.
2 *Triplici modo recolimus beneficia Dei, ideo triplicis generis recolimus festa.*
3 *Omnia beneficia exteriora naturaliter reducta de potentia ad actum proueniunt ex ministerio Angelorum mouentium cœlos.*
4 *Angelos non debemus reuereri Latria.*
Angelos debemus venerari Dulia.
In præcepto dilectionis proximi continetur dilectio Angelorum sanctorum.

Quaritur an Deo sint agenda gratiæ.

1 Respondeo dicendum, quòd non est dignus beneficium consequi, qui de acceptis beneficijs gratias nõ agit Sap. 16. Ingrati spes tamquam hybernalis glacies tabescet; & Eccles. 1. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, quia ad principium, vnde proueniunt beneficia reuertuntur, scilicet per gratiarum actionem, vt iterum fluant, scilicet per iteratam beneficiorum exhibitionem: in omnibus autem, quæ petimus, vel agimus Diuino beneficio indigemus; & ideo ante omnia debet gratiarum actio præmitti. lect. 5. super cap. 1. ad Romanos.

Quaritur quot modis recolamus beneficia Dei nobis collata.

2 Respondeo dicendum, quòd recolimus Diuina beneficia nobis exhibita tripliciter, quandoquidem vt exhibita nobis in capite nostro Domino nostro Iesu Christo; & sic celebramus festum Natiuitatis, & Resurrectionis, & huiusmodi; quandoque vt exhibita nobis in membris nostris, scilicet in Sanctis, qui sunt membra Ecclesiæ, & hoc congruenter, quia vt dicit Apostolus 1. Corinth. 12. Si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra; & sic celebramus festa Sanctorũ Petri, & Pauli, & aliorum Sanctorum; quãdoque autem prout sunt exhibita toti Ecclesiæ, puta in ministerio Sacramentorũ, & in alijs communiter Ecclesiæ collatis, & quia domus materialis est quasi signũ collectionis Ecclesiæ fidelium, & etiam in ea omnia sacramenta gratiæ dispensantur; ideo in memoriam ipsorum beneficiorum festum Dedicationis Ecclesiæ celebramus, quod quidem festum maius est, quàm festum alicuius Sancti, sicut & beneficia toti Ecclesiæ collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium collatum alicui Sancto, quod in festo eius recolitur. lect. 5. super cap. 10. Ioannis.

Quæritur an aliqua beneficia nobis proueniant ab Angelis.

3 Respondeo dicendum, quòd omnis motus naturalis inferiorum corporum causatur à motu superiorum corporum, & per consequens omnia beneficia exteriora naturaliter de potentia ad actum reducta proueniunt ex ministerio Angelorum mouentium cœlestia corpora. opusculo 10. cap. 9.

Quæritur quomodo Angelis sint recompensanda beneficia.

4 Respondeo dicendum, quòd non debemus Angelos reuereri reuerentia Latriæ, vt auctores dictorum beneficiorum, sed vt ministros reuerentia Duliæ, quia propter hæc beneficia debemus eos diligere; dicit enim Augustinus in 1. de doctrina Christiana; In præcepto, quo debemus diligere proximum, & Sancti Angeli continentur, à quibus tanta nobis beneficia impenduntur misericordiæ, opusculo 10. cap. 10.

BESTIALITAS.

1 *Quid sit bestialitas.*
2 *Tres sunt modi, quibus aliqui fiunt bestiales, & qui.*
3 *Bestialitas ponitur extra genus humanarum malitiarum, & quare.*

Quæritur quid sit bestialitas.

1 Respondeo dicendum, quòd contemperantia vitæ humanæ saluatur secundùm diuersas materias affectionum; vno igitur modo potest contingere peruersitas in tali consonantia, ita q non exeatur extra limites humanæ vitæ, & tũc dicetur simpliciter incontinentia, vel malitia humana; sicut ægritudo humana corporalis, in qua saluari potest natura humana; alio modo potest corrumpi contemperantia humanarum affectionum, ita quòd progrediatur vltra limites humanæ vitæ in similitudinem affectionum alicuius bestiæ, puta leonis, aut porci; & hoc est, quod vocatur bestialitas, & est simile, sicut si ex parte corporis complexio alicuius mutaretur in complexionem leoninam, vel porcinam, lect. prima septimi Eth.

Quæ-

Quaeritur quot modis contingat aliquos fieri bestiales.

2 Respondeo dicendum, quòd ponuntur tres modi, secundùm quos aliqui fiunt bestiales; quorum primus est ex conuersatione gentis; sicut apud Barbaros, qui rationabilibus legibus non vtuntur propter malam communem consuetudinem aliqui incidunt in malitiam bestialem: secundò contingit aliquibus propter ægritudines, & orbitates, idest amissiones carorum, ex quibus in amentiam incidũt, & quasi bestiales fiunt: tertiò propter magnum augmentum malitiæ, ex qua contingit, quòd quosdam superexcellenter diffamamus dicendo eos bestiales. lect. 1. septimi Eth.

Quaeritur quare bestialitas ponatur extra numerum humanarum malitiarum.

3 Respondeo dicendum, quòd secundũ Phylosophum in 7. Ethyc. Bestialitas ponitur extra numerum aliarum humanarũ malitiarum, quia humanum modum trãscendit. 4. sent. d. 13. q. 2. art. 2. ad 1. 2. 2. q. 164. a. 11. ad 2.

Quaeritur quid sit vitium bestialitatis, quę est species luxuriæ.

Respondeo sicut verbo, Luxuria.

BIGAMIA.

1 *Lamec pessimus introduxit primus bigamiam.*

2 *Qui administrat sacramentum non debet pati defectum in sacramentis.*

Vir sit vnius vir, & vxor vnius vxor.

Bigamia tollit hanc vnitatem.

Bigamia inducit irregularitatem.

Quattuor modi bigamiæ, & qui.

3 *Bigamia inducit irregularitatem inquantum tollit perfectam significationem matrimonij.*

Solus consensus non inducit irregularitatẽ; requiritur etiam coniunctio corporum.

4 *Bigamia incurritur quando copula fuit cum vtraque.*

5 *Cognoscens vxorem violatam, etiam coactus ab Ecclesia fit bigamus.*

6 *Vir contrahens cum aliqua prius ab ipso violata non est irregularis.*

7 *Contrahens, & consumans matrimonium cum vxore resuscitata, non est bigamus.*

8 *Ducens in vxorem non virginem fit irregularis.*

9 *Bigamia non tollitur per Baptismum.*

Opinio D. Augustini circa hoc diuersa ab opinione D. Hieronymi.

10 *Non promoueri bigamum non est de iure naturæ.*

Nec pertinet ad articulos fidei.

Nec est de necessitate sacramenti.

Papa potest dispensare in bigamia.

Papa non debet dispensare in bigamia, nisi ex magna & euidenti causa.

Quaeritur quis primus introduxerit bigamiã.

1 Respondeo dicẽdum, quòd Lamec pessimus fuit, vtpote qui contra naturam primus introduxit bigamiam. lect. 3. super cap. 11. ad Hebræos.

Quaeritur an illi bigamię, quę est ex hoc, quòd aliquis duas vxores successiuè habuit, sit irregularitas annexa.

2 Respondeo dicendum, quòd aliquis per sacramentum Ordinis minister sacramentorum constituitur, & ille, qui alijs sacramenta ministrare debet nullum defectum in sacramentis pati debet: defectus autem in sacramento est, quando sacramenti significatio integra non inuenitur: sacramentum autem Matrimonij significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est vnius ad vnam: & ideo requiritur ad perfectam significationem sacramenti,

cramenti, vt vir sit tantùm vnius vir, & vxor tantùm vnius vxor: & ideo bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit: & sunt quattuor modi bigamiæ. Primus est, cum quis habet plures vxores de iure successiuè. Secundo cum simul habet plures, vnam de iure, aliam de facto. Tertius cum plures habet successiuè, vnam de iure, aliam de facto. Quartus, quando viduã ducit in vxorem, & in his omnibus est irregularitas adiuncta. 4. sent. d. 27. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. in corp.] d. 42. q. 3. a. 2. ad 4.] 2. 2. q. 108. a. 4. ad 2.

Quæritur quid requiratur ad hoc, quòd bigamia inducat irregularitatem.

3 Respondeo dicendum, quòd bigamia causat irregularitatem, inquantum tollit perfectam significationem matrimonij, quæ quidem consistit in coniunctione animorum, quæ fit per consensum, & in cõiunctione corporũ: & ideo ratione vtriusque oportet simul esse bigamiam, quę irregularitatem faciat: vnde per Decret. Innocentij abrogatur id, quod Magister dicit, quòd solus consensus per verba de præsenti sufficit ad irregularitatem inducendam. 4. sent. d, 27. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. ad tertium.

Quæritur quid dicendum in casu, quo aliquis antequam cognoscat carnaliter illam, cum qua de iure contraxit, cum alia contrahit de facto, non de iure, & eam carnaliter cognoscat, siue prima mortua, siue prima viuente.

4 Respondeo dicendum, quòd in tali casu non reputatur bigamus, quia primũ matrimonium non habuit perfectam suã significationem; tamen si per iudicium Ecclesiæ compellatur ad primam redire, & eam cognoscere, statim efficitur irregularis, quia irregularitatem non facit peccatum, sed imperfectio significationis. 4. sent. d. 27 q. 3. a. 1. quæst. 2. ad 3.

Quæritur an cognoscens vxorem violatam, etiam coactus ab Ecclesia fiat irregularis.

5 Respondeo dicendum, quòd si mulier fornicetur post contractum matrimoniũ, non efficitur ex hoc vir irregularis, nisi post corruptionem adulterinam eam iterato cognoscat, quia aliàs corruptio vxoris nullo modo cadit sub actu matrimoniali viri, sed si etiam per ius ei debitum compellatur reddere, vel ex conscientia propria illa petente debitum ante condemnationem adulterij irregularis efficitur, quamuis de hoc sint opiniones: sed hoc, quod dictum est, est probabilius, quia hic non quęritur quid sit peccatum, sed significatio tantum. 4. sent. d. 27. q. 3. art. 1. quæst. 3. àd 4.

Quæritur an sit bigamus ille, qui contraxit cum aliqua, cum qua prius fornicatus est.

6 Respondeo dicendum, quòd in hoc casu sunt diuersæ opiniones, tamen probabilius est, quod non fit irregularis, quia carnem suam non diuisit in plures. 4. sent. d. 27. q. 3. a. 1. quæst. 3. ad 2.

Quæritur an cognoscens vxorem resuscitatam fiat bigamus.

7 Respondeo dicendum, quòd secundũ Augustinum nuptiæ sunt bonum mortalium; & ideo vinculum matrimoniale cũ hac vita finitur; & hoc est, quod dicitur Rom. 7. de muliere, Si mortuus est vir eius soluta est à lege viri: & ideo si resuscitaretur non posset repetere vxorem suam, sed posset iterato cum ea contrahere, nisi illa alteri nupsisset; tunc enim non esset matrimonium contractum separandum: nec esset bigamus propter hoc, quia neuter coniugum in pluribus carnem suam diuisit. 4. sent. d. 39. in expositione textus, & ad 2.

Quæ-

Quæritur an fiat bigamus ducens in vxorem non virginem.

8 Respondeo dicendum, quòd in coniunctione Christi, & Ecclesiæ vnitas ex vtraque parte inuenitur: & ideo siue diuisio carnis inueniatur ex parte viri, siue ex parte vxoris, est defectus sacramenti: sed tamen diuersimode, quia ex parte viri requiritur, quòd aliam non duxerit in vxorem, non quod sit virgo, sed ex parte vxoris requiritur etiam, quod sit virgo; cuius ratio est, quòd defectus in ipso sacramento causat irregularitatem: corruptio autem carnis extra matrimonium contingens, quæ præcessit matrimonium, nullum defectum facit in sacramento ex parte illius, in quo est corruptio, sed facit defectum ex parte alterius, quia actus contrahentis matrimonium non cadit supra seipsum, sed supra alterum: & ideo ex termino specificatur, qui etiam est respectu illius actus, quasi materia sacramenti, vnde si mulier esset ordinis susceptiua, sicut vir efficitur irregularis ex hoc, quòd ducit in vxorem corruptam, non autem ex hoc, quòd corruptus contrahit, ita fieret mulier irregularis, si contraheret cum corrupto, non autem si contraheret corrupta, nisi in alio matrimonio prius fuisset corrupta. 4. sent. d. 27. q. 3. art. 1. quęst. 3. in corp.

Quæritur an bigamia tollatur per baptismum.

9 Respondeo dicendum, quòd Baptismus soluit culpas, & non soluit coniugia; vnde cum ex ipso coniugio sequatur irregularitas, per Baptismum tolli non potest, vt dicit Augustinus. In hoc autem discordia videtur esse inter Augustinum, & Hieronymum: Hieronymus enim dicit, quòd si ante Baptismum duas habuit vxores, vel vnam primò, & aliam postea, non impeditur ab ordinatione, quia per Baptismum omnia delentur. Augustinus, & Ambrosius contrarium dicunt, quia siue ante, siue post; si duas habuit vxores nō ordinetur; & nunquid Baptismus omnia delet? respondeo sic, quo ad peccata, non autem quo ad irregularitatem, quæ interdum etiam sine peccato incurritur ex sola Ecclesiastica institutione, sed matrimonium non est peccatum, etiam in paganis. Sed quæ est causa huius institutionis? nunquid non magis impeditur, qui multas concubinas habet? respondeo dicendum, quòd hoc fit non propter incontinentiam tantùm, sed propter repræsentationem sacramenti, quia sponsus Ecclesiæ est Christus, & vna est Ecclesia, Cāt. 5. Vna est columba mea lect. 1. super cap. 3. 1. ad Timoth.] lect. 2. super cap. 1. ad Titum.] 4. sent. d. 27. q. 3. a. 2. in corp.

Quæritur an Episcopus possit dispensare in bigamia.

Respondeo sicut verbo, Dispensatio.

Quæritur an Papa possit dispensare in bigamia.

10 Respondeo dicendum, quòd bigamum non promoueri neque est de lege naturæ, neq; pertinet ad articulos Fidei, neque est de necessitate sacramenti; quod patet ex hoc, quòd si bigamus ordinetur, recipit ordinis sacramētum, sed hoc pertinet ad quandam determinationem Diuini cultus: vnde circa hoc potest Papa dispensare, licèt dispensare non debeat nisi ex magna, & euidenti causa; sicut etiam posset dispensare circa hoc, quòd aliquis Sacerdos non indutus vestibus sacris consecraret corpus Christi: & eadem est ratio de omnibus alijs huiusmodi, quę ex institutione humana processerunt. Quodlibeto 4. a. 13. in corp.

BLA-

BLASPHEMIA.

De Blasphemia in communi. Cap. I.

1 *Blasphemia sumitur aliquando pro maledictione.*
2 *Quid sit blasphemia.*
Duplex blasphemia, cordis scilicet, & oris.
Blasphemia oris opponitur confessioni fidei.
3 *Peius est attribuere Deo quod ei non conuenit, quàm negare ab eo quod ei conuenit.*
4 *Quid sit peccatum mortale*
Blasphemia ex suo genere est peccatum mortale.
5 *Blasphemia habet in se grauitatem infidelitatis.*
Blasphemia est maximum peccatum secundùm suum genus.
6 *Blasphemia ex surreptione aliquando est peccatum mortale, & aliquando veniale.*
7 *Blasphemia ex parte obiecti est maius peccatum homicidio.*
Ex parte effectus est minus peccatum.
Blasphemia, simpliciter loquendo, est maius peccatum homicidio.
8 *Blasphemare est peius, quàm periurare.*
9 *Blasphemia prohibetur in secundo precepto.*
10 *Prohibitio blasphemiæ pertinet etiam ad primum præceptum.*
11 *Blasphemia procedit ex superbia.*
12 *Blasphemantem pluries difficile est non blasphemare.*
Difficultas hæc procedit ex consuetudine.

Quæritur an blasphemia sumatur aliquando pro maledictione.

1 Respondeo dicendum, quòd aliquando sumitur blasphemare pro qualibet maledictione occulta, vel manifesta. 2. Petri 2. Sectas non metuunt introducere blasphemantes. lect. 1. cap. 3. ad Titum.

Quæritur quid sit blasphemia, & an opponatur confessioni fidei.

2 Respondeo dicendum, quòd nomen blasphemiæ importare videtur quandam derogationem alicuius excellentis bonitatis, & præcipuè Diuinæ. Deus autem, vt Dionysius dicit 1. cap. de Diuinis nominibus, est ipsa essentia veræ bonitatis; vnde quidquid Deo conuenit pertinet ad bonitatē ipsius, & quidquid ad ipsū non pertinet longè est à ratione perfectæ bonitatis, quæ est eius essentia: quicunque ergo vel negat aliquid de Deo, quod ei conuenit, vel asserit de eo, quod ei non conuenit, derogat Diuinæ bonitati: quod quidem potest contingere dupliciter, vno quidem modo secundùm solam opinionem intellectus, alio modo cōiuncta quadam affectus detestatione, sicut è contrario fides Dei per dilectionem perficitur. Huiusmodi ergo derogatio Diuinæ Bonitatis vel est secundùm intellectum tantū, vel etiam secundùm affectum; si consideretur tantùm in corde, est cordis blasphemia; si autem exterius prodeat per locutionem, est oris blasphemia, & secundùm hoc blasphemia confessioni opponitur. 2.2.q.13 a.1. in corp.] 4. sent. d.4. in expositione litteræ.

Quæritur quid sit grauius attribuere Deo quod non est, an negare ab eo, quod est.

3 Respondeo dicendum, quòd hoc est pessimum, scilicet quòd aliquid attribuatur Deo, quod non fecit, & laudare in eo, quod non est: vnde dicit Augustinus, Non minori, sed maiori fortasse scelere in Deo laudatur falsitas, quàm vituperetur veritas: cuius ratio est, quia intellectus noster numquam potest tantùm laudare Deum, quin deficiat in perfectione eius: & ideo si non totaliter intellectus omnem veritatem possit de Deo intelligere, hoc est ad excellentiam Dei: sed si attribuitur aliquid

quid Deo, quod non habet, vel non facit, videtur quod intellectus noster est maior Deo, & intelligat aliquid maius eo, quod sibi falsè attribuit. lec.2.cap.15.1.ad Corinthios.

Quæritur an blasphemia sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd peccatũ mortale est, per quod homo separatur à primo principio spiritualis vitæ, quod est charitas Dei: vnde quæcunque charitati repugnant ex suo genere sunt peccata mortalia: blasphemia autem secundùm genus suum repugnat charitati Diuinæ, quia derogat bonitati, quæ est obiectum charitatis: & ideo blasphemia est peccatum mortale ex suo genere. 2.2. q.13.a 2. in corp.] q.158.a.7.ad 1.] lect.2.cap.3.ad Coloss.

Quæritur an blasphemia sit maximum peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd, sicut supra dictum est, blasphemia opponitur cõfessioni fidei: & ideo habet in se grauitatem infidelitatis; & aggrauatur peccatũ, si superueniat detestatio voluntatis, & ad huc magis, si prorumpat in verba; sicut & laus Dei augetur per dilectionem, & confessionem: vnde cum infidelitas sit maximum peccatum secundùm suum genus, consequens est, quòd etiam blasphemia sit peccatum maximum ad idem genus pertinens, & ipsum aggrauans. 2.2.q.13.a.3.in corp.]q.105.a.2.in corp.] 4.sent.d.9.a.3.quæst.3.] q.2.de malo, a.10.in corp.

Quæritur an blasphemia ex surreptione sit peccatum mortale, an veniale.

6 Respondeo dicendum, quòd blasphemia potest absque deliberatione ex surreptione procedere dupliciter, vno modo, quòd aliquis non aduertat hoc, quod dicit esse blasphemiam, quòd potest contingere cum aliquis subitò ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; & tunc est peccatum veniale, & non habet propriè rationem blasphemiæ: alio modo quandò aduertit hoc esse blasphemiam considerans significata verborum; & tunc non excusatur à peccato mortali, sicut nec ille, qui ex subito motu iræ aliquem occidit iuxta se sedentem. 2.2.q.13.a.2. ad 3.] lect.2.cap.3.ad Coloss.

Quæritur an blasphemia sit grauius peccatum homicidio.

7 Respondeo dicendum, quòd homicidium, & blasphemia si comparentur secundùm obiecta, in quæ peccatur, manifestum est, quòd blasphemia, quæ est directè peccatum in Deum, præponderat homicidio, quod est peccatum in proximum: si autem comparentur secundùm effectum nocendi, sic homicidium præponderat: plus enim homicidium nocet proximo, quàm blasphemia Deo: sed quia in grauitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis peruersæ, quàm effectus operis, ideo cum blasphemus intendat nocumentum inferre honori Diuino, simpliciter loquendo grauius peccat, quàm homicida; homicidium tamen primum locum tenet in pœnis inter peccata in proximum commissa. 2.2.q.13.a.3.ad 1.

Quæritur an blasphemia sit grauius peccatum periurio.

8 Respondeo dicendum, quòd super illud ad Ephes. 4. (Blasphemia tollatur à vobis) dicit Glosa, Peius est blasphemare, quàm periurare: qui enim periurat, non dicit, aut sentit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus, sed Deum adhibet testem falsitati, non tanquam existimans Deum esse falsum testem, sed tanquam spe-

sperans, quòd Deus super hoc non testificetur per aliquod euidens signum. 2.2.q. 13.a.3.ad 2.

Quæritur quo præcepto prohibeatur blasphemia.

9 Respondeo dicendum, quòd secundũ præceptum prohibet periurium, superadditur autem ei prohibitio blasphemiæ Leuitici 14. p.2.q.100.a.11.in corp.]2.2. q.13.a.1 ad 2.

Quæritur an prohibitio blasphemiæ contineatur etiam in primo præcepto.

10 Respondeo dicendum, quòd cum blasphemia opponatur confessioni fidei, vt dictum est, eius prohibitio reducitur ad prohibitionem infidelitatis, quæ intelligitur in eo, quod dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus & c. vel prohibetur per id, quod dicitur, Non assumes nomen Dei tui in vanum: magis enim in vanum assumit nomen Dei, qui aliquid falsum de Deo asserit, quàm qui per nomen Dei aliquod falsum confirmat. 2.2. q.13.art.2.ad 2.]p.2.q. 100.a.11.in corp.

Quæritur ex quo peccato procedat blasphemia.

11 Respondeo dicendum, quòd blasphemia, in quam aliquis prorumpit deliberata mẽte, procedit ex superbia hominis contra Deum se erigentis, quia vt dicitur Ecclesi. 10 Initium superbię hominis apostatare à Deo, id est recedere à veneratione eius est prima superbiæ pars; & ex hoc oritur blasphemia: sed blasphemia, in quam aliquis porumpit ex commotione animi, procedit ex ira. 2.2.q.158.artic.7. ad primum.

Quæritur quomodo intelligatur dictum Diui Athanasij inquientis in Epistola ad Serapionem; quòd Arrianos, qui non semel tantùm, sed pluries blasphemauerunt, impossibile est non blasphemare.

12 Respondeo dicendum, quòd impossibile hic pro difficili sumitur, quæ difficultas ex consuetudine prouenit, sicut & Hierem. 13. dicit, Si mutare potest Aethiops pellem suam, & Pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. opusculo 1.cap.28.

De blasphemia in Spiritum Sanctum. Cap. II.

1 *Opinio Athanasij, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Chrysostomi de quidditate peccati in Spiritum Sanctum.*
Quid sit peccatum in Spiritum Sanctum ex D. Augustino.
Quid sit peccatum in Spiritum Sanctum ex opinione aliorum.
Peccare ex certa malitia cõtingit dupliciter.
Quid sit peccatum in Spiritum Sanctum ex D. Thoma.
2 *Blasphemia in Spiritum Sanctum fit ore, corde, & opere.*
3 *Si peccare ex malitia accipiatur propriè, peccatum in Spiritum Sanctum est speciale peccatum.*
Si accipiatur vt est peccare ex inclinatione habitus, sic non est speciale peccatum.
4 *Quisnam contemptus faciat peccatum in Spiritum Sanctum.*
5 *Sunt sex species peccati in Spiritum Sanctum, & quæ.*
6 *In quo sensu illæ species sint peccata in Spiritum Sanctum.*
7 *Quomodo peccatum in Spiritum Sanctum dicatur irremissibile.*
8 *In quo sensu peccatum in Spiritum Sanctum dicatur desperatum.*

Quo-

9 *Quomodo possit homo primò peccare in Spiritum Sanctum.*

Homo potest primò ante alia peccata habere hoc peccatum, licèt rarò contingat.

Quaritur an peccatum in Spiritum Sanctum sit idem quòd peccatum ex certa malitia.

1 RESpondeo dicendum, quòd de peccato, seu blasphemia in Spiritum Sanctum tripliciter aliqui loquuntur. Antiqui enim Doctores, scilicet Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, & Chrysostomus dicunt esse peccatum in Spiritum Sanctum, quando ad literam aliquid blasphemum dicitur contra Spiritum Sanctum, siue Spiritus Sanctus accipiatur secundùm quòd est nomen essentiale conueniens toti Trinitati, cuius quælibet persona & Spiritus est, & Sanctus est; siue prout est nomen personale vnius in Trinitate personæ; & secundũ hoc distinguitur Matthæi 12. Blasphemia in Spiritum Sanctum contra blasphemiã in filium hominis: Christus enim operabatur quædam humanitùs comedendo, bibendo & alia huiusmodi faciendo; & quędam Diuinitùs, scilicet Dæmones eijciendo, mortuos suscitando, & alia huiusmodi, quę quidem agebat & per virtutem propriæ Diuinitatis, & per operationem Spiritus Sancti, quo secundùm humanitatem erat repletus. Iudæi autem primò quidem dixerunt blasphemiam in filium hominis, cum dicebant eum voracem, potatorem vini, & publicanorum amatorẽ, vt habetur Matthæi 11. postmodum autem blasphemauerunt in Spiritum Sanctum, dum opera, quæ ipse operabatur virtute propriæ Diuinitatis, & per operationem Spiritus Sancti, attribuebant Principi Demoniorum, & propter hoc dicuntur in Spiritum Sanctum blasphemasse. Augustinus autem in libro de verbis Domini, blasphemiam, vel peccatum in Spiritum Sanctum dicit esse finalem impęnitentiã, quando scilicet aliquis perseuerat in peccato mortali vsque ad mortem; quod quidem non solùm verbo oris fit, sed etiam verbo cordis, & operis, non vno, sed multis. Hoc autem verbum sic acceptum dicitur esse contra Spiritum Sanctum, quia est contra remissionem peccatorum, quæ fit per Spiritum Sanctum, qui est Charitas & Patris, & Filij. Nec hoc Dominus dixit Iudæis, quasi ipsi peccarent in Spiritum Sanctum; nondum n. erant finaliter impęnitentes, sed admonuit eos, ne totaliter loquentes ad hoc peruenirent, quòd in Spiritum Sanctum peccarent; & sic intelligendum est, quod dicitur Marci 3. vbi postquam dixerat Qui autem blasphemauerit in Spiritum Sanctum &c. subiungit Euangelista, Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet. Alij verò aliter accipiunt dicentes, peccatum, vel blasphemiam in Spiritum Sanctũ esse, quãdo aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritus Sancti. Sic enim Spiritui Sancto appropriatur bonitas, sicut & Patri appropriatur potentia, & Filio sapientia; vnde peccatum in Patrem dicunt esse, quando peccatur ex infirmitate; peccatum autem in Filium, quando peccatur ex ignorantia; peccatum autem in Spiritum Sanctũ, quando peccatur ex certa malitia, idest ex ipsa electione mali; quod quidem contingit dupliciter, vno modo ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur, & sic non est idem peccare ex malitia, quod peccare in Spiritum Sanctum; alio modo contingit ex eo, quòd per contemptum abijcitur, & remouetur id, quòd electionem peccati poterat impedire, sicut spes, per desperationem, & timor per præsumptionem, & quædam alia huiusmodi: hæc autem omnia, quæ peccati electionem impediunt sunt effectus Spiritus Sancti in nobis: & ideo sic ex malitia peccare est peccare in Spiritum Sanctum. 2. 2. q. 14.

a. 1. in

a.1.in corp.) 2.sent.d.43.a.1.2.in corp.) 3. sent.d.38.a.5.ad 4.) q.3.de malo, ar.14.in corp.) Quodlibeto 2.a.15.) super cap.12. Matthæi) lect.1.cap.2.ad Romanos.

Quaeritur quot modis possit esse blasphemia in Spiritum Sanctum.

2 Respondeo dicendum, q sicut cōfessio fidei non solùm cōsistit in protestatione oris, sed etiam in protestatione operis, ita etiam blasphemia Spiritus Sancti pōt considerari & in ore, & in corde, & in opere. 2.2.q.14.a.1.ad 1.) q.3.de malo, a.14.in corp.ad 1.3.) 2.2 q.13.a.1.in corp.

Quaeritur an peccatum in Spiritum Sanctum sit speciale peccatum.

3 Respondeo dicendum, q sm̄ expositionem antiquorum Sanctorum, & etiam sm̄ expositionem Magistralem, peccatum in Spiritum Sāctum pōt dici speciale genus peccati, dum tm̄ peccatum ex malitia accipiatur propriè sm̄ q aliquis peccat ex hoc, q abijcit beneficia Spiritus Sancti, quibus retrahitur à peccato: sed si accipiatur peccatū ex malitia, sm̄ q est ex inclinatione habitus, sic non est speciale genus peccati: sed quædam peccati circūstātia, q̄ potest in quolibet gñe peccati inueniri; & similiter et est dicendū, si peccatum in Spūm S. sit finalis impœnitentia sm̄ expositionē August.(q.3.de malo, a.14.ad 2.& 9) 2.2.q.14.a.1.ad 3.) 2 sent.d.43.a.2.in corp.

Quaeritur quisnam contemptus faciat peccatum in Spiritum Sanctum.

4 Respondeo dicendum, q non contemptus cuiuscumque quod peccatum impedit, constituit peccatum in Spiritum Sanctū, alioquin cuiuslibet boni contemptus esset peccatū in Spiritum S., quia per qlibet bonum pōt homo impediri à peccato; sed bonorū illorum contemptus facit peccatum in Spiritum Sanctum, quæ directè ducunt ad pœnitentiam, & remissionem peccatorum. 2.2.q.105.a.2.ad 2.

Quaeritur quot, & quæ sint species peccati in Spiritum Sanctum.

5 Respondeo dicendum, q conueniēter species peccati in Spiritum Sanctum .s. desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis cognitæ, & inuidia fraternæ gratiæ, assignantur, quæ distinguuntur secundùm remotionē, vel contemptum eorum, per quæ potest homo ab electione peccati impediri; quæ quidem sunt vel ex parte Diuini iudicij, vel ex parte donorum ipsius, vel etiam ex parte ipsius peccati: auertitur.n.homo ab electione peccati ex consideratione Diuini iudicij, quod habet iustitiam cum misericordia, & per spem, quæ consurgit ex consideratione misericordiæ remittentis peccata, & premiantis bona, & hæc tollitur per desperationem; & iterum per timorem, qui consurgit ex consideratione Diuinæ iustitiæ punientis peccata, & hic tollitur per præsumptionem, dum scilicet aliquis præsumit se gloriam posse adipisci sine meritis, vel veniam sine pœnitentia. Dona autem Dei, quibus retrahimur à peccato sunt duo, quorum vnum est agnitio veritatis, contra quod ponitur impugnatio veritatis agnitæ, dum scilicet aliquis veritatem fidei agnitam impugnat, vt licentiùs peccet. Aliud est auxilium interioris gratiæ, contra quod ponitur inuidentia fraternæ gratiæ, dum scilicet aliquis non solùm inuidet personæ fratris, sed etiam inuidet gratiæ Dei crescenti in mundo. Ex parte verò peccati duo sunt, quæ hominem à peccato retrahere possunt, quorum vnum est inordinatio, & turpitudo actus, cuius consideratio inducere solet in homine pœnitentiam de peccato commisso, & contra hoc ponitur impœnitentia, non qui-

quidem eo modo, quo dicit permanentiã in peccato vsque ad mortem: sic enim nõ esset speciale peccatum, sed quædam peccati circumstantia: sed accipitur hic impœnitentia secundùm quod importat propositum non pœnitendi. Aliud autem est paruitas, & breuitas boni, quod quis in peccato quærit secundùm illud Romanorum 6. Quem ergo fructum habuistis nunc in illis, in quibus nunc erubescitis? cuius cõsideratio inducere solet hominẽ ad hoc, ꝙ eius voluntas in peccato nõ firmetur, & hoc tollitur per obstinationem, quando .s. homo firmat suum propositum in hoc, quod peccato inhæreat: & de his duobus dr̃ Hierem. 8. Nullus est, qui agat penitentiam super peccato suo dicens, quid feci? quantum ad primum; Omnes conuersi sunt ad cursum, quasi equus impetu vadens ad pręliũ; quantũ ad secũdũ. 2.2.q.14.a.2.in corp.) 2.sent.d.43. a.3.in corp.) sup.c.12.Matt.) lec.j.sup.c.2.Rom.

Quæritur in quo sensu illæ species sint peccata in Spiritum Sanctum.

6 Respondeo dicendum, ꝙ quodlibet illorum, quæ dicta sunt potest dupliciter accidere, vno modo ex hoc, quòd per se voluntas tendit in vnumquodque ipsorũ, vt quia aliquis non vult habere spẽ de futuris premijs, aut non vult veritati notæ assentire, & sic de alijs, & hęc tm̃modo sũt species peccati in Spiritum Sanctũ, quia sic per se loquendo est desperatio, vel pręsumptio, & sic de alijs, quando voluntas per se in actum desperationis labitur: secundo potest accidere ex aliquo exteriori, vt propter defectum rationis regentis, vel propter aliquem impetum alicuius impellentis, sicut quando per infirmitatem, vel ignorantiam aguntur, & sic non sunt species peccati in Spiritum Sanctũ; quia sic non est dicendus aliquis desperatus per se, sed per accidens. 2.sent.dist. 43 art.3.ad 7.

Quæritur quomodo peccatum in Spiritum Sanctum d.catur irremissibile.

7 Respondeo dicendum, quòd secundũ diuersas acceptiones peccati, peccatum in Spiritum Sanctum diuersimodè irremissibile dicitur; Si.n.dicatur peccatũ in Spiritum Sanctum finalis impęnitentia, sic dr̃ irremissibile, quia nullo modo remittitur: peccatũ .n. mortale, in quo perseuerat vsque ad mortem, quia in hac vita non remittitur per pęnitentiam, nec ẽt in futuro dimittetur. Secundùm autem alias duas acceptiones dicitur irremissibile, non quòd nullo modo remittatur, sed quia quantum est de se habet meritũ, vt non remittatur; & hoc dupliciter, vno modo quantum ad pęnam; qui.n.ex ignorantia, vel infirmitate peccat, minorẽ pęnam meretur: qui autem ex certa malitia peccat non habet aliquam excusationẽ, vnde eius pœna minuatur; similiter etiã, qui blasphemabat in filium hominis eius Diuinitate nondum reuelata poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat, & sic minorem pœnam merebatur; sed qui ipsam Diuinitatem blasphemabat, opera Spiritus Sancti Diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, vnde eius pęna diminueretur: & ideo dicitur secundũ expositionem Chrisostomi, hoc peccatũ Iudæis non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia pro eo passi sunt pęnam, & in præsenti vita per Romanos, & in futura vita in pœna Inferni; sicut etiã Athanasius inducit exemplum de eorum parentibus, qui primò quidem contra Moysem contenderunt propter defectũ aquæ, & panis, & hoc Dominus sustinuit patienter: habebant enim excusationem ex infirmitate carnis, sed postmodum grauius peccauerunt quasi blasphemantes in Spiritum Sanctum, beneficia Dei, qui eos de Aegypto eduxerat, idolo attribuentes, cum dixerunt: Hi sunt Dij tui Israel,

rael, qui te eduxerunt de terra Aegypti: & ideo Dominus & tẽporaliter fecit eos puniri, quia ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominum, & in futuro eis pœnam comminatur dicens, Ego autẽ in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum: alio modo potest intelligi quo ad culpam, sicut aliquis dicitur morbus incurabilis sm̃ naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus põt curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi, & medicinæ, licèt talem morbum Deus possit curare; ita etiam peccatum in Spiritum Sãctum dr̃ irremissibile secũdùm suam naturam, inquantum excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum: per hoc tñ non prçcluditur via remittendi, & sanandi omnipotentiæ, & misericordiæ Dei, per quem aliqñ tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur. 2.2.q.14.a.3.i corp.] q.118.a.5.ad 3.] p.p.q.64.a.2.in corp.] 3.p.q.86.a 1.ad 2. & 3.] 2.sent.d.43.a.4.in corp.] de verit. q. 24.a.11.ad 7.] q.3. de malo, art.14.15.in corp.] Quodlibeto 2.q.8.a.15.in corp.] super cap.12. Matthæi] lect.1. super cap.2. Romanorum.

Quæritur quomodo peccatum in Spiritum Sanctum dicatur desperatum.

8 Respondeo dicendum, quòd peccatũ in Spiritum Sanctum non est desperatum ex parte Medici curantis .s. Dei, qui immensitate suæ misericordiæ quemlibet in statu viæ saluare potest, sed est desperatũ ex parte ipsius morbi, qui quantum in se est omnem viam curationis excludit. 2. sent.d.43.a.1.ad 4.] art.4.in corp.] 2.2.q. 14.a.3.in corp & ad 1.] Quodlibeto 2. ar. 15.] lect.1.cap.2.ad Ephesios.

Quæritur an homo possit primò peccare in Spiritum Sanctum.

9 Respondeo dicendum, quòd, sicut dictum est, peccare in Spiritum Sanctũ vno modo est peccare ex certa malitia: ex certa autem malitia dupliciter peccare contingit, sicut dictum est, vno modo ex inclinatione habitus, quod non est propriè peccare in Spiritum Sanctum, & hoc modo peccare ex certa malitia non contingit à principio: oportet .n. actus peccatorum præcedere, ex quibus causetur habitus ad peccandum inclinans: alio modo potest aliquis peccare ex certa malitia abijciendo per contemptum ea, per quę homo retrahitur à peccato, quod propriè est peccare in Spiritum Sanctum, sicut dictũ est, & hoc etiam plerunque præsupponit alia peccata: quia sicut dicitur Prouerb. 18. Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit: potest tñ contingere, quòd aliquis in primo actu peccati in Spiritum Sanctum peccet per contemptum tum propter libertatem arbitrij, tum etiã propter multas dispositiones præcedentes, vel ẽt propter aliquod vehemens motiuum ad malum, & debilem affectum hominis ad bonum: & ideo in viris perfectis hoc vix, aut numquam accidere potest, quòd statim à principio peccent in Spiritum Sanctum: vnde dicit Origenes in 1. Periarchon: Nõ arbitror, quòd aliquis ex his, qui in summo perfectionis gradu cõstiterint, ad subitum euacuetur, aut decidat, sed paulatim, ac per partes eum decidere necesse est. Et eadem ratio est, si peccatum in Spiritum Sanctum accipiatur ad literam pro blasphemia Spiritus Sancti: talis enim blasphemia, de qua Dominus loquitur semper ex malitiæ contemptu procedit. Si verò per peccatum in Spiritum Sanctum intelligatur finalis impœnitentia secundùm intellectum Augustini quæstionem non habet, quia ad peccatum in Spiritum Sanctum requiritur continuatio peccatorum vsque in finem vitæ. 2.2.q.14.a.4.in corp.] 2.sent.d. 43 a.5.in corp.

BVLLA.

Quaritur quare in Bullis ponatur D. Petrus ad sinistram, & D. Paulus ad dexteram.

RESpondeo dicendum, quòd quia pręsens vita significatur per sinistram, futura verò per dexteram, inquantũ ista est celestis, & spiritualis, illa verò tpalis: iõ Petrus, qui vocatus est à Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte; Paulus verò, qui vocatus fuit à Christo glorificato, ponit in parte dextera. lect. 1. super cap. 1. ad Gal.

CALIX.

1 *Calix olim erat ligneus, deinde fuit vitreus Patena.*
Vrbanus Papa voluit calicem esse argenteũ.
Calix, Patena vel aurea, vel argentea esse debent.
Calix non potest esse ex ære, aut ex auricalco, nec lapideus, nec vitreus, nec ligneus.
2 *Non potest Prælatus facere Calicem de cõsecrato non consecratũ, si maneat integer.*

Quaritur ex qua materia debeat esse Calix.

1 RESpondeo dicendum, ꝙ sicut legitur de consecr. d. 1. c. Vasa, quondã Sacerdotes nõ aureis, sed ligneis Calicib' vtebantur. Zepherinus aũt Papa patenis vitreis Missam celebrari constituit. Deinde Vrbanus oĩa fecit argentea. Postmodum aũt statutũ est, vt Calix Dñi cum Patena siue ex auro oĩno, siue ex argento fiat, vel saltẽ stanneus Calix habeatur. De ęre aũt, aut ex auricalco non fiat, quia hoc vini virtute ęruginẽ parit, pariterq. vomitum prouocat: nullus aũt in ligneo, seu vitreo Calice præsumat Missam cantare, quia .s. lignum porosum est, & sanguis cõsecratus in eo remaneret: vitrum aũt fragile est, & posset fractionis periculum imminere; & eadem rõ est de lapide. & ideo pp reuerẽtiam Sacramenti statutũ est, vt ex prædictis materijs Calix fiat, 3. p. q. 83. a. 3. ad 6. 1 4. sent. d. 13. q. 1. a. 2. quæstiunc. 5. ad 4.

Quaritur an Prælatus possit facere Calicem de consecrato non consecratum.

2 Respondeo dicendum, ꝙ non potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, vt id, ꝙ est sanctificatum, sanctificationẽ amittat, etiam in rebus inanimatis, puta quòd Calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. 2. 2. q. 88. a. 11. in corp.

CALVMNIA.

1 *Quid sit calumnia.*
2 *Quid sit calumniosè se defendere.*

Quaritur quid sit calumnia.

1 RESpondeo dicendum, quòd qui falsum crimen alicui imponit, non calumniatur, sed solùm qui ex malitia in falsam accusationem prorumpit. 2. 2. q. 68. a. 3. ad 1. & in corp.

Quaritur quid sit calumniosè se defendere.

2 Respondeo dicendum, quòd illi, qui accusatur, licet se defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos conuenientes modos, puta quòd non respondeat, ad quæ respondere non tenetur: hoc autem non est calumniosè se defendere, sed magis prudenter euadere: non autem licet ei vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur; neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacij habent, & hoc est calumniosè se defendere. 2. 2. q 69. art. 2. in corp. & a. 3. in corp.

CAMPSORIA ARS.

1 *Ars campsoria est genus commutationis, quod non habet rationem mutui.*
Non est emptio, & venditio propriè.
Ars campsoria est commutatio numismatum diuersorum generum.
Quot modis sumatur permutatio, & qua permutatio sit ars campsoria.
2 *Ars campsoria est licita, & iusta duplici iure.*
3 *Ratione cuius possit à campsoribus aliquid plus accipi.*
4 *Campsores multas falsitates committunt.*
Septimum praeceptum est contra cāpsores.
Non possum dare pecuniam eo modo quo do mum vel equum & quare.
5 *Ecclesiastici non possunt exercere artem campsoriam.*
6 *In loco sacro non licet exercere artem campsoriam.*

Quaritur quid sit ars campsoria.

1 Respondeo dicendum, quòd est inter hominū cōmutationes quoddam genus cōmutationis in rebus, quod campsoria dicitur, quod nec mutui rationem habet, eo quòd in tali commutatione lucrum non speratur ex temporis dilatione, nec iterum campsori redditur eadem sors in specie, vel in numero, vel in pondere: dat enim Parisienses, & recipit Sterlingos, vel monetam alterius generis; similiter nec habet propriè rationem commutationis, quæ dicitur venditio, & emptio, quia hoc genus fit in rebus appretiabilibus, quarum precia determinantur, & mensurantur numismate; sed hoc genus est in sola commutatione numismatum diuersorum generum; propter quod sequitur, quòd ars campsoria, quæ est species commutationis simpliciter pmutatio dicatur; sed permutatio dicitur generaliter, quando aliquid accipitur loco alterius dati, & sic compræhendit omnem commutationem: dicitur etiam permutatio, quando res determinata ad vtilitatem hominum pro re altera similiter habente ex sua natura aliam vtilitatem commutatur, & sic agitur de permutationibus in iure Ciuili, & Canonico, vt sicut si quis velit permutare parochiā pro præbenda, vel præbendam pro præbenda, & similia: tertio modo potest dici permutatio magis determinatè ad materiā numismatis, ipsa numismatum commutatio, & hoc modo dicimus campsoriam esse permutationem numismatum, quæ causa lucri exercetur communiter. opusculo 73. cap. 13.

Quaritur an ars campsoria sit licita, & iusta.

2 Respondeo dicendum, quòd ars campsoria est iusta ex duplici via; primò, quia dicit actum iustitiæ, & liberalitatis per ampliorem vtilitatem dati apud accipiētem à campsore, quàm accepti ab ipso, & iterum quia actus campsorius non debet fieri gratis ex natura sua, sicut actus mutui, ideo illud, quod plus accipi videtur transit in dominium accipientis per simplicem voluntatem dantis. opusculo 73. cap. 13.

Quaritur ratione cuius liceat accipere lucrum in arte campsoria.

3 Respondeo dicendum, quòd ars campsoria vtitur de se numismate ad idoneū, & est ratio, quia illud plus, quod accipitur à campsoribus in tali permutatione monetæ non accipitur ratione pecuniæ, quæ de se est inuendibilis, sed ratione periculi, vel interesse, vt subueniatur salarijs pensionum, domorum, ministrorumque, & laboribus, & expensis in arte necessaria, & licita, ne frustra ponant operam, & sudorem suum in re licita ad vtilitatem aliorum. opusculo 73 cap. 13. 2 2. q. 78. a. 2. ad 4.

Quæritur de peccatis campsorum.

4 Respondeo dicendum, quòd septimum præceptum legis est etiam contra campsores, qui multas falsitates committunt; sed dices forsan, quare non possum dare pecuniam sicut equum, vel domum? dicendum, quòd in illis est peccatum, quę bis venduntur; in domo autem sunt duo, scilicet substantia, & vsus; aliud autem est habere domum, & aliud vti domo, vnde separatim possum vsum vendere sine domus venditione; & ita in omnibus huiusmodi: vnde si aliqua sunt, quæ consistant in ipso vsu tantùm, & vsus eorum est distractio, non potest fieri id, quod de domo: denarijs autem vtimur distrahendo, & frumento consumendo; & ideo si vsum vendis, bis vendis. opusculo 4. cap. de septimo præcepto.

Quæritur quibus non liceat exercere artem campsoriam.

5 Respondeo dicendum, quòd de Templo sunt campsores eiecti, quia non licet ministris Templi, idest viris Ecclesiasticis talia exercere mercimonia. opusculo 73. cap. 13.

Quæritur quo in loco non liceat exercere artem campsoriam.

6 Respondeo dicendum, quòd Dominus eiecit campsores de Templo ratione loci, qui tantùm spiritualibus erat deputatus: & ideo contra reuerentiam loco debitam faciebant suas mercationes, & apparebat in talibus turpitudo suæ cupiditatis. opusculo 73. cap. 13.

CANONICVS REGVLARIS.

1 *Canonici regulares, & Monachi ordinantur ad vitam contemplatiuam.*
Canonicis regularibus per se competit, quòd sint clerici religiosi.
Monachis per se non competit, quòd sint clerici religiosi.
Monachi sunt arctioris vitæ, quàm Canonici regulares.
Canonici regulares possunt transire ad ordinem Monachorum petita Superiorum licentia, secundùm ius Canonicum.
2 *Quo ad communia omni Religioni Monachi, & Canonici regulares ad paria iudicantur.*

Quæritur an Canonici regulares possint transire ad Religionem Monachorum.

1 Respondeo dicendum, quòd vtraque Religio, scilicet Monachorũ, & Canonicorum Regularium ordinatur ad opera vitæ contemplatiuæ, inter quæ præcipua sunt ea, quæ aguntur in Diuinis misterijs, ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium, quibus per se competit, quòd sint Clerici Religiosi; sed ad Religionem Monachorum non per se competit, vt sint Clerici, vt habetur in Decret. 16. q. 1. & ideo quamuis Ordo Monachorum sit arctioris obseruantiæ, si Monachi essent laici, liceret transire ab Ordine Monachorum ad Ordinem Canonicorum Regularium, secundùm illud Hieronymi ad Rusticum Monachum: Sic viue in Monasterio, vt Clericus esse merearis: non autem è conuerso, vt habetur in Decret. 16. q. 1. in decret. inducto: Sed si Monachi sint Clerici sacris misterijs obsequentes habent id, quòd est Canonicorum Regularium cum maiori arctitudine: & ideo transire licitum erit de Ordine Canonicorum Regularium ad Ordinem Monachorum, petita tamen Superioris licentia, vt dicitur 19. q. 3. cap. Statuimus. 2. secundæ, quæstione 189. artic. octauo, ad secundum.

Quæ-

Quæritur quomodo intelligatur illud Extra de postulando, ex parte: & de statu Monachorum quòd vei timor, quòd Canonici Regulares, & Monachi ad paria censeantur.

2 Respondeo dicendum, quòd intelligendum est in illis, quæ sunt communia omni Religioni sicut viuere sine proprio, abstinere à negociationibus, & ab officio aduocandi in causis, & huiusmodi; aliàs possemus simul concludere, quòd Canonici Regulares tenerentur abstinere à lineis indumentis, quia Monachi ad hoc tenentur opusculo 19. cap. 2.

Quæritur an Canonicus Regularis sit etiam ordinatus ad vitam actiuam.

Respondeo dicendum sicut verbo, Religio.

CANONIZATIO.

1 *Iudicium Prælatorum Ecclesiæ potest errare, si personæ tantùm respiciantur.*
Si consideretur prouidentia Dei Ecclesiam dirigentis, non potest errare in his, quæ sunt de fide.
In alijs quæ ad facta particularia pertinent, vt de possessionibus, criminibus, &c. potest errare propter falsos testes.
Piè credendum est iudicium Ecclesię non errare in canonizatione Sanctorum.
2 *Quomodo Papa possit certificari de statu alicuius.*
3 *An aliquando Ecclesia decipiatur in canonizatione Sanctorum.*

Quæritur an Ecclesia possit errare in canonizatione Sanctorum.

1 Respondeo dicendum, quòd aliquid potest iudicari possibile secundùm se consideratum, quod relatum ad aliquid extrinsecum impossibile inuenitur: dico ergo, quòd iudicium eorum, qui præsunt Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si personæ earum tantùm respiciantur. Si verò consideretur Diuina prouidentia, quę Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, sicut ipse promisit Ioannis 14. Quòd Spiritus adueniens doceret omnem veritatem de necessarijs, scilicet ad salutem: certum est, quòd iudicium Ecclesiæ vniuersalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile est: vnde magis est standum sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumcumque sapientum hominum in scripturis opinioni: Cum Caiphas, quamuis nequam, tamen quia Pontifex, legitur etiā inscius prophetasse Ioannis 11. In alijs verò sententijs, quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi, possibile est iudiciū Ecclesiæ errare propter falsos testes. Canonizatio verò Sanctorum medium est inter hæc duo; quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorū gloriam credimus, piè credendum est, quòd nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit. Quodlibeto 9. a. 16. in corp.

Quæritur quomodo Papa possit certificari de statu alicuius.

2 Respondeo dicendum quòd Summus Pontifex, cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quodlibeto 9. a. 16. ad 1.

Quæritur an Ecclesia aliquando errauerit in canonizatione Sanctorum.

3 Respondeo dicendum, quòd Diuina prouidentia præseruat Ecclesiam ne in talibus per fallibile testimonium homi-

num fallatur. Quodlibeto 9. articulo 16. ad 2.

CANTVS.

1. *Cantus aßumuntur ad excitandam deuotionem.*
2 *Debet quis cantare hylariter, attētè, deuotè.*
3 *Cantus debet frequentari & quare.*
4 *Non sunt cum cantu assumenda instrumenta musicalia.*
Quare in veteri lege assumebantur musicalia instrumenta.
5 *Qui cantus in Ecclesia sint repręhendendi.*
6 *Prælati, & Diaconi non debent insistere cantibus.*

Quæritur quare sit institutus cantus in Ecclesia.

1 RΕspondeo dicendum, quòd salubriter fuit institutum, vt in Diuinas laudes cantus assumerentur, vt animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem: vnde Augustinus dicit in 10. Confessionum: Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis assurgat. Et de se ipso dicit in nono Confessionū: Fleui in hymnis, & canticis tuis suauè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. 2.2. q. 91.a.2.in corp.] 3.sent d.9.q.1.a.3.quæst. 3.in corp. & ad 2.] 4.sent. d.15.q.4 art.2. quæst.1.in corp.] super Psalm 32.] lect.7. super cap.5. ad Ephesios.

Quæritur quomodo cantandum.

2 Respondeo dicendum, quòd debet homo benè canere, primo hylariter. Psalm. 146. Deo nostro iucunda sit laudatio; secundo attentè, 1.Corinth 14. Psallam spiritu, psallam, & mente; tertio deuotè. 2. Paralip.29. Obtulit populos hostias, & laudes mente deuota. super cap.23. Isaiæ.

Quæritur an cantus debeat frequentari.

3 Respondeo dicendum, quòd cantus debet frequentari; primò propter ipsius magnitudinem, Eccl. 43. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius; secundò propter bonorū interiorum multitudinem, Psalm. 107. Cantate, exultate, & psallite; tertiò propter peccatorum abundantiam, Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi, Domine Deus meus ne perdas me. super cap. 23. Isaiæ.

Quæritur an cum cantu sint assumenda instrumenta musicalia.

4 Respondeo dicendum, quòd Phylosophus dicit in 8. Polit. Neque fistulas ad disciplinam est adducendum, neque aliquod alind artificiale organum, puta citharā, etsi quid tale alterum est, sed quæcunque faciunt auditores bonos: huiusmodi enim musica instrumenta magis animum mouent ad delectationem, quàm per ea formetur interius bona dispositio. In veteri autem testamento vsus erat talium instrumentorum, tum quia populus erat magis durus, & carnalis, vnde erat per huiusmodi instrumenta prouocādus, sicut & per promissiones terrenas; tum ēt quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant. 2.2.q.91.a.2.ad 4.

Quæritur qui cantus in Ecclesia sint reprahendendi.

5 Respondeo dicendum, quòd Hieronymus non simpliciter vituperat cātum, sed reprahendit eos, qui in Ecclesia cantant more Theatrico, non propter deuotionem excitandam, sed propter ostentationem, vel delectationem prouocādam: vnde Augustinus dicit in 10. Confessionū: Cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm

quàm res, quæ cantatur, mouet, pęnaliter me peccare confiteor; & tunc mallem non audire cantantem. 2.2.q.91.a.2.ad 2.

Quæritur quibus prohibeatur cantus.

6 Respondeo dicendum, quòd nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prędicationem, quàm per cantum: & ideo Diaconi, & Prę lati, quibus competit per prędicationem, & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur: vnde ibidem Gregorius dicit: Consuetudo est valde repræhensibilis, vt in Diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & elæmosynarum studium vacare congruebat. 2.2.q.91.a 2.ad 3.

CAPITALE VITIVM.

1 *Capitale dicitur à capite.*
Capitis nomine quid intelligatur.
Peccatum capitale aliquando dicitur, quod capitis pœna punitur.
Vitium capitale est a quo alia vitia oriūtur.
2 *Capitale vitium differt a radice peccati.*
3 *Cum quis furatur, vt elæmosynam faciat, hoc vitium oritur ex accidia, quæ est vitium capitale.*
4 *Secundùm quos fines accipiantur vitia capitalia.*
5 *Circa delectationes, sensus, tactus, ponuntur vitia capitalia.*
6 *Septem sunt vitia capitalia, scilicet superbia, auaritia, luxuria, ira, gula, inuidia, accidia.*

Quæritur quid sit capitale vitium.

1 RESpondeo dicendum, quòd capitale dicitur à capite: caput autē propriè quidem est quoddam membrum animalis, quod est principium, & directiuum totius animalis: vnde metaphoricè omne principium directiuum caput vocatur; & etiam homines, qui alios dirigunt, & gubernant, capita aliorum esse dicuntur. Dicitur ergo vitium capitale vno modo à capite propriè dicto, & secundùm hoc, peccatum capitale dicitur peccatum, quod capitis pęna punitur; sed sic nunc non intendimus de capitalibus peccatis, sed secundùm quòd alio modo dicitur peccatum capitale, prout metaphoricè signat principium, vel directiuum aliorum; & sic dicitur vitium capitale, ex quo alia vitia oriuntur, & præcipuè secundùm originem causæ finalis, quæ est formalis origo: & ideo vitium capitale non solùm est principium aliorum, sed etiam est directiuum, & quodammodo ductiuū aliorum: semper enim ars, vel habitus, ad quem pertinet finis, principatur, & imperat circa ea, quæ sunt ad finem: vnde Gregorius 31. Moralium, huiusmodi vitia capitalia Ducibus exercituum comparat. p.2.q.84.art 3.in corp.] 2.2.q.34. art.5.in corp.] q.35.a.4.in corp.] q.118. artic.7.in corp.] q.148.a.5.in corp.] q.153.artic.4.in corp.] q.158.a.6. in corp.& ad 2.] 2.sent. d.42.q.2.a.3.in corp.] q.8.de malo, a.1 in corp.& ad 24.] q.9.a.2.ad 5.] q.10.a.31.in corp.] q.11.art.4.in corp.] q.12.artic.5.in corp.] q.13. art.3.in corp.] q.14. art.4.in corp.

Quæritur an vitium capitale differat à radice peccati.

2 Respondeo dicendum, quòd in hoc differt capitale peccatum à radice peccati, quia capitale peccatum est peccatum quoddam; radix autem peccati non est peccatum, si propriè sumatur. 2.sent. d. 42.q.2.a.3.in corp.

Quæritur an vitium aliquādo oriatur ex bono.

3 Respondeo dicendum, quòd quandoque

que aliquod vitium ex bono oritur, & tamen poteſt dici, quòd etiam quando aliquis, puta furatur, vt det elæmoſynam, hoc peccatum quodammodo ex aliquo capitalium oritur: procedit enim hoc ex ignorantia aliqua, vel errore, quòd malũ faciat propter bonum; ignorantia autem, vel error ad accidiam reducitur. q.8. de malo,a.1.ad 8.

Quæritur ſecundùm quos fines accipiantur capitalia vitia.

4 Reſpondeo dicendum,quòd vitia capitalia accipiuntur ſecundùm fines propinquos, nõ quidem omnium ſpecialium vitiorum,ſed quorundam,ex quibus,vt in pluribus nata ſunt alia peccata oriri: & ideo etiam gula diſtinguitur à luxuria, quia alterius rationis eſt delectatio, quæ eſt obiectum gulæ,& quæ eſt obiectum luxuriæ.q.8.de malo,a.1.ad 6.& 1.

Quæritur ſecundùm quas delectationes ponantur capitalia vitia.

5 Reſpondeo dicendum, quòd delectationes aliorum ſenſuum conſequũtur coniunctionem rei delectabilis ſecundùm ſolam ſimilitudinem; ſed delectationes tactus conſequuntur coniunctionem rei delectabilis corporalem: & ideo circa delectationes tactus, ſicut circa principaliores, & maiores, ponuntur vitia capitalia, & non circa delectationes aliorum ſenſuum, niſi guſtus, ſecundùm quòd eſt tactus quidam.q.15.de malo.a.4.ad 1.

Quæritur quot ſint capitalia vitia, & quæ.

6 Reſpondeo dicendum, quòd,ſicut dictum eſt,vitia capitalia dicuntur, ex quibus alia oriuntur, præcipuè ſecundùm rationem cauſæ finalis: huiuſmodi autem origo poteſt attendi dupliciter, vno quidem modo ſecundùm conditionem peccantis,qui ſic diſpoſitus eſt,vt maximè afficiatur ad vnum finem, ex quo, vt plurimum in alia peccata procedat; ſed iſte modus originis ſub arte cadere non poteſt, eo quòd infinitæ ſunt particulares hominum diſpoſitiones; alio modo ſecundùm naturalem habitudinem ipſorum finium ad inuicem,& ſecundùm hoc in pluribus vnum vitium ex alio oritur; vnde iſte modus originis ſub arte cadere poteſt: ſecundùm hoc ergo illa vitia capitalia dicuntur,quorum fines habent quaſdã primarias rationes mouendi appetitum, & ſecundùm harum rationum diſtinctionem diſtinguuntur capitalia vitia:mouet autem aliquid appetitum dupliciter,vno modo directè, & per ſe,& hoc modo bonũ mouet appetitum ad proſequendum;malum autem ſecundùm eandem rationem ad fugiendum; alio modo indirectè, & quaſi per aliud, ſicut aliquis aliquod malum proſequitur propter aliquod bonum coniunctum, vel aliquod bonum fugit propter aliquod malum adiunctum. Bonum autem hominis eſt triplex: eſt enim primo quoddam bonum animæ,quod ſcilicet ex ſola apprehenſione rationem appetibilitatis habet, ſicut excellentia laudis,vel honoris; & hoc bonum inordinatè proſequitur inanis gloria; aliud eſt bonũ corporis,& hoc vel pertinet ad conſeruationem indiuidui ſicut cibus, & potus, & hoc bonum inordinatè proſequitur gula, aut ad conſeruationem ſpeciei, ſicut coitus, & ad hoc ordinatur luxuria: tertium bonum eſt exterius, ſcilicet diuitiæ, & ad hoc ordinatur auaritia; & eadẽ quattuor vitia inordinata fugiunt quattuor mala contraria. Vel aliter, bonum præcipuè mouet appetitum ex hoc, quòd participat aliquid de proprietate felicitatis, quam naturaliter omnes appetunt;de cuius ratione eſt primò quædam perfectio, nam fœlicitas eſt perfectum bonum, ad quod pertinet excellentia, vel claritas, quam appetit ſuperbia,vel inanis gloria;

ſecun-

ſecundo de ratione eius eſt ſufficientia, quam appetit auaritia in diuitijs eã promittentibus; tertio eſt de conditione eius delectatio, ſine qua fęlicitas eſſe non poteſt, vt dicitur in 1.& 10.Eth. & hanc appetunt gula, & luxuria: quòd autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum coniunctum, hoc contingit dupliciter, quia aut hoc eſt reſpectu boni proprij.& ſic eſt accidia, quæ triſtatur de bono ſpirituali propter laborem corporalẽ adiunctum; aut eſt de bono alieno, & hoc ſi ſit ſine inſurrectione pertinet ad inuidiam, quæ triſtatur de bono alieno inquã tum eſt impeditiuum propriæ excellentiæ; aut eſt cum quadam inſurrectione ad vindictam, & ſic eſt ira: & ad eadem vitia pertinet proſecutio mali oppoſiti. p.2. q. 84.a.4.in corp.] 2.ſent. d.42. q.2. art.2.in corp.] q 8.de malo,a.1.in corp.

CAPITVLVM.

Prælatus Religioſus in Capitulo præeſt tanquam Iudex Eccleſiaſticus in foro iudiciali.
Subditos poteſt obligare præcepto.
Reſpectu quorum poſſit eos obligare.

Quæritur quid poſſit Prælatus Religioſus in Capitulo.

RESpondeo dicendum, quòd Religioſus Prælatus in Capitulo præeſt, ſicut Iudex Eccleſiaſticus in foro iudiciali, vnde ad ea poteſt ex præcepto ſubditos obligare, vt ei pandantur, propter quę poteſt Iudex Eccleſiaſticus in foro iudiciali iuramentum exigere. Quodlibeto 1. a.16.in corp.

CARCER.

1 *Aliquem incarcerare eſt illicitum, niſi in aliquibus caſibus.*
In quibus caſibus liceat aliquẽ incarcerare.
2 *Ad quem pertineat ſimpliciter aliquem incarcerare.*
Vnuſquiſque poteſt alium detinere ad euitandum aliquod malum.
3 *Non poteſt quis contra iuſtitiam alium liberare à morte, ad quam eſt condemnatus.*
Non poteſt quis ſe ipſum liberare à morte contra iuſtitiam.

Quæritur an liceat aliquem incarcerare.

1 RESpondeo dicendum, quòd in bonis corporis tria per ordinẽ conſiderantur; primo quidem integritas corporalis ſubſtantiæ, cui detrimentum affertur per occiſionem, vel mutilationem: ſecundo delectatio, vel quies ſenſus, cui opponitur vel mutilatio, vel quodlibet ſenſum dolore afficiens: tertio motus, & vſus membrorum, qui impeditur per ligationem, vel incarcerationem, ſeu quamcumque detentionem: & ideo incarcerare aliquem, vel qualitercumque detinere, eſt illicitum, niſi fiat ſecundùm ordinem iuſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi. 2.2.q.65.a.3.in corp.

Quæritur ad quem pertineat aliquem incarcerare.

2 Reſpondeo dicendum, quòd detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito ſtatim perpetrando cuilibet licet, ſicut cum aliquis detinet aliquem, ne ſe præcipitet, vel ne alium feriat: ſed ſimpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eũ ſolum pertinet, qui habet diſponere vniuerſaliter de actibus, & vita alterius, quia per hoc impeditur non ſolùm à malis faciendis, ſed etiam à bonis agendis. 2.2. q.65.a.3.ad 3.

Quæritur an condemnatus ad mortem poſſit liberari.

3 Reſpondeo dicendum, quòd non poteſt

test aliquis liberare alium à morte contra ordinem iustitiæ, nec seipsum contra iustitiam resistendo debet quis liberare à morte. 2.2.q.69.a.4.ad 3.

CHARITAS.

De Charitate in communi. Cap. I.

1 *Vnusquisque tenetur ad habendam Charitatem.*
Si non faciat, quod in se est ad habendam Charitatem, peccat.
In quo casu peccet quis, si non faciat, quod in se est, ad habendam Charitatem.
2 *Quid sit Charitas.*
Duo præcepta de Charitate sufficienter dantur.
3 *In præceptis dilectionis virtualiter continentur præcepta de alijs actibus Charitatis.*
Propter tardiores inueniuntur præcepta in specie de gaudio, pace, beneficentia.
4 *In sacra scriptura explicitè dantur præcepta contra vitia opposita Charitati.*
5 *Virtus ordinatur ad bonum.*
Duplex bonum, scilicet vltimum, & proximum.
Vltimum est Dei fruitio.
Ad hunc finem ordinatur homo per Charitatem.
Duplex bonum proximum, scilicet verum, & apparens.
Virtus vera quænam sit.
Nulla vera virtus potest esse sine Charitate.
6 *Quisnam actus carentis Charitate sit malus, & quisnam bonus ex suo genere.*
7 *Quid sit amor mercenarius.*
Amor mercenarius semper est malus.
8 *Modi tres, quibus Charitas exit in esse, & desinit esse.*
9 *Charitas non minuitur per peccatum veniale neque effectiuè neque meritoriè.*
Dispositio ad corruptionem Charitatis per peccatum veniale, vel per cessationem ab exercitio operum Charitatis, potest indirectè dici diminutio ipsius.
10 *Peccatum veniale potest esse causa vt infundatur minor gratia, & potest impedire augmentum Charitatis.*
11 *Quilibet actus peccati mortalis contrariatur Charitati.*
Per vnum actum peccati mortalis perditur Charitas.
12 *Charitas præseruat à peccato.*
13 *In Charitate datur ordo.*
Vnde attendatur talis ordo Charitatis.
14 *Ordo Charitatis cadit sub præcepto.*
15 *Habens Charitatem habet rectum indicium circa cognoscibilia & operabilia.*
16 *Operatio sine Charitate facta valet ei, pro quo fit virtute suæ Charitatis.*
Hæc operatio non est simpliciter bona.
Hæc operatio est bona ei, pro quo fit.

Quæritur an quilibet teneatur ad habendam Charitatem.

1 Respondeo dicendum, quòd quilibet tenetur quantum in se est ad Charitatem habendam, etsi non facit quod in se est, peccat peccato omissionis; non tamen oportet, quòd in quolibet instanti, in quo non facit, peccet, sed tunc tantùm, quando facere tenebatur, vtpote ei necessitas imminebat aliquid faciendi, quod sine Charitate fieri non potest, vt sacramenta accipere. q.23.de malo, a.7.ad 7.

Quæritur an sufficiant duo præcepta de Charitate.

2 Respondeo dicendum, quòd Charitas est amicitia quædam: amicitia autem ad alterum est: vnde Gregorius dicit in quadam Homilia: Charitas minus quàm inter duos haberi non potest. Cum autem dilectio, & amor sit boni, bonum autem sit vel finis, vel id, quod est ad finem; conuenienter de Charitate duo præcepta sufficiunt;

ficiunt, vnum quidem, quo inducimur ad diligendum Deum ficut finem: aliud autem, quo inducimur ad diligendum proximum propter Deum, ficut propter finem. 2.2.q.44.a.3.in corp.

Quaritur an dentur præcepta de alijs actibus Charitatis.

3 Respondeo dicēdum, quòd alij actus Charitatis. f. gaudium, pax, beneficentia, consequuntur ex actu dilectionis, ficut effectus ex causa: vnde in præceptis dilectionis virtute includuntur præcepta de alijs actibus, & tamen propter tardiores inueniuntur de fingulis explicitè præcepta tradita. De gaudio quidem Philip.4. Gaudete in Domino semper. De pace autem ad Heb. 12. Pacem sequimini cum omnibus. De beneficentia autem ad Galat. vltimo: Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. De fingulis beneficentiæ partibus inueniuntur præcepta tradita in sacra Scriptura, vt patet diligenter confideranti. 2.2.q.44.a.3 ad 2.

Quaritur an in sacra Scriptura dentur præcepta contra vitia opposita Charitati.

4 Respondeo dicendum, quòd plus est operari bonum, quàm vitare malum: & ideo in præceptis affirmatiuis virtute includuntur præcepta negatiua; & tamen explicitè inueniuntur præcepta data cō tra vitia Charitati opposita: nam contra odium dicitur Leuit 19. Ne oderis fratrē tuum in corde tuo. Contra accidiam dicitur Eccles.9. Ne accidieris in vinculis eius. Contra inuidiam Galat.5. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi inuicē prouocantes, inuicem inuidentes. Contra discordiam verò 1. ad Corinth.1. Idipsum dicatis omnes, & non fint in vobis schismata. Contra scandalum autem ad Rom. 14. Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. 2.2.q.44.a.3.ad 3.

Quaritur an possit esse aliqua vera virtus sine Charitate.

5 Respondeo dicendum, quòd virtus ordinatur ad bonum: bonum autem principaliter est finis: nam ea, quę sunt ad finem non dicuntur bona, nisi in ordine ad finē; ficut ergo duplex est finis, vnus vltimus, & alius proximus, ita etiam est duplex bonum, vnum quidem vltimum, & vniuersale, & aliud proximum, & particulare: vltimum quidem principale bonum hominis est Dei fruitio, secundùm illud Psal.72. Mihi adhęrere Deo bonum est; & ad hoc ordinatur homo per Charitatem: bonum autem secundarium, & quasi particulare hominis potest esse duplex, vnū quidem, quod est verè bonum, vtpote ordinabile quantum est in se ad principale bonum, quod est vltimus finis: aliud autem est bonum apparens, & non verum, quia abducit à finali bono: fic ergo patet, quòd virtus vera simpliciter est illa, quæ ordinat ad principale bonum hominis, ficut etiā Phylosophus in 4.Eth. dicit, quòd virtus est dispofitio perfecti ad optimum: & fic nulla vera virtus potest esse fine Charitate: sed fi accipiatur virtus secūdùm quòd est in ordine ad aliquem finem particularem, fic potest aliqua virtus dici fine Charitate, inquantum ordinatur ad aliquod particulare bonum; sed fi illud particulare bonum non fit verum bonum, sed apparens, virtus etiam, quæ est in ordine ad bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis; ficut non est vera virtus auarorum prudentia, qua excogitant diuersa genera lucrorum; & auarorum iustitia, qua grauium damnorum metu contemnunt aliena; & auarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ sumptuosa est, cohibent appetitum; & auarorum fortitudo, qua, vt ait Horatius lib. 1. Epist. per mare pauperiem effugiunt, per saxa, per ignes: vt August. dicit in lib. 4. contra Iulianum; fi verò illud bonum particulare fit verum bonum,

bonum, puta conseruatio Ciuitatis, vel aliquid huiusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finalem, & perfectum bonum; & secũdùm hoc simpliciter vera virtus sine Charitate esse non potest. 2.2.q.23. a.7.in corp.] p.2.q. 71.a.4.in corp.

Quaritur quisnam actus carentis Charitate sit bonus.

6 Respondeo dicendum, quòd actus alicuius carentis Charitate potest esse duplex, vnus quidem secundùm hoc, quòd Charitate caret, vtpote cum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret Charitate, & talis actus semper est malus, sicut August. dicit in 4. contra Iulian. quòd actus infidelis, inquantum est infidelis, semper est peccatum, etiam si nudum operiat, vel quidquid aliud huiusmodi faciat ordinans ad finem suæ infidelitatis: alius autem potest esse actus Charitate carentis, non secundùm id, quòd Charitate caret, sed secundùm quod habet aliquod aliud donum Dei vel fidem, vel spem, vel etiam naturæ bonum, quod non totũ per peccatum tollitur; & secundùm hoc sine Charitate potest quidẽ esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfectè bonus, quia deest debita ordinatio ad vltimum finem 2.2.q.23.a.7.ad 1.

Quaritur an amor mercenarius sit semper malus.

7 Respondeo dicẽdum, quòd amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona temporalia, quod secundùm se Charitati contrariatur: & ideo amor mercenarius semper est malus. 2.2.q.19.ar.4. ad tertium.

Quaritur quot modis Charitas exeat in esse, & desinat esse.

8 Respondeo dicendum, quòd exit Charitas in esse modo quasi supernaturali, scilicet cum datur, vel infunditur postulanti; è contrario desinit esse, cum peccans deest influenti ad Heb. 12.cap. Videte nequis desit gratiæ Dei: secundò Charitas exit in esse modo quasi voluntario, cũ per deliberationẽ Deus homini præponitur, & in amicum eligitur; è conuerso corrumpitur, & desinit esse, cum anima nomẽ Dei in vanum accipitur: tertio modo Charitas exit in esse quasi naturaliter, cum simile à simili generatur, & anima beneficia Dei continuè gratanter accipiens amantem readamare cogitur; è conuerso desinit esse, & corrumpitur, cum anima ingrata beneficio paulatim torpens ad frigiditatem primam reuertitur. Hierem. 3. cap. Quomodo si contemnat mulier amatorẽ suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus. opusculo 61. cap. 16.

Quaritur an minuatur Charitas per peccatum veniale.

9 Respondeo dicendum, quòd per peccatum veniale Charitas diminui non potest neque effectiuè, neque meritoriè; effectiuè quidem non, quia ad ipsam Charitatem non attingit: Charitas enim est circa finem vltimum, veniale autem peccatum est quędam inordinatio circa ea, quę sunt ad finem; non autem diminuitur amor finis ex hoc, quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea, quæ sunt ad finem, sicut aliquando contingit, quòd aliqui infirmi multùm amantes sanitatem, inordinatè tamen se habent circa dietæ obseruationem: similiter etiam veniale peccatum non meretur diminutionem Charitatis: cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori: Deus enim non plus se auertit ab homine, quàm homo auertat se ab ipso: vnde qui inordinatè se habet circa ea, quæ sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in Charitate, per quã ordi-

ordinatur ad vltimum finem:poteſt tamē indirectè dici diminutio Charitatis diſpoſitio ad corruptionem ipſius, quæ fit, vel per peccata venialia,vel etiam per ceſſationem ab exercitio operum Charitatis.2.2.q.24.a.10.in corp]q.107.a.3.ad 2.] p.2. q.71.a.4. in corp.] q.77.a.2.ad 1.] 4. ſent.d.21.q.1.a.3. quæſtiunc.1.ad 3.] q.2. de malo,a.2.in corp.

Quæritur an peccatum veniale poſsit eſſe cauſa, quòd minor Charitas infundatur, & quòd augeatur.

10 Reſpondeo dicendum, quòd peccatum veniale poteſt eſſe aliqua cauſa, vt à principio minor Charitas infundatur,inquantum ſcilicet impedit actum liberi arbitrij, quo homo ad gratiam ſuſcipiendā diſponitur, & per hunc etiam modum poteſt impedire ne Charitas habita creſcat, impediendo.ſ.actum meritoriū, quo quis augmentum Charitatis meretur. q.7. de malo,a.2.in corp. & ad 3.& ad 6.

Quæritur an per vnum actum peccati mortalis perdatur Charitas.

11 Reſpondeo dicendum, quòd vnum contrarium per aliud contrarium ſuperueniens tollitur:quilibet autem actus peccati mortalis contrariatur Charitati ſecundùm propriam rationem, quæ conſiſtit in hoc,quòd Deus diligatur ſuper omnia, & quòd homo totaliter illi ſe ſubijciat,omnia ſua referendo in ipſum:eſt ergo de ratione Charitatis, vt ſic diligat Deum, quòd in omnibus velit ſe ei ſubijcere,& præceptorum eius regulam in omnibus ſequi;quidquid enim contrariatur præceptis eius, manifeſtè contrariatur Charitati, vnde de ſe habet quòd Charitatem excludere poſſit: etſi quidem Charitas eſſet habitus acquiſitus ex virtute ſubiecti dependens non oporteret, quòd ſtatim per vnum actum contrarium tolleretur:actus enim non directè contrariatur habitui,ſed actui: continuatio autem habitus in ſubiecto non requirit continuitatem actus; vnde ex ſuperueniente contrario actu non ſtatim habitus acquiſitus excluditur, ſed Charitas cum ſit habitus infuſus dependet ex actione Dei infundentis,qui ſic ſe habet in infuſione,& conſeruatione Charitatis, ſicut Sol in illuminatione aeris : & ideo ſicut lumen ſtatim ceſſaret eſſe in aere per hoc,quòd aliquod obſtaculum poneretur illuminationi Solis, ita etiam Charitas ſtatim deſinit eſſe in anima per hoc, quòd aliquod obſtaculum ponitur influentiæ Charitatis à Deo in animam. Manifeſtum eſt autem,quòd per quodlibet mortale peccatum, quod Diuinis præceptis contrariatur, ponitur prædictæ infuſioni obſtaculum, quia ex hoc ipſo, quòd homo eligendo præfert peccatum Diuinæ amicitiæ,quæ reſpicit, vt Dei voluntatem ſequamur:conſequens eſt, vt ſtatim per vnum actū peccati mortalis habitus Charitatis perdatur:vnde & Auguſt.dicit 8. ſuper Geneſim ad literā, quòd homo Deo ſibi præſente illuminatur: abſente autem continuò tenebratur, à quo non locorum interuallis,ſed voluntatis auerſione diſceditur. 2.2.q.24.a.12. in corp.)q.45.a.4.in corp.) p.2. q.71. a.4. in corp.) 3.ſent. d.27. a.4.quæſtiunc.4. in corp.& ad 1.

Quæritur an Charitas præſeruet à peccato.

12 Reſpondeo dicendum, quòd Charitas quantum eſt in ſe præſeruat hominē à peccato ſm̄ illud Rom.13.Dilectio proximi malū non operatur. 3.p.q.79.a.6.ad 2.

Quæritur an in Charitate ſit ordo.

13 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut Phyloſoph dicit in 5.Metaph.prius,& poſterius dicitur ſecundùm relationem ad aliquod principium:ordo autem includit

in ſe

in se aliquem modum prioris,& posterioris, vnde oportet, quòd vbicunque est aliquod principium, sit etiam aliquis ordo: dilectio autem Charitatis tendit in Deũ, sicut in principium Beatitudinis, in cuius communicatione amicitia Charitatis fũdatur:& ideo oportet, quòd in his, quæ ex Charitate diliguntur, attendatur aliquis ordo secundùm relationem ad principiũ huius dilectionis, quod est Deus. 2.2.q.26. a.1. in corp.) 3. sent. d.29.a.1. in corp.

Quæritur an ordo Charitatis cadat sub præcepto.

14 Respondeo dicendum, quòd modus, qui pertinet ad rationem virtuosi actus cadit sub præcepto, quod datur de actu virtutis: ordo autem Charitatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cum accipiatur secundùm proportionem dilectionis ad diligibile: vnde manifestum est, quòd ordo Charitatis debet cadere sub præcepto. 2.2.q.44.a.8 in corp.) 3. sent. d.29. ar. 1. ad quintum.

Quæritur circa quæ habens Charitatem habeat rectum iudicium.

15 Respondeo dicendum, quòd habens Charitatem habet rectum iudicium, & quantum ad cognoscibilia, & quantum ad operabilia. lect. 2. super cap. 1. ad Philippenses.

Quæritur an suffragia facta in peccato mortali sint meritoria, & pro quo.

16 Respondeo dicendum, quòd quidã dicunt, quòd suffragia, quæ facit in peccato mortali existens, si opus operans cõsideretur, non sunt meritoria nec agenti, nec ei, pro quo fiunt. Si autem consideretur opus operatum, vt ipsum sacrificium, vel aliquid huiusmodi sunt meritoria ei, pro quo fiunt, & non operanti: & ideo non sequitur, quòd eadem operatio sit meritoria & non meritoria, quia operatio ipsa nullo modo meritoria est, sed quia efficacia suffragiorum mẽsuratur secundùm Charitatem eius, pro quo fiunt, quia tantùm valet vnicuique, quantùm meruit, vt sibi valerent, vt Augustinus dicit: ideo ab alijs verius dicitur, quòd etiam ipsa operatio sine Charitate facta valet ei, pro quo sit virtute Charitatis eius, & non operantis: nec tamen sequitur, quòd illa operatio bona sit simpliciter, sed quòd est bona huic, pro quo fit: simpliciter. n. bonum est, quòd facienti bonum est. nec est inconueniens, quòd aliquid simpliciter malum sit, quod tamen alicui bonum est. 2. sent. d.40.a.4.ad 5.

De illis, qui sunt ex Charitate diligendi. Cap. II.

1 *Ratio diligendi proximum Deus est.*
Debemus diligere Deum, & proximum.
2 *Charitas est quædam amicitia.*
Dupliciter aliquid per amicitiam amatur.
Charitas quomodo ametur.
3 *Angeli sunt ex Charitate amandi.*
4 *Quomodo homo debeat diligere seipsum ex Charitate.*
5 *Debemus diligere ex Charitate corpus nostrum quo ad naturam, non quo ad infectionem culpæ.*
6 *Peccatores debemus diligere ex Charitate quo ad naturam.*
Quo ad culpam sunt odio habendi.
7 *Amicis peccatoribus est benefaciendum vsque quo sit spes sanationis eorum.*
Peccatores de quibus non speratur emendatio, sed præsumitur nocumẽtum aliorum, debent per iudicem occidi.
Occisio facta per iudicem procedit ex Charitate, & quomodo.
Occisio peccatoris ei prodest siue conuertatur ad culpæ expiationem siue conuertatur ad culpæ terminationem.

Infirmi

8 *Infirmi non debent conuersari cum peccatoribus.*
Perfectos laudabile est conuersari cum peccatoribus, vt eos conuertant.
Vitandus est conuictus peccatorum, quo ad consortium peccati.
9 *Amare seipsum in vno sensu commune est omnibus.*
Amare seipsum in alio est propriũ bonorũ.
Amare seipsum in alio sensu proprium est malorum.
Quomodo boni & mali seipsos diligant.
10 *Diligere inimicos, vt sunt inimici est peruersum.*
Non debemus excludere inimicos à generali dilectione proximi.
Non tenemur diligere inimicos in speciali.
Tenetur homo habere animum paratum ad diligendum inimicum in speciali, si occurrat necessitas.
Diligere inimicum in speciali extra necessitatem est perfectionis.
11 *De necessitate praecepti est exhibere signa communia beneuolentiae inimicis.*
Exhibere signa beneuolentiae particularia non est de necessitate salutis.
Tenetur tamen homo habere animum paratum ad exhibenda talia signa particularia inimico in casu necessitatis.
Extra casum necessitatis exhibere signa particularia beneuolentiae est perfectionis.
12 *Daemones non sunt diligendi ex Charitate.*
Non debemus Daemones amare, vt amicos.
Possumus diligere naturam Daemonum, inquantum scilicet volumus illius naturam conseruari ad gloriam Dei
13 *Creaturę irrationales ex Charitate non sunt diligendae, vt amicae.*
Creaturae irrationales sunt ex Charitate diligendae, vt bona quae alijs volumus.
14 *Quattuor sunt à nobis ex Charitate diligenda Deus, proximus, corpus nostrum, & nos ipsi.*

Quaeritur an ex Charitate sit diligendus Deus, & proximus.

1 Respondeo dicendum, quòd ratio diligendi proximum Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere, vt in Deo sit: vnde manifestum est, quòd idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus, & propter hoc habitus Charitatis non solùm se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi. 2.2. quaest. 25. artic. 1. in corp.

Quaeritur an Charitas sit ex Charitate amãda.

2 Respondeo dicẽdum, quòd Charitas non est simplex amor, sed habet rationem amicitiae; per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter, vno modo sicut ipse amicus, ad quem amicitiam habemus, & cui bona volumus; alio modo sicut bonũ, quod amico volumus, & hoc modo Charitas per Charitatem amatur, & non primo, quia Charitas est illud bonum, quod optamus omnibus, quos ex Charitate diligimus, & eadem est ratio de Beatitudine, & alijs virtutibus. 2. 2. q. 25. art. 2. in corp.

Quaeritur an Angeli sint ex Charitate diligendi.

3 Respondeo dicendum, quòd amicitia Charitatis fundatur super communicatione Beatitudinis aeternae, in cuius participatione communicant cum Angelis homines: dicitur enim Matthaei 22. quòd in resurrectione erunt homines sicut Angeli in Coelo: & ideo manifestum est, quòd amicitia Charitatis etiam ad Angelos se extendit. 2. 2. quaest. 25. art. 10. in corp.

Quaritur an teneatur homo seipsum ex Charitate diligere.

4 Respondeo dicendum, quòd dupliciter possumus de Charitate loqui, vno modo sub communi ratione amicitiæ, & secundùm hoc dicendum est, quòd amicitia propriè non habetur ad seipsum, sed aliquid maius amicitia, quia amicitia vnionem quandam importat; dicit enim Dionysius, quòd amor est virtus vnitiua, vnicuique autem ad seipsum est vnitas, quæ est potior vnione ad alium: vnde sicut vnitas est principiũ vnionis, ita amor quo quis diligit seipsum est forma, & radix amicitiæ; in hoc enim amicitiam habemus ad alios, quòd ad eos nos habemus, sicut ad nosipsos: dicitur enim in 9. Ethicorum, quòd amicabilia, quæ sunt ad alterum veniunt ex his, quæ sunt ad seipsum, sicut etiam de principijs non habetur scientia, sed aliquid maius, scilicet intellectus; alio modo possumus loqui de Charitate secundùm propriam rationem ipsius, prout scilicet est amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex consequenti ad ea, quæ sunt Dei, inter quæ etiam est ipse homo, qui Charitatem habet, & inter cætera, quæ ex Charitate diligit, quasi ad Deum pertinentia, etiam seipsum ex Charitate diligit. 2.2. q.25.a.4.in corp.

Quaritur an debeamus diligere corpus nostrum ex Charitate.

5 Respondeo dicendum, quòd corpus nostrum secundùm duo potest considerari, vno modo secundùm eius naturam, alio modo secundùm corruptionem culpæ, & pœnæ; natura autem corporis nostri non est à malo principio creata, vt Manichæi fabulantur, sed est à Deo, vnde possumus eo vti ad seruitium Dei secundùm illud Roman. 6. Exhibete membra vestra arma iustitiæ Deo: & ideo ex dilectione Charitatis, quâ diligimus Deum, debemus etiam corpus nostrum diligere; sed infectionem culpæ, & corruptionem pœnæ in corpore nostro diligere non debemus, sed potius ad eius remotionem anhelare desiderio Charitatis. 2. 2. q.25. a.5. in corp.

Quaritur an peccatores sint diligendi.

6 Respondeo dicendum, quòd in peccatoribus duo possunt considerari, s. natura, & culpa; secundùm naturam quidem, quam à Deo habent, capaces sunt Beatitudinis, super cuius cõmunicatione Charitas fundatur: & ideo sm̃ naturam sunt ex Charitate diligendi, sed culpa eorum Deo contrariatur, & est Beatitudinis impedimentum; vnde secundùm culpã, quæ Deo aduersatur, sunt odiendi quicunque peccatores, etiam pater, & mater, & propinqui, vt habetur Lucæ 14. debemus. n. in peccatoribus odire, quòd peccatores sunt, & diligere, quòd homines sunt Beatitudinis capaces, & hoc est, eos verè ex Charitate diligere propter Deum. 2.2.q. 25.a.6.in corp.

Quaritur quousque sit benefaciendum amicis peccantibus.

7 Respondeo dicendum, quòd amicis peccantibus, sicut Phyl. dicit in 9. Ethic. non sunt subtrahenda amicitiæ beneficia quousq. habeãt spes sanationis eorũ, sed magis est eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis, quàm ad recuperationem pecuniæ, si eã amisissent, quanto virtus est magis amicitiæ affinis, quàm pecunia: sed qñ in maximam malitiam incidunt & insanabiles fiunt, tunc non est eis amicitiæ familiaritas exhibenda: & ideo hmõi peccantes, de quibus magis præsumitur nocumentum aliorum, q̃ eorũ emẽdatio, secundùm legem Diuinam, & humanam præcipiuntur occidi, & tamẽ hoc

facit

facit iudex non odio eorum, sed ex amore Charitatis, quo bonum publicum præfertur vitæ singularis personæ, & tamen mors per iudicem inflicta peccatori prodest, siue conuertatur ad culpæ expiationem, siue etiam conuertatur ad culpæ terminationem, quia per hoc tollitur ei potestas amplius peccandi. 2.2. q.25.art.6.ad secundum.

Quæritur quibus liceat, & quibus non liceat conniuere peccatoribus.

8 Respondeo dicendum, quòd conniuere peccatoribus infirmis quidem est vitandum propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis subuertantur; perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile est, quòd cum peccatoribus conuersentur, vt eos conuertant: sic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, vt dicitur Matthæi 9. conuictus tamen peccatorum quantum ad consortium peccati vitandus est omnibus; & sic dicitur 2. ad Corinth. 6. Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis, scilicet secundùm peccati consensum. 2.2.q.25.a.6.ad 5.

Quæritur an peccatores diligant seipsos.

9 Respondeo dicendum, quòd amare seipsum vno modo commune est omnibus; alio modo proprium est bonorum; tertio modo proprium est malorum; quòd enim aliquis amet id, quòd seipsum esse æstimat, hoc commune est omnibus: homo autem dicitur esse aliquid dupliciter, vno modo secundùm suam substantiam, & naturam, & secundùm hoc omnes æstimant bonum commune se esse id, quod sunt scilicet ex anima, & corpore compositos, & sic etiam omnes homines boni, & mali diligunt seipsos inquantum diligunt sui ipsorum conseruationem: alio modo dicitur homo esse aliquid secundùm principalitatem, sicut Princeps Ciuitatis dicitur esse Ciuitas, vnde quod Principes faciunt, dicitur Ciuitas facere: sic autem non omnes æstimant se esse id, quod sunt; principale enim in homine est mens rationalis; secundarium autem est natura sensitiua, & corporalis, quorum primum Apostolus nominat interiorem hominem, secundum exteriorem, vt patet primæ ad Corinth. 5. boni autem æstimant principale in seipsis rationalem naturam, siue interiorem hominem: vnde secundùm hoc æstimant se esse, quod sunt: mali autem æstimant principale in seipsis naturam sensitiuam, & corporalem, scilicet exteriorem hominem: vnde non rectè cognoscentes seipsos non verè diligunt seipsos, sed diligunt, quod seipsos esse reputant: boni autem verè cognoscentes seipsos verè seipsos diligunt; & hoc probat Phylosophus in nono Ethicorum per quinque, quæ sunt amicitiæ propria; vnusquisque enim amicus primò quidem vult suum amicum esse, & viuere; secundò vult ei bona; tertiò operatur bona ad ipsum; quartò conuiuit ei delectabiliter; quintò contristatur; & secundùm hoc boni diligunt seipsos quantum ad interiorem hominem: quia etiam volunt ipsum seruari in sua societate, & optant ei bona eius, quæ sunt bona spiritualia, & etiam ad assequenda opera intendunt, & delectabiliter ad cor proprium redeunt, quia ibi inueniunt bonas cogitationes in præsenti, & memoriam præteritorum bonorum, & spem futurorum bonorum, ex quibus delectatio causatur; similiter etiam non patiuntur in seipsis voluntatis dissensionem, quia tota anima eorum tendit in vnum; è contrario autem mali non volunt conseruari in integritate interioris hominis, neque appetunt eius spiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile est eis secum viuere redeundo ad cor, quia in-

ueniunt ibi mala & præsentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent, neque etiam sibi ipsis concordant propter conscientiam remordentem, secundùm illud Psalmi: Arguam te, & statuam contra faciem tuam; & per eadem probari potest, quòd amant seipsos secundùm corruptionem exterioris hominis: sic autem boni non amant seipsos. 2.2. q. 25. art. 7. in corp.

Quæritur an inimici sint ex Charitate diligendi.

10. Respondeo dicendum, quòd dilectio inimicorum tripliciter potest considerari, vno modo vt inimici diligantur, inquantum sunt inimici, & hoc est peruersum, & Charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius; alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in vniuersali, & sic dilectio inimicorum est de necessitate Charitatis, vt scilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat; tertiò potest considerari dilectio inimicorum in speciali, vt scilicet aliquis in speciali moueatur motu dilectionis ad inimicum, & istud non est de necessitate Charitatis absolutè, quia nec etiam moueri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate Charitatis, quia hoc est impossibile; est tamen de necessitate Charitatis secundùm præparationem animi, scilicet quòd homo habeat animum paratum ad hoc, quòd in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret, sed quòd absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, vt diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem Charitatis: cum enim ex Charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem extendit nulla inimicitia impediente, sicut si aliquis multùm diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios amaret etiam inimicos sibi. 2. 2. quæst. 25. art. 8. in corp.

Quæritur an inimicis sint ostendenda signa beneuolentiæ.

11. Respondeo dicendum, quòd effectus, & signa Charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur; dilectio autem interior ad inimicum in communi quidem est de necessitate præcepti absolutè; in speciali autem est non absolutè, sed secundùm præparationem animi: sic ergo dicendum est de effectu, & signo dilectionis exterius exhibendo: sunt enim quædam signa, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, puta cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati; & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate præcepti: si enim non exhiberentur inimicis hoc pertineret ad liuorem vindictæ contra id, quod dicitur Leuitici 19. Non quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum; alia verò sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis, & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi, vt scilicet subueniatur eis in articulo necessitatis, secundùm illud Prouerbiorum vigesimoquinto: Si esurierit inimicus tuus ciba illum; si sitit, da illi potum; sed quòd præter articulum necessitatis huiusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem Charitatis, per quam aliquis non solum

tum cauet vinci à malo, quod necessitatis est, sed etiam vult in bono vincere malũ, quod est etiam perfectionis, dum scilicet non solùm cauet propter iniuriam sibi illatam detrahi ad odium, sed etiam propter sua beneficia intẽdit inimicum pertrahere ad suum amorem. 2. 2. quæst. 25. art. 9. in corp.

Quæritur an Dæmones sint diligendi ex Charitate.

12 Respondeo dicendum, quòd supra dictum est, in peccatoribus ex Charitate debemus diligere naturam, peccatũ odire: in nomine autem Dæmonis significatur natura peccato deformata: & ideo Dæmones ex Charitate non sunt diligendi; & si non fiat vis in nomine, & quæstio referatur ad illos spiritus, qui Dæmones dicuntur, vtrum sint ex Charitate diligendi, respondendum est secundùm præmissa, quòd aliquid ex Charitate diligitur dupliciter, vno modo sicut ad quem amicitia habetur, & sic ad illos spiritus Charitatis amicitiam habere non possumus: pertinet enim ad rationem amicitiæ, vt amicis nostris bonum velimus: illud autem bonum vitæ æternæ, quod respicit Charitas spiritibus illis à Deo æternaliter damnatis, ex Charitate velle non possumus: hoc enim repugnaret Charitati Dei, per quam eius iustitiam approbamus: alio modo diligimus aliquid, sicut quòd volumus permanere, vt bonum alterius, per quem modum ex Charitate diligimus irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & vtilitatem hominum, & per hunc modum & naturam Dæmonum etiam ex Charitate diligere possumus, inquantum scilicet volumus illos spiritus in suis naturalibus conseruari ad gloriam Dei. 2. 2. q. 25. a. 11. in corp.

Quæritur an creaturę irrationales sint ex Charitate diligendæ.

13 Respondeo dicendum, quòd Charitas est amicitia quædam: per amicitiam autem aliquid amatur dupliciter, vno quidem modo amicus, ad quem amicitia habetur, & alio modo bona, quæ amico optantur. Primo ergo modo nulla creatura irrationalis potest ex Charitate amari, & hoc triplici ratione, quarum duæ pertinent communiter ad amicitiam, quæ ad creaturas irrationales haberi non potest, primò quidem, quia amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum, sed non propriè possumus bonum velle creaturæ irrationali, quia non est eius propriè habere bonum, sed solùm creaturæ rationalis, quæ est domina vtendi bono, quod habet per liberum arbitrium: & ideo Phylos. dicit in 2. Phys. quòd huiusmodi rebus non dicimus aliquid benè, vel malè contingere, nisi secundùm similitudinem: secundò quia omnis amicitia fundatur super aliqua communicatione vitæ; nihil enim ita proprium est amicitiæ, sicut bona vita, vt patet per Phylos. 8. Eth. Creaturæ autem irrationales non possunt communicationem habere in vita humana, quæ est secundùm rationem: vnde nulla amicitia potest haberi ad creaturas irrationales, nisi fortè secundùm metaphoram: tertia ratio est propria Charitati, quia Charitas fundatur super cõicatione Beatitudinis æternæ, cuius creatura irrationalis capax non est, vnde amicitia Charitatis non potest haberi ad creaturam irrationalem; possunt tamen ex Charitate diligi creaturæ irrationales sicut bona, quæ alijs volumus, inquantum scilicet ex Charitate volumus eas conseruari ad honorem Dei, & vtilitatem hominum, & sic etiam ex Charitate Deus eas diligit. 2. 2. q. 25. a. 3. in corp.

Quaeritur quot, & quae sint à nobis ex Charitate diligenda.

14 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, amicitia Charitatis super cõmunicatione Beatitudinis fundatur, in qua quidem communicatione vnum quidem est, quod consideratur vt principium influens Beatitudinem .s. Deus: aliud est Beatitudinem directè participans .s. homo, & Angelus: tertium autem est id, ad quod per quandam redundantiam Beatitudo deriuatur, .s. corpus humanum; Id quidem, quod est Beatitudinem influens est ea ratione diligibile, quia est Beatitudinis causa: id autem, quod est Beatitudinem participans potest esse duplici ratione diligibile, vel quia est vnum nobiscũ, vel quia est nobis consociatum in Beatitudinis participatione; & secundùm hoc sumuntur duo ex Charitate diligibilia, prout .s. homo diligit & seipsum, & proximum. 2 2. q. 25 a. 12. in corp.

De dilectione comparatiua. Cap. III.

1 *Amicitia quid primo respiciat.*
In quo fundatur amicitia Charitatis.
Deus principaliter est diligendus.
2 *A Deo duplex bonum nobis procedit.*
Homines ex Charitate tenentur plus amare Deum, quàm seipsos.
3 *Homo magis diligere debet seipsum, quàm proximum.*
Homo non debet subire malum peccati, vt proximum liberet à peccato.
4 *Debemus magis diligere proximum quantũ ad salutem animae quam propriũ corpus.*
5 *Vnus proximus est magis diligendus, quàm alter.*
6 *Plus debemus diligere proximum magis bonum.*
7 *Quomodo coniunctiores nobis sunt plus diligendi, quàm meliores.*
8 *In his, quae pertinent ad naturam, sunt magis diligendi consanguinei.*
In his, quae pertinent ad Ciuilem conuersationem, magis debemus diligere conciues.
In bellicis magis diligere debemus milites.
9 *Gradus dilectionis ex duobus pensari potest, scilicet ex parte obiecti, & ex parte diligentis.*
Ex parte obiecti magis diligendus est pater, quàm filius.
Ex parte diligentis magis diligendus est filius, quàm pater.
10 *Per se loquendo magis diligendus est pater, quàm mater.*
11 *Gradus dilectionis potest attendi & penes rationem boni, & secundùm coniunctionem ad diligentem.*
Secundùm rationem boni sunt magis diligendi parentes, quàm vxores.
Secundùm coniunctionem magis est diligenda vxor, quàm parentes.
Maior tamen reuerentia est exhibenda parentibus.
12 *Quomodo intelligatur illud dictum Genesis 2. propter quod relinquet homo patrem, & matrem, & adhaerebit vxori suae.*
13 *Secundùm rationem obiecti est magis diligendus benefactor, quàm beneficiatus.*
Secundùm rationem coniunctionis est magis diligendus beneficiatus.
14 *Charitati magis conuenit amare, quàm amari.*
Amici magis laudantur, qui ament, quàm quòd amentur.
Matres plus quaerunt amare, quàm amari.

Quaeritur an Deus sit magis diligendus, quàm proximus.

1 RESpondeo dicendum, quòd vnaquaeque amicitia respicit principaliter id, in quo principaliter inuenitur illud bonum, super cuius communicatione fundatur, sicut amicitia politica principaliùs respicit Principem Ciuitatis, à quo totum bonum Ciuitatis dependet, vnde

vnde & ei maximè debetur fides, & obedientia à Ciuibus:amicitia autem Charitatis fundatur super communicatione Beatitudinis, quæ consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio, à quo deriuatur in omnes, qui sunt Beatitudinis capaces:& ideo principaliter maximè Deus est ex Charitate diligendus: ipse.n. diligitur,sicut Beatitudinis causa; proximus autem sicut Beatitudinem ab eo simul nobiscum participans. 2.2.q.26.ar.2. in corp.

Quæritur an teneamur magis diligere Deum, quàm nos ipsos.

2 Respondeo dicendum, quòd à Deo duplex bonum accipere possumus,.s. bonum naturæ,& bonum gratiæ:super communicatione autem bonorum naturalium nobis à Deo facta fundatur amor naturalis,quo non solùm homo in suæ integritate naturæ super omnia diligit Deum, & plusquam seipsum, sed etiam quælibet creatura suo modo, idest, vel intellectuali,vel rationali,vel animali,vel saltem naturali amore,sicut lapides, & alia,quæ cognitione carēt, quia vnaquæq; pars naturaliter plus amat cōmune bonum totius, quàm particulare bonum proprium, qđ manifestatur ex opere: quælibet.n. pars habet inclinationem principalem ad actionem communem vtilitatis totius; apparet etiam hoc in politicis virtutibus, secundùm quas Ciues pro bono communi, & dispendia propriarum rerum, & ꝑsonarum interdum sustinent: vnde multo magis hoc verificatur in amicitia Charitatis,quæ fundatur super communicationem donorum gratiæ:& ideo ex Charitate magis debet homo diligere Deum,qui est bonum commune omnium,quàm seipsum, quia Beatitudo est in Deo, sicut in communi, & fontali principio omnium, qui Beatitudinem participare possunt. 2. 2. q.26. a.3.in corp.

Quæritur an homo debeat magis diligere seipsum, quàm proximum.

3 Respondeo dicendum,quòd in homine duo sunt,.s.natura spiritualis, & natura corporalis: per hoc autem homo dicitur diligere seipsum, quòd diligit se secundùm naturam spiritualem, & secundū hoc debet homo magis se diligere post Deum,quàm quemcumque alium, & hoc patet ex ipsa ratione diligendi:nam,sicut supra dictum est, Deus diligitur, vt principium boni, super quo fundatur dilectio Charitatis: homo autem seipsum diligit ex Charitate secundùm rationem, qua est particeps prædicti boni:proximus autem diligitur secundùm rationem societatis in ipso bono; consociatio autem est ratio dilectionis secundùm quandam vnionem in ordine ad Deum: vnde sicut vnitas potior est,quàm vnio, ita quòd homo ipse participet bonum Diuinum est potior ratio diligendi, quàm quòd alius associetur sibi in hac participatione: & ideo homo ex Charitate debet magis seipsum diligere, quàm proximum, & huius signum est, quòd homo non debet subire aliquod malum peccati,quod contrariatur participationi Beatitudinis, vt proximum liberet à peccato. 2.2.q.26.a.4. in corp.

Quæritur an debeamus magis diligere ex Charitate proximum, quàm corpus proprium.

4 Respondeo dicēdum, quòd illud magis est ex Charitate diligendum,quod habet pleniorem rationem diligibilis ex Charitate: consociatio autem in plena participatione Beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est maior ratio diligendi, quàm participatio Beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligēdi propriū corpus:& iō proximū quātū ad salutē aīę magis debemus diligere, q̄ ꝓpriū corpus. 2.2.q.26.a.5.ī corp.] op.18.

Quaeritur an omnes proximi sint aequaliter ex Charitate diligendi.

5 Respondeo dicendum, q quidam dixerunt, quòd omnes proximi sunt aequaliter ex Charitate diligendi quantum ad affectum, sed non quantum ad exteriorē effectum ponentes ordinem dilectionis esse intelligendum secundùm exteriora beneficia, quae magis debemus impendere proximis, quàm alienis: non autem secundùm interiorem affectum, quem aequaliter debemus impendere omnibus, etiam inimicis; sed hoc irrationabiliter dr: non enim minus est ordinatus affectus Charitatis, qui est inclinatio gratiae, quā appetitus naturalis, qui est inclinatio naturae: vtraque enim inclinatio ex Diuina Sapientia procedit; videmus autem in naturalibus, quòd inclinatio naturalis proportionatur actui, vel motui, qui conuenit naturae vniuscuiusque, sicut terra habet maiorem inclinationem grauitatis, quàm aqua, quia competit ei esse sub aqua: oportet ergo, quòd etiam inclinatio gratiae, quę est affectus Charitatis proportionetur his, quae sunt exterius agenda, ita .s. vt ad eos intensiorem Charitatis affectum habeamus, quibus conuenit nos magis beneficos esse: & ideo dicendū est, quòd etiam secundùm affectum oportet magis vnum proximum, quàm alium diligere; & ratio est, quia cum principiū dilectionis sit Deus, & ipse diligens, necesse est, quòd secundùm propinquitatem maiorem ad alterum istorum principiorum maior sit dilectionis affectus: sicut .n. supra dictū est, in omnibus, in quibus inuenitur aliquod principium, ordo attenditur secundùm comparationem ad illud principium. 2.2. q.26.a.6. in corp.

Quaeritur quinam sint proximi, qui sunt magis diligendi ex Charitate.

6 Respondeo dicendum, quòd non omnes proximi aequaliter se habent ad Deū, sed quidā sunt ei propinquiores propter maiorem bonitatem, qui sunt magis diligendi ex Charitate, quàm alij, qui sunt ei minus propinqui. 2.2.q.26.a.6. ad 2.

Quęritur an magis debeamus diligere meliores, quàm nobis coniunctiores.

7 Respondeo dicendum quòd omnis actus oportet, q proportionetur & obiecto, & agenti, sed ex obiecto habet speciē; ex virtute autem agentis habet motum suae intensionis, sicut motus habet speciē ex termino, ad quem est, sed intensionem velocitatis habet ex dispositione mobilis, & virtute mouentis: sic ergo dilectio speciem habet ex obiecto, sed intensionē habet ex parte ipsius diligentis: obiectum autem charitatiuae dilectionis Deus est, homo autem diligens est: diuersitas ergo dilectionis, quae est secundùm Charitatē quantum ad speciem est attendenda in proximis diligendis secundùm comparationem ad Deū, vt scilicet ei, qui est Deo propinquior maius bonum ex Charitate velimus, quia licèt bonum, quod omnibus vult Charitas .s. Beatitudo aeterna, sit vnū secundùm se, habet tamen diuersos gradus secundùm diuersas Beatitudinis participationes, & hoc ad Charitatem pertinet, vt velit iustitiam Dei seruari, secundùm quam meliores perfectiùs Beatitudinem participant, & hoc pertinet ad speciem dilectionis: sunt .n. diuersae dilectionis species secundùm diuersa bona, quę optamus his, quos diligimus; sed intensio dilectionis est attendenda per comparationem ad ipsum hominem, qui diligit, & secundùm hoc illos, qui sunt sibi propinquiores intensiori affectu diligit homo ad illud bonum, ad quod omnes diligit, quàm meliores ad maius bonum: est etiā & ibi alia differentia attendenda: nam aliqui proximi sunt propinqui nobis secundùm naturalem originem, à qua discedere non

re non possunt; quia secundùm eam sunt id,quod sunt; sed bonitas virtutis,secundùm quam aliqui appropinquant Deo, potest accedere, & recedere, augeri, & minui; & ideo possum ex Charitate velle, quòd iste, qui est mihi coniunctus sit melior alio, & sic ad maiorem Beatitudinis gradum peruenire possit: est autẽ & alius modus, quo plus diligimus ex Charitate magis nobis coniunctos, quia pluribus modis eos diligimus: ad eos enim, qui non sunt nobis coniuncti, non habemus nisi amicitiam Charitatis; ad eos verò, qui sunt nobis coniuncti, habemus aliquas alias amicitias secundùm modum cõiunctionis eorum ad nos; cum autem bonum, super quod fundatur quælibet alia amicitia honesta, ordinetur sicut ad finem ad bonum, super quod fundatur Charitas; consequẽs est, vt Charitas imperet actui cuiuslibet alterius amicitiæ, sicut ars, quæ est circa finem imperat arti, quæ est circa ea, quæ sunt ad finem, & sic hoc ipsum, quod est diligere aliquem, quia consanguineus, vel coniunctus est, vel quia conciuis, vel propter quodcunque huiusmodi aliud licitũ ordinabile in finem Charitatis, potest à Charitate imperari, & ita ex Charitate eliciente cum imperante pluribus modis diligimus magis nobis coniunctos. 2.2.q. 26.a.7.in corp.

Quæritur an sit magis diligendus ille, qui nobis est magis coniunctus secundùm carnalem originem.

8 Respondeo dicendum, quòd illi, qui sunt nobis magis coniuncti sunt ex Charitate magis diligendi, tum quia intensius diliguntur, tum etiam quia pluribus rationibus diliguntur: intensio autem dilectionis est ex coniunctione dilecti ad diligentem: & ideo diuersorum dilectio est mensuranda secundùm diuersam rationẽ coniunctionis, vt.s. vnusquisque diligatur magis in eo, quod pertinet ad illam coniunctionem, secundùm quam diligitur; & vlterius comparãda est dilectio dilectioni secundùm comparationem coniunctiones ad coniunctionem: sic ergo dicendum est, quòd amicitia consanguineorum fundatur in coniunctione naturali originis: amicitia autem cõciuium in communione ciuili; & amicitia commilitantium in communicatione bellica: & ideo in his, quæ pertinent ad naturam plus debemus diligere consanguineos; in his autem, quę pertinent ad ciuilem conuersatiõe plus debemus diligere conciues, & in bellicis plus commilitones: vnde & Phylosophus dicit in 9. Eth. cap. 2. quòd singulis propria, & congruentia sunt attribuenda; sic autem facere videntur quidam, qui ad nuptias vocant cognatos, videbitur vtique & nutrimentum parentibus oportere maximè sufficere, & honorem parentum, & simile est etiam in alijs; si autem comparemus etiam coniunctionem ad coniunctionem, constat, quòd coniunctio naturalis originis est prior, & immobilior, quia est secundùm id, quod pertinet ad substantiam: aliæ autem coniunctiones sunt superuenientes, & remoueri possunt; & ideo amicitia consanguineorũ est stabilior, sed aliæ amicitiæ possunt esse potiores secundùm illud, quod est proprium vnicuique amicitiæ. 2.2.q.26 a.8.in corp.

Quæritur an homo ex Charitate magis debeat diligere filium quàm patrem.

9 Respondeo dicendum, quòd gradus dilectionis ex duobus pensari potest, vno modo ex parte obiecti, & secundùm hoc id, quod habet maiorem rationem boni est magis diligendum, & quod est Deo similius, & sic pater est magis diligendus, quàm filius, quia .s. patrem diligimus sub ratione principij, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris: alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis, & sic magis diligitur,

tur, quod est coniunctius, & secūdùm hoc filius est magis diligendus, quàm pater, vt Phyl. dicit in 8. Eth. c. 12. primò quidē, quia parentes diligunt filios, vt aliquid sui existētes: pater autem non est aliquid filij, & ideo dilectio, secundùm quam pater diligit filium, similior est dilectioni, qua quis diligit seipsum: secundò, quia parentes magis sciunt aliquos esse suos filios, quàm è conuerso: tertiò, quia filius est magis propinquus parēti, vtpote pars existens, quàm pater filio, ad quem habet habitudinem principij: quartò, quia parentes diutiùs amauerunt, nam statim pater incipit diligere filium; filius aūt tempore procedente incipit diligere patrē: dilectio autem quantò est diuturnior, tantò est fortior secundùm illud Eccl. 9. Nō derelinquas amicum antiquum: nouus. n. non erit similis illi. 2. 2. q. 26. a. 9. in corp.

Quæritur an homo magis debeat diligere matrem, quàm patrem.

10 Respondeo dicendum, quòd in istis comparationibus id, quod dicitur, est intelligendum per se, vt videlicet intelligatur esse quæsitum de patre, inquantum est pater, an sit plus diligendus matre, inquantum est mater: potest. n. in omnibus hmōi tanta esse distantia virtutis, & malitiæ, vt amicitia soluatur, vel minuatur, vt Phyl. dicit in 8. Eth. & ideo, vt Ambrosius dicit: Boni domestici sunt malis filijs preponendi; sed per se loquendo, pater magis est amandus, quàm mater: amantur enim pater, & mater, vt principia quædam naturalis originis: pater autem habet excellentiorem rationem principij, quàm mater, quia pater est principium per modū agentis; mater autem magis per modum patientis, & materiæ: & ideo, per se loquēdo, pater est magis diligendus. 2. 2. q. 26. a. 10. in corp.

Quæritur an homo plus debeat diligere vxorem, quàm patrem, & matrem.

11 Respondeo dicendum, quòd, sicut dictum est, gradus dilectionis attendi potest & secundùm rationem boni, & secundùm coniunctionem ad diligentem: secūdùm ergo rationem boni, quod est obiectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes, quàm vxores: quia diliguntur sub ratione principij, & eminentioris cuiusdam boni: secundùm autem rationem cōiunctionis magis diligenda est vxor, quia vxor coniungitur viro, vt vna caro existēs secundùm illud Matthæi 19. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro: & ideo intensius diligitur vxor, sed maior reuerentia est parentibus exhibenda. 2. 2. q. 26. ar. 11. in corp.

Quæritur quomodo intelligatur illud dictum Genes. 2. Propter quod relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.

12 Respondeo dicendum, ꝙ non quantum ad omnia deseritur pater, & mater propter vxorem: in quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quā vxori, sed quantum ad vnionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus homo adhæret vxori. 2. 2. q. 26. a. 11. ad 1.

Quæritur an homo magis debeat diligere benefactorem, quàm beneficiatum.

13 Respondeo dicendum, quòd, sicut supra dictum est, aliquid diligitur magis dupliciter, vno modo, quia habet rationē excellentioris boni; alio modo ratione maioris coniunctionis; primo quidē modo benefactor est magis diligendus, quia cum sit principium boni in beneficiato, habet excellentioris boni rationem, sicut & de patre dictum est: secundo aūt modo magis

magis diligimus beneficiatos, vt Philosophus probat in 9. Ethicorum, per quattuor rationes, primo quidem, quia beneficiatus est quoddam opus benefactoris, vnde consueuit dici de aliquo, iste est factura illius; naturale est autem cuilibet, vt diligat opus suũ, sicut videmus, quòd Poetæ diligunt Poemata sua, & hoc ideo, quia vnumquodque diligit suum esse, & suum viuere, quod maximè manifestatur in suo opere: Secundo, quia vnusquisque naturaliter diligit illud, in quo inspicit suum bonum, habet quidem ergo & benefactor in beneficiato aliquod bonũ, & ecõuerso, sed benefactor inspicit in beneficiato suum bonum honestũ, & beneficiat⁹ in benefactore suum bonum vtile; bonum autẽ honestũ delectabilius consideratur, quã bonũ vtile, tum quia est diuturnius: vtilitas.n cito transit, & delectatio memoriæ non est, sicut delectatio rei præsentis; tum etiam quia bona honesta magis cum delectatione recolimus, quàm vtilitates, quę nobis ab alijs euenerunt: Tertio quia ad amantem pertinet agere, vult enim, & operatur bonum amato, ad amatum autẽ pertinet bonum pati, & ideo excellentius est amare, & ꝓpter hoc ad benefactorem pertinet, vt plus amet: quarto quia difficilius est beneficia impendere, quã recipere, ea vero in quibus laboram⁹, plus diligimus, quę vero nobis de facili ꝓueniũt, quodãmodo contemnimus. 2.2.q.26.a.12. in corp.

Quæritur an magis conueniat Charitati amare, quam amari.

14 Respondeo dicendum, quòd amare conuenit Charitati, inquãtum est Charitas: Charitas.n.cũ sit virtus quadã secundùm suam essentiã habet inclinationẽ ad ꝓpriũ actũ; amari autẽ non est actus Charitatis ipsius, qui amatur, sed actus Charitatis eius est amare; amari autem cõpetit ei sm̃ cõmunem rationẽ boni, prout .s. ad eius bonũ alius ad actũ Charitatis mouetur: vnde manifestum est, quòd Charitati magis conuenit amare, quã amari: magis enim conuenit vnicuique, quod conuenit ei per se, & substantialiter, quàm ꝙ conuenit ei per aliud; & huius duplex est signum, primum quidem quòd amici magis laudant ex hoc, quòd amant, quàm ex hoc, ꝙ amantur; quinimmò si non amant, & amentur, vituperant: Secundo quia matres, quæ maximè amant, plus quærunt amare, quàm amari. quædã enim, vt philosophus dicit in eodem libro, filios suos dant nutrici, & amant quidem; reamari autem non quærunt, si non contingat. 2.2. q.27.a.1. in corp.

De modo diligendi. Cap. IIII.

1 *Secundùm genus causæ finalis, formalis, & efficientis non diligimus Deum propter aliud, sed propter seipsum.*
Secundùm causam dispositiuam diligimus Deum propter aliud.
2 *Tribus modis potest intelligi, quòd Deus diligatur totaliter.*
Secundùm quem sensum Deus totaliter sit diligendus.
3 *Quid importet modus.*
In dilectione Dei non potest accipi modus, sicut in re mensurata.
Deus quanto plus diligitur, tanto melior est dilectio.
4 *Dupliciter contingit amare Deum ex toto corde.*
Diligere Deum semper actualiter est perfectio patriæ.
Diligere Deũ habitualiter est perfectio viæ.
Quid sit diligere Deum habitualiter.
5 *Dupliciter aliquod pręceptũ potest impleri.*
Præceptum dilectionis Dei in patria impletur perfectè.
In via impletur imperfectè.
Vnus dicitur alio perfectius implere hoc præceptum in via, quanto magis accedit ad similitudinem patriæ.

Homo,

6 *Homo vt diligat Deum abstrahat animum à temporalibus etiam licitis.*
7 *Conuenienter mandatur, quòd Deus diligatur ex toto corde.*
8 *Praeceptum dilectionis Dei in diuersis locis fuit traditum.*
Deus debet diligi ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota fortitudine.
Expositiones D. Chrysostomi, D. Augustini, D. Gregorij Nisseni circa hoc prçceptum.
9 *Dilectio Dei seorsum sumpta est magis meritoria, quam dilectio proximi.*
Dilectio proximi propter Deum praeminet dilectioni Dei pracisè sumptae.
10 *Conuenienter traditur praeceptum dilectionis proximi.*
In eo datur modus, & ratio diligendi.
Quomodo intelligatur quòd quis diligat proximum sicut seipsum.
11 *In quo sensu melius sit diligere amicum, quàm inimicum.*
In quo sensu melius sit diligere inimicum, quàm amicum.

Quaritur an Deus sit propter seipsum ex Charitate diligendus.

1 Respondeo dicendũ, quòd est quadruplex genus causæ, s. finalis, formalis, efficiens, & materialis, ad quam reducitur etiam materialis dispositio, quæ non est causa simpliciter, sed secundùm quid, & secundùm hæc quattuor genera causarum dicitur aliquod propter alterũ diligendum; secundùm quidem genus causæ finalis, sicut diligimus medicinam propter sanitatem; secundùm autem genus causæ formalis, sicut diligimus hominem propter virtutem, quia. s. virtute formaliter bonus est, & per consequens diligibilis; secundùm autem causam efficientem, sicut diligimus aliquos inquantum sunt filij talis patris; secundùm autem dispositionem, quæ reducitur ad genus causæ materialis, dicimur aliquid diligere propter id, quod nos disponit ad eius dilectionem, puta propter aliqua beneficia suscepta, quamuis postquam iam amare incepimus, non propter illa beneficia amemus amicum, sed propter eius virtutẽ; primis ergo tribus modis Deum non diligimus propter aliud, sed propter seipsũ, non enim ordinatur ad aliud, sicut ad finem, sed ipse est finis vltimus omnium; neque etiam informatur aliquo alio ad hoc, quòd sit bonus, sed eius substantia est eius bonitas, secundùm quam exemplariter omnia bona sunt; neque iterum ei ab altero bonitas est, sed ab ipso omnibus alijs; sed quarto modo potest diligi propter aliud, quia. s. ex aliquibus alijs disponimur ad hoc, quòd in Dei dilectione proficiamus, puta per beneficia ab eo suscepta, vel per prçmia sperata, vel per pçnas quas per ipsum vitare intendimus. 2. 2. q. 27. a 3. in corp.

Quaritur an Deus possit totaliter diligi.

2 Respondeo dicendum, quòd cum dilectio intelligatur quasi medium inter amantem, & amatum, cum quaritur an Deus possit totaliter diligi, tripliciter potest intelligi, vno modo, vt modus totalitatis referatur ad rem dilectã, & sic Deus est totaliter diligẽdus, quia totum, quod ad Deum pertinet, homo diligere debet; alio modo potest intelligi, ita quòd totalitas referatur ad diligentem, & sic etiã Deus totaliter diligi debet, quia ex toto posse suo homo debet diligere Deum, & quidquid habet, ad Dei amorem ordinare, secundùm illud Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; tertio modo potest intelligi sm̃ comparationem diligentis ad rem dilectam, vt. s. modus diligentis adæquet modum rei dilectæ. & hoc non potest esse: cum enim vnumquodque intantum diligibile sit, inquantum est bonum, Deus, cuius bonitas est infinita, est infinitè diligibilis; nulla autem creatura potest Deum infinitè diligere,

diligere, quia omnis virtus creaturæ siue naturalis, siue infusa est finita. a. 2. q 27. a.5. in corp.

Quæritur quisnam sit modus diligendi Deum.

3 Respondeo dicendum, quòd modus importat quandam mensuræ determinationem: hæc autem determinatio inuenitur & in mensura, & in mensurato, aliter tamen, & aliter; in mensura enim inuenitur essentialiter; quia mensura secundùm seipsam est determinatiua, & modificatiua aliorum; in mensuratis autem inuenitur mensura secundùm aliquid, idest, inquantum attingunt mensuram: & ideo in mensura nihil potest accipi immodificatum, sed res mensurata est immodificata, nisi mensuram attingat, siue deficiat, siue excedat; in omnibus autem appetibilibus, & agibilibus mensura est finis, quia eorum, quæ appetimus, & agimus, oportet propriam rationem ex fine accipere, vt patet per Phylos. in 2. Phys. & ideo finis secundùm seipsum habet modum; ea verò, quæ sunt ad finem habent modum ex eo, quod sunt fini proportionata: & iō sicut Phylosophus dicit in 1. Polit. Appetitus finis in omnibus actibus est absque fine, & termino: eorum autem, quæ sunt ad finem est aliquis terminus: non .n. medicus imponit aliquem terminum sanitati, sed facit eam perfectam quantumcūque potest, sed medicinæ imponit terminum: non enim dat tantum de medicina, quantum potest, sed secundùm proportionem ad sanitatem, quam quidem proportionem si medicina excederet, vel ab ea deficeret, esset immoderata · finis autem omnium actionum humanarum, & affectionum, est dilectio Dei, per quam maximè attingimus vltimum finem: & ideo in dilectione Dei non potest accipi modus, sicut in re mensurata, vt sit in ea accipere plus, & minus, sicut inuenitur modus in mensura, in qua non potest esse excessus, sed quanto plus attingitur regula, tantò melius est, & ita quanto Deus plus diligitur, tanto est dilectio melior. 2.2. q.27. a.6. in corp.

Quæritur quomodo Deus sit diligendus ex toto corde.

4 Respondeo dicendum, quòd dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere, vno quidem modo in actu, idest, vt totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur, & ista est perfectio patriæ; alio modo, vt habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet, quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum Charitatis, cum non tendat in oppositum obiectum, sed solùm impedit Charitatis vsum. 2.2. q.44. art.4. ad secundum.

Quæritur an præceptum de dilectione Dei possit impleri.

5 Respondeo dicendum, quòd præceptum aliquod dupliciter potest impleri, vno modo perfectè, alio modo imperfectè; perfectè quidem impletur præceptū, quando peruenitur ad finem, quem intendit præcipiens; impletur autem, sed imperfectè, quando etsi non pertingit ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem: sicut si Dux exercitus præcipiat militibus, vt pugnent, ille perfectè Ducis implet præceptum, qui pugnando hostem vincit, quod Dux intendit; ille autem implet, sed imperfectè, cuius pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra disciplinam militarē agit; intendit autem Deus per hoc præceptum, vt homo sibi totaliter vniatur, quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, vt dicitur 1. ad Cor. 15. & ideo plenè, & perfectè in patria implebitur

tur hoc præceptum; in via autem impletur, sed imperfectè, & tamen in via tanto vnus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quandam similitudinem ad patriæ similitudinem. 2.2. q.44.art.6. in corp.

Quæritur quid facere debeat homo, vt feratur in Deum.

6 Respondeo dicendum, quòd homo quãtum possibile est se abstrahat à rebus temporalibus etiam licitis, quæ occupando animum, impediunt actualem motum cordis in Deum. 2.2.q.44.a.4.ad 3.

Quæritur an conuenienter mandetur, quòd Deus diligatur ex toto corde.

7 Respondeo dicendum, quòd cum præcepta dentur de actibus virtutum, hoc modo aliquis actus cadit sub præcepto secundùm quod est actus virtutis; requiritur autem ad actum virtutis non solùm, quòd cadat super debitam materiam, sed etiam quòd vestiatur debitis circumstantijs, quibus fit proportionatus tali materiæ: Deus autem est diligendus, sicut finis vltimus, ad quem omnia sunt referenda: & ideo totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione Dei. 2.2. q.44.a.4.in corp.

Quæritur an super hoc, Diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo, conuenienter addatur, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

8 Respondeo dicendum, quòd hoc præceptum diuersimodè inuenitur traditum in diuersis locis, nam Deut.6. ponuntur tria .s. ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: Matthæi 22. ponuntur duo horum, s. ex toto corde, & ex tota anima, & dimittitur, ex tota fortitudine; sed additur, in tota mente; sed Marci 12. ponuntur quattuor .s. ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex tota virtute, quę est idem fortitudini; & hæc etiam quattuor tanguntur Lucæ 10. nam loco fortitudinis, seu virtutis ponitur, ex omnibus viribus tuis: & ideo horum quattuor est ratio assignanda; nam quòd alicubi vnum horum amittitur, hoc est, quia vnum intelligitur ex alijs: est ergo considerandum, quòd dilectio est actus voluntatis, quæ hic significatur per cor; nam sicut cor corporale est principium omniũ corporalium motuum, ita etiam volũtas, & maximè quantum ad intentionem finis vltimi, qui est obiectum Charitatis, est principium omnium spiritualium motuum; tria autem sunt principia actuum, quæ mouentur à voluntate .s. intellectus, qui significatur per mentem; vis appetitiua inferior, quæ significatur per animã, & vis executiua exterior, quæ significatur per fortitudinem, seu virtutem, siue vires. Præcipitur ergo nobis, vt tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde, & quòd intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; quòd & appetitus noster reguletur secundũ Deũ, quod est ex tota anima; & quòd exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel virib' Deũ diligere. Chrisostomus autem super Matthæum accipit è contrario cor, & animã, quàm dictum sit. Augustinus verò in 1. de Doctr. Christianæ, refert cor ad cogitationes, & animam ad vitam, mentem ad intellectum: quidam autem dicunt, ex toto corde, idest intellectu; anima, idest voluntate; mente, idest memoria. Vel secundùm Gregorium Nisenum, per cor significat animam vegetabilem; per animam, sensitiuam; per mentem, intellectiuam: quià hoc quod nutrimur, sentimus, & intelligimus, debemus ad Deum referre. 2.2.q.44.a.5. in corp.

Quæ-

Quaritur an sit magis meritorium diligere Deum, quàm proximum.

9 Respondeo dicendum, quòd comparatio ista potest intelligi dupliciter, vno modo vt seorsum consideretur vtraque dilectio, & tunc non est dubium, quòd dilectio Dei est magis meritoria: debetur enim ei merces propter seipsam, quia vltima merces est frui Deo, in quem tendit Diuinæ dilectionis motus, vnde & diligēti Deum merces promittitur Ioannis 14. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & manifestabo ei meipsum; alio modo potest attendi ipsa comparatio, vt dilectio Dei accipiatur secundùm quod solus diligitur; dilectio autem proximi accipiatur secundùm quod proximus diligitur propter Deum; & sic dilectio proximi includit dilectionem Dei, sed dilectio Dei non includit dilectionem proximi, vnde erit cōparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extendit se etiam ad proximū, ad dilectionem Dei insufficientem, & imperfectam, quia hoc mādatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, & in hoc sensu dilectio proximi præeminet. 2.2.q.27.a.8.in corp.

Quaritur an conuenienter detur praeceptum de dilectione proximi.

10 Respondeo dicendum, quòd secundum præceptum est simile huic, Diliges proximum tuum, sicut teipsum: hoc præceptum conuenienter traditur; tangitur enim in eo diligendi ratio, & dilectionis modus; ratio quidem diligendi tangitur ex eo, quod proximus nominatur; propter hoc .n. ex Charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, & secundùm naturalem Dei imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ; nec refert, vtrum dicatur proximus, vel frater, vt habetur 1.Ioannis 4. vel amicus, vt habetur Leuitici 19. quia per omnia hæc eadē affinitas designatur: modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur, Sicut teipsum, quod non est intelligendum quantū ad hoc, quòd aliquis proximum sibi ęqualiter diligat, sed similiter sibi, & hoc tripliciter, primo quidem ex parte finis, vt .s. aliquis diligat proximum pp Deum, sicut seipsum propter Deum debet diligere, vt sic sit dilectio proximi sancta: secundò ex regula dilectionis, vt.s. aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solùm in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solùm in bonis, vt sic sit dilectio proximi iusta: tertio ex parte rationis dilectionis, vt .s. non diligat aliquis proximum propter propriam vtilitatem, vel delectationem, sed ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, vt sic dilectio proximi sit vera, nam cum quis diligit proximum propter suam vtilitatem, vel delectationem, non verè diligit proximum, sed seipsum. 2.2.q.44 a.7.in corp.

Quaritur an sit magis meritorium diligere inimicum, quàm amicum.

11 Respondeo dicendum, quòd ratio diligendi proximum ex Charitate Deus est; cum ergo quæritur, quid sit melius, vel magis meritorium, vtrum diligere amicum, vel inimicum, dupliciter istæ dilectiones comparari possunt, vno modo ex parte proximi, qui diligitur; alio modo ex parte rationis, propter quam diligitur; primo quidem modo dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus & melior, & magis coniunctus est; vnde est materia magis conueniens dilectioni, & propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est, vnde & eius oppositum est deterius, peius.n. est odire amicum, quàm inimicum: secundo autem modo dilectio inimici præeminet propter duo, primo quidem, quia dilectionis amici potest esse alia ratio,

tio,

tio, quàm Deus, sed dilectionis inimici solus Deus est ratio; secundò, quia presupposito, quòd vterque propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, s. vsque ad dilectionem inimicorū, sicut virtus ignis tanto ostenditur esse fortior, quanto ad remotiora diffundit suū calorem: tanto ergo ostenditur Diuina dilectio esse fortior, quanto propter ipsā difficiliora implemus, sicut & virtus ignis tanto est fortior, quanto comburere potest materiam minus combustibilem; sed sicut idem ignis in propinquiora fortius agit, quàm in remotiora; ita etiam Charitas feruentiùs diligit coniunctos, quàm remotos; & quantum ad hoc dilectio amicorum secundùm se considerata est feruentior, & melior, quàm dilectio inimicorum. 2.2 q.27.a.7.in corp.

CASVS.

1 *Superior potest sibi reseruare aliquos casus.*
2 *Quinque casus, pro quibus confessarius debet remittere pœnitentem ad Superiorē.*
3 *Sex casus reseruati Papæ.*
4 *Sacerdos potest absoluere pœnitentem de peccato, v.g. homicidij, & postea remittere illum ad Superiorem, vt ei remittatur pœna irregularitatis.*
5 *Sacerdos prius absoluat pœnitentem ab excommunicatione, quàm à peccatis.*

Quæritur an Superior possit sibi reseruare aliquos casus.

1 Respondeo dicendum, quòd potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda, sed quia ad vsum huius potestatis requiritur iurisdictio, quæ à maioribus in inferiores descendit: ideo potest Superior aliqua sibi reseruare, in quibus iudicium inferiori non committat, aliàs de quolibet peccato potest simplex Sacerdos iurisdictionem habens absoluere. 4. sent. d. 19.q.1.a.3.quæst.2.in corp. & ad 3.

Quæritur quot, & qui sint casus Superiori reseruati.

2 Respondeo dicendū, quòd sunt quinque casus, in quibus oportet, quòd simplex Sacerdos ad Superiorum pœnitentē remittat. Primus est, quando est solemnis imponenda pœnitentia, quia eius minister proprius Episcopus est. Secundus est de excommunicatis, quando inferior Sacerdos non potest absoluere. Tertius quādo inuenit irregularitatem contractam, pro cuius dispensatione debet ad Superiorem remittere. Quartus de incendiarijs. Quintus quando est consuetudo in aliquo Episcopatu, quòd enormia crimina ad terrorem Episcopo reseruantur, quia consuetudo dat, vel aufert in talibus potestatem. 4.sent.d.19.q.1.a.3. quæstiunc.2.in corp.

Quæritur quot, & qui sint casus reseruati Papæ.

3 Respondeo dicendum, quòd sex sunt casus, quos sibi iuris conditor, scilicet Papa reseruauit: primus est, cū aliquis inijcit manus in Clericum, vel Religiosum; secūdus est de illo, qui incendit Ecclesiam, & est denunciatus; tertius est de illo, qui frangit Ecclesiam, & denunciatus est; quartus de illo, qui in Diuinis scienter communicat excommunicatis nominaliter à Papa; quintus de illo, qui falsat litteras Apostolicæ Sedis; sextus de illo, qui excommunicatis in crimine communicat: non enim debet absolui, nisi ab eo qui excommunicauit, etiā si non sit eius subditus, nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum absolueretur ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote præstita iuratoria cautione, quòd pareret mandato illius Iudicis, qui sententiam tulit. 4. sent. d.18.q.2.a.5.quæst.1.in corp.

Quæ-

Quæritur an Sacerdos possit absoluere à peccato, & postea remittere pœnitentem ad superiorem pro remissione pœnæ.

4 Respondeo dicendum, quòd pœnitentia ab omnibus defectibus culpæ liberat, non autem ab omnibus defectibus pœnæ, quia adhuc post peractam pœnitentiam de homicidio aliquis remanet irregularis: vnde Sacerdos potest de crimine absoluere, & pro pœna amouenda ad superiorem remittere, nisi in excommunicatione, quia absolutio ab ipsa debet præcedere absolutioně à peccato, quia quamdiu aliquis est excommunicatus non potest recipere aliquod Ecclesiæ sacramentum. 4. sent. d. 19. q. 1. a. 3. quæst. 2. ad 2.

CASTITAS.

1 *Vnde dicatur castitatis nomen.*
Castitas est virtus.
2 *Castitas est virtus distincta ab abstinentia.*

Quæritur an castitas sit virtus.

1 RESpondeo dicendum, quòd nomě castitatis sumitur ex hoc, quòd per rationem concupiscentia castigatur, quæ ad modum pueri est refrenanda, vt patet per Phylos. in 3. Eth. in hoc autem ratio virtutis humanæ consistit, quod sit aliquid secundùm rationem modificatū: vnde manifestum est castitatem esse virtutem. 2. 2. q. 15. a. 1. in corp.] lect. 2. super cap. 12. ad Hebræos.

Quæritur an castitas sit distincta ab abstinentia.

2 Respondeo dicendum, quòd castitas, quæ est circa delectationes venereorum, est virtus distincta ab abstinentia, quæ est circa delectationes ciborum. 2. 2. q. 151. a. 3. in corp.] 2. sent. d. 44. q. 2. a. 1. ad 3.

CATECHISMVS.

1 *Catechismus quid sit.*
2 *Catechismus non est sacramentum, sed sacramentale.*
3 *Catechizare spectat ad Diaconum & Sacerdotem.*
4 *Catechismus præcedit exorcismum.*
5 *Per catechismum contrahitur quidam modus propinquitatis ad minus impediens matrimonium contrahendum.*
6 *Per catechismum non contrahitur compaternitas.*
7 *Catechismus est quasi dispositio ad Baptismum.*
Adultus per se catechizatur, & per se profitetur Christianam religionem.
In puero fit instructio mediante alio.

Quæritur quid sit catechismus.

1 RESpondeo dicendum, quòd sicut in alijs scientijs, & doctrinis quædam sunt cōmunia, quibus ignoratis necesse est artem ignorare: quædam autem propria, quæ sine ignorantia illius doctrinæ ignorari possunt; & ita etiam in doctrina fidei quædam dicuntur, quæ sunt fidei communia rudimenta, ad quæ credenda explicitè omnes tenentur, sicut est fides Trinitatis, & Incarnationis, & Passionis, & Diuini Iudicij, & Prouidentiæ Dei de factis hominum, & talis instructio catechismus dicitur: de alijs autem debet instrui post Baptismum temporis processu. 4. sent. d. 6. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an catechismus sit sacramentum.

2 Respondeo dicendum, quòd catechismus non est sacramentum, sed sacramentale. 4. sent. distinct. 42. quæst. 1. artic 2. in corp.] 3. p. quæst. 67. articulo 3. ad secundum.

Quæritur ad quos spectet catechizare.

3 Respondeo dicendum, quòd triplex est instructio fidei, vna admonitoria, qua quis ad fidem conuertitur, & hęc propriè est Sacerdotum, quorum est prædicare, & docere: vnde & Dionysius hanc instructionē Episcopo attribuit; alia est instructio disciplinabilis, qua quis instruitur qualiter ad Baptismum accedere debet, & qđ credere debeat, & hæc pertinet ad officium Diaconi, & per consequens Sacerdotis, quia quidquid est Diaconi, est etiā Sacerdotis; tertia quæ sequitur Baptismum, & hæc pertinet ad Anadochum, & ad Prælatos Ecclesiæ: Prælati enim Ecclesiæ habent quasi doctrinam generalem, quę per officium Anadochi specialiter ad hunc, vel illum adaptatur secūdùm quod ei competit 4. sent. d. 6. q. 2. a. 2. quæst. 2. in corp.] 3. p. q. 67. art. 3. ad 2.] q. 71. art. 4. in corp.

Quæritur an Catechismus debeat præcedere Exorcismum.

4 Respondeo dicendum, quòd Catechismus ordinat ad bonum non efficiendo aliquid, sed solùm instruendo: Exorcismus autem remouet malum in operando, & instructio in talibus debet operationem præcedere. 4. sent. d. 6. in expositione litteræ.

Quæritur an per Catechismum contrahatur aliqua propinquitas impediens matrimonium.

5 Respondeo dicendum, quòd in catechismo fit quædam professio futuri Baptismi; sicut in sponsalibus fit quædā spōsio futurarum nuptiarum: vnde sicut in sponsalibus contrahitur quidam modus propinquitatis, ita & in catechismo ad minus impediens contrahendum. 4. sent. d. 42. q. 1. a. 2. ad 3. & 4.

Quæritur an compaternitas causetur ex Catechismo.

6 Respondeo dicendum, quòd compaternitas solùm contrahitur in duobus, .s. in Baptismo, & Confirmatione, quia compaternitas similitudo est paternitatis: paternitas autem non fit nisi in generatione: & ideo solùm in illis sacramentis, in quibus est quædam generatio spiritualis, contrahitur compaternitas, quæ matrimonium impedit. Quodlibeto 12. a. 17. in corp.

Quæritur an pueri debeant catechizari.

7 Respondeo dicendum, quòd catechismus est quasi quædam dispositio ad Baptismum: dispositiones autē debent proportionari illis, ad quæ disponunt: vnde in adultis, in quibus in baptismo requiritur propria fides, & propria voluntas, requiritur etiam quòd ipse per se catechizetur, & per se confiteatur, & Christianā Religionem profiteatur; in puero autem cuius Baptismus operatur tantùm in fide Ecclesiæ, & merito Christi, fit instructio mediante alio: vnde eadem, quibus instruendus est, proponuntur presente Anadocho, cui committitur in his instruendus, & ipse loco eius confessionem, & professionem facit. 4. sent. d. 6. q. 2. a. 2. quæst. 3. in corp.

CATHEDRA.

1 *Triplex differentia est inter cathedram magistralem, & Pontificalem.*

Appetere aliquod, quod pertineat ad Dei perfectionem est laudabile.

Appetitus potestatis super alios est vitiosus.

Licet petere licentiam docendi alios.

Præsumptionis est, quòd non idoneus petat facultatem docendi. semper est vitiosum Pontificatum petere.

Non

Non semper est vitiosum petere licentiam docendi per se.
Honestius est petere per alium facultatem docendi.
2 *Magister, & Pastor sunt in periculo.*
In maiori periculo est Pastor, quam Magister.

Quæritur an liceat pro se petere licentiam in Theologia docendi.

1 RESpondeo dicendum, quòd oportet triplicem differentiam considerare cathedræ magistralis ad cathedram Pontificalem, quarum prima est, quòd ille, qui accipit cathedram magistralem, non accipit aliquam eminentiam, quam prius non habuerit, sed solùm opportunitatem communicandi scientiam, quã prius non habebat: non enim ille, qui licentiat aliquem, dat ei scientiam, sed auctoritatẽ docendi; ille verò, qui accipit cathedram Episcopalem, accipit eminentiam potestatis, quam prius non habebat, sed quantum ad hoc in nullo ab alijs differebat: secunda differentia est, quòd eminentia scientiæ, quæ requiritur ad cathedrã magistralem est perfectio hominis secundũ seipsum: eminentia verò potestatis, quæ pertinet ad cathedram Pontificalem, est hominis per comparationẽ ad alium: tertia differentia est, quòd ad cathedram Põtificalem fit homo idoneus per charitatem excellentem: vnde Dominus antequã Petro suarũ ouium curam cõmitteret, quæsiuit ab eo: Simon Ioannis diligis me plus his, vt dicitur Io. vltimo: ad cathedram autem magistralem redditur homo idoneus ex sufficientia scientiæ; his ergo consideratis, manifestum est, quòd appetere aliquid, quod pertinet ad perfectionem sui ipsius est laudabile: vnde appetitus sapientiæ est laudabilis: dicitur. n. Sap. 6. quòd concupiscentia sapientiæ pertinet ad regnum perpetuum; appetitus autem potestatis super alios est vitiosus: quia, vt Gregorius dicit, contra naturam superbire, est hominem homini velle dominari: vnde si ille, qui dat licentiam ad cathedram magistralem posset eminentiã sapientiæ dare, sicut ille, qui promouet ad cathedram Pontificiam, dat eminentiam potestatis, esset simpliciter exposcenda, cum tamen petere excellentiam potestatis sit turpe; cum autem ille, qui accipit licentiam ad cathedram magistralem, accipiat solùm opportunitatem cõicandi, quod licet petere hmõi licentiã quantum in se est, nullam vr̃ turpitudinem continere, quia communicare alijs scientiam, quam quis habet, laudabile est, & ad charitatem pertinens secundùm illud Sap. 8. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico; & 1. Petri 4. dicitur: Vnusquisque sicut accipit gratiam, in alterutrum illam administrantes; potest tñ turpitudinem continere ratione præsumptionis, quæ est, si ille, qui non est idoneus ad docendum, petat docẽdi officium; sed hæc præsumptio non æqualiter est in petentibus licentiam ad docendum, & in petentibus Pontificatum, nam scientiã, per quam aliquis est idoneus ad docendum, potest aliquis scire per certitudinem se habere; Charitatem autem, per quã aliquis est idoneus ad officium pastorale non potest aliquis per certitudinem scire se habere: & ideo semper est vitiosum Pontificatum petere; non semper autem vitiosũ est petere licentiam docendi, quamuis honestius sit, quòd per alium petatur, nisi fortè aliquando ex causa aliqua speciali. Quodlibeto 3. a. 9. in corp.

Quæritur an habens cathedram magisterij sit in maiori periculo, quam habens cathedram pastoralem.

2 Respondeo dicendũ, quòd imminent pericula spiritualia his qui habent magisterij locum, sed pericula magisterij cathedræ pastoralis deuitat scientia cum charitate, quam homo nescit per se certi-

tudinem habere; pericula autem magisterij Cathedræ magistralis vitat homo per scientiam, quam potest homo scire se habere. Quodlibeto 3. ar. 9 ad 3.

CAECITAS MENTIS.

1 *Quid sit Cæcitas mentis.*
Cæcitas mentis quotuplex.
Quanam Cæcitas mentis sit peccatum.
2 *Quanam sit Cæcitas illa, quæ excusat à peccato.*
3 *Quid sit hebetudo sensus.*
Hebetudo sensus, & Cæcitas mentis sunt peccata distincta.
4 *Per Gulam, & Luxuriam homo applicatur ad corporalia.*
Magis ad corporalia applicatur homo per Luxuriam, quàm per Gulam.
Ex Luxuria oritur Cæcitas mentis.
Ex Gula oritur hebetudo sensus.
5 *Immundi impediuntur a subtilitate contemplationis.*

Quæritur an Cæcitas mentis sit peccatum.

1 RESpondeo dicendum, quòd sicut cæcitas corporalis est priuatio eius, quod est principium corporalis visionis, ita etiam cæcitas mentis est priuatio eius, quod est principiũ mentalis, siue intellectualis visionis, cuius quidem principium est triplex, vnum quidem est lumẽ naturalis rationis, & hoc lumen, cum pertineat ad speciem animæ rationalis nunquam priuatur ab anima, impeditur tamen quandoq; à proprio actu per impedimenta virium inferiorum, quibus indiget intellectus humanus ad intelligendum, sicut patet in amentibus, & furiosis; aliud autem principium intellectualis visionis est aliquod lumen habituale naturali lumini rationis superadditum, & hoc quidem lumen interdum priuatur ab anima, & talis priuatio est cæcitas, quæ est pęna secundùm quòd priuatio luminis gratiæ quædam pęna ponitur, vnde dicitur de quibusdam Sapientiæ 2. Excæcauit illos malitia eorum; tertium principium visionis intellectualis est aliquod intelligibile principium, per quod homo intelligit alia, cui quidem principio intelligibili mens hominis potest intendere, vel non intendere, & quòd ei non intendat, contingit dupliciter, quandoque quidem ex hoc quòd habet voluntatem spontaneè se auertentem à consideratione talis principij, secundùm illud Psalm. 35. Noluit intelligere, vt bene ageret; alio modo per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quib. ab inspectione huius principij mens auertitur, secundũ illud Ps. 57. Supercecidit ignis, concupiscentiæ, & nõ viderunt Solem, & vtroque modo cæcitas mentis est peccatũ. 2. 2. q. 15. a. 1. in corp.

Quæritur quanam cæcitas mentis excuset à peccato.

2 Respondeo dicendum, quòd cæcitas, quæ excusat à peccato est, quę contingit ex naturali defectu non potentis videre. 2. 2. q. 15. a. 1. ad 1.

Quæritur an hebetudo sensus sit aliud peccatum à cæcitate mentis.

3 Respondeo dicendũ, quòd hebes acuto opponitur: acutũ autẽ dicitur aliquod ex hoc, quòd est penetratiuũ, vnde & hebes dicitur aliquod ex hoc, quòd est obtusũ, penetrare non valens; sensus autem corporalis per quandam similitudinẽ penetrare dicitur mediũ inquãtum ex aliqua distantia sui obiectum percipit, vel inquantum potest quasi penetrare minima, vel intima rei percipere, vnde in corporalibus dicitur aliquis esse acuti sensus, qui potest percipere sensibile aliquod ex remotis vel videndo, vel audiendo, vel olfaciendo; & econtrario dicitur sensu hebetari, qui non percipit nisi ex propinquo, & magna sensibilia; ad similitudinẽ autem

autem corporalis sensus dicitur etiam circa intelligentiam esse aliquis sensus, qui est aliquorum primorum,& extremorum, vt dicitur 6.Eth. sicut etiam sensus est cognoscitiuus sensibilium quasi quorundam principiorum cognitionis: hic autem sensus, qui est circa intelligentiã, non percipit suum obiectum per mediũ distantię corporalis,sed per quædam alia media, sicut cum per proprietaté rei percipit eius essentiam, & per effectum percipit causam: ille ergo dicitur esse acuti sensus circa intelligentiam,qui statim ad apprehensionem proprietatis rei,vel etiã effectus naturam rei comprehendit,& inquantum vsque ad minimas conditiones rei considerandas pertingit; ille autem dr̃ hebes circa intelligentiam, qui ad cognoscendam veritatem rei pertingere nõ potest, nisi per multa ei exposita, & tunc etiam non potest pertingere ad perfectè considerandum omnia, quæ pertinent ad rei rationem: sic ergo hebetudo sensus circa intelligentiam importat quandam debilitatem mentis circa considerationem spiritualium bonorum; cæcitas aũt mentis importat omnimodam priuationem cognitionis ipsorum, & vtrunque opponitur dono intellectus, per quem homo spiritualia bona apprehendendo cognoscit, & ad eorum intima subtiliter penetrat: habet enim hebetudo rationem peccati, sicut & cæcitas mentis, inquantum .s. est voluntaria, vt patet in eo,qui affectus circa carnalia de spiritualibus subtiliter discutere fastidit,vel negligit.2.2.q 15.a 2. in corp.

Quæritur à quibus peccatis oriatur hebetudo sensus, & cæcitas mentis.

4 Respondeo dicendum, quòd perfectio intellectualis operationis in homine consistit in quadam abstractione à sensibilium phantasmatibus: & ideo quantò intellectus hominis magis fuerit liber ab huiusmodi phantasmatibus, tantò potius considerare intelligibilia poterit, & ordinare omnia sensibilia; sicut & Anaxagoras dicit, quòd oportet intellectum esse immixtum ad hoc quòd imperet, & agẽs oportet, quòd dominetur super materia ad hoc, quòd possit eam mouere, vt narrat Phyl. 8.Phys. manifestum est autem, quòd delectatio applicat intentionem ad ea,in quibus aliquis delectatur:vnde Philosophus dicit in 10.Eth. quòd vnusquisque ea,in quibus aliquis delectatur, optimè operatur:contraria verò nequaquam, vel debiliter: vitia autem carnalia, s. gula, & luxuria consistunt circa delectationes tactus ciborum.s.& venereorum, quæ sunt vehementissimæ inter omnes corporales delectationes: & ideo per hæc vitia intentio hominis maximè applicatur ad corporalia,& per consequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia, magis autem per luxuriam, quàm per gulam, quantò delectationes venereorum sunt vehementiores, q̃ ciborum: & ideo ex luxuria oritur cęcitas mentis,quę quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit: ex gula autem hebetudo sensus, quæ reddit hominem debilem ad huiusmodi intelligibilia; & è conuerso oppositæ virtutes.s.abstinentiæ,& castitatis maximè disponunt hominem ad pfectionem intellectualis operationis: vnde dr̃ Dan.1. quòd pueris his, s.abstinentibus, & continentibus dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia. 2.2.q.15.a.3.in corp.

Quæritur an subtili ingenio præditi impediantur à contemplatione propter vitia carnalia.

5 Respondeo dicẽdum, quòd quamuis aliqui vitijs carnalibus subditi possint quãdoque subtiliter speculari aliqua circa intelligibilia propter bonitatem ingenij naturalis, vel habitus superadditi, tamen

men necesse est, vt ab hac subtilitate contemplationis eorum intentio plerumque retrahatur propter delectationes corporales; & ita immundi possunt aliqua vera scire; sed ex sua immunditia circa hoc impediuntur: 2.2 q.15.a.3 ad 1.

CEREVS PASCHALIS.

Quæritur an Cereus Paschalis possit benedici absque ascriptione.

Respondeo dicendū, quòd sine ascriptione annorum mundi Cereus Paschalis benedici potest: non .n. est de necessitate Paschalis Cerei talis ascriptio: vnde in multis terris non est consuetum, quòd aliquid Cereo ascribatur. Quodlibeto 3. a.31. ad 1.

CHOREA.

Ludi secundùm se non sunt mali.

Quomodo in ludis possit esse vitium, & virtus.

Ludus chorealis quas conditiones requirat, vt sit licitus.

Si ludus chorealis fiat ad luxuriam prouocandam est illicitus.

Quæritur an ludi choreales sine peccato exerceri possint.

Respondeo dicendum, quòd ludus secundùm se non est malus, aliter in ludis non esset virtus, quæ dicitur Eutrapelia: sed secundùm quòd ordinatur diuerso fine, & vestitus diuersis circumstantijs potest esse actus virtutis, & vitij, quia enim impossibile est semper agere in vita actiua, & contemplatiua: ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia seueritate frangatur, & vt homo promptiùs vacet ad opera virtutū, & si tali fine fiat de ludis cum alijs circumstantijs erit actus virtutis, & poterit esse meritorius, si gratia informetur: istæ autem circumstantiæ videntur in ludo choreali obseruandæ, vt non sit persona indecens, sicut Clericus, vel Religiosus; vt fit tempore lætitiæ, vt liberationis gratia, vel in nuptijs, & huiusmodi; vt fiat cū honestis personis; & cum honesto cantu; & quòd gestus non sint nimis lasciui, & si quæ huiusmodi sunt; si autem fiant ad prouocandum lasciuiam, & secundùm alias circumstantias constat, quod actus vitiosus erit. super cap.3. Isaiæ.

CHRISMA.

1 *Chrisma debet benedici.*

2 *Chrisma debet benedici biduo ante Pascha.*

3 *In quibus debet esse vsus Chrismatis.*

Quæritur an Chrisma debeat benedici.

1 Respondeo dicendum, quòd tàm Chrisma, quàm Oleum Sanctum infirmorum prius benedicuntur, quàm adhibeantur ad vsum sacramenti. 3 p. q. 72. a.3. in corp.

Quæritur quo tempore debeat confici Chrisma.

2 Respondeo dicendum, quòd sicut ex Concilio Martini Papæ habetur, oī tempore licebat Chrisma conficere, sed quia solemnis Baptismus, ad quem requiritur vsus Chrismatis in vigilia Paschę celebratur, congruè ordinatum est, vt per biduū ante ab Episcopo Chrisma benedicatur, vt possit per Diœcesim destinari: dies etiā ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharestiæ Sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur. 3.p.q.72.a.12.ad 3.] 4.sent.d.7. q.1.a.2.quæst.3.in corp.

Quæ-

Quæritur an ministri Ecclesiæ Chrismate vtantur.

3 Respondeo dicendum, quòd materia Confirmationis.s.Chrismate,vtuntur Ecclesiæ ministri in diuersis sacramentis, sicut dicit Dionysius: vsus sacramenti vnguenti.s.Chrismatis est in alijs sacramentis pluribus, sicut patet in Baptismo, in quo infunditur Chrisma in aqua Baptismi; & baptizatus in vertice Chrismate inungitur; & similiter Pontifices Chrismatis inunctione consecrantur; & Altare etiam, in quo Euchareſtia consecranda est, Chrismate linitur; & Calix similiter, 4.sent. d.7.q.1.a.1.quæst.1.ad 2.

CIMITERIVM.

1 *Terra sacra,vt sacra non potest vendi.*
Potest cimiterium ratione terræ vendi in necessitate Ecclesiæ.
Non licet exigere aliquod pro officio sepulturæ.
Potest accipi aliquid,si adsit consuetudo.
2 *Abraam non peccauit emendo speluncam, & quare.*
Emor quare reprehendatur.

Quæritur an sepultura possit vendi.

1 RESpondeo dicendum,quòd venditio sepulturæ potest intelligi dupliciter, vno modo, quòd vendatur terra sacra in sepulturam, & de hoc est similis ratio, & de venditione sacrorum vasorũ, quia cimiterium consecratum potest vendi ratione terræ in necessitate Ecclesiæ, sicut & calix ratione materiæ,non autem potest vendi ratione consecrationis, vt.s. aliquis pro pecunia ibi sepeliatur; alio modo dicitur vendi sepultura, si pro officio,quod à Sacerdotibus in sepultura funeris dicitur aliquid exigatur,& hoc non licet: tamen si consuetudo est, quòd aliquid detur, potest per superiorem correctio adhiberi in illos, qui denegant dare, quod consuetudo exposcit.4.sent.d.25.q.3.a.2.quæst.3.ad 2. 2.2. q.100.a.4.ad 3.

Quæritur an Abraam peccauerit emendo speluncam in sepulturam.

2 Respondeo dicendum,quòd Abraam non peccauit emendo speluncam duplicem,quia spelunca illa non erat consecrata in sepulturam, vel si erat consecrata transiuit possessio eius in iurisdictionem cum vniuersitate agri. Emor autem reprehenditur, quia decidit à bona intentione, quam prius habuit volens gratis dare,cum postea eam carissimè vendiderit; vel vt quidam dicunt Abraam non peccauit redimens ius, quod habebat sepeliendi mortuum, quod quamuis Emor ei non denegaret, tamẽ sciebat Abraam, quòd ille molestè acciperet, nisi precium daretur. 4.sent.d.25.q.3.a 2. quæstiunc.3. ad 2.] 2.2.q.100.a.4.ad 3.

CIRCVMSTANTIA.

1 *Quid sit circumstantia.*
2 *Causa a qua dependet substantia actus non est circumstantia.*
3 *Actus morales quinam sint.*
Circumstantia moralis actus dupliciter accipi potest.
Quæ circumstantia sit proprietas moralis actus, & quę sit extra.
4 *Septem sunt circumstantiæ secundùm Tullium secundùm Aristotelem octo.*
Sufficientia harum circumstantiarum assignatur.
5 *Benè, & malè non sunt circumstantiæ.*
Modus est circumstantia
6 *Finis est principalis circumstantia, secundaria est, Quid.*
Alia circumstantia sunt magis. & minus principales secundùm quòd ad supradictas appropinquant.
7 *Finis vltimus non est circumstantia.*

Quęritur quid sit circumstantia.

1 RESpondeo dicendum, ꝙ nominibus pertinentibus ad motum localem vtimur ad significandum alios motus eo quòd corpora, quæ loco circumscribuntur, sunt maximè nobis nota, & inde est, quòd nomen circumstantiæ ab his, quæ

quæ in loco sunt deriuatur ad actus humanos: dicitur autē in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecū à re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum: & ideo quæcunque conditiones sunt extra substantiam actus, & tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circumstantiæ dicuntur, quod autem est extra substantiam rei ad rem ipsam pertinens accidens eius dicitur, vnde circumstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicenda sunt. p. 2. q. 7 a. 1. in corp.] a. 3. in corp.] q. 88. a. 5. in corp.] q. 2. de malo, artic. 4. ad 5.] art. 5. in corp.] a. 6. in corp.] a. 9. ad 18.] lect. 3. tertij Ethicorum.

Quęritur an conditio causę, ex qua substantia actus dependet, sit circumstantia.

2 Respondeo dicendum, quòd illa conditio causæ, ex qua substantia actus dependet, non dicitur circumstantia. sed aliqua conditio coniuncta, sicut in obiecto non dicitur circumstantia furti, quod sit alienum, hoc enim pertinet ad substantiā furti, sed quòd sit magnum, vel paruum, & similiter est de alijs circumstātijs, quæ accipiuntur ex parte aliarum causarum: non enim finis, qui dat speciem actus, est circumstantia, sed aliquis finis adiūctus, sicut quòd fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis, non est circumstantia, sed si fortiter agat propter liberationem Ciuitatis, vel populi Christiani, vel aliquid huiusmodi; intelligitur etiam ex parte eius, quòd est Quid, nam quòd aliquis perfundens aliquem aqua abluat ipsum, non est circumstantia ablutionis, sed qđ abluendo infrigidet, vel calefaciat, vel sanet, vel noceat, hoc est circumstantia. p. 2. q. 7. art. 3 ad tertium.

Quæritur an circumstantia sit proprietas moralis actus, siue eius conditio.

3 Respondeo dicendum, ꝙ actus nostri dicuntur morales, secundùm quòd à ratione ordinantur in finem voluntatis; ex hoc enim habent rationem boni, vel mali: omne autem, quod ordinatur ad finem, oportet esse proportionatum fini: & ideo ratio, quæ actum nostrum in finem ordinat, attendit proportionem actus ad ea, quæ ad actum concurrere possunt; & ista commensuratio circumstantia dicitur: & quia in qualibet proportione oportet esse ad minus duos terminos, nihil enim sibi ipsi proportionatur, sed alteri: ideo circumstantia moralis actus dupliciter accipi consueuit, quia potest dici circumstantia, vel illud, quod est ad actum concurrens, ad quem proportionatur, sicut locus, aut tempus, vel ipsa conceptio, quæ ex illis relinquitur, vt quando, vel vbi: sic ergo vltimo modo accipiendo circumstā tiam erit conditio, vel proprietas actus, sed primo modo accipiendo, quædam circumstantia est proprietas actus, vt modus agendi, & quædam extra, vt locus, & tempus. 4. sent. d. 16. q. 3. a. 1. quæst. 1. in corp.] p. 2. q. 18. a. 4 ad 2.

Quęritur quot sint circumstantię.

4 Respondeo dicendum, quòd Tullius in sua Rhetorica assignat septem circumstantias, quæ hoc versu continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Considerandum est. n. in actibus, Quis fecit, quibus auxilijs, vel instrumentis fecit, quid fecerit, vbi fecerit, cur fecerit, quomodo fecerit, & quando fecit. Sed Arist in 3. Ethic. addit aliam. s. circa quid, quæ à Tullio comprehenditur sub Quid: & ratio huius annumerationis sic accipi potest: nam circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen,

men, quòd aliquo modo attingit ipsam; contingit autem hoc fieri tripliciter, vno modo inquantum attingit ipsum actum; alio modo inquantum attingit causam actus: tertio modo inquantum attingit effectum; ipsum autem actum attingit, vel per modum mensuræ sicut tempus, & locus, vel per modum qualitatis actus, sicut modus agendi: ex parte autem effectus, vt cum consideratur, quid aliquis fecerit; ex parte verò causę actus quantum ad causam finalem accipitur propter quid: ex parte autem causæ materialis, siue obiecti accipitur circa quid: ex parte verò causæ agentis principalis accipitur quis egerit: ex parte verò causæ agentis instrumentalis accipitur quibus auxilijs. p. 2. q.7.a.3.in corp.]4.sent.d.16.q 3.a.1.quæstiunc.2.3. in corp.] q.2.de malo, art.6.in corp.]lect.3.super 3.Ethicorum.

Quæritur an benè, & malè sint circumstantiæ.

5 Respondeo dicendum, quòd iste modus, qui est benè, vel malè non ponitur circumstantia, sed consequens ad omnes circumstantias; specialis tamen circumstantia ponitur modus, qui pertinet ad qualitatem actus, puta quòd aliquis ambulet velociter, vel tardè; & quòd aliquis percutit fortiter, vel remissè, & sic de alijs. p.2.q.7.a.3.ad 2.

Quæritur quænam sit principalis circumstantia.

6 Respondeo dicendum, quòd actus propriè dicuntur humani, prout sunt voluntarij; voluntatis autem motiuum, & obiectum est finis: & ideo principalissima est omnium circumstantiarum illa, quæ attingit actum ex parte finis, s. cuius gratia; secundaria verò, quæ attingit ipsam substantiam actus, i. quid fecit; aliæ verò circumstantiæ sunt magis, vel minus principales secundùm quòd magis, vel minus ad has appropinquant. p.2.q.7. art.4.in corp.] 4.sent.d.16.q.3.a.2.quæstiunc.2.in corp.] d.33.q.1.a.3. quæst.2.ad 4.] lect.3. Eth.tertij.

Quæritur qui finis est circumstantia.

7 Respondeo dicendum, quòd est duplex finis, s. vltimus, & propinquus; vltimus quidem non potest poni circumstantia, quia omnes circumstantiæ sumuntur in proportione ad ipsum; propinquus etiam est duplex, quidam qui est finis operis secundùm quòd Phylos. dicit in 2. Ethicor. Quòd quædam coniuncta sunt malo fini, & iste finis dat speciem actui, vnde vel nõ est circumstantia, si consideretur tantùm genus moris, vel referendo ad ipsam substantiam actus includitur in hac circumstantia, quid; alius verò est finis agentis, qui quandoque ex malo actu bonum intendit, vel è conuerso, & hic finis dicitur hæc circumstantia, cur: ab hoc autẽ actus non recipit speciem propriam, sed quasi communem secundùm quòd actus imperati inducunt speciem virtutis, vel vitij imperantis supra speciem, quam habent ex habitu eliciente. 4.sent.d.16.q.3. ar. 1. quæst.2.ad 3.]p.2.q.7.a.3.ad 3.] 2.sent.d. 36.a.5.ad 5.

Quæritur quomodo circumstantia temporis aggrauet.

8 Respondeo dicendum, quòd si quis faciat aliquid indecens in tempore sacro, tempus sacrum, quod consideratur vt circumstantia respectu actus indecentis, qui in eo fit, potest considerari vt obiectum respectu alterius actus circumstantis, qui est contemnere tempus sacrum. quæst. 2. de malo, artic. sexto, ad secundum.

Quæ-

Quæritur an petere debitum coniugale tempore sacro sit circumstantia aggrauans in infinitum.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Debitum coniugale.

Quæritur an diuturnitas in peccato sit circumstantia trahens in aliam speciem.

9 Respondeo dicendum, quòd diuturnitas non est circumstantia trahens in aliam speciem, similiter nec frequentia, vel assiduitas, nisi fortè per accidens ex aliquo superuenienti; non enim aliquid acquirit nouam speciem ex hoc, quòd multiplicatur, vel protelatur, nisi fortè in actu protelato, vel multiplicato superueniat aliquid, quod variet speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid huiusmodi. p.2.q 88 a.5.ad 1.

Quæritur quot genera sint circumstantiarum.

10 Respondeo dicẽdum, quòd circumstantia tripliciter se habet ad actum peccati; quandoque enim neque variat speciem, neque aggrauat, sicut percutere hominem indutum veste alba, vel rubea; quandoque verò speciem peccati constituit, siue actus, cui aduenit circumstãtia, sit ex suo genere indifferens, sicut cum aliquis leuat festucam de terra in cõtemptum alterius, siue sit bonus ex genere, sicut cum aliquis dat eleemosynam propter laudem humanam, siue sit malus ex genere, & addatur sibi alia species malitiæ ex circumstantia, sicut cum aliquis furatur rem sacram; aliquando verò aggrauat quidem peccatum, non tamen cõstituit peccati speciem, sicut cum aliquis furatur multum; & huius diuersitatis ratio est, quia si circumstantia adueniens actui indifferenter se habeat quantum ad rationem talis circumstantiæ, nec dat speciem peccato, nec aggrauat: nihil .n. ad rationem pertinet, vtrum ille, qui percutitur, tali, vel tali veste induatur; si verò indifferentiam aliquam habeat per cõparationem ad rationem, aut importat aliquid repugnans rationi primò, & per se, & tunc dat peccato speciem, sicut accipere alienum, aut primò, & per se non importat aliquid rationi repugnans, sed per comparationem ad id, quod primò, & per se rationi repugnat, aliquam repugnantiam habet ad rationem, sicut accipere aliquid in magna quantitate nihil repugnans rationi potest dici, sed accipere alienum in magna quantitate dicit maiorem repugnantiam ad rationem: vnde ista circumstantia aggrauat peccatum inquantum est determinatiua illius circumstantiæ, quæ dabat speciem peccato; quartum autem membrum non potest esse, vt circumstantia det speciem peccato, & non aggrauet. q.2. de malo, a. 7. in corp. 1 p.2.q.73.a.7 ad 1.

Quæritur an circumstantia det speciem peccato, aut variet ipsum.

11 Respondeo dicendum, quòd sicut in alijs aliquid est extrinsecum superiori, quod est intrinsecum inferiori, vt rationale est præter rationem animalis, quod tamen est de ratione hominis, ita aliquid est circumstantia respectu actus communis considerati, quod respectu actus magis in speciali considerati non potest circumstantia dici, sicut si consideremus hunc actum, qui est accipere pecuniam, non est de ratione eius, quòd sit aliena: vnde alienum se habet ad actum sic consideratum, vt circumstantia, sed de ratione furti est, quòd sit aliena: vnde non est circumstantia furti, non tamen oportet, quòd omne quod est præter rationem superioris, sit de ratione inferioris; nam album sicut non est de ratione animalis, ita non est de ratione hominis, vnde accidentaliter comparatur ad vtrumque; & similiter

liter non oportet, quòd omne, quod est circumstantia communioris actus constituat speciem aliquam in actibus, sed illud tantùm, quod per se pertinet ad actũ: ad actum autem moralem aliquid per se pertinet secundùm quòd comparatur ad rationem, vt conueniens, & repugnans: si ergo circumstantia addita nullam specialem repugnantiam ad rationem importet, non dat speciem actui, puta vti re alba nil addit ad rationem pertinens, vnde album non constituit speciem actus moralis, sed vti re aliena addit aliquid ad rationem pertinens: vnde constituit speciem actus moralis. Sed considerandum est vlterius, quòd circumstantia addita ad rationem pertinens potest constituere nouam speciem peccati dupliciter, vno modo, ita quòd species per circumstantiam constituta sit quædam species illius peccati, quod prius considerabatur in actu communiori, siue species peccati cõstituatur formaliter, siue materialiter; materialiter quidem sicut si supra hoc, quod dico vti re aliena, addatur vxore, ex quo constituitur adulterium; formaliter autem, sicut si accipiam rem alienã de loco sacro, fit.n.sacrilegium, quod est species furti; aliquando autem per circũstantiam constituitur quædam alia species disparatã non pertinens ad illud genus peccati; sicut si ego furer rem alienã, vt possim homicidium facere, vel simoniam committere, trahitur ad speciem peccati omnino disparatam, & huiusmodi; simile etiam in alijs rebus inuenimus: si enim supra coloratum consideretur album fit species qualis, quod prius considerabatur; si autem supra coloratum intelligatur dulce, fit alia species qualis omnino disparata, cuius diuersitatis ratio est, quia cum id, quod additur est per se diuisiuum eius, cui additur facit speciem eius; cum autem per accidens se habet ad ipsum, habet quidem speciem suam, quæ tamen non est species eius, cui additur, quia quod aduenit per accidens, non fit vnum per se cum eo, cui aduenit. q.2. de malo, art.6. in corp.

Quæritur an circumstantia aggrauet in infinitum.

12 Respondeo dicendum, quòd circũstantia quandoque aggrauat peccatum, & speciem mutat: quandoque autem aggrauat, sed speciem non mutat: quando autem speciem non mutat, sed aggrauat adhuc manet in ratione circumstantiæ, & non potest in infinitum quantitatem peccati augere, vt ex veniale mortale fiat, quia circumstantia taliter aggrauans ex suppositione præcedentis deformitatis habet rationem maioris deformitatis ex eius virtute; vnde si etiam illa sit infinita non potest infinitam deformitatem addere; si autem speciem mutet, tunc potest in infinitum aggrauare, sed non semper hoc facit, quia quando ex deformitate speciali, quam circumstantia addit, habet directè oppositionem ad Charitatem, quod ostenditur ex hoc, quod est directè contra præceptum legis, cuius finis est Charitas, tunc in infinitum grauitatẽ addit, scilicet peccati mortalis: quando autem illa deformitas non directè habet oppositionem ad legem, vt sit contra eã, sed præter eam, tunc non aggrauat in infinitum, siue sit peccatum veniale, cui additur, siue mortale, sicut ad actum gulæ, qui est præproperè, addit hæc circumstãtia, lautè, specialem deformitatem, quæ etiam ex se peccatum faceret, sed non est directè contra legem: & ideo non aggrauat in infinitum, & quia circumstantia, quæ speciem mutat, non est iam vt circũstantia computanda: ideo dicitur à magistris, quòd circumstantia non aggrauat in infinitum. 4.sent.d.16.q.3 a.2.quæst.4.in corp.]q.2.de malo, a.8.in corp.

Quæ-

Quaritur an circumstantia possit trahere in aliam speciem, vel in aliud genus peccati.

13 Respondeo dicendum, quòd omnis circumstantia potest speciem peccati mutare, sed non semper mutat: cum enim priuationes, & negationes differant specie secundùm differentiam habituum, & positionum oppositarum, & malum sit priuatio boni, oportet, quòd vbi diuersum bonum ad virtutem necessarium aufertur, ibi sit diuersa species peccati; vna autem sola circumstantia peccati rectitudinem virtutis aufert: vnde si aliæ circũstantiæ nullam aliam obliquitatem peccato tribuant, nisi ex suppositione præcedentis non mutabunt speciem peccati, sed fortè aggrauabunt quantitatem peccati illius; quandoque etiam neque quantitatem peccati aggrauabunt, quia etiam ex suppositione præcedentis nullam inordinationem addunt; quandoque etiam peccatum diminuit, si aliqua circumstantia rationem peccati subtrahat, sicut accipere rem alienam habet rationem peccati ex circumstantia, Quid ſ. inquantum res aliena est: quòd autem manu dextera, vel finistra accipiat, aut de mane, aut de sero, nihil ad rationem mali pertinet: & ideo illæ circumstantię non excusant, nec aggrauant, nec speciem mutant quòd autem accipiat multum, vel parum ex se deformitatem aliquando non importat, nisi ex suppositione primi; quia multum de alieno recipere est ab æqualitate magis discedere; vnde talis circumstantia aggrauat, sed peccatum non mutat; quòd autem rem alienam cõsecratam accipiat, aliam deformitatem importat, quia quæcunque irreuerentia circa res sacras adhibita dicitur speciem mutare; si autem coactus accipiat, talis circumstantia peccatum excusat in parte, quia causa peccati .s. voluntariam minuitur. 4. sent. d. 16. q. 3. a. 2. quæst. 3. in corp.

Quaritur an circumstantia aggrauet peccatũ, & quot modis aggrauare dicatur.

14 Respondeo dicendum, quòd vnumquodque natum est augeri, ex quo causatur; sicut Phylosophus dicit de habitu virtutis in 2. Eth. manifestum est autem, q peccatum causatur ex defectu alicuius circumstantiæ: ex hoc enim receditur ab ordine rationis, quòd aliquis in operando non obseruat debitas circumstantias: vnde manifestum est, quòd peccatum natum est aggrauari per circumstantias; sed hoc quidem contingit tripliciter, vno quidem modo, inquantum circumstantia transfert in aliud genus peccati, sicut peccatum fornicationis consistit in hoc, qd homo accedit ad non suam; si autem additur hæc circumstantia, vt illa, ad quam accedit, sit alterius vxor transfertur iam in aliud genus peccati, scilicet in iniustitiam, inquantum homo vsurpat rem alterius, secundùm hoc adulterium est grauius peccatum, quàm fornicatio; aliquando verò circumstantia non aggrauat peccatum, quasi trahens in aliud genus peccati, sed solùm, quia multiplicat rationẽ peccati, sicut si prodigus det, quando nõ debet, & cui non debet, multiplicius peccat eodem genere peccati, quàm si solùm det cui non debet, & ex hoc ipso peccatum sit grauius, sicut etiam ægritudo est grauior, quæ plures partes corporis inficit: tertio modo circumstantia aggrauat peccatum ex eo, quod auget deformitatem prouenientem ex alia circumstãtia, sicut accipere alienum constituit peccatum furti; si autem addatur hæc circumstantia, vt multum accipiat de alieno, erit peccatum grauius, quamuis accipere multum, vel parum de se non dicat rationem boni, vel mali. p. 2. quæst. 73. artic. 7. in corp.

Quæritur an omnis circumſtantia mutans ſpeciem, ſit aggrauans.

15 Reſpondeo dicendum, quòd omnis circumſtantia conſtituens aliquam ſpeciem peccati, neceſſe eſt, quòd aggrauet, quia ſi abſque hac circumſtantia nõ erat peccatum, facit de non peccato peccatum; ſi autem erat peccatum, inducit plures peccati deformitates; ſi autem talis circumſtantia ſit penitus ignorata, tali ignorantia, quæ non habeat culpa, ſpeciẽ peccati non conſtituit formaliter loquendo, ſed materialiter tantùm; ſicut ſi aliquis accedit ad coniugatam, quam non credit coniugatam, committit quidem id, quod eſt adulterium, non quaſi adulter, quia forma talis actus eſt ex ratione, & voluntate; quòd autem ignoratur non eſt voluntarium: vnde ſi accederet ad cõiugatam alterius, quam putaret eſſe ſuã vxorem, eſſet abſque peccato, ſicut cum Lia ſubinducta eſt Iacob loco Rachelis. q.2.de malo, a.6.ad 11.

Quæritur quæ circumſtantia multiplicet peccata.

16 Reſpondeo dicendum, quòd ſi circumſtantia conſtituat ſpeciem, quæ ſe habeat ad peccatum præintellectum, vt ſpecies eius, ſicut adulterium ad fornicationem, non ſunt duo peccata, ſed vnum, ſicut ſortes eſt duo ſubſtantiæ propter hoc quòd homo eſt, & animal, ſed ſi conſtituat ſpeciem diſparatam peccati erit quidem vnum peccatum propter vnam ſubſtantiam actus, ſed multiplex propter multas, & diuerſas deformitates peccati, ſicut pomum eſt vnum quale propter vnitatem ſubiecti, ſed multipliciter quale propter diuerſitatem coloris, & ſaporis. q.2.de malo, a.6.ad 2.) q.23 de veritate, a.7.ad 3.

Quæritur quæ ſit circumſtantia efficacior in aggrauando.

17 Reſpondeo dicendum, quòd circũſtantia efficacior eſt ad aggrauandum, quæ magis appropinquat ad ſpeciem peccati. 4.ſent.d.33.q.1.a.3.quæſt.2.ad 4.

Quæritur an circumſtantia poſſit facere de veniali mortale.

18 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, circumſtantia inquantum huiuſmodi eſt accidens moralis actus, contingit tamen circumſtantiam accipi, vt differentiam ſpecificam actus moralis, & tunc amittit rationem circumſtantiæ, & conſtituit ſpeciem moralis actus; hoc autem contingit in peccatis, quando circumſtantia addit deformitatem alterius generis, ſicut cum aliquis accedit ad non ſuam, eſt actus deformis, deformitate oppoſita caſtitati, ſed ſi accedat ad non ſuam, quæ eſt alterius vxor, additur deformitas oppoſita iuſtitiæ, cõtra quam eſt, vt aliquis vſurpet rem alienam; & ſecũdùm hoc huiuſmodi circumſtantia conſtituit nouam ſpeciem peccati, quæ dicitur adulterium; impoſſibile eſt autem, quòd circumſtantia de peccato veniali faciat mortale, niſi afferat deformitatem alterius generis: peccatum enim veniale habet deformitatem per hoc, quòd importat deordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem; peccatum autẽ mortale habet deformitatem per hoc, ꝙ importat deordinationem reſpectu vltimi finis: vnde manifeſtum eſt, quòd circumſtantia non poteſt de veniali peccato facere mortale manente circumſtantia, ſed ſolùm tunc quãdo transfert in aliam ſpeciem, & fit quodammodo differentia ſpecifica moralis actus. p.2. q.88.art.5.in corp.] q.7.de malo, a.4.in corp.

Quæ-

Quæritur an aliqua circumstantia constituat actum moralem in specie boni, vel mali.

19 Respondeo dicendum, quòd sicut species rerum naturalium constituuntur ex naturalibus formis, ita species moralium actuum constituuntur ex formis, prout sunt à ratione conceptæ, quia verò natura determinata est ad vnum, nec potest esse processus naturæ in infinitum, necesse est peruenire ad aliquam vltimam formam, ex qua sumatur differentia specifica, postquam alia differentia specifica esse non possit, & inde est, quòd in rebus naturalibus, quod est accidens alicui rei non potest accipi vt differentia constituens speciem; sed processus rationis non est determinatus ad aliquod vnum, sed quolibet dato potest vlterius procedere: & ideo quod in actu vno accipitur vt circumstantia superaddita obiecto, quod determinat speciem actus potest iterum accipi à ratione ordinante, vt principalis conditio obiecti determinantis speciem actus: sicut tollere alienum habet speciē ex ratione alieni: ex hoc enim constituitur in specie furti; & si consideretur super hoc ratio loci, vel temporis se habebit in ratione circumstantiæ: sed quia ratio etiā de loco, vel de tempore, & alijs huiusmodi ordinare potest, contingit conditionē loci circa obiectum accipi vt contrariam ordini rationis; puta quòd ratio ordinat iniuriam non esse faciendam loco sacro; vnde tollere aliquid alienum de loco sacro addit specialem repugnantiam ad ordinem rationis: & ideo locus, qui prius considerabatur vt circumstantia, nunc consideratur vt principalis conditio obiecti rationi repugnans; & per hunc modum quandocunque aliqua circumstantia respicit, vel specialem ordinem rationis vel pro, vel contra, oportet, quòd circumstantia det speciem actui morali vel bono, vel malo. p. 2 q. 18. a. 10 in corp.] q. 88. art. 5. in corp.] 4. sent. d. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1.] quæst. 7. de malo, ar. 4. in corp.

Quæritur an peccata diuersificentur specie secundùm diuersas circumstantias.

20 Respondeo dicendum, quòd vbi occurrit aliud motiuum ad peccandum, ibi est alia peccati species, quia motiuum ad peccandum est finis, & obiectum: contingit autem quādoque, quòd in corruptionibus diuersarum circumstantiarum est idem motiuum, sicut illiberalis ab eodē mouetur, quod accipiat, quando nō oportet, & vbi non oportet, & plusquam oportet, & similiter de alijs circumstantijs: hoc enim facit propter inordinatum appetitum pecuniæ congregandæ, & in talibus diuersarum circumstantiarum corruptiones non diuersificant species peccatorum, sed pertinent ad vnam, & eandem peccati speciem; quandoque verò contingit, quòd corruptiones diuersarum circumstantiarum proueniunt à diuersis motiuis, puta quòd aliquis præproperè comedat potest prouenire ex hoc, quòd homo non potest ferre dilationem cibi propter facilem consumptionem humiditatis; quod verò appetat immoderatum cibum potest contingere propter virtutem naturæ potentem ad conuertendum multum cibum; quòd autem aliquis appetat cibos delitiosos contingit propter appetitum delectationis, quæ est in cibo, vnde in talibus diuersarum circumstantiarum corruptiones inducunt diuersas peccati species. p. 2. q. 72. a. 9. in corp.] 2. 2. quæst. 53. a. 2. ad tertium] quæst. 92. a. 2. in corp.] quest. 148. artic. 4. ad primum, secundum, tertium] quæst. 14. de malo, artic. tertio, in corp.

Quæ-

Quaeritur an omnis circumstantia addens ad bonitatem, vel malitiam constituat actum moralem in specie boni, vel mali.

21 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, circumstantia dat speciem boni, vel mali actui morali inquantum respicit specialem ordinem rationis; contingit autem quandoque, quòd circumstantia non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsupposita alia circũstantia, à qua actus moralis habet speciẽ boni, vel mali, sicut tollere aliquid in magna quantitate, vel parua non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsupposita aliqua alia conditione, per quã actus habeat malitiam, vel bonitatem, puta hoc, quòd est esse alienum, quod repugnat rationi; vnde tollere alienum in magna, vel parua quantitate nõ diuersificat speciem peccati, tamen potest aggrauare, vel diminuere peccatum, & similiter est in alijs malis, vel bonis; vnde non omnis circumstantia addens in bonitate, vel malitia variat speciem moralis actus. p. 2.q.18.a.11. in corp.] q.73.a.7.in corp. & ad 2.]q.2.de malo, a.7.in corp.] 4.sent.d. 16.q.3 a.2. quæst.3.in corp.

Quaeritur an actus peccati mortalis possit fieri virtuosus propter aliquam circumstantiam.

22 Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet aliquem actum, qui in se esset peccatum mortale aliqua circumstantia addita fieri virtuosum: occidere enim hominem absolutè peccatum mortale est, sed ministro iudicis occidere hominem propter iustitiam ex præcepto iudicis nõ est peccatum, sed actus iustitiæ; & occidere filium innocentem de se potest esse peccatum mortale, tamen si hoc fiat ex præcepto Dei propter finem, quem Deus præuidit & ordinauit, licèt etiam sit homini ignotus, non est peccatum, sed meritum. q 3.de potentia, a.6.ad 4.] 4.sent.d. 1.q.2.a.5.quæst.3.ad 3.

Quaeritur quas circumstantias teneatur homo confiteri.

23 Respondeo dicendum, quòd homo tenetur omnino confiteri circumstantias trahentes in alterum genus: non enim homo confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quæ cognosci non potest, nisi per circumstantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum specificatur: circumstantias verò non aggrauantes, quæ in aliud genus peccati nõ trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut nec peccata venialia, licèt sit laudabile, quòd homo ea confiteatur: eadem enim ratio videtur esse de huiusmodi circumstãtijs, & de venialibus peccatis: circumstantiæ autem dicuntur in aliud genus trahere, quæ specialem repugnantiam important ad aliquod præceptorum Diuinę Legis, sicut furtũ simplex repugnat huic præcepto, non furtum facies; si autem furtum in loco sacro committatur habet iã repugnãtiam ad aliud præceptum, quod est de veneratione Sacrorum, & sic additur noua species peccati: vnde consequẽs est, quòd addat aliam repugnantiam ad Legem Dei: ideo & nouam deformitatẽ peccati mortalis habebit, quod ex necessitate confiteri tenebitur; sic igitur huiusmodi circumstantias aggrauantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quòd aliquis teneatur confiteri: De expressione autem personæ, cum qua aliquis peccauit, videtur mihi, quòd non sit in confessione facienda, quando potest vitari, primò quidem quia prodere crimen alterius, & lædere famam est peccatum, quod maximè vitandum est in confessione, per quam quis quærit præterita peccata delere: secundò, quia à Domino Matth. 18. est forma denunciandi peccatum proximi descripta, contra quã agere non

non licet: tertio quia in confessione est credendum peccatori confitenti, & pro se,& contra se,sed contra aliũm nullo modo est ei credendum, alioquin daretur multis occasio fictæ confessionis, & fraudulentæ infamationis: & ideo si potest speciem peccati confiteri non innotescẽdo personam, cum qua peccauit, peccat eam exprimendo, nisi fortè saluato correctionis ordine, quem Dominus statuit; si verò speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccauit, puta si cum sorore concubuit, necesse est, vt exprimendo peccati speciem, exprimat personam; sed si fieri potest,debet quærere talem confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat:quod autem dixi circumstantias aggrauantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati non esse de necessitate confitendas,non est referendum ad numerum, quem aliquis confiteri tenetur, si potest, quia iam non est vnum peccatum, sed multa. opusculo 12.q.6.] 4.sent.d.16.q.3. a.2.q.5.in corp.] d.41. a.4.q.1.in corp.

CIVITAS.

1 *Quid sit ciuitas.*
2 *Serui non sunt pars ciuitatis.*
3 *Mulieres non sunt ciues*
4 *Ad vnam ciuitatem quattuor requiruntur, & quæ.*
5 *Vt bonum ciuitatis benè se habeat ciues debent esse virtuosi.*
Ciues intantum sunt virtuosi, inquantum obediunt Principum mandatis.
6 *Virtuosi ciuis est se exponere periculo mortis pro conseruatione Reipublicæ.*
7 *Expulsi iustè à ciuitate non possunt repetere amissa.*
Expulsi iniustè possunt repetere amissa.
Si habent superiorem petant per illum, vt sibi restituantur.
Si non habent, ipsi possunt recuperare.
8 *Communitas ciuium vnde consistat.*

F.Francisci Ghetij.

Quæritur quid sit ciuitas.

1 Respondeo dicendum, quòd ciuitas,vt August.dicit in 1.de Ciuit. Dei, est hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata, quæ vera virtute beata redditur. opusc.20.lib.4.c.23.

Quæritur an serui sint partes ciuitatis.

2 Respondeo dicendum, quòd serui nõ sunt pars populi, vel ciuitatis, cui legem dari competit, vt Phylosophus dicit in 3. Polit.p.2.q.98.a.6.ad 2.

Quæritur an mulieres sint computandæ inter ciues.

3 Respondeo dicendum,quòd mulieribus non competit simpliciter esse ciues. p.2.q.105.a.3.ad primum.

Quæritur quæ requirantur ad hoc, quòd sit vna ciuitas.

4 Respondeo dicendum, quòd in qualibet ciuitate ad hoc,quòd sit vna, quattuor debent esse communia, scilicet vnus gubernator, vna lex, eadem insignia, & idem finis.lect.2.cap 4 ad Ephesios.

Quæritur quid requiratur ad hoc, quòd bonum ciuitatis benè se babeat.

5 Respondeo dicendum, quòd bonitas cuiuslibet partis consideratur in proportione ad suum totum; vnde & August.dicit in 3. Confess. ꝙ turpis est omnis pars, quæ suo toti non congruit, cum igitur quilibet homo sit pars ciuitatis, impossibile est, quòd aliquis homo sit bonus, nisi sit benè proportionatus bono communi, nec totũ potest benè existere, nisi ex partibus sibi proportionatis:vnde impossibile est, ꝙ bonũ cõe ciuitatis benè se hẽat, nisi ciues sint virtuosi,ad minus illi,quib⁹

conuenit principari: sufficit autem quantum ad bonum communitatis, quòd alij intantum sint virtuosi, quòd Principum mandatis obediant: & ideo Phylosophus dicit in 3. Politicorum, quòd eadem est virtus Principis, & boni viri; non autem eadem est virtus cuiuscunque ciuis, & boni viri. p. 2. q. 92. a. 1. ad 3.

Quaeritur quae sit proprietas virtuosi ciuis.

6 Respondeo dicendum, quòd est virtuosi ciuis, vt se exponat mortis periculo pro totius Reipublicę conseruatione. p. p. quaest. 60. art. 5. in corp.] 2. 2. quaest. 26. a 3. in corp.

Quaeritur an expulsi à Ciuitate propter partes possint exigere bona sua ab illis, qui sunt in Ciuitate manentes.

7 Respondeo dicendum, quòd aut sunt expulsi iustè, scilicet propter eorum culpam, & sic non possunt repetere amissa; aut iniustè, idest sine culpa, & sine debito ordine iustitiae, & sic possunt repetere; si autem habent superiorem, debent per superiorem petere sibi restitui; si autem non habent superiorem, ipsimet possunt recuperare. Quodlibeto 12. artic. 23. in corp.

Quaeritur vnde consistat communitas ciuium.

8 Respondeo dicendum, quòd communitas ciuium consistit in communi beneuolentia ciuium, & non in communitate diuitiarum, vxorum, & filiorum contra Socratem, & Platonem. opusculo 20. lib. 4. cap. 4. 7. 9.

CLAVIS.

De Clauibus. Cap. I.

1 *Ad iudiciariam potestatem duo requiruntur, scilicet clauis scientiae, & clauis potestatis.*
Claues istae non solùm Petro sunt datae, sed etiam successoribus.
Claues habent efficaciam à passione Christi.
Non potest esse salus peccatoribus, nisi se subyciant actu, vel in voto clauibus Ecclesiae.
2 *Quid sit clauis inferni.*
Clauis inferni reseruatur Deo.
Clauis regni, quae sit.
Clauis regni datur homini.
Secundùm aliquos eadem est clauis inferni, & regni.
3 *Clauis cum ordine datur.*
Antequam quis iurisdictionem habeat habet claues, sed non vsum clauium.
4 *Quae sit clauis scientiae secundùm aliquos.*
Quae sit clauis scientiae secũdùm veritatem.
Auctoritas iudicandi sine scientia non potest accipi sine peccato.
5 *Claues à quibus habeant efficaciam.*

Quaeritur quot, & quae sint claues Ecclesiae.

1 RESpondeo dicendum, ꝙ ad iudiciariam potestatem duo requirũtur, s. auctoritas cognoscendi de culpa, & potestas absoluendi, vel condemnandi, & haec duo dicuntur duae claues Ecclesiae. s. scientia discernendi, & potentia ligandi, & soluendi, quas Dominus Petro cõmisit iuxta illud Matthaei 16. Tibi dabo claues regni celorum; non aũt sic intelligitur Petro commisisse, vt ipse solus haberet, sed vt per eum deriuarentur ad alios, aliàs non esset sufficienter fidelium saluti prouisum; huiõi autẽ claues à Passione Christi efficaciam habent, per q̃ scilicet Christus nobis aperuit ianuam regni cęlestis: ideo sicut sine Baptismo, in quo operatur

Passio

Passio Christi non potest esse salus hominibus, & realiter suscepto, vel secundùm propositum desiderato, qñ necessitas, non contemptus sacramentum excludit, ita peccantibus post Baptismũ salus esse non potest, nisi clauibus Ecclesiæ se subijciãt, vel actu cõfitendo, & iudicium ministrorum Ecclesiæ subeundo, vel saltem huius rei propositum habendo, vt impleatur tēpore opportuno: quia vt dicit Petrus Act. 4. non est aliud nomē datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi. 4. contra gent c.72.] 4.sent.d.18.q.1.a.1.quæst. 1.in corp] quæst. 3. in corp.

Quæritur quæ sit clauis inferni, & regni.

2 Respondeo dicendum, ꝙ clauis inferni, qua aperitur, & clauditur, est potestas gratiam conferendi, per q̃ homini aperitur infernus, vt de peccato educatur, qđ est inferni porta, & clauditur ne homo vltra in peccatum labatur gratia sustentatus: gratiam autem conferre solius Dei est: & ideo clauem inferni sibi soli retinuit: sed clauis regni est potestas ēt dimittendi reatum pęnæ, per quem homo à regno prohibetur: & ideo magis potest dari homini clauis regni, quàm clauis inferni: non.n. idem sunt; aliquis enim ex inferno educitur per remissionem ęternæ pęnæ, qui non in instanti in regnum introducitur propter reatum temporalis pęnæ, quę manet. Vel dicendum, vt quidam dicunt, ꝙ idē est clauis inferni, & cęli, qa ex hoc ipso, quòd alicui aperitur vnum, clauditur alterum; sed denominatur à digniori. 2.sent. d.18. q.1. a.1. quæst.1. ad 3.

Quæritur quando clauis detur.

3 Respondeo dicendum, ꝙ omnis potestas spiritualis datur cum aliqua consecratione: & ideo clauis cum ordine datur, sed executio clauis indiget materia debita, quæ est plebs subiecta per iurisdictionem: & ideo antequam iurisdictionē habeat habet claues, sed non habet actũ clauiũ. 4.sent. d.18.q.1.a.1.quæst.2. ad 2.

Quæritur quæ sit clauis Ecclesiæ.

4 Respondeo dicendum, quòd circa clauem scientiæ duplex fuit opinio: quidam .n. dixerunt, quòd scientia secundùm ꝙ est habitus acquisitus, vel infusus dř hæc clauis, & quòd non est principalis clauis, sed in ordine ad aliam clauem clauis dř: & ideo quando est sine alia claui clauis non dicitur; sicut in viro litterato, qui nō est Sacerdos; & similiter etiam quandoque hac claui aliqui Sacerdotes carent, quia non habent scientiam neque acquisitam, neque infusam qua absoluere, & ligare possint, sed quandoque industria naturali ad hoc vtuntur, quæ secundũ alios clauiola dicitur, & sic clauis scientiæ, quamuis cum ordine non tradatur, traditur tamen cum ordine, quòd sit clauis, ꝙ prius non erat, & hæc videtur opinio Magistri fuisse: sed hæc non videtur verbis Euangelij concordare, quæ claues Petro dandas promittunt, & ita non solùm vna, sed duæ in ordine dantur: & propter hoc alia opinio est, quòd scientia, quæ est habitus, non est clauis, sed auctoritas actum scientiæ exercendi, quæ quandoque sine scientia est, quandoque autem scientia sine ipsa, sicut patet etiam in iudicijs sæcularibus, aliquis enim est iudex, qui auctoritatem iudicandi habet, qui non habet iuris scientiam, & aliquis econuerso habet scientiam iuris, qui non habet auctoritatem iudicandi, & quia actus iudicij, ad quos quis ex auctoritate suscepta obligatur, non autem ex scientia habita, sine vtroq. benè fieri non pōt: ideo auctoritas iudicandi, quæ clauis est sine scientia non pōt sine peccato accipi, sed scientia sine auctoritate sine peccato haberi potest. 4.sent. d.18. q.1.a.1.quæst.3 ad 2.

Quæritur vnde claues habeant efficaciam.

5 Respondeo dicendum, quòd meritũ Ecclesiæ est sub dispensatione clauium: & ideo tàm ex merito Christi, quàm aliorum, qui sunt de Ecclesia, Ecclesiæ claues efficaciam habent. 4. sent. d. 18. in expositione litteræ] 4. contra gentes cap. 72.] lec. 4. super cap. 11. ad Romanos.

In quibus reperiri possint Claues Ecclesiæ. Cap. II.

1 *Sanctissima Trinitas habet clauem per auctoritatem.*
Christus habet claues excellentiæ.
Claues Ecclesiæ sunt in Sacerdotibus.
2 *Sacerdotes veteris legis non habebãt claues.*
3 *Capitulum habet clauem iurisdictionis, non autem ordinis.*
4 *Schismatici, hæretici, suspensi, excommunicati habent claues quo ad essentiam, sed vsus impeditur illis.*
5 *Sacerdos existens in peccato mortali habet vsum clauium.*
6 *Clauis ordinis reperitur in Sacerdotibus solùm.*
Clauis iurisdictionis in foro causarum reperitur etiam in non Sacerdotibus.
Ista clauis non est propriè clauis cœli.

Quæritur quomodo claues reperiantur diuersimodè in diuersis.

1 RESpondeo dicendum, quòd in corporalibus dicitur clauis instrumentum, quo ostium aperitur; Regni autem ostium nobis clauditur per peccatũ, & quantum ad maculam, & quantum ad reatum pœnæ: & ideo potestas, qua tale obstaculum regni remouetur, dicitur clauis; hæc autem potestas est quidem in Sanctissima Trinitate per auctoritatem: & ideo dicitur à quibusdam, quòd habet clauem auctoritatis, sed in Christo homine fuit hæc potestas ad remouendum prædictum obstaculum per meritum Passionis, quæ etiam dicitur ianuam aperire: & ideo dicitur habere secundùm quosdam claues excellentiæ, sed quia ex latere dormientis in Cruce sacramenta fluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur; ideo in sacramentis Ecclesiæ efficacia Passionis manet; & propter hoc etiam in ministris Ecclesiæ, qui sunt dispensatores sacramentorum potestas aliqua manet ad prædictum obstaculum remouendum non propria virtute, sed virtute Diuina, & Passionis Christi, & hæc potestas metaphoricè clauis Ecclesiæ dicitur, quæ est clauis Ecclesiæ ministerij. 4. sent. d. 18. q. 1. a. 1. quæst. 1. in corp.

Quæritur an claues essent in Sacerdotibus antiquæ legis.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quòd in veteri lege erant claues apud Sacerdotes, quia eis erat commissum imponere pœnam pro delicto, vt dicitur Leuitici 5. quòd ad claues pertinere videtur, sed fuerunt tunc incompletæ; nunc autem per Christum in Sacerdotibus nouæ legis perfectę sunt, sed hoc videtur esse contra intentionem Apostoli in Epistola ad Hebræos nono; ibi enim sacerdotium Christi præfertur sacerdotio legali per hoc, quòd Christus assistit Pontifex futurorum bonorum ad tabernaculum cœleste introducens per proprium sanguinem non manufactum, in quod introducebat sacerdotium veteris legis per sanguinem hircorum, & taurorum: vnde patet, quòd potestas illius sacerdotij non se extendebat ad cœlestia, sed ad figuras cœlestium: & ideo secundùm alios dicendum, quòd non habebant claues, sed in eis figura clauium præcessit. 4. sent. d. 19. q. 1. a. 1. quæst. 1. in corp.

Quæ-

Quæritur an Capitulum possit habere Clauem.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut in politicis quandoque Iudex habet potestatem totam, sicut Rex in Regno; quandoque autem multi in diuersis officijs cõstituti, vel etiam ex æquo, vt patet in 8. Eth. ita etiam spiritualis iurisdictio potest haberi ab vno solo, sicut ab Episcopo, & à pluribus simul, sicut à Capitulo, & sic habent clauem iurisdictionis, non tamen clauem ordinis omnes simul. 4. sent d. 19. q. 1. a. 1. quæst. 3. in corp.

Quæritur an mulier possit habere clauem aliquam.

Respondeo sicut verbo, Abbatissa.

Quæritur an Hæretici, Schismatici, excommunicati & c. habeant vsum clauium.

4 Respondeo dicendum, quòd in schismaticis, & hæreticis, excommunicatis, & suspensis, & degradatis manet clauium potestas quantum ad essentiam, sed vsus impeditur ex defectu materiæ: cum enim vsus clauium Prælationem in vtente requirat respectu eius, in quem vtitur, propria materia, in quam exercetur vsus clauium est homo subditus, & quia per ordinationem Ecclesiæ vnus subditur alteri: ideo etiam per Ecclesiæ Prælatos potest subtrahi alicui ille, qui erat ei subditus; vnde cum Ecclesia hæreticos, & schismaticos, & alios huiusmodi priuet subtrahendo subditos, vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc, quòd priuati sunt, non possunt vsum clauium habere, 4. sent. d. 19. q. 1. art. 2. quæst. 3. in corp.

Quæritur an Sacerdos malus habeat vsum clauium.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut participatio formæ, quæ est inducenda in effectu non facit instrumẽtum, ita nec subtractio talis formæ tollit vsum instrumenti: & ideo cum homo sit tantùm instrumẽtaliter egens in vsu clauium, quantumcũque per peccatum sit gratia priuatus, per quam fit remissio peccatorum, nullo tamen modo priuatur vsu clauium. 4. sent. d. 19. q. 1. a. 2. quæst. 2. in corp.

Quæritur quisnam possit habere has claues.

6 Respondeo dicendum, quòd clauis est duplex, vna quæ se extendit ad ipsum cœlum immediatè remouendo impedimenta introitus in cœlum per dimissionem peccati, & hæc vocatur clauis ordinis, & hanc soli Sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his, quæ directè sunt ad Deum; alia clauis est, quæ non directè se extendit ad ipsum cœlum, sed mediante militante Ecclesia, per quã aliquis ad cœlum vadit, dum per eam aliquis excluditur, vel admittitur ad consortium Ecclesiæ militantis per excommunicationem, & absolutionem, & hęc vocatur clauis iurisdictionis in foro causarũ: & ideo hanc etiam non Sacerdotes habere possunt, sicut Archidiaconi, & Clerici, & alij, qui excommunicare possunt, sed non propriè dicitur clauis cœli, sed quædam dispositio ad ipsam. 4. sent. d. 19 q. 1. a. 1. quæst. 3. in corp.] d. 20. a. 4. quæst 2 in corp.] d. 18. q. 2. a. 2. quæst. 1. ad 1.] quæst. 2. ad primum.

In quos possit esse vsus Clauium. Cap. III.

1 *Prælatus habens supremam potestatem potest vti clauibus in omnes.*
Prælati inferiores habent vsum clauium tantùm in eos, qui sibi in sortem venerunt.
In necessitatis articulo habent vsum clauiũ in omnes.

Inferior potest vti clauibus in superiorem.
Nullus potest vti clauibus in seipsum.

Quaeritur in quos à diuersis possit vsus clauium exerceri.

1 RESpondeo dicēdum, quòd ea, quæ circa singularia operari oportet non eodem modo omnibus competunt; vnde sicut post generalia medicinæ præcepta oportet adhiberi medicos, à quibus præcepta vniuersalia medicinæ singulis infirmis secundùm quòd debent, aptentur, ita in quolibet principatu præter illum, qui vniuersaliter præcepta legis tradit, oportet esse aliquos, qui ea singulis, secundùm quòd debent, adaptent; & propter hoc etiam in Cœlesti Hierarchia sub Potestatibus, qui indistinctè præsunt, ponuntur Principatus, qui singulis Prouincijs distribuuntur, & sub his Angeli, qui singulis hominibus in custodiam deputantur: vnde & ita debet esse in Prælatione Ecclesiæ militantis, vt apud aliquem esset Prælatio indistinctè in omnes, & sub hoc essent alij, qui super diuersas distinctam potestatem acciperent, & quia vsus clauium requirit aliquam Prælationis potestatem, per quam ille, in quem vsus clauium communicatur, efficitur materia propria illius actus: ideo ille, qui habet indistinctam potestatem super omnes potest vti clauibus in quemlibet; illi autem, qui sub eodem distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet possunt in clauibus, sed in eos tantùm, qui eis in sortem venerunt, nisi in necessitatis articulo, vbi nemini sacramenta sunt deneganda. 4. sent. d. 19. q. 1. a. 3. quæst. 1. in corp.] d. 24. q. 3. a. 2. quæst. 1. in corp.] 4. contra gentes, cap. 72.

Quaeritur an inferior possit vti clauibus in superiorem.

2 Respondeo dicendum, quòd potestas clauium quantum est de se extendit se ad omnes, sed quod in aliquem Sacerdos non possit potestate clauium vti contingit ex hoc, quòd eius potestas est ad aliquos specialiter limitata: vnde ille, qui limitauit, potest extendere in quem voluerit, & propter hoc etiam potest sibi dare potestatem in seipsum, quamuis ipse in seipsum vti clauium potestate non possit, quia potestas clauium requirit pro materia aliquod subiectum, & ita alium, sibi ipsi enim aliquis subiectus esse non potest. 4. sent. d. 19. q. 1. art. 3. quæst. 3. in corp.

De effectu Clauium. Cap. IV.

1 *Claues Ecclesiæ efficaciam habent in aliquo antequam se subijciat illis, si tamen propositum habeat se illis subijciendi.*
Dum actualiter aliquis se illis subijcit pleniorem gratiam, & remissionem consequitur.
Per vsum clauium remittitur pœna aliqua.
2 *Sacerdos non potest taxare quantum per clauem ordinis dimittatur de pœna, sed solus Deus.*
Effectus clauis iurisdictionis subiacet arbitrio hominis.
Legati etiam non Sacerdotes possunt concedere Indulgentias.
Ad eos spectat taxare quantum de pœna dimittatur.
Faciens indulgentias non ordinatè peccat.
Consequitur tamen quis plenam indulgentiam.
3 *Prælati Ecclesiæ non possunt dispensare, vt quis remissionem peccatorum sine confessione, & absolutione consequatur.*

Quaeritur qui sit effectus Clauium.

1 RESpondeo dicendum, quòd sicut Baptismus efficaciam aliquā habet ad remissionem peccati etiam antequam actu suscipiatur, dum est in proposito ipsum suscipiendi, licèt postmodum

plenio-

pleniorem effectum conferat in adeptione gratiæ,& in remissione culpę,cum actu suscipitur, & quandoque in ipsa susceptione Baptismi confertur gratia, & remittitur culpa ei, cui prius remissa non fuit; sic & claues Ecclesiæ efficaciam habent in aliquo antequam eis se actu subijciat,si tamen habeat propositum,vt se eis subijciat, pleniorem tamen gratiam, & remissionem consequitur, dum se eis actu subijcit confitendo,& absolutionem percipiendo, & nihil prohibet quin aliquando virtute clauium alicui confesso in ipsa absolutione gratia conferatur, per quam ei culpa dimittitur, quia igitur etiam in ipsa confessione, & absolutione plenior effectus gratiæ, & remissionis confertur ei, qui prius propter bonũ propositum vtrunque obtinuit: manifestum est, quòd virtute clauium minister Ecclesiæ absoluendo aliquid de pena temporali dimittit, cuius debitor remansit pœnitens post contritionem; ad residuũ verò sua iniunctione obligat pœnitentē, cuius quidem obligationis impletio satisfactio dicitur, quæ est tertia pœnitentiæ pars, per quam homo totaliter à reatu pœnæ liberatur, dum pœnam exoluit, quam debuit, & vlterius debilitas naturalis boni curatur,dum homo à malis abstinet,& bonis assuescit, Deo spiritum subijciendo per orationem, carnem verò domando per ieiunium, vt sit subiecta spiritui, & rebus exterioribus per eleemosynarum elargitionem proximos sibi adiungendo, à quibus fuit separatus per culpam. 4. contra gentes cap.72.] 4.sent. d 22.q.2.a.1. quæst.3,ad 1.] d.18.q.1.a.3. per totum.

Quæritur cuius clauis effectus subiaceat arbitrio hominis.

2 Respondeo dicendum, quòd clauis ordinis sacramentale quoddam est, & quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed à Deo: ideo non potest taxare Sacerdos quantum per clauem ordinis in foro confessionis de pœna debita dimittat, sed tantùm dimittitur,quantum Deus ordinauit,sed clauis iurisdictionis non est quid sacramentale, & effectus eius arbitrio hominis subiacet; & huius clauis effectus est remissio, quæ est per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesię:& ideo etiã Legati non Sacerdotes indulgentias concedere possunt: vnde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare quantum per indulgentiam de pœna remittatur, si tamē ordinatè remittat,ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ reuocentur, peccat faciens tales indulgentias, nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur. 4.sent. d.20. q.1.art.3. quæst 2.ad 1.] Quodlib. 2.a.16.ad 2.

Quæritur an Prælati Ecclesiæ possint facere, quòd aliquis consequatur remissionem sine confessione.

3 Respondeo dicendum, quòd non hoc possunt Prælati Ecclesiæ, vt claues frustentur Ecclesiæ, in quibus tota eorum potestas consistit, neque vt sine sacramento à Passione Christi virtutem habente aliquis remissionem peccatorum consequatur:hoc enim est solius Christi, qui est sacramentorum institutor, & auctor; sicut igitur dispensari non potest per Prælatos Ecclesiæ, vt aliquis sine Baptismo saluetur,ita nec quòd aliquis remissionem sine confessione, & absolutione consequatur. 4.contra gentes cap.72.

CLEMENTIA.

1 *Ad clementiam quid pertineat.*
2 *Clementia, & mansuetudo in quo conueniant,& in quo differant.*

3 *Per quid clementia, & mansuetudo reddat homines gratos Deo, & hominibus.*
4 *Quæ respiciant clementia, & mansuetudo.*
5 *Quomodo cõparetur clemẽtia ad seueritatẽ.*

Quæritur quid pertineat ad clementiam.

1 RESpondeo dicendum, quòd ficut diminutio pęnarum, quæ est secundùm rationem pertinet ad Epicheiã, ita & ipsa dulcedo affectus, ex qua homo ad hoc inclinatur pertinet ad clementiã. 2.2 q.159.a.1.ad 1.

Quæritur in quo conueniant, & in quo differant clementia, & mansuetudo.

2 Respondeo dicendum, quòd ex passione iræ prouocatur aliquis ad hoc, qđ grauiorem inferat pęnam; ad clementiã autem pertinet directè, quòd sit diminutiua pœnarum; quod quidem impediri posset per excessum iræ: & ideo mansuetudo inquantum refrenat impetum iræ cõuenit in eundem effectum cum clemẽtia: differunt tñ ab inuicem, inquantum clementia est moderatiua exterioris punitionis; mansuetudo autem propriè diminuit passionem iræ. 2.2.q.157.a.1.in corp.

Quæritur per quid clementia reddat homines Deo, & hominibus acceptos.

3 Respondeo dicendum, quòd mansuetudo, & clementia reddunt hominẽ Deo, & hominibus acceptum secundùm quòd conueniunt in eundem effectum cũ Charitate, quæ est maxima Virtutum, scilicet in subtrahendo mala proximorum. 2.2. q.157.a.4.ad 2.

Quæritur quæ respiciat clementia, & mansuetudo.

4 Respondeo dicendum, quòd clementia est lenitas superioris aduersus inferiorem; mansuetudo autem non solùm est superioris ad inferiorem, sed cuiuslibet ad quemlibet. 2.2.q.157.a.1.in argumento, sed contra.

Quæritur quomodo comparetur clementia ad seueritatem.

5 Respondeo dicendum, quòd clementia comparatur ad seueritatem, sicut Epijcia ad iustitiam legalem, cuius pars est seueritas quantum ad inflictionem pęnarum secundùm legem, differt tamen clementia ab epijcia. 2.2.q.157.a.2.ad 2.

CLERICVS.

1 *Clericus fit tonsura.*
2 *Tonsura debet esse rotunda, non quadrata, nec fenestrata.*
Si aliter fiat, non conceditur eis ministrare Altari.
3 *Clericus per coronam non renunciat patrimonio.*
4 *Clericus exercẽs in peccato mortali aliquod sacrum officium peccat mortaliter.*
5 *Ceteris paribus grauius peccat clericus in sacris existens, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam religiosus non existens in sacris.*
6 *Clerici non possunt compelli ad testificandum in causa sanguinis.*
7 *Non decet Monachos, & Presbyteros aduocati officio fungi.*
Non decet clericos aduocatos esse in iudicio sæculari.
8 *Negotiatio prohibetur Clericis.*
9 *Pertinet ad clericos benedicere mensam, & post illam Deo gratias agere.*
10 *Clericus non potest conueniri, nisi in foro Ecclesiæ.*
Percutiens clericum est excommunicatus.
A qua non potest absolui, nisi in articulo mortis, vel authoritate Papæ.
11 *Septem casus, in quibus percutiens clericũ non incurrit excommunicationem.*

Clericus

12 *Clericus pōt vti patrimonio ad libitū suum.*
Peccat si inutiliter consumit suum patrimonium, vel si non consumit in ea, in quę oportet.
Clerici non sunt bonorum Ecclesiasticorum domini, sed dispensatores.
Dispensator debet fideliter distribuere, quæ sibi committuntur.
Dupliciter peccat clericus circa talia bona.
Non peccat mortaliter clericus retinens sibi de bonis Ecclesiasticis aliquid secundùm conditionem status, & personæ, etiā si plus retineat, quàm oportet.
Nec alijs largiens, quod bona fide videtur expediens.
Non licet tamen in hoc multùm excedere.
Qui non conseruat bonam fidem in dispensando peccat mortaliter.
13 *Non sēper peccat mortaliter, si nō dat pauperibus, sed si non det in casu necessitatis.*
Quando sit iste casus necessitatis committitur prudentiæ, & fidei dispensatoris.
14 *Dare omnia sua pauperibus cadit sub præcepto secundùm animi præparationem.*
Minor necessitas requiritur ad superflua eroganda.
15 *Bona Ecclesiæ debent diuidi in tres partes, & quas.*
16 *Contingit peccatum non solùm in abusu bonorum hospitalium, & huiusmodi, sed etiam ex ipsa rerum conditione.*
Circa bona præbendarum clericus non potest peccare, nisi per abusum illorum.
17 *Peccat mortaliter clericus expendendo superfluè in conuiuijs.*
Licet clericis facere conuiuia secundùm decentiam sui status.
18 *Pecunia Ecclesiastica in duo tantùm est expendenda, & in qua.*
19 *Episcopus tenetur prouidere clericis pauperibus ordinatis à se.*
Alias non tenetur.
Isti clerici tenentur ministrare Ecclesiæ.
20 *Prædicandum est clericis sedendo, & turbis stando.*
21 *Clericus ordinatus per saltum abstineat ab exercitio ordinis vsque ad tempus debitū.*
22 *Clericus debet ordinari à suo Episcopo.*
23 *Clerici vsurarij sunt suspendendi ab officijs eorum.*
24 *Propter obsequium honestū pōt Episcopus cōferre beneficiū clerico, respiciēdo tamē principaliter non obsequium, sed dignitatem personæ.*
Non licet conferre beneficium clerico propter obsequium inhonestum.

Quæritur per quid fiat clericus.

1 Respondeo dicendum, ꝙ tonsura efficitur clericus, vt extra de ætate, & qualitate ordinan. præd. opusc. 65. c. 9.

Quæritur cuius figuræ debeat esse tonsura?

2 Respondeo dicendum, quòd clericus debet deferre tonsuram rotundā, nō quadratam, vel fenestratam desuper caput ad modum sphæræ, alias debet puniri, vt 23. dist. Prohibete; aliter non conceditur ei ministrare ad altare, nisi cum tonsura, & veste congrua, ne faciat inde scandalum alijs. 23. dist. Presbyteros. opusculo 65. cap. 9.

Quæritur an clerici per coronam renuncient patrimonio.

3 Respondeo dicendum, quòd clerici in hoc, ꝙ coronam accipiunt, non renunciant patrimonio, neque alijs rebus temporalibus, quia terrenorum possessio non contrariatur Diuino cultui, ad quē clerici deputantur, sed nimia eorum sollicitudo, quia, vt dicit Gregorius, affectus in crimine est. 4. sent. d. 25. q. 3. art. 1. quæst. 3. in corp.

Quæritur an clericus exercens suum officium in peccato mortali peccet mortaliter.

4 Respondeo dicendum, quòd lex præcipit, vt homo iustè ea, quę sunt iusta exequatur:

quatur: & ideo quicunque homo, quod sibi competit ex ordine facit indignè, q iustum est, iniustè exequitur, & contra pręceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat; quicunque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat, vnde patet, quòd mortaliter peccat. 4. sent. d. 24. a. 3. quæst. 5. in corp.

Quæritur an grauius peccet clericus in sacris existens, quàm religiosus non in sacris existens.

5 Respondeo dicendum, quòd grauius peccat cæteris paribus clericus in sacris ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quàm aliquis religiosus, qui non habet ordinem sacrum, quamuis laicus religiosus teneatur ad obseruantias regulares, ad quas illi, qui sunt in sacris ordinibus non tenentur. 2. 2. q. 184. a. 4. in corp.] 4. sent. d. 14. q. 1. a. 5. quæst. 3. ad 2.

Quæritur an clerici possint compelli ad ferendum testimonium in causa sanguinis.

6 Respondeo dicendum, quòd operari, & cooperari ad occisionem hominis non competit ministris Altaris: & ideo secundùm Iuris ordinem compelli non possunt ad ferendum testimonium in causa sanguinis. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 3.

Quæritur an deceat clericos aduocati officio fungi.

7 Respondeo dicendum, quòd decentia officij aduocati exercendi tollitur ex hoc, quòd aliquis est rebus maioribus obligatus: vnde Monachos, & Presbyteros non decet in quacunque causa aduocatos esse, neque clericos in iudicio sæculari, quia huiusmodi personæ sunt rebus Diuinis astrictæ. 2. 2. q. 71. a. 2. in corp.

Quæritur an liceat clericis negotiationi insistere.

8 Respondeo dicendum, quòd clerici non solùm habent abstinere ab his, quæ sunt secundùm se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali, quod quidem in negotiatione contingit tum propter hoc, quòd est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores, tum etiam propter frequentia negotiorum vitia, quia difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum, vt dicitur Eccles. 26. est & alia causa, quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis, & per consequens à spiritualibus retrahit: vnde Apostolus dicit 2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus; licet tamen clericis vti prima commutationis specie, quæ ordinatur ad necessitatem vitæ emēdo, vel vendendo. 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3.] 4. sent. d. 16. q. 4. a. 2. quæst. 3. in corp.] 2. 2. q. 40. a. 2. in corp.] q. 187. a. 2. in corp.

Quæritur an pertineat ad clericos benedicere mensam, & gratias agere.

9 Respondeo dicendum, quòd clerici etiam debent benedicere mensam quandocunque comedunt, & cibo sumpto gratias referre Deo. vt 43. distinct. nō liceat. opusculo 65. cap. 9.

Quæritur quod priuilegium habeat clericus.

10 Respondeo dicendum, quòd quilibet ordinum habet priuilegium fori sui, & enormitatis: vnde non potest conueniri, nisi in foro Ecclesiæ, & quicunque percutit aliquem clericum eo ipso incidit in excommunicationem, à qua non potest absolui, nisi in articulo mortis, vel auctoritate Papæ. vt 17. q. 4. si quis suadente. opusculo 65. cap. 9.

Quæ-

Quaritur in quot, & quibus casibus percutiēs clericum non est excommunicatus.

11 Respondeo dicendum, quòd sunt casus septem, in quibus percutiēs clericum excommunicationem non incurrit; primus si causa disciplinæ, vt magister, vel Prælatus percusserit; secundus si iocosa leuitate; tertius si inuenerit eum turpiter agentem cum vxore, vel matre, vel sorore, vel filia; quartus si statim vim repellat; quintus si ignorat eum esse clericum; sextus si inueniat eum in apostasia post trinam admonitionem; septimus si transfert se clericus ad actum penitus contrarium, vt fiat miles, vel ad bigamiam transeat. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. prima, in corp.

Quaritur an Clerici peccent mortaliter, si ea, quæ eis superfluunt in eleemosynas non elargiantur.

12 Respondeo dicendum, quòd aliter videtur se habere circa bona patrimonialia, & circa bona Ecclesiastica; nam bonorum patrimonialium, vel licitè acquisitorum verè est dominus: vnde quantum pertinet ad conditionem ipsius rei potest re sua vti, vt vult, & ex hac parte non accedit peccatum, potest tamen peccatum accidere ex inordinato modo vtendi, vel per superabundantiam, dum scilicet inutiliter consumit bona propria in ea, in quæ non oportet, vel secūdùm defectum, inquantum scilicet non erogat ea, in quæ oportet: vtroque enim modo corrumpitur virtus, vt dicitur in 2. Eth. Bonorum verò Ecclesiasticorum clerici non sunt verè domini, sed dispensatores secundū illud 1. ad Corinth. 7. Dispensatio autem mihi credita est; pertinet autem ad dispēsatorem, vt fideliter distribuat ea, quæ eius dispensationi committuntur secundùm illud 1. ad Corinth. 4. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: in his ergo potest dupliciter peccatum contingere, vno modo ex conditione ipsius rei, dum scilicet vsurpat sibi quasi rem propriam, & in vsus suos conuertit id, quod esset alijs erogandum; alio modo ex inordinato vsu eorum, quæ in partem suam cedunt, verùm quia horū dispensatio fidei dispensatoris committitur, si quis bona fide dispenset Ecclesiastica bona, inde accipiens quod sibi conuenit secundùm conditionem status, & personæ, & alijs largiatur secundū quod sibi videtur bona fide expedire, non peccat mortaliter, etiam si fortè aliquid plus in suos vsus conuertat, quàm oporteat; talia enim quia in singularibus est eorum iudicium, non possunt per omnimodam certitudinem diffiniri: vnde si non sit multus excessus potest compati bonam fidem dispensatoris, si verò multus excessus fiat, non potest latere, & ita non potest cum bona fide dispensatoris hoc agi, si autem non conseruet bonam fidem in dispensando peccat mortaliter. Quodlibeto 6. a. 12. in corp.

Quaritur an semper peccet mortaliter non distribuendo pauperibus.

13 Respondeo dicendum, quòd non sēper peccat mortaliter quotiescunque nō dat pauperi, quod superfluum habet, sed quando necessitas imminet; quando autē sit talis necessitas, quòd obliget ad peccatum mortale non potest ratione determinari, sed committitur prudentiæ, & fidei dispensantis: vnde si bona fide det, quando sibi videtur expedire, immunis est à peccato, alioquin mortaliter peccat. Quodlibeto 6. a. 12. ad 1.

Quaritur quomodo dare sua pauperibus cadat sub præcepto.

14 Respondeo dicendum, quòd illa eadem, quæ sunt consilia cadunt sub præcepto

cepto secundùm animi præparationem: nullum enim consilium est perfectiùs, quàm quòd homo tradat animam suam pro fratribus suis, & tamen hoc cadit sub præcepto secundùm animi præparationem, secundùm illud 1. Ioannis 3. Et nos debemus pro fratribus animam ponere; & similiter dare omnia sua pauperibus cadit sub præcepto secundùm animi præparationem, vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si necessitas immineat; minor tamen necessitas requiritur ad superflua eroganda, quàm ad omnia exhibenda, tamen hoc totum ratione vniuersali determinari non potest, sed committitur prudentiæ, vt dictum est. Quodlibeto 6. a. 12. ad 2.

Quæritur quomodo bona Ecclesiæ sint diuidenda.

15 Respondeo dicendum, quòd bona Ecclesiastica non solùm sunt dispensanda pauperibus, sed etiam Ecclesiæ ministris: vnde secundùm Canones debent diuidi hoc modo, vt aliqua pars cedat in vsus pauperum, & aliqua pars in vsus ministrorum, & in cultum Ecclesiæ. Quodlibeto 6. a. 12. ad 3.

Quæritur quomodo clericus peccet circa diuersa bona Ecclesiastica.

16 Respondeo dicendum, quòd aliter dicẽdum est de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, & aliorum huiusmodi, & aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa vsibus ministrorum, sicut sunt præbendæ clericorum, & alia huiusmodi, nam in primis bonis peccatum cõmittitur non solùm ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos vsus assumit, quòd est alterius: & iõ tenetur ad restitutionem tanquam defraudator rei alienæ; in secundis verò bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est: vnde non tenetur quis ad restitutionem, sed solùm ad pęnitentiam peragendam. Quodlibeto 6. artic. 12. ad tertium.

Quæritur an clericus peccet mortaliter expendens superfluè in conuiuijs.

17 Respondeo dicendum, quòd neque moderatus vsus diuitiarum, neque bona fides dispensatorum saluari videtur in eo, qui scienter superfluas expensas facit in voluptuosis conuiuijs, & alijs huiusmodi superfluitatibus, & sic non est dubium, quòd in talibus peccat mortaliter; si autẽ aliquis non multum in talibus excedat, potest bona fide fieri ab aliquo, qui vult secundùm decentiam sui status morem gerere his, quibus conuiuit. Quodlibeto 6. a. 12. ad 4.

Quæritur in qua Ecclesiastica pecunia sit expendenda.

18 Respondeo dicendum, quòd Ecclesiastica pecunia est expendenda solum in duobus, primò quidem in his, quæ pertinent ad cultum Diuinum, deinde verò in his, quæ pertinent ad pauperum sustentationem. lect. 5. super cap. 3. Ioannis.

Quæritur an Episcopus teneatur alere pauperes clericos à se ordinatos in sacris.

19 Respondeo dicendum, quòd si sint indigentes clerici ad sacros ordines promoti, Episcopus, qui eos promouit, debet eis prouidere, aliàs non tenetur; ipsi autem ex ordine suscepto tenentur Ecclesię ministrare. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 1. quæst. 3. ad tertium.

Quæ-

Quaritur quomodo sit prædicandum clericis.

20 Respondeo dicendum, quòd inoleuit consuetudo in Ecclesia, vt turbis prædicetur stando, religiosis verò, & clericis sedendo, cuius ratio est, quia cum prædicatio ad turbas fit, quasi ad eas conuertendas fit per modum exhortationis; sed cum prædicatio ad clerum fit, quasi iam ad existentes in domo Dei est vt quædam commemoratio. lect. 5. super cap. septimum Ioannis.

Quaritur quid facere debeat clericus per saltum ordinatus.

21 Respondeo dicendum, quòd si aliquis clericus de ignorantia, vel obliuione omisso aliquo medio fecerit se ad altiorem ordinem promoueri, debet se abstinere ab executione illius ordinis, donec tempore debito, & statuto ad hoc, receperit ordinem, quem omisit, vt 52. dist. Sollicitudo. opusculo 65. cap. 9.

Quaritur à quo debeat clericus ordinari.

22 Respondeo dicendum, quòd debet quilibet clericus à suo Episcopo ordinari, vel de licentia sui Episcopi, vt 9. quæst. Iug. opusculo 65. cap. 9.

Quaritur quibus pœnis clerici vsurarij puniantur.

23 Respondeo dicendum, quòd specialiter super pœnis vsurariorum possunt clerici iure ab officijs suspendi, si fuerunt vsurarij. extra eodem cap. Plures clericorum; contumaces verò, qui nec propter pœnas vsurarijs debitas corriguntur, debet, & potest iudex per suspensionis, & depositionis sententiam coercere. opusculo 73. cap. 21.

Quaritur an Episcopus possit conferre beneficium clerico propter obsequium illi factum ab ipso.

24 Respondeo dicendum, quòd obsequium aut est honestum, aut inhonestum, siquidem sit honestum obsequium, ex ipso obsequio quandoque redditur homo dignus beneficio Ecclesiastico, sicut & alijs bonis operibus, & tunc si pactio non interuenit, potest absque simonia beneficium Ecclesiasticum dare ei, qui obsequutus est, vt non habeatur oculus ad obsequium principaliter, sed ad dignitatem personæ; si autem sit inhonestum, tunc est omnino simonia. 4. sent. d. 25. q. 3. ar. 3. ad 3.] 2. 2. q. 100. a. 5. ad primum.

Quaritur an liceat clericis malefactores occidere.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Homicidium.

Quaritur an liceat clericis bella gerere.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Bellum. quæst. 6.

Quaritur an liceat clericis interesse bello.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Bellum. quæst. 7.

Quaritur an liceat clericis alios inducere ad bellum.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Bellum. quæst. 8.

Quaritur an clerici vxorati possint habere beneficium Ecclesiasticum.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Beneficium, q. 10.

Quæ-

Quaritur an clericus occidens aliquem, vt se defendat, incurrat irregularitatem.

Respondeo dicendum, sicut verbo, homicidium.

Quaritur in quo casu liceat emere possessiones de bonis Ecclesiasticis.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Episcopus.

Quaritur de quibus bonis liceat clericis distribuere parentibus suis.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Episcopus.

Quaritur an clericus, qui tenetur ad horas Canonicas, possit dicere Matutinas de sero.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Horæ Canonicæ.

Quęritur an clericus beneficiatus teneatur dicere in scholis existens officium mortuorum.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Horæ Canonicæ.

Quęritur an clerici possint contrahere matrimonium.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Matrimonium.

COGITATIO.

1 *Aliqua est cogitatio purè speculatiua; alia est cum affectione.*
2 *Exterius exponere cogitationes inhonestas est perfectionis, & meriti.*
Non tamen est necessitatis semper.
Quando necesse sit exprimere cogitationes inhonestas.
Quomodo exprimendæ sint cogitationes inhonestę.
3 *Quando cogitatio de fornicatione sit venialis, & quando sine peccato*
4 *Peccatum cogitationum pręcisè sumptarum reducitur ad vanitatis vitium.*
Peccatum cogitationum quęsitarū propter delectationem rei cogitatę reducitur ad speciem peccati cogitati.

Quęritur quod modis se possit habere nostra cogitatio.

1 Respondeo dicendum, quòd cogitatio, quæ in vigilia præcessit, quandoque est purè speculatiua, puta cū aliquis causa disputationis cogitat de peccatis carnalibus; quandoque autem est cum aliqua affectione vel concupiscentiæ, vel honoris. 2.2. q.154.a.5.in corp.

Quęritur an cogitationes inhonestę sint exterius exprimendę.

2 Respondeo dicendum, quòd plerique dubitant, si cogitationes inhonestæ sint exterius explicandæ: credo quòd hoc facere sit puritatis, & perfectionis, & magni meriti, sed nō credo esse necessitatis semper, nisi quando ex nimia mora facta in cogitatione illa, homo sentiret se inclinari ad faciendum, & perficiendum cogitatum, si opportunitatem haberet, quā vellet, aut si pollueretur ex illa vehementi cogitatione morosa, aut si inordinatè afficeretur ad aliquam personam, & de ipsa multo molestaretur in cogitatione habendo motus carnis, & imaginando habere aliquos actus impudicos cum ipsa persona; hunc enim affectum inordinatum debes exprimere cum cogitationibus ex motibus carnis procedentibus, dicendo, ex ipso affectu sic habui affectum sensualem, & inordinatum ad quandam mulierem, vel quendam iuuenem talis conditionis, & hunc affectum concepi ex complacentia

placentia habita in aspectu,& collocutione, ac præsentia corporali ipsius de ipso, vel de ipsa; habui tot vicibus, ac multotiens imaginationes turpes respiciendo cum oculis corporeis, vel mentis faciem, vel aliam partem corporis eius, & imaginando cum ipsa persona habere amplexus & oscula, vel talem actum impudicũ, & in his feci moram per magnum spaciũ habendo ibi motus carnis libidinosos, & specialiter accidit mihi in oratione existendo, aut Missam dicendo, & semper fui negligens ad laborandum pro posse ad expellendum talia propter nimiam delectationem, quam habebam ibidem, nec curaui quantùm potui refrenare oculos ab aspectu illius personæ, quando habui præsentiam eius: quicunque igitur tales, & tali modo cogitationes, & affectus exprimeret vitiosos, ab eis citò liberaretur, dummodo cum tali confessione cõtinuaret orationem, & custodiã sensuum, quia Dæmon non potest sustinere humilitatẽ puræ confessionis, cum sit superbus, & immundus, & omnis humilitatis, & munditiæ inimicus: & ideo non est melior, & facilior ad euadendum tentationes superbiæ & luxuriæ, & omnes cogitationes vitiosas cum suis circumstantijs concurrentibus in carne, vel in mente, quàm sæpè, & clarè detegere confessori, & toties exprimere quoties renouatur. opusculo 64. cap. de cogitationibus inhonestis.

Quæritur quando cogitatio de fornicatione sit veniale peccatum, & quando absque peccato.

3 Respondeo dicendum, quòd cogitatio de fornicatione secundùm se non est peccatum mortale, immo quandoque est veniale tantùm, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea: quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis vtiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prędicare, vel disputare, Prima secundæ, quæstione septuagesimaquarta, artic. 8. in corp.

Quæritur ad quod genus peccati reducatur cogitatio.

4 Respondeo dicendum, quòd peccatũ in cogitationibus potest esse dupliciter, vel inquantum cogitationes sunt, & sic nõ est in eis nisi peccatum vanitatis secundùm quod intellectus deberet occupari vtilioribus cogitationibus, & occupatur inutilibus, nec hoc in culpam imputatur, nisi secundùm quòd actus intellectus natus est à voluntate imperari, vel inquantum cogitationes propter delectationem rei cogitatæ quæruntur, & sic potius est peccatum in delectatione rei cognitæ secundùm memoriam. & speciem, quàm in ipsa cogitatione; illa autem delectatio non est in intellectu, sed in concupiscibili, & irascibili, cuius est actus cogitatus, vnde tale peccatum reducitur ad idem genus, vt fornicationis, & homicidij, in quo est ipse actus peccati exterius perpetratus. 2. sent. d. 39. quæst. 1. a 2. ad 1.

COGNATIO SPIRITVALIS.

1 *Cognatio spiritualis contrahitur tantùm per duo sacramenta, scilicet Baptismum, & Confirmationem.*

2 *Spirituales cognationes sunt tres, s. paternitas, compaternitas & fraternitas. Quælibet harum impedit matrimonium cõtrahendum, & dirimit contractum.*

3 *Contrahitur cognatio spiritualis inter suscipientem Baptismum, & leuantem de sacro fonte. Idem dicendum est in Confirmatione.*

4 *Non est cognatio spiritualis inter patrem, & matrem spirituales.*

5 *Vir & vxor possunt leuare aliquem de sacro fonte.*

6 *Dupliciter aliquis potest fieri compater alterius.*

Quæ-

Quando cognatio spiritualis non transeat à viro in vxorem.

Quando cognatio spiritualis transeat à viro in vxorem.

7 *Non baptizatus leuans de sacro fonte non contrahit aliquam spiritualem cognationem.*

8 *Spiritualis cognatio praecedens matrimonium impedit ipsum contrahendum, & dirimit contractum.*

Sequens cognatio non dirimit contractum matrimonium.

Sequens cognatio contracta in casu necessitatis non impedit actum matrimonij ex neutra parte.

Si contrahatur extra necessitatem, ignoranter tamen, ille, qui fuit causa perdit ius petendi debitum, reddere tamen debet.

Quaeritur per quae sacramenta contrahatur cognatio spiritualis.

1 RESpondeo dicendum, quòd quidã dicunt, quòd spiritualis regeneratio sicut per septiformem Spiritus Sancti gratiam datur, ita per septem efficitur incipiendo à primo papulo salis sacramenti vsque ad Confirmationem per Episcopum factam, & per quodlibet horum septem spiritualis cognatio contrahitur. Sed illud non videtur rationabile, quia cognatio carnalis non contrahitur, nisi per actum generationis completum, vnde etiam affinitas non contrahitur, nisi sit facta coniunctio seminum, ex qua potest sequi carnalis generatio; spiritualis autem generatio non perficitur, nisi per aliquod sacramentum: & ideo inconueniens est, quòd spiritualis cognatio contrahatur, nisi per aliquod sacramentum: & ideo alij dicunt, quòd per tria tantùm sacramenta spiritualis cognatio contrahatur, s. per Catechismum, Baptismum, & Confirmationem. Sed isti propriam vocẽ videntur ignorare, quia catechismus non est sacramentum, sed sacramentale: & ideo alij dicunt, quòd tantùm per duo sacramenta scilicet per Baptismum, & Cõfirmationem, & haec opinio est communior, tamen de catechismo quidam horũ dicunt, quòd est debile impedimentum, quod impedit contrahendum, sed non dirimit matrimonium contractum. 4. sent. d. 42. q. 1. a. 2. in corp.

Quaeritur quot sint spirituales cognationes?

2 Respondeo dicendum, quòd sunt tres spirituales cognationes, vna, quae dicitur spiritualis paternitas, quae est inter patrẽ spiritualem, & filium spiritualem; alia, quae dicitur compaternitas, quae est inter patrem spiritualem, & carnalem eiusdẽ; tertia autem dicitur spiritualis fraternitas, quae est inter filium spiritualem, & filios carnales eiusdem patris; & quaelibet harum impedit contrahendum matrimonium, & dirimit contractum. 4 sent. d. 42. q. 1. a. 3. quaest 3. in corp.] q. 2. a. 3. ad 1.

Quaeritur an cognatio spiritualis contrahatur inter suscipientem Baptismi sacramentum, & leuantem de sacro fonte.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex patre, & matre, ita in generatione spirituali aliquis renascitur filius Dei sicut Patris, & Ecclesiae sicut Matris; sicut autem ille, qui sacramentum confert gerit personam Dei, cuius instrumentum, & minister est, ita ille, qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet, gerit personam Ecclesiae: vnde ad vtrunque spiritualis cognatio contrahitur. 4. sent. d. 42. q. 1. a. 3. quaest. 1. in corp.

Quaeritur an sit cognatio spiritualis inter patrem, & matrem spirituales.

4 Respondeo dicendum, quòd pater spiritualis, & mater spiritualis eidem nõ coniun-

coniunguntur in generatione spirituali, nisi per accidens, quia vnus ad hoc per se sufficeret: vnde non oportet, quòd ex hoc aliqua cognatio spiritualis inter eos nascatur, quin possit esse inter eos matrimonium, vnde versus

Vnus semper erit compatrum spiritualis.
Alter carnalis, nec fallit regula talis.

4.sent.d.42.q.1.a.3.quæst.2.ad 2.

Quæritur an vir, & vxor possint aliquem leuare de sacro fonte.

5 Respondeo dicendum, quòd ex quo inter patrem spiritualem, & matrem non contrahitur aliqua cognatio, nihil prohibet, quin vir, & vxor simul aliquem de sacro fonte leuarent, nec est inconueniens, quòd vxor ex diuersis causis efficiatur bis mater spiritualis eiusdem, sicut & potest esse, quod est affinis, & consanguinea eiusdem per carnalem propinquitatem. 4. sent.d.42.q.1.a.3 quæst.2.ad 4.

Quæritur an spiritualis cognatio transeat à viro in vxorem.

6 Respondeo dicendum, quòd aliquis potest alicuius fieri compater dupliciter, vno modo per actum alterius, qui baptizat, vel in ipso Baptismo suscipit filium eius, & sic cognatio spiritualis non transit à viro in vxorem, nisi forte ille sit filius vxoris, quia tunc vxor directè contrahit cognationem spiritualem, sicut & vir; alio modo per actum proprium, sicut cũ leuat filium alterius de sacro fonte, & sic cognatio spiritualis transit ad vxorem, quam iam carnaliter cognouit, non autẽ si nondum sit consummatũ matrimoniũ, quia nondum effecti sunt vna caro, & hoc est per modum cuiusdam affinitatis: vnde etiam pari ratione videtur transire ad mulierem, quæ est carnaliter cognita, quamuis non sit vxor; vnde versus

Qui mihi, vel cuius mea natum fonte leuauit,
Hæc mea commater, fieri mea non valet vxor.
Si qua mea natum, non ex me fonte leuauit,
Hanc post fata mea, non inde verebor habere.

4.sent.d.42.q.1.art.3.quæst.2. in corp.

Quæritur an non baptizatus possit contrahere spiritualem cognationem.

7 Respondeo dicendum, quòd non baptizatus non potest aliquem leuare de sacro fonte, cum non sit membrum Ecclesiæ, cuius typum gerit in Baptismo suscipiens, quamuis possit baptizare, quia est creatura Dei, cuius typum gerit baptizans, nec tamen aliquam cognationem contrahere spiritualem potest, quia est expers spiritualis vitæ, in quam homo primò per Baptismum nascitur. 4. sent. d.42.q.1.art.3. quæstiunc.1. ad tertium] quæst.2. ad 3] q.2. art.3. ad 3.

Quæritur an spiritualis cognatio matrimonium impediat.

8 Respondeo dicendum, quòd sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturæ, ita per sacramenta accipit esse spirituale gratiæ: vnde sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur est naturale homini inquantum est res quædam naturæ, ita vinculum, quod contrahitur ex sacramentorum susceptione est quodammodo naturale alicui inquantum est membrum Ecclesiæ: & ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesię statuto: tamen distinguendum est de spirituali cognatione, quia aut præcessit matrimonium, aut sequitur, si præcessit impedit contrahendum, & dirimit contractũ, si sequitur, tunc non dirimit vinculũ matrimonij. Sed quantũ ad actum matrimonij est distinguẽdũ, quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum pater baptizat puerum in articulo mortis, & tunc non impedit actum matrimonij

monij ex neutra parte, aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia tamen, & tunc ille, ex cuius actu inducitur, amittit ius petendi debitum, sed tamen debet reddere, quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare. 4. sent. d. 42. q. 1. a. 1. in corp.] Quodlibeto 6. a. 5. in corp.

Quaeritur an per sacramentum Paenitentiae contrahatur spiritualis cognatio.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Matrimonium. cap. 9 q. 1.

De cognatione legali vide verbo, Matrimonium, & Adoptio.

COLLECTA.

Domini terrarum possunt exigere à suis subditis collectas moderatas, à suis subditis ex consuetudine introductas.

Princeps de nouo potest facere collectas pro bono communi, vel ad conseruandum decentem statum suum, quando non sufficiunt redditus proprij.

Princeps non potest exigere collectas de nouo ex sola libidine habendi, aut faciendi immoderatas expensas.

Princeps debet esse contentus redditibus suis ordinarijs.

Quaeritur an collectae sint licitae.

Respondeo dicendum, quòd in aliquibus terris ex antiqua consuetudine Domini suis subditis certas collectas imponunt, quae si non sunt immoderatae, absque peccato exigi possunt, quia secundùm Apostolum nullus militat stipendijs suis: vnde Princeps, qui militat vtilitati communi, potest de communibus viuere, & communia negocia procurare, vel per redditus deputatos, vel si huiusmodi desint, aut sufficientes non fuerint, per ea, quae à singulis colliguntur; & similis ratio esse videtur, si aliquis casus emergat de nouo, in quo oportet plura expendere pro vtilitate communi, vel pro honesto statu Principis conseruando, ad quae non sufficiunt redditus proprij, vel exactiones consuetae, puta si hostes terram inuadant, vel aliquis similis casus emergat; tunc enim & praeter solitas exactiones possent licitè terrarum Principes à suis subditis aliqua exigere pro vtilitate communi; si verò velint exigere vltra id, quod est institutum pro sola libidine habendi, aut propter inordinatas, & immoderatas expensas, hoc eis omnino non licet: vnde Ioannes Baptista militibus ad se venientibus dixit: Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris; sunt enim quasi stipendia Principum eorum redditus, quibus debent esse contenti, vt vltra non exigant, nisi secundùm rationem praedictam, & si vtilitas est communis. opusculo 21. quaest. 6.

COMEDERE.

1 *Contra ius naturae est immoderatè comedere.*
2 *Comestio quot modis reddatur inconueniens.*
3 *Quando comestio sit peccatum mortale.*
4 *Dauid non peccauit, quando comedit panes, quos aliàs comedere non licebat.*

Quaeritur contra quam legem sit immoderatè comedere.

1 Respondeo dicẽdum, quòd contra legẽ naturę est, vt aliquis immoderatè comedat. 4 sent. d. 33. q. 1. artic. 3. quaestiunc. 1. ad 4.

Quaeritur quot modis comestio reddatur inconueniens.

2 Respondeo dicendum, quòd potest actio non esse conueniens fini vel principali,

pali,vel ſecundario, & ſiue ſic,ſiue ſic hoc cõtingit dupliciter, vno modo ex aliquo, quod omnino impedit finem, & ſic nimia ſuperfluitas, aut defectus comeſtionis impedit ſalutem corporis, quaſi principalẽ finem comeſtionis, & bonam habitudinẽ in negocijs exercendis,quæ eſt finis ſecundarius; alio modo ex aliquo, quod facit difficilem, aut minus decentem peruentionem ad finem principalem, vel ſecundarium,& ſic eſt inordinata comeſtio quãtum ad tempus indebitum. 4. ſent. d.33. quæſt.1.art.1.in corp.

Quæritur quando comeſtio eſt peccatum mortale.

3 Reſpondeo dicendum,quòd eſſet peccatum mortale,ſi quis ſcienter cibum comederet, qui totam conditionem vitæ eius immutaret,ſicut patet de Adam.2.2. q.154.a.2.ad 6.

Quæritur an Dauid peccauerit comedendo panes, quos comedere ſibi non licebat.

4 Reſpondeo dicendum, quòd Dauid non fuit tranſgreſſor legis, quando propter famis neceſſitatem comedit panes, quos ei comedere non licebat. 3.p. q.40. a. 4. ad 3.

Plura alia vide in verbo, Gula.

COMMVTATIO.

1 *Duplex eſt commutatio.*
Quæ commutatio pertineat ad negociatores, & quæ non.
Commutatio ad neceſſitatem vitæ eſt laudabilis.
Commutatio ad lucrum eſt vituperabilis.
2 *Commutatiua iuſtitia eſt directiua commutationum.*
Commutationum alia voluntaria, alia inuoluntaria.
Quæ ſint commutationes inuoluntariæ, & quot modis fiant.
Voluntariæ commutationes quæ ſint, & quot modis fiant.
Quid ſit donatio.
Quid ſit venditio, & emptio.
Quid ſit vſusfructus.
Quid ſit mutuum.
Quid ſit accommodatum.
Quid ſit locatio.
Quid ſit conductio.
Quid ſit depoſitum.
Quid ſit pignus.
Quid ſit fideiuſſio.
Omnia ſupradicta pertinent ad commutatiuam iuſtitiam.
3 *Datur commutatio in offenſis.*

Quæritur quotuplex ſit commutatio.

1 Reſpondeo dicendum, quòd Phyloſophus dicit in 1 Polit. duplex eſt rerum commutatio,vna quidem quaſi naturalis,& neceſſaria,per quam.ſ.fit cõmutatio rei ad rem, vel rerum, & denariorum propter neceſſitatem vitæ, & talis commutatio non propriè pertinet ad negociatores, ſed magis ad iconomicos, vel politicos, qui habent prouidere vel domui, vel Ciuitati de rebus neceſſarijs ad vitam; alia verò commutationis ſpecies eſt vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios non propter res neceſſarias vitæ, ſed propter quærendum, & hæc quidem negociatio propriè videtur ad negociatores pertinere ſecundùm Phyloſophum; Prima autem commutatio laudabilis eſt, quia deſeruit naturali neceſſitati; ſecunda aũt iuſtè vituperatur, quia quãtũ eſt de ſe deſeruit cupiditati lucri, quæ terminũ neſcit, ſed in infinitũ tẽdit.2.2.q.77.a.4.in corp.

Quæritur an pertineat ad iuſtitiam commutatiuam.

2 Reſpondeo dicendum,quòd commutatiua iuſtitia eſt directiua commutationum,

aum, quæ attendi poteſt inter duas perſonas, quarum quædam ſunt inuoluntariæ, quædam verò voluntariæ; inuoluntariæ quidem quando aliquis vtitur re alterius, vel perſona, vel opere eo inuito, quod quidem contingit quādoque occultè per fraudem, quādoque etiam manifeſtè per violentiam, vtrunque autem contingit aut in rem, aut in perſonam propriā, aut in perſonam coniunctam; in rem quidem ſi occultè vnus rem alterius accipiat, & vocatur furtum; ſi autem manifeſtè, vocatur rapina: in perſonam autem propriam, vel quantum ad ipſam conſiſtentiā perſonæ, vel quantum ad dignitatem ipſius; ſi autem quantum ad conſiſtentiam perſonæ, ſic læditur aliquis occultè per doloſam occiſionem, ſeu percuſſionem, vel per veneni exhibitionem; manifeſtè autem per manifeſtam occiſionem, vel per incarcerationem, aut verberationem, ſeu membri mutilationem; quantum autem ad dignitatem perſonæ læditur aliquis occultè per falſa teſtimonia, ſeu detractiones, quibus aliquis aufert famam ſuā, & alia huiuſmodi; manifeſtè autem per accuſationem in iudicio, ſeu per conuitij illationem; quantum autem ad perſonā coniunctam læditur aliquis in vxore, vt in pluribus occultè per adulterium; in ſeruo autem cum aliquis ſeruum ſeducit, vt à Domino diſcedat, & hæc etiam manifeſtè fieri poſſunt; & eadem eſt ratio de alijs perſonis coniunctis, in quas etiam poſſunt omnibus modis iniuriæ committi, ſicut & in perſonam principalem, ſed adulterium, & ſerui ſeductio ſunt propriæ iniuriæ circa has perſonas, tamen quia ſeruus eſt poſſeſſio quædam, hoc refertur ad furtum; voluntariæ autem commutationes dicuntur, quādo aliquis voluntariè transfert rem ſuam in alterum, & ſi quidē ſimpliciter in alterum transferat rem ſuam abſque debito, ſicut in donatione non eſt actus iuſtitiæ, ſed liberalitatis; intantum autem ad iuſtitiam voluntariam translatio pertinet, inquantum eſt ibi aliquid de ratione debiti, quod quidem contingit multipliciter, vno modo, quādo quis trāsfert ſimpliciter rem ſuam in alterum pro recompēſatione alterius rei, ſicut accidit in venditione, & emptione; alio modo, qn̄ aliquis tradit rem ſuam alteri concedēs ei vſum rei cum debito recuperandi rem, & ſiquidem gratis concedit vſum rei vocatur vſusfructus in rebus, quæ aliquid fructificant, vel ſimpliciter mutuum, ſeu accommodatum in rebus, quæ non fructificant, ſicut ſunt denarij, vaſa, & huiuſmodi; ſi verò nec ipſe vſus gratis conceditur, vocatur locatio, & conductio; tertio modo aliquis tradit rem ſuam, vt recuperandam non ratione vſus, ſed vel ratione cōſeruationis, ſicut in depoſito, vel ratione obligationis, ſicut cum quis rem ſuam pignori obligat, ſeu cum aliquis pro alio fidei iubet; in omnibus autem huiuſmodi actionibus ſiue voluntarijs, ſiue inuoluntarijs eſt eadem ratio accipiendi mediū ſecundùm æqualitatem recompenſationis: & ideo omnes iſtæ actiones ad vnam ſpeciem iuſtitiæ pertinent, ſ. ad commutatiuam, 2.2.q.61.a.3. in corp.

Quæritur an detur commutatio in offenſis, ſicut datur in beneficijs.

3 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut eſt commutatio quædam in beneficijs (cum ſcilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit) ita etiam eſt commutatio in offenſis, cum aliquis pro offenſa in alterum commiſſa, vel inuitus punitur, qđ pertinet ad vindicatiuam iuſtitiam, vel voluntariè recompenſat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ reſpicit perſonam peccatoris, ſicut iuſtitia vindicatiua perſonam iudicis: vnde manifeſtū eſt, quòd vtraque ſub iuſtitia commutatiua continetur, 3. p. quæſt. 85. artic. 3. ad tertium.

COM-

COMPLACENTIA.

1 *Complacentia peccati mortalis in quo sensu sit finita, & in quo sensu sit infinita.*
2 *In quo casu complacentia nunquam de veniali fuit peccatum mortale, nisi in tantum crescat, vt adhæreat ei vt fini.*

Quæritur an complacentia peccati mortalis sit infinita.

1 RESpondeo dicendum, quòd complacentia mortalis peccati potest considerari dupliciter, vel ex parte eius, cui placet, & sic finita est, quia ex potentia finita non potest procedere actus infinitus, vel ex parte eius, quod placet, & sic infinita est, quia placet vt finis, qui desideratur, vt infinitum bonum, quia propter finem vltimum omnia desiderantur. 2. sent. d. 24. q. 3. a. 6. ad 3.

Quæritur an complacentia peccati venialis possit esse peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd placentia nunquam de veniali facit mortale, nisi intantum crescat, quòd adhæreatur ei, vt fini; & per consequens supra Deum diligatur, & ita in contemptum Dei talis placentia adducitur, quæ habet de se specialem rationem peccati, & propter hoc circumstantia trahens in aliam speciem. 4 sent. d. 16. q. 3. a. 2. quæst. 4. ad 2.] q. 7. de malo, a. 1. ad 6.

COMMVNIO.

De frequentia Communionis. Cap. I.

1 *Non potest quis omnino à communione cessare.*
Tempus communionis ab Ecclesia institutum est.
Huiusmodi institutio est necessaria.
2 *Sacerdoti non habenti curam animarum non licet omnino à celebratione cessare.*
Tenetur saltem celebrare in festis præcipuis.
3 *Melius, simpliciter loquendo, est communicare, quàm à communione abstinere.*
In casu aliquo nihil prohibet melius esse abstinere quàm communicare.
4 *Homo debet frequentare communionem.*
5 *In quo casu frequentanda sit communio.*
In quo casu non sit frequentanda cõmunio.
6 *Vnicuique relinquitur an debeat quotidie communicare; an non: si sentit quis ex frequentia, reuerentiam ad Eucharestiam minui non communicet quotidie.*
Si sentit feruorem augeri, communicet quotidie.
7 *In primitiua Ecclesia quotidie communicare fidelibus indicebatur.*
Deinde indictum fuit, vt ter in anno quis communicet.
Vltimò statutum est, vt semel in anno communicent fideles.
Communicare se omni die Dominico laudabile est.
8 *Non debet quis pluries in vna die communicare.*
9 *Sacerdotes debent se communicare sub vtraque specie.*
Sæculares non debent sumere sanguinem, sed corpus tantùm.
10 *Sacerdos consecrans debet sumere sacramentum Euchareſtiæ.*

Quæritur an liceat alicui omnino à communione cessare.

1 RESpondeo dicendum, quòd nulli licet omnino à communione cessare, quia Ecclesia statuit tempus, in quo fideles communicare debent; vnde qui omnino desistunt, efficiuntur rei trãsgressionis præcepti; institutio autem Ecclesiæ fuit necessaria, quia enim in quotidiana pugna sumus, vita spiritualis in nobis euane-

euanesceret, nisi aliquando cibum vitæ sumeremus 4.sent.d.12.q.3.a.2.quæst.1. in corp.] 3.p.q.80.a.10.

Quæritur an liceat Sacerdoti omnino à celebratione cessare.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quòd Sacerdos potest omnino à consecratione licitè abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare populo, & sacramenta præbere: sed hoc irrationabiliter dicitur, quia vnusquisq; tenetur vti gratia sibi data cum fuerit opportunum, secundùm illud 1.ad Cor. 6. Hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; opportunitas autem sacrificiũ offerendi non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius sacramenti sacrificium offertur: vnde Sacerdoti etiam si non habeat curam animarum non licet omnino à celebratione cessare, sed saltẽ videtur, quòd celebrare teneatur in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueuerunt,& dicitur, quòd iam non circa Altaris officia dediti erant contempto tẽplo, & sacrificijs neglectis. 3.p. q.82. ar.10.in corp.] 4 sent.d.13. q.1. art.2. quæst.1.in corp.

Quæritur an sit melius communicare, quàm abstinere.

3 Respondeo dicendum, quòd cum Eucharestiam accipere sit bonum ex genere, assumere eam est bonum per se, abstinere est bonum per accidens, inquantum scilicet timetur ne inordinatè sumatur; & quia quod est per se, præiudicat ei, quod est per accidens: ideo, simpliciter loquendo, melius est Euchareſtiam sumere, quã absq; abstinere, sed in casu aliquo nihil prohibet esse melius abstinere; quando aliquis probabiliter præsumit ex sumptione reuerentiam minui; si autem hæc duo ad inuicem comparemus, adhuc inuenitur præualere sumptio sacramenti abstinentiæ à sacramento,tum ratione effectus sacramenti, tum ratione præparationis quantulacumque sit,tum etiam ratione virtutis elicientis actum, quia sumere videtur esse charitatis,in qua radix meriti consistit; abstinere autem timoris; amor autem timori præualet. 4.sent. d.12. q.3.art.2.quæst.3.in corp.]3.p.q.80. art.11.

Quæritur an homo debeat frequentare communionem.

4 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ in sacramento Eucharestiæ geruntur habent similitudinem cum his, quæ accidũt in corporali nutrimento: quia enim fit quasi continua deperditio naturalis humiditatis per actionem caloris naturalis, & exercitium laboris: ideo oportet frequenter corporalem cibum assumere ad restaurationem deperditi, ne perditio continua mortem inducat. Similiter etiã ex concupiscentia innata,& occupatione circa exteriora fit deperditio deuotionis, & feruoris, secundùm quæ homo in Deum colligitur: vnde oportet,quòd pluries deperdita restaurentur, ne homo totaliter alienetur à Deo. 4.sent. d.12. q.3. a.1.quæst. 1.in corp.

Quæritur quando sit frequentanda communio, vel non frequentanda.

5 Respondeo dicẽdum, quòd si aliquis sentiat se proficere in feruore dilectionis ad Christum, & in fortitudine resistendi peccatis, quæ plurimum consequuntur homines, debet frequentiùs sumere; si verò ex frequenti sumptione sentiat aliquis in se minui reuerentiam huius sacramenti,

monen-

monendus est, vt rariùs sumat: vnde & in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur, quotidie Eucharestiam sumere nec laudo, nec vitupero. lect. 7. cap. 11. Ioannis] 4. sent. d. 12. q. 3. a. 2. quæst. 3. in corp.

Quæritur an sit quotidie communicandum.

6 Respondeo dicendum, quòd in sacramento Eucharestiæ duo requiruntur ex parte recipientis, scilicet desiderium cõiunctionis ad Christum, quod facit amor, & reuerentia sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet; primùm autem inuitat ad frequentationem huius sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit: vnde si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam nõ minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorẽ non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, vt cum maiori reuerẽtia, & deuotione postmodum accederet: vnde quantum ad hoc vnusquisque relinquendus est iudicio suo, & hoc est, quod Augustinus dicit: si dixerit quispiam non quotidie accipiendam esse Eucharestiã; alius affirmat quotidie sumendam: faciat vnusquisque, quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum; & probat per exemplum Zachæi, & Centurionis, quorum vnus recipit Dominum gaudens; alius dicit non sum dignus, vt intres sub tectum meum, & vterque misericordiam consecutus est. 4. sent. d. 12. q. 3. a. 1. quæst. 2. in corp.

Quæritur quot vicibus teneatur Christi fidelis communicare.

7 Respondeo dicendum, quòd in primitiua Ecclesia, quando vigebat deuotio maior ex propinquitate Passionis Christi, & erat maior impugnatio ab infidelibus, quia hæc mensa aduersus tribulationes Ecclesiæ præparatur, quotidie communicandum fidelibus indicebatur: vnde Calistus Papa dicit: Peracta consecratione omnes communicent, qui nolunt Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt; postmodum indictum fuit, vt saltem ter in anno communicarẽt propter solemnitatem illorum dierum; sed postmodum arctatum est, vt saltem semel in anno, scilicet in Pascha communicent, & ad hoc etiam multi idonei non inueniuntur, & quamuis statutum Ecclesiæ non liceat præterire, tamen licet pluries communicare: vnde Augustinus laudat omnibus diebus Dominicis communicandum esse, & ita pluries in anno potest communicare quis. 4. sent. d. 12. q. 3. a. 1. quæst. 3. in corp.

Quæritur an liceat pluribus vicibus in vna die communicare.

8 Respondeo dicendum, quòd homo non debet pluries in vna die communicare, vt saltem quantum ad vnam diem repræsentetur vnitas Dominicæ Passionis, & vt quantum ad aliquid reuerentiæ sacramento exhibeatur semel sumendo. 4. sent. d. 12. q. 3. a. 1. quæst. 4. in corp.

Quæritur an sit communicandum sub vtraque specie.

9 Respondeo dicendum, quòd circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari, vnum ex parte ipsius sacramenti, aliud ex parte sumentium; ex parte quidem ipsius sacramenti conuenit, quòd vtrunque sumatur, s. & corpus, & sanguis, quia in vtroque consistit perfectio sacramenti: & ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine: ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia, & cau-

& cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad iniuriam tanti misterij, quod præcipuè posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incautè sumeretur, de facili posset effundi, & quia creuit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, & iuuenes, & paruuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam circa vsum huius sacramenti adhibeant: ideo prouidè in quibusdam Ecclesijs obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solùm à Sacerdote sumatur. 3.p. q. 80. art. 12. in corp.

Quæritur an Sacerdos consecrans debeat sumere Sacramentum Eucharestiæ.

10 Respondeo dicendum, quòd Eucharestia non solùm est sacramentum, sed etiam sacrificium; quicunque autem sacrificium offert, debet sacrificij fieri particeps: quia exterius sacrificium, quod offertur signum est interioris sacrificij, quo quis seipsum offert Deo, vt August. dicit in 10. de Ciuitate Dei; vnde per hoc, quòd participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere; similiter etiam per hoc, quod sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem Diuinorum, quorum ipse primò debet esse particeps, sicut Dionysius dicit in lib. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: & ideo ipse ante sumere debet, quàm populo dispenset: vnde & in prædicto cap. legitur, quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? per hoc autem fit particeps, quòd de sacrificio sumit secundùm illud Apostoli primæ Corinth. 10. Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris? & ideo necesse est, quòd Sacerdos quotiescunque consecrat, sumat integrè hoc sacramentum. 3.p. q. 82. art. 4. in corp.

De præparatione ad Communionem. Cap. II.

1 *Ad dignè communicandum requiritur munditia conscientiæ, eleuatio mentis in Deũ, & munditia corporalis.*

2 *Ante communionem debet quis examen facere conscientiæ.*

Quale examen facere debeat.

3 *Quare diligens examen requiratur ante communionem.*

4 *Vnusquisque debet accedere confessus ad communionem.*

5 *Quis dicatur indignus accedere ad communionem.*

Quando non est copia confessarij potest quis accedere contritus ad communionem.

Regulariter accedere debet confessus, & qđ impleuerit aliquam satisfactionem.

6 *Post peccatum mortale statim etiam contritus, & confessus non debet accedere ad cõmunionem, nisi in casu necessitatis.*

7 *Duplex indeuotio erga Eucharestiam.*

Quæ indeuotio sit mortalis, et quæ venialis.

8 *Dupliciter aliquid impedit sumptionem Eucharestiæ.*

Cibus impedit ex statuto Ecclesiæ sumptionem Eucharestiæ triplici ratione.

Infirmi possunt communicari post cibum, si adsit periculum mortis.

9 *Duplex ieiunium, s. naturæ, & Ecclesiæ.*

Vtrunque requiritur ante communionem.

Reliquiæ cibi remanentes in os si deglutiantur non impediunt communionem.

Reliquiæ vini, vel aquæ, quibus os abluitur, si deglutiantur, non impediunt communionem.

10 *Bibens, vel comedens post mediam noctem, impeditur à communione.*

11 *Post communionẽ non statim est comedẽdũ.*

Clementis Decretũ quo indicebatur ieiuniũ post cõmunionẽ vsque ad sextã, est abrogatum per contrariam consuetudinem.

12 *Decretũ, quo præcipitur cõmunicare post cibum in Cœna Domini, est abrogatum.*

Quæ-

Quaritur quot; & qua requirantur ad dignè communicandum.

1 REspondeo dicendum, quòd ad hoc, quòd homo dignè ad sacramentum Eucharestiæ accedat, tria requiruntur; primò munditia conscientiæ, quę nonnisi per peccatum tollitur; secundò erectio mentis ad Deum per actualem deuotionem, & hæc per mentis hebetudinem, vel occupationem, aut euagationē interdum sine peccato amittitur; tertio munditia corporalis: vnde & celebrātes, vel tractaturi aliquod sacramentum propter reuerentiam manus lauant. 4. sent. d. 9. q 1. a. 4. quæst. 2. in corp.

Quaritur an pollutio impediat communionem.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Pollutio. q. 6.

Quaritur quo examine se debeat homo praparare ante communionem.

2 Respondeo dicendum, quòd examinet seipsum homo antequam sacramentū percipiat, & diligenter se videat, vtrū sit mundus, vel immundus; vtrum deuotus, vel indeuotus; vtrum reuerens, vel irreuerens; vtrum timens, vel præsumens accedat, etiam si virtus sit, vel certum se putet, ꝙ non sit vitiosè pollutus, vel aliquo tali peccato infectus: non enim debet volens istum cęlestem panem sumere, esse contentus se non habere peccatum mortale; neque præcedenti nocte vitiosa occasione fuisse pollutū, quia licèt hæc duo reddant quemlibet ipso cibo indignum; alia tamen plura sunt, quibus se homo debet ab hoc subtrahere reuerenter, quæ explicare non audeo, quia à Sanctis, & Doctoribus ipsa expressa non reperi, atque illustratione gratiæ Dei ea securius simpliciter relinquenda decreui; id tamen, qđ pro me ipso retineo est verbum illius, qui hoc instituit sacramentum, quem non credo illud frustra protulisse: dixit enim, hęc quotiescunque feceritis, in meam memoriam facietis; ex quo quidem verbo arguam mihi ipsi, quòd quotiens volo id agere, quòd ille instituit, & modo prædicto reliquit, nequaquam sine morsu conscientiæ, ac præiudicio animæ timeo ad illum posse accedere, nisi præmemorata ipsius institutionis charitate, ac eius Passione, & morte, in cuius memoriam perpetuè recolendam illud sacramentum debere confici, & perfici ipse clarè asseruit, & iniunxit: considerans insuper circa huius sacramenti primordia lotionem pedum factam non absque misterio, & sacramento ibidem fuisse dictum à Domino, si non lauero te, non habebis partem mecum, agnosco per hæc, & iudico non sine præsumptionis, & grauis offensæ periculo aliquem velle habere partem secum ipsum sacramentum sumendo non præhabita alicuius gratiæ spiritualis lótione, quam quidem lotionem non solùm per compunctionem, & lacrymas puto fieri, verumetiam per intensiorem mentis deuotionem, & fidem, in qua ipse Dominus vocat, & inuitat animam, & trahit, & quodam modo cogit ad ipsum cibum Angelorum, & cœlestem: vnde & ipse dixit illis, quos lauerat, Iam mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, non dixit, Propter aquam, qua loti estis, sed propter sermonem: hoc autem est verbum fidei, quod prædicamus secundùm Apostolum: vnde in Actibus Apostolorum legitur: fide purificans corda eorum; hanc autem deuotionem, & fidem celebrantis, seu sacramentum sumentis credo esse illum, quæ celebrat, & quæ facit ipsum sacramentum percipi cum effectu, sicut & verba Christi sunt illa, quibus consecratur, & transubstantiatur panis, & vinum in Corpus, & Sanguinem Christi, quam quidē deuotionē voco Dei gratiā, quę preuenit, & disponit, subsequitur, & infun-

infundit. Ad hoc ergo sacramentum cum instantia feruenti, & assiduæ orationis procuremus modo prędicto vocari in Domino, videlicet præhabita ipsius memoria, atque compunctionis, & deuotionis, & fidei lotione, ad quæ nos præparari oportet per mentis, & corporis munditiã, & per linguæ, & sensuum refrenationem, & per nostrarum passionum continentiã, ac moderationem, opusculo 64. cap. 17.] opusculo 58. cap. 15. & 16.

Quæritur quare diligens examen requiratur ante communionem.

3 Respondeo dicendum, quòd examinatio requiritur, ne ignorantia ex negligentia procedat, quia talis ignorantia non excusaret. 4. sent. d. 9. q. 1. art. 3. quæst. 2. ad 3.

Quæritur an ad communionem debeat quis accedere confessus.

4 Respondeo dicendum, quòd si quis debeat Eucharestiam percipere, ad quã nullus post peccatum mortale, nisi confessus accedere debet copia Sacerdotis oblata, & necessitate non vrgente, & inde venit obligatio, qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit, vt semel in anno, s. in Pascha omnes sacram communionem accipiant: & ideo ante tempus illud confiteri tenentur. 4. sent. d. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 4. in corp.

Quæritur in quo casu liceat communicare se cum sola contritione.

5 Respondeo dicendum, quòd dicitur aliquis indignus ex eo, quòd cum voluntate peccandi mortaliter accedit ad Eucharestiam: dicitur enim Leuitici 12. Nõ accedat ad Altare, qui maculam habet; intelligitur aliquis maculam peccati habere, quamdiu est in voluntate peccandi, quæ tamen tollitur per pœnitentiam; per contritionem quidem, quæ tollit voluntatem peccandi cum proposito confitendi, & satisfaciendi quantum ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ; per confessionem autem, & satisfactionem quãtum ad totalem remissionem pœnæ, & reconciliationem ad membra Ecclesiæ: & ideo in necessitate quidem puta, quando aliquis copiam confessoris habere non potest, sufficit contritio ad sumptionem huius sacramenti; regulariter autem debet confessio præcedere cum aliqua satisfactione: vnde in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. dicitur: Communicaturus satisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domino mundus accedat ad Eucharestiam intrepidus, & securus; sed hoc de illo dico, quem capitalia peccata, & mortalia non grauant, nam quæcunque mortalia crimina post Baptismũ commissa præmunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si non vult ad condemnationem Eucharestiam percipere. lect. 7. super cap. 11. primæ ad Corinth.

Quæritur an statim post peccatum mortale, etiam contritus, & confessus debeat quis communicare.

6 Respondeo dicendum, quòd non esset cõsulendum alicui, quòd statim post peccatum mortale etiam contritus, & confessus ad Eucharestiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas vrgeret, per aliquod tempus propter reuerentiam abstinere. 4. sent. distinct. nona, quæst. prima, artic. quarto, quęstiuncula secunda, ad secundum] distinctione 16. in expositione litteræ.

Quæ-

Quaritur qua indeuotio ad communionem sit mortalis, & qua venialis.

7 Respondeo dicendum, quòd aliquis indignè manducat ex hoc, quòd non deuota mente accedit ad Euchareſtiam, quæ quidem indeuotio quandoque eſt veniale, puta cum aliquis diſtracta mente ad ſæcularia negotia accedit ad hoc ſacramentum habitualiter retinens debitam reuerentiam ad ipſum, & talis indeuotio licèt impediat fructum huius ſacramenti, qui eſt ſpiritualis refectio, non tamen facit reum corporis, & ſanguinis Domini, ſicut Apoſtolus loquitur; quædam verò indeuotio eſt peccatum mortale, quæ .ſ. eſt cum contemptu huius ſacramenti, prout dicitur Malach.1. Vos polluiſtis nomen meum in eo, quòd dicitis menſa Domini contaminata eſt, & quòd ſupponitur contemptibile. lect. 7. ſuper cap.11. primæ ad Corinth.

Quæritur an comeſtio impediat communionem.

8 Respondeo dicendum, quòd aliquid impedit ſumptionem huius ſacramenti dupliciter, vno modo ſecundùm ſe, ſicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad ſignificatum huius ſacramenti; alio modo propter prohibitionem Eccleſiæ, & ſic impeditur aliquis à ſumptione huius ſacramenti poſt cibum, & potum aſſumptum triplici ratione, primò quidem ſicut Auguſt. dicit in honorem huius ſacramenti, vt .ſ. in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum; ſecundò propter ſignificationem, vt .ſ. detur intelligi, quòd Chriſtus (qui eſt res huius ſacramenti) & charitas eius debet primò fundari in cordibus noſtris, ſecundū illud Matthæi 6. Quærite primùm regni Dei; tertiò propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quòd homines inordinatè cibis vtuntur; ſicut & Apoſt. dicit 1. ad Cor. 11. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt; ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui ſtatim communicandi ſunt etiam poſt cibum, ſi de eorum periculo dubitatur, ne ſine communione decedant, quia neceſſitas legem non habet, vt dicitur de conſecrat. d.2. Presbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur. 3.p. q.80. art.8. in corp.

Quæritur quod ieiunium requirat communio.

9 Respondeo dicendum, quòd duplex eſt ieiunium, primum eſt ieiunium naturæ, quod importat priuationem cuiuſcunque præaſſumpti per modum cibi, vel potus, & tale ieiunium requiritur ad hoc ſacramentum propter prædicta: & ideo neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parua quantitate, licet hoc ſacramentum accipere, nec refert vtrum aliquid huiuſmodi nutriat, vel nō nutriat, aut per ſe, aut cum alijs, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus; Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, ſi caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem huius ſacramēti, quia non traijciuntur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ, & eadem ratio eſt de reliquijs aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dūmodo non traijciantur in magna quātitate, ſed permixtæ ſaliuæ, quod vitari non poteſt: aliud autem eſt ieiunium Eccleſiæ, quod inſtituitur ad carnis macerationem, & tale ieiunium per prædicta non impeditur, quia prædicta non multum nutriunt, ſed magis ad alterandum ſumuntur. 3.p. q.80. art.8. ad 4. & 4. ſent. diſtinct.8. quæſt.1. artic.4. quæſtiunc.1.2. in corp.

Quæ-

Quæritur an comedens, vel bibens post mediam noctem possit communicare.

10 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia Romana diem à media nocte incipit: & ideo si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi, vel potus non potest eadem die hoc sumere sacramentum; potest verò si ante mediã noctem, nec refert vtrum post cibum, vel potum assumptum dormiret, aut etiam digestus sit quantum ad rationem præcepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomneitatem, vel indigestionem; ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti. 3.p. q.80. a.8. ad 5.] super cap.11. ad Ephes.] lect.4.primæ ad Corinthios.

Quæritur an statim post communionem possit sumi cibus.

11 Respondeo dicendum, quòd debet esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti, & reliquos cibos: vnde & in Missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & communicantes etiam suas priuatas orationes dicunt, secundùm tamen antiquos Canones statutum fuit à Papa Clemente (vt habetur de consecrat.d.2.) Si mane Dominica portio editur, vsque ad sextam ieiunent ministri, qui eam sumpserunt, & si tertia, vel quarta hora acceperint, ieiunent vsque ad vesperas: antiquitus enim rariùs Missarum solemnia celebrabantur, & cum maiori præparatione; nunc autem, quia oportet frequentiùs sacra mysteria celebrare, non posset de facili obseruari: & ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum. 3.p.q.80.a.8.ad 6.] 4.sent. d. 8.q.1.a.4.quæst.3.in corp.

Quæritur an decretum communicandi in die Cœnæ post cibum, sit abrogatum.

12 Respondeo dicendum, quòd forte Ecclesia aliquo tempore sustinuit in die Cœnæ sumi Corpus Christi post alios cibos in repræsentationem Dominicæ Cenæ; sed nunc abrogatum est Decretum illud de consecrat. d.2. quo dicitur sacramenta Altaris nonnisi à ieiunis hominibus celebrantur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur per communem consuetudinem, vel loquitur quantum ad astantes, qui non sumunt. 4.sent. d.8. q.1. art.4. quæstiunc.1. ad 3.

Quæritur an quis post redditionem debiti coniugalis possit communicare sequenti die.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Debitum coniugale.

Quæritur an quis potius debeat eligere, & permittere se excommunicari, quam Corpus Christi in peccatum sumere.

Respondeo dicendum, sicut verbo, Excommunicatio.

De illis, qui indignè accedunt ad Communionem. Cap. III.

1 *Peccatoribus cur non competat se communicare.*

Peccatores possunt inspicere Eucharestiam, non autem infideles.

2 *Aliquando prohibetur communio aliquibus sine sui culpa.*

3 *Ignorantia non crassa alicuius circumstantiæ excusat à peccato, si in eo se communicat quis.*

Nullus

Nullus potest certò scire se esse immunem à peccato.

Quattuor signa, quibus præsumi potest, quòd aliquis sit in gratia Dei.

4 *Ignorantia facti excusat à peccato.*

Ignorantia vniuersalis iuris non excusat.

Ignorantia prouenienes ex contemptu non excusat.

Quæ ignorantia non excuset, nec aggrauet.

Quæ ignorantia excuset aliquem, ne accedere dicatur indignè ad communionem.

5 *Si aliquis in peccato se communicet sine tamen conscientia sui peccati, ex sua tamen proueniens culpa puta ignorantia iuris, vel negligentia peccat.*

Si accedat ad communionem in peccato sine tamen conscientia sui peccati non ex sua culpa proueniente, non peccat.

6 *Communicans se in peccato mortali peccat mortaliter.*

7 *Vnum peccatum est grauius altero dupliciter, scilicet per se, & per accidens.*

Communicare se in peccato mortali est grauius multis alijs peccatis.

Non tamen est grauissimum omnium peccatorum.

8 *Peccatum communicantium in peccato mortali comparatur peccato crucifigentium Christum per similitudinem.*

Peccatum crucifigentium Christum secundùm se est grauius peccato communicantium se in peccato mortali.

9 *Fornicator communicans indignè comparatur Iudæ osculanti Christum secundùm similitudinem.*

Inter alia peccata mortalia fornicatio magis ineptum secundùm quid reddit hominem ad communicandum.

Infidelitas simpliciter reddit hominem ineptum ad communicandum.

10 *Proijciens Corpus Christi in lutum grauius peccat, quàm communicans indignè.*

11 *Ad dignè communicandum duo requiruntur, scilicet vt quis sit in gratia, & mens eius feratur actu in Deum.*

Respectu primi redditur quis magis indignus Eucharestia per peccatum spirituale, quàm per carnale.

Respectu secundi redditur magis indignus per peccatum carnale, quàm spirituale.

Simpliciter loquendo redditur quis magis indignus per peccatum spirituale, quàm carnale.

12 *Effectus plenus Eucharestiæ potest impediri sine peccato mortali, accedendo scilicet indeuotè ad communionem.*

13 *Per peccata venialia præterita non impeditur effectus communionis.*

Per peccata venialia præsentia impeditur effectus communionis in parte.

Per peccatum veniale actu impeditur spiritualis refectio.

Per peccatum veniale actu non impeditur augmentum gratiæ, & charitatis.

Quæritur an liceat peccatoribus se communicare.

1 Respondeo dicendum, quòd hoc sacramentum est spirituale nutrimentum, sicut Baptismus est spiritualis natiuitas; nascitur autem aliquis ad hoc, vt viuat, sed non nutritur, nisi iam viuus: & ideo hoc sacramentum non competit peccatoribus, qui nondum viuunt per gratiam, competit tamen eis Baptismus, & præterea Eucharestia est sacramentum charitatis, & ecclesiasticæ vnitatis, vt dicit Augustinus super Ioannem tract. 36. cum igitur peccator careat charitate, & sit separatus merito ab Ecclesiæ vnitate, si accedat ad hoc sacramentum, falsitatem committit, dum significat se habere charitatem, quam non habet, quia tamen peccator quandoque habet fidem huius sacramenti, licitum est ei hoc sacramentum inspicere, quod omnino infidelibus denegatur, vt Dionysius dicit 3. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. lect. 7. cap. 11. primæ ad Corinthios 13. p. q. 80. art. 4. ad 4.

Quaritur an communnio possit prohiberi alicui sine sua culpa.

2 Respondeo dicendum, quòd aliquis sine culpa quandoque ab Euchareſtia arctatur, ſicut patet in ſuſpenſis, vel interdictis, quia tales pœnæ quandoque alicui pro culpa alterius, qui in eis punitur, inferuntur. 4. ſent. d. 18. q. 2. a. 4. quæſtiunc. 3. ad tertium.

Quaeritur an communicans in peccato mortali per aliquam circumſtantiam, cuius eſt oblitus poſt debitum examen, peccet.

3 Reſpondeo dicendum, quòd ignorantia circumſtantiæ à peccato excuſat adhibita debita diligentia, præcipuè quādo eſt talis circumſtantia, cuius certitudo plenè haberi non poteſt; quòd autem homo ſit omnino à peccato immunis per certitudinem ſcire non poteſt 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; poteſt tamen de hoc haberi aliqua coniectura, præcipuè per quattuor ſigna, ſicut Bernardus dicit, primò cum quis deuotè verba Dei audit, quia qui eſt ex Deo, verba Dei audit Ioan. 8. ſecundò cum quis ſe promptum ad benè operandum inuenit, quia probatio dilectionis exhibitio eſt operis, vt dicit Gregorius hom. 30 tertiò cum quis à peccatis abſtinendi in futurum propoſitum habet; quartò cum de præteritis dolet, quia in his vera pœnitentia ſecundùm Gregoriū conſiſtit: vnde ſi aliquis per huiuſmodi ſigna facta diligenti diſcuſſione ſuæ conſcientiæ, quamuis fortè non ſufficienti, ad Corpus Chriſti deuotè accedat aliquo peccato mortali in ipſo manente, quod eius cognitionem præterfugiat, non peccat, immo magis ex vi ſacramenti peccati remiſſionem conſequitur: vnde Auguſtinus dicit in quodam ſermone, quòd quando Corpus Chriſti manducatur, viuificat mortuos. 4. ſent. d. 9. q. 1. a. 3. quæſt. 2. in corp.

Quaritur quænam ignorantia excuſet, vt quis dicatur dignè communicare.

4 Reſpondeo dicendum, quòd duplex eſt ignorantia peccati, vna qua ignoratur an aliquid peccatum ſit, & hæc quidem ignorantia ſi ſit in ſola cognitione conſiſtens quandoque excuſat peccatum, ſicut cum ignoratur circumſtantia, quæ peccatum facit, ſicut cum quis commiſcetur alienæ, quam credit ſuam; quandoque autem non excuſat, ſicut cum eſt ignorantia vniuerſalis iuris, immo ipſa ignorantia graue peccatum eſt, & videtur in his, quæ per ſe mala ſunt ad infidelitatem pertinere; in his autem, quæ ſunt mala, quia prohibita, ad negligentiam: ſi autem ſit talis ignorantia in cognitione ſimul, & affectione conſiſtens, ſicut ignorantia electionis, quando quis in illicitum improhibitè fertur, ac ſi eſſet licitum, ſicut dicit Phyloſophus de his, qui ex habitu alicuius vitij operantur, vt intemperati, tunc grauiſſimè peccat, qui ignorat, quia hæc ignorantia prouenit ex contemptu: alia ignorantia peccati eſt, quā id, quod ſcitur eſſe peccatum, iam non creditur eſſe, ſed ſibi dimiſſum eſſe, & talis ignorantia non excuſat, nec aggrauat illud peccatum, cuius ignorantia dicitur, ſed poteſt excuſare reſpectu ſequentis peccati, reſpectu cuius peccatum præcedens, quod ignoratū eſt, ſe habet vt circumſtantia, quæ peccatum in actu ſequenti induceret, ſi ſciretur, & ita eſt in propoſito: vnde quamuis ſit indignus ratione præcedentis peccati, non tamen indignè accedit, quia ignorantia excuſat à peccato illum acceſſum. 4. ſentent. diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 1.

Qua-

Quæritur quomodo se communicans sine conscientia peccati mortalis peccet, & non peccet.

5 Respondeo dicendum, quòd hoc q non habeat aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter, vno modo per culpam suã, vel quia per ignorantiam iuris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatũ mortale, vel quia negligens est in examine sui ipsius contra id, quod Apostolus dicit 1. Corinth. 11. Probet autem seipsũ homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; & sic nihilominus peccat sumens Corpus Christi, licèt non habeat consciẽtiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum; alio modo potest contingere sine culpa ipsius, puta cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus, & in tali casu non peccat sumendo Corpus Christi, quia homo per certitudinem scire non potest vtrum sit verè contritus: sufficit enim si in se signa contritionis inueniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cauere de futuris: si verò ignorat hoc, quod facit esse actum peccati propter ignorantiam facti, quæ excusat (puta si accessit ad non suam, quam credebat esse suam) non ex hoc dicendus est peccator; similiter etiam si totaliter est peccati oblitus, sufficit ad eius deletionem generalis contritio, vnde iam non est dicendus peccator. 3. p. q. 80. a. 4. ad 5.] 4. sent. d. 9. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an communicans se in peccato mortali peccet mortaliter.

6 Respondeo dicendum, quòd quicunque hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo vnitum, & membris eius incorporatum, quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali: & ideo manifestũ est, quòd quicunque cum peccato mortali hoc sacramentũ sumit, falsitatẽ in hoc sacramento committit: & ideo incurrit sacrilegium tanquam sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat. 3. p. q. 80. a. 4. in corp.] 4. sent. d. 9. a. 3. quæst. 1. in corp.

Quæritur an communicare se in peccato mortali sit grauissimum omnium peccatorum.

7 Respondeo dicendum, quòd dupliciter aliquod peccatum potest dici grauius alio, vno modo per se, alio modo per accidens; per se quidem secundùm rationem suæ speciei, quæ attenditur ex parte obiecti, & secundùm hoc quantò id, contra quod peccatur, est maius, tantò peccatum est grauius, & quia Diuinitas Christi est maior Humanitate ipsius, & ipsa Humanitas est potior, quàm sacramenta Humanitatis: inde est, quòd grauissima peccata sunt, quæ committuntur in ipsam Diuinitatem, sicut est peccatum infidelitatis, & blasphemiæ; secundariò autem sunt grauia peccata, quæ committuntur in Humanitatem Christi, vnde & Matthęi 12. dicitur: Qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctũ, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro; tertio autem loco sunt peccata, quę committuntur contra sacramenta, quæ pertinent ad Humanitatem Christi, & post hoc sunt alia peccata contra puras creaturas: per accidens autem vnum peccatum est grauius alio ex parte peccantis, puta peccatum, quod est ex ignorantia, vel infirmitate est leuius peccato, quod est ex contemptu, vel certa scientia, & eadem ratio est de alijs circũstantijs; & secundùm hoc istud peccatum in quibusdam potest esse grauius, sicut in his, qui ex actuali contemptu cum consciẽtia

tia peccati ad hoc sacramentum accedunt; In quibusdam verò minus graue, puta in his, qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato cum conscientia peccati ad hoc sacramentũ accedunt: sic ergo patet, quòd hoc peccatum est multis alijs grauius secundùm suam speciē, non tamen est omnium grauissimum. 3.p. q.80.a.5.in corp.] 4.sent.d.9.q.1.a.3.quęstiunc.3.in corp.

Quæritur quomodo peccatum indignè sumentium comparetur peccato.

8 Respondeo dicendum, quòd peccatũ indignè sumentium hoc sacramentum cõparatur peccato occidentium Christum secundùm similitudinem (quia vtrumque committitur contra corpus Christi) non tamen secundùm criminis quantitatem; peccatum enim occidentium Christum fuit multo grauius, primò quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria; hoc autem peccatũ est contra corpus Christi, sed in specie sacramenti; secundò quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum. 3.p.q.80.art.5. ad primum.

Quæritur quomodo fornicator communicans se comparetur Iudæ osculanti Christum.

9 Respondeo dicendum, quòd fornicator accipiens corpus Christi comparatur Iudæ Christum osculanti quantum ad similitudinem criminis (quia vterque ex signo Charitatis Christum offendit) non tamen quantum ad criminis quantitatē; hæc tamen criminis similitudo non minus competit alijs peccatoribus, quàm fornicatoribus, nam & per alia peccata mortalia agitur contra Charitatem Christi, cuius signum est hoc sacramentum, & tantò magis, quantò peccata sunt grauiora; secundùm quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptũ ad perceptionem huius sacramenti, inquantum scilicet per hoc peccatum spiritus maximè carni subijcitur, & ita impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento, plus tamen ponderat impedimentum ipsius Charitatis, quàm feruoris eius: vnde & peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiæ vnitate, simpliciter loquendo maximè hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti, quod est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, vnde & grauius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum, quàm fidelis peccator, & magis contemnit Christum, secundùm quod est sub hoc sacramento, præsertim si non credat Christum verè sub hoc sacramento esse, quia quantum est in se diminuit sanctitatem huius sacramenti, & virtutem Christi operantis in hoc sacramento, quod est contemnere ipsum sacramentum in seipso; fidelis autem, qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum non in seipso, sed quantum ad esum indignè accipiens; vnde & Apostolus 1. Corinth. 11. assignans rationem huius peccati dicit, non diiudicans corpus Domini, idest non discernens ipsum ab alijs cibis, quod maximè facit ille, qui non credit Christum esse sub hoc sacramento. 3.p.q.80.a.5.ad 2.

Quæritur an grauius peccet indignè communicans, quàm proijciens Hostiam consecratam in lutum.

10 Respondeo dicendum, quòd qui proiceret sacramentum Euchareſtiæ in lutum multo grauius peccaret, quàm ille, qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit, primò quidē, quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacramento, quod nō intendit peccator indignè corpus Chri-

sti

sti accipiens; secundò, quia homo peccator est capax gratiæ, vnde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum, quàm quæcunque alia irrationalis creatura, vnde maximè inordinatè vteretur hoc sacramento, qui proijceret ipsum canibus ad manducandum, vel qui proijceret in lutum conculcandum. 3. p. q.80. a.15. ad 3.

Quæritur an communicans se in peccato mortali carnali grauius peccet, quàm communicans se in peccato mortali spirituali.

11 Respondeo dicendum, quòd ad hoc, quòd aliquis dignè Corpus Christi manducet, duo requiruntur, scilicet vt sit in statu gratiæ, per quam capiti Christo vnitur, & quod in actu mens eius feratur ad Diuina, vnde & Sacerdos monet populum, Sursum corda Deum habere; peccatum autem quantò est grauius, tantò magis à gratia elongat: vnde cum peccata spiritualia secundùm genus sint grauiora carnalibus, vt per Gregorium patet lib. 31. Moralium, cap. 31. super cap. 39. Iob; quamuis aliquod carnale aliquo spirituali sit grauius loquendo in genere, per peccatum spirituale aliquis efficitur magis indignus manducationis Corporis Christi, quàm per peccatum carnale quantum ad primum, quod requirebatur ad dignè manducandum; sed quia per peccatum carnale, per luxuriam, præcipuè mens humana deprimitur, vt ad superna ferre non possit, quia etiam in actu matrimoniali Spiritus Sanctus corde Prophetarũ non tangit, vt Hieronymus dicit, & secundùm Phylos. in 7. Ethic. impossibile est hominem aliquid intelligere in ipsa delectatione venereorum, per peccatum carnale homo magis indignus redditur quãtum ad secundum quod exigebatur ad dignè communicandum; sed quia multò grauius est habitum gratiæ tollere, quàm actum virtutis impedire, cum illud pertineat ad peccatum mortale semper: hoc autem interdum ad veniale, maior indignitas relinquitur ex defectu primi, quàm ex defectu secundi: & ideo, simpliciter loquendo, plus peccat, qui peccato maiori irretitus accedit, nisi per ignorantiam excusetur: certius autem cognosci potest peccatum mortale in peccatis carnis, præcipuè luxuriæ, quàm in peccatis spiritualibus: & ideo quantum ad hoc per accidens peccat plus accedens cum carnali peccato, quamuis simpliciter, & per se loquendo, peccet plus accedens cum spirituali, si spirituale carnali sit grauius. 4. sentent. distinct. nona, quæst. 1. articulo 3. quæstiuncula 5. in corp.

Quæritur an effectus Euchareſtiæ possit impediri absque peccato mortali.

12 Respondeo dicendum, quòd ad hoc, quòd Eucharestia effectum suum plenè habeat in sumente oportet, quòd adsit actualis deuotio, & quia interdum absque mortali peccato actualis deuotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutum actum tollant, absque peccato mortali potest effectus huius sacramenti impediri, ita quod aliquod augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrit, sed fortè reatum venialis peccati ex eo quòd imparatus accedit. 4. sententiarum, distinct. 12. quæst. 2. a. 1. questiunc. 3. in corp.

Quæritur quomodo peccata venialia impediant effectum Eucharestiæ.

13 Respondeo dicendum, quòd peccata venialia dupliciter accipi possunt, vno modo, prout sunt præterita; alio modo, prout sunt actu exercita.

bet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus, vel expulsionis, vnde in Concilio Cartaginensi legitur (& habetur in Decret. 26. q.2.) is qui infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in frenesim conuersus fuerit, dent testimonium quicunque audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharestia. 3. p. q.80. a.9. in corp.] 4.sent.d.11 q.1.a.5.quæst.3. in corp.

Quæritur an dæmoniacis sit neganda communio.

4 Respondeo dicendum, quòd Cassianus dicit, eis, qui ab immundis vexatur spiritibus communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam. 3.p. quæst. 80. artic.9. ad secundum.

Quæritur an pueris sit danda sacra communio.

5 Respondeo dicendum, quòd eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt vsum rationis, vnde talibus non sunt sacra mysteria danda, quamuis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quod Dionysius 2. Cœlestis Hierarchiæ dicit: Baptizatis esse sacram communionem dandam, non intelligentes, quòd Dionysius ibi loquitur de Baptismo adultorum, nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur propter hoc, quòd Dominus dicit Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis; quia sicut Augustinus scribit Bonifacio, tunc vnusquisque fidelium Corporis, & Sanguinis Domini particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur; sed quando iam pueri incipiunt aliquem vsum rationis habere, vt possint deuotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri. 3.p.q.80.a.9.ad 3.

Quæritur in qua ætate possit dari communio pueris.

6 Respondeo dicendum, quòd pueris carentibus vsu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem, & corporalem non debet Eucharestia dari; pueris autem iam incipientibus habere discretionem etiam ante perfectam ætatem, puta cum sint decem, vel vndecim annorum, aut circa hoc potest dari, si in eis signa discretionis appareant, & deuotionis. 4.sent. distinct.9. quæst.1. artic.5. quæstiunc.4. in corp.

Quæritur an suspectis sit neganda communio.

7 Respondeo dicendum, quòd triplex est suspicio, quædam est violenta, ad cuius contrarium non admittitur probatio, sicut si inueniatur solus cum sola nudus in loco secreto, & tempore apto ad commistionem; alia est probabilis, sicut si inueniatur solus cum sola colloquens in locis suspectis, & frequenter; tertia est præsumptuosa, quæ ex leui coniectura ortum habet. Hæc autem vltima deponenda est; in secunda non debet denegari, quia pœna non infligitur vbi culpa ignoratur; sed de prima est idem iudicium, quod de peccato: vnde si sit suspicio procedens ex fama publica non debet ei dari neque in occulto, neq. in manifesto; si autem sit singularis ipsius Sacerdotis, sic debet dari in publico, sed non in occulto. 4.sent. d.9. q.1. a.5. quæstiunc.2. in corp.

Quæritur an immunditia corporalis impediat communionem.

8 Respondeo dicendum, quòd cum iste cibus non sit corporis, sed mentis cibus, magis in eius sumptione consideranda est dispositio mentis, quàm corporis: & ideo distinguendum est in immunditia corporali tantùm, quia aut est perpetua, sicut lepra, aut diuturna, vel est temporalis, & citò purgabilis; si quidem sit perpetua, vel diuturna, tunc nullo modo propter hoc quis abstinere debet, ne propter immunditiam corporis perdatur fructus mentis, sicut accidit in leprosis, patientibus fluxum sanguinis, vel seminis; si autē sit temporalis, & facilè expurgabilis, tūc si aliquis in mente sit benè dispositus sumere non prohibetur, quamuis etiam possit ad tempus laudabiliter abstinere propter reuerentiam tanti Sacramenti. 4. sent. d.9.q.1.a 4.quæst.3. in corp.

Quæritur an Sacerdos leprosus possit celebrare.

9 Respondeo dicendum, quòd interdicitur Sacerdoti leproso, ne celebret publicè coram populo propter honorem, vt patet extra de cler. ægrot. vel debil. cap. tua nos; tamen secretè bene potest ex deuotione celebrare, nisi sit adeò corruptus, quòd ministerium sine periculo explere non possit; leprosus tamen ad Sacerdotium promoueri non debet. 4. sentent. distinct. 9. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 3. ad tertium.

Ad quem pertineat dispensare Euchareſtiam. Cap. V.

1 *Ad Sacerdotem pertinet dispensatio Corporis Christi.*

2 *Non licet accipere Corpus Christi ab hæretico, excommunicato, & peccatore,*

A peccatore Sacerdote potest accipi Corpus Christi, donec per Ecclesiam sententietur.

3 *Ex hoc quod non possumus accipere Corpus Christi à supradictis Sacerdotibus, non inferimus irreuerentiam Sacramento, sed culpam Sacerdotis abhorremus.*

4 *Accipiens Corpus Christi à concubinario Sacerdote peccat.*

Sacerdotes concubinarij non sunt vitandi, nisi sint notorij.

Tripliciter dicitur quis notorius concubinarius.

Quæritur ad quem pertineat dispensatio Corporis Christi.

1 Respondeo dicendum, quòd ad Sacerdotem pertinet dispensatio Corporis Christi propter tria, primò quidem, quia ipse consecrat in persona Christi, ipse autem Christus sicut consecrauit Corpus suum in cœna, ita & alijs sumendum dedit: vnde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio Corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio; secundò, quia Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum: vnde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata diuinitùs populo tradere; tertiò quia in reuerentiam huius sacramenti à nulla re contingitur, nisi consecrata, vnde & Corporale, & Calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum: vnde nulli tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu. 3. parte, quæstione 82. articulo tertio, in corp.

Quæritur an liceat Corpus Christi accipere ab hæretico, excommunicato, peccatore.

2 Respondeo dicendum, quòd Sacerdotes si sint hæretici, vel excōmunicati, vel

etiam peccatores; quamuis habeant potestatem consecrandi Eucharestiam, non tamen ea rectè vtuntur, sed peccant vtentes; quicunque autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur, vnde & in secunda Canon. Ioannis dicitur, quòd qui dixerit ei, Aue, scilicet hæretico communicat operibus illius malignis: & ideo non licet à prædictis cõmunionem accipere, aut eorum Missam audire: Differt tamen inter prædictas sectas, nam hæretici, & schismatici, & excõmunicati sunt per sententiam Ecclesiæ executione consecrandi priuati: & ideo peccat quicunque eorum Missam audit, vel ab eis accipit sacramenta sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiæ executione huius potestatis priuati, & sic quamuis sint suspensi ad se ex sententia Diuina, non tamen quantum ad alios ex sententia Ecclesiæ: & ideo vsque ad sententiam Ecclesiæ licet ab eis communionem accipere, & eorum Missam audire. 3. p. q. 82. a. 9. in corp.

Quæritur an non accipere Euchareſtiam à ſupradictis ſit irreuerentiam Eucharestiæ inferre.

3 Respondeo dicendum, quòd in hoc, quòd refugimus audire Missas talium Sacerdotum, aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei sacramenta, sed potius ea veneramur: vnde hostia à talibus Sacerdotibus consecrata est adoranda, & si reseruetur, licitè potest sumi à Sacerdote legitimo, sed refugimus culpam indignè ministrantium. 3. p. q. 82. ar. 9. ad 1.

Quæritur an liceat communionem accipere à Sacerdote concubinario.

4 Respondeo dicendum, quòd si aliquis à tali Sacerdote sacramentum suscipiat, peccat, & sic gratiam non consequitur; hic tamen sciendum, quòd concubinarij Sacerdotes non sunt vitandi, nisi sint notorij, & dicuntur notorij tribus modis, vel propter sententiam, quia conuicti sunt, vel per confessionem in iure factam, vel per sui euidentiam, sicut quando est ita manifestum, quòd nulla potest tergiuersatione cælari, ab alijs autem peccatoribus licet sacramenta recipere. 4. sent. d. 13. q. 1. a. 3. quæst. 3. in corp.] 3. p. q. 82. a. 9. ad 3.

De modis communicandi se. Cap. VI.

1 *Duplex modus communicandi se, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter.*
2 *Duobus modis contingit manducare Christum spiritualiter.*
Manducare Christum in propria specie conuenit Angelis beatis per fruitionem, & visionem beatam.
Manducare Christum sub specie sacramentali conuenit fidelibus.
Angelis conuenit manducare Christum, non tamen sacramentum.
Fidelibus conuenit manducare Christum & sacramentum spiritualiter.
3 *Peccator potest manducare sacramentaliter corpus Christi.*
4 *Tria genera communicantium sacramentaliter.*
Qui sint maleuoli.
Qui sint dolosi.
Qui sint præsumptuosi.
5 *Quam pœnam patiantur maleuoli.*
6 *Quæ pœna debeatur dolosis.*
7 *Quæ mala accidant præsumptuosis.*
8 *Triplex remedium contra prædicta mala, scilicet emendatio vitæ, correctio malitiæ, mutatio personæ incorrigibilis.*

Quæ-

Quaritur quotuplex sit modus communicandi se.

1 RESpondeo dicendum, quòd in sumptione huius sacramenti duo sunt consideranda, scilicet ipsum sacramentum, & effectus ipsius; perfectus igitur modus sumendi hoc sacramẽtum est, quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit, quod percipit eius effectum; contingit autem quandoque, quòd aliquis impeditur à percipiendo effectum huius sacramenti, & talis sumptio huius sacramẽti est imperfecta; sicut igitur perfectum contra imperfectum diuiditur, ita sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius diuiditur contra spiritualem manducationem, per quam quis percipit effectum huius sacramenti, quo spiritualiter homo Christo coniungitur per Fidem, & Charitatem. 3.p.q.80.a.1.in corp.

Quaritur quibus conueniat manducare Christum spiritualiter.

2 Respondeo dicendum, quòd in hoc sacramento continetur ipse Christus non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti: dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christũ, vno modo prout in specie consistit, & hoc modo Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, inquantum ei vniuntur fruitione Charitatis perfectæ, & visione manifesta (quem panem expectamus in Patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur; alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus huius sacramenti, inquantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum, & hoc non solùm est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum, quod non competit Angelis: & ideo licet Angeli spiritualiter manducent Christum, non tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum. 3.p.q.80.a.2.in corp.

Quaritur an peccatores possint manducare Corpus Christi sacramentaliter.

3 Respondeo dicendum, quòd quidam antiqui errauerunt dicentes, quòd Corpus Christi, nec etiam sacramentaliter à peccatoribus sumitur, sed quàm citò ab ijs peccatoribus cõtingitur, tam citò sub speciebus sacramentalibus desinit esse Corpus Christi, sed hoc est erroneum: derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet, quòd manentibus speciebus Corpus Christi sub eis esse non desinat, species autem manent quamdiu substantia panis maneret, si ibi adesset: manifestum est autem, quòd substantia panis assumpta à peccatore non statim esse desinit, sed manet quamdiu per calorem naturalem digeratur: vnde tamdiu Corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet à peccatoribus sumptis, vnde dicendum est, quòd peccator sacramentaliter Corpus Christi manducare potest; & non solùm iustus. 3.p.q.80.a.3.in corp.

Quaritur quot genera sint communicantium sacramentaliter.

4 Respondeo dicendum, quòd sacramentaliter manducantium tria sunt genera; primi maleuoli; secundi dolosi; tertij præsumptuosi. Primi sunt, qui Corpus Domini sumunt in peccandi voluntate; secundi sunt hipocritæ, qui foris boni apparentes, occultè sunt praui, & tanquam iusti accedunt ad altare; tertij sunt, qui maximè mali sunt, & tamen præsumunt communicare. opusculo 58.cap.17.

Quæ pœna detur maleuolis.

5 Respondeo dicendum, quòd maleuolos tria mala sequuntur, peccati sui aggrauatio, à gratia Christi separatio, ad æternam pœnam condemnatio. opusculo 58.cap.17.

Quæritur quæ pœna debeatur dolosis.

6 Respondeo dicendum, quòd hypocritas similiter tria mala sequuntur, socij Iudæ traditoris efficiuntur, coram toto mũdo confundentur, extra bonorum consortium proijcientur. opusculo 58.c.17.

Quæritur quæ mala proueniunt præsumptuosis.

7 Respondeo dicendum, quòd primum malum præsumptuosè manducãtium est magna culpa; secundum malũ est magna Dei offensa; tertium malum est multiplex plaga, & grauis est iusta Dei vindicta. opusculo 58.cap.18.

Quæritur quæ remedia sint contra prædicta mala.

8 Respondeo dicendum, quòd contra iam dicta mala est triplex remedium, primum est emendatio vitæ per pœnitentiã voluntariam; secundum est correctio malitiæ per Superiorum disciplinam; tertium mutatio incorrigibilis personæ per iustitiæ districtionem. opusc.58.cap.18.

Casus occurrentes in sacra Cõmunione. Cap. VII.

1 *Si Hostia appareat in forma carnis, & sanguinis sub specie sanguinis, non sumatur à Sacerdote.*

In hoc casu Sacerdos iterum consecret, & sumat.

2 *Hostia apparens in forma carnis potest sumi ab eo, cui non apparet in tali forma.*

Si omnibus appareat in tali forma seruetur Hostia cum reliquijs.

3 *Quando apparet Hostia sub forma carnis, iterum consecret; si secundo apparuit, tertio consecret.*

Quidam dicunt in tali casu sufficere spiritualem manducationem.

4 *Seruanda est Hostia pro infirmis.*

5 *In casu necessitatis Sacerdos potest dare partem Hostiæ consecratæ pro se infirmo.*

6 *Pars Hostiæ immissa in calice non debet dari populo.*

Quæritur an Hostia apparens in forma carnis sit sumenda.

1 Respondeo dicendum, quòd si miraculosè Corpus Christi in Altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis non est sumendum: dicit enim Hieronymus super Leuit. De hac quidem Hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illa vero, quam Christus in ara Crucis obtulit, secundùm se nulli edere licet; nec propter hoc Sacerdos transgressor efficitur, quia ea, quæ miraculosè fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset Sacerdoti, quòd iterato Corpus, & Sanguinẽ Domini cõsecraret, & sumeret. 3.p. q.82. a.4. ad 3. 4.sent.d.10.a.4. q.3.ad 2.

Quæritur à quo possit sumi talis Hostia.

2 Respondeo dicẽdum, quòd quia Corpus Christi in sacramento sub specie panis nobis proponitur: ideo vsus sacramẽti est per manducationem; cum ergo in specie propria, vel in specie carnis cruentatę apparens, vel in simili specie non habeat rationem cibi, nõ debet assumi ab eo, cui sic apparet, sed ab alio, cui sub specie panis apparet; si autem ab omnibus sub specie carnis appareret, tunc debet cum reliquijs poni. 4.sent. d.10. a.4. q.3. in corp.

Quæ-

Quaeritur quid facere debeat Sacerdos si pluries Hostia appareat miraculosè.

3 Respondeo dicendum, quòd in tali casu Sacerdos debet iterum celebrare, vt quidam dicunt, & Corpus Christi sumere; & si secundo hoc accideret, iterum tertio; quidam autem dicunt, quòd in tali casu sufficit spiritualis manducatio. 4. sent. d. 10. a. 4. quaest. 3. ad 2.

Quaeritur an necesse sit Hostiam consecratam conseruari pro infirmis.

4 Respondeo dicendum, quòd oportet alias Hostias consecratas pro infirmis conseruare, vnde consecrat. d. 2. legitur: Presbyter Euchareſtiam semper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur. 3. p. q. 83. artic. 5. ad vndecimum.

Quaeritur in quo casu possit dari pars Hostiae consecratae in Missa infirmo.

5 Respondeo dicendum, quòd in casu, quòd postquam Sacerdos consecrauerit, aliquis infirmetur ad mortem, & instanter petat Corpus Christi in vltima necessitate constitutus, non oportet, quòd Sacerdos communionem intermittat, sed potest dare infirmo petenti partem Hostiae consecratae. 4. sent. d. 12. q. 3. a. 2. quaestiunc. 2. ad 1.

Quaeritur an possit dari populo pars Hostiae immissae in Calice.

6 Respondeo dicendum, quòd pars in Calicem missa non debet populo dari in supplementum communionis, quia panem intinctum non porrexit Christus, nisi Iudae proditori. 3. p. q. 83. a. 5. ad 9.

CONCILIVM.

1 *Cuius auctoritate Concilium congregari possit.*

2 *Primum Concilium fuit Nicenum, in quo trecentum decē & octo Episcopi fuerunt.*

In hoc Concilio condemnatus fuit Arrius.

Secundum Concilium fuit Constantinopolitanum, in quo erant centum quinquaginta Episcopi.

In hoc Concilio condemnata fuit haeresis Macedonij.

Tertium Concilium fuit Ephesinum ducentorum Episcoporum.

In hoc Concilio condemnatus fuit Nestorius.

Quartum Concilium fuit Calcedonense sexcentorum triginta Episcoporum.

In hoc Concilio damnatus fuit Eutices cum Dioscoro.

3 *Christi fidelis tenetur credere ea, quae per Concilia determinantur.*

Est haereticus, qui non credit huiusmodi decretis.

4 *Ecclesia non potest errare in his, quae pertinent ad Fidem.*

Magis standum est sententiae Papae, quàm sententiae Sapientum hominum.

5 *Quo fine congregabantur Concilia.*

Sententia Concilij confirmatur à Papa.

A Concilio potest appellari ad Papam.

Non est necesse congregare vniuersale Concilium ad explicationem eorum, quę sunt de Fide.

6 *Circa quę Ecclesia possit errare.*

Quęritur cuius auctoritate Concilium congregari possit.

1 RESpondeo dicendum, quòd Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari, vt habetur in Decret. distinct. 17. 2. 2. quaest. 1. artic. decimo.

Quae-

Quæritur quot & quæ fuerint celebriora Concilia & quid in eis fuit determinatum.

2 Respondeo dicendum, quòd primum Concilium fuit Nicenum trecentorum decem, & octo Episcoporũ tempore Constantini, vbi condemnatus est Arrius Presbyter Alexandrinus, vt Historiæ tradũt, qui Filium Dei asserebat minorem Patre, vbi de dicto Principe fertur, quòd eidem Concilio omnes sumptus fecit, quasi in hoc recognoscens suum Dominum Vicarium Christi, cuius vices totum gerebat Concilium, quia Beatus Syluester absens fuerat ab eodem ex speciali causa. Secundum autem Concilium fuit Constantinopoli sub Ciriaco Papa celebratum, quidã tamen dicunt sub Damaso pręsente Theodosio seniore, vt Historiæ tradunt, centũ quinquaginta Episcoporum, in quo fuerunt multæ hæreses condemnatæ, sed pręcipuè Macedonij Episcopi Constantinopolis, qui Spiritum Sanctum negabat esse Deum Patri consubstantialem, & Filio: hic autem Theodosius tantæ reuerentiæ fuit ad Ecclesiam, quod, vt scribit Gelasius Anastasio Imperatori, Beato Ambrosio prohibente eidem ingressum Ecclesiæ non fuit ausus intrare, quin potius excõmunicauit eum, quia consensit in necem multitudinis Thessalonicæ, eo quòd suum iudicem occidissent, vt narrat Historia Tripartita; quod totum Princeps Catholicus patienter tulit, & tandem durissimè reprehensus ab ipso publicam prius egit pœnitentiam, quàm publicum haberet Ecclesiæ ingressum. Tertium autem Concilium celebratum fuit sub Theodosio iuniore Archadij filio apud Ephesum ducentorum Episcoporum tempore Cęlestini Primi, licet præsens non fuerit, sed eius vices gessit Cyrillus Alexandrinus Episcopus confidentia Theodosij, qui tanta fuit honestatis, & maturi consilij, & reuerentiæ ad Diuinum cultum, quòd etiã in tenella ætate permissus est imperare, vt Historiæ tradunt. Synodus autem prædicta contra Nestorium Constantinopolis Episcopum congregata fuit, qui duas personas ponebat in Christo, & duo supposita, per quæ tollebat vera vnio vtriusque naturæ. Quartum autem Concilium fuit celebratum in Calcedonia sexcentorum triginta Episcoporum sub Leone Primo, præsente Principe Martiano, de quo pro reuerentia Romanæ Ecclesię sic dixisse fertur in actione septima præfatæ Synodi, Nos, inquit, ad Fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi viri Constantini, huic Concilio interesse volumus, vt inuenta veritate nõ vltra multitudo prauis Doctrinis astracta discordet; per quod habeo, quòd tota intentio Principum antiquitùs erat ad fauendum Fidei, & Ecclesiæ Romanæ reuerentiæ, & honori. In hoc autem Concilio damnatus est Eutices cũ Dioscoro Episcopo Alexandrino, qui sicut Nestorius ponebat naturas, & personas distinctas, sic isti asserebant confusas, & admixtas. opusculo 20. lib. 3. cap. 17.

Quæritur an teneamur credere determinata per Concilia.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut tenemur credere illud, quod est in sacra Scriptura, ita illud, quod est communiter per Ecclesiam determinatum, vnde hæreticus iudicatur, qui sensit contra determinationem Conciliorum. Quodlibeto 9. art. 16.

Quæritur an sit magis standum sententiæ Papæ, quàm opinioni sapientum hominum.

4 Respondeo dicendum, quòd certum est, quòd iudicium Ecclesiæ vniuersalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile est: vnde magis est standum sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare

nare

nare de Fide, quam in iudicio profert, quàm quarumcumque sapientum hominum in scripturis opinioni. Quodlibeto 9.a.16.in corp.

Quaritur ad quid congregabantur Concilia.

5 Respondeo dicendum, quòd doctrina Catholicæ Fidei sufficienter tradita fuit in Symbolo Niceno, vnde Sancti Patres in sequentibus Synodis non intenderunt aliquid addere, sed propter insurgentes hæreses id, quod implicitè continebatur explicare studuerunt: vnde in determinatione Calcedonensis Synodi, dicitur: Præsens nunc sancta, & magna, atque vniuersalis Synodus prædicationem hanc ab initio inconcussam docens, diffiniuit principaliter trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui scilicet in Nicea cõuenerunt Fidem manere intentabilem, & propter illos quidem aduersum Spiritum Sanctum pugnat posteriori tempore à Patribus apud Cõstantinopolim centũ quinquaginta congregatis de substantia Spiritus traditam doctrinam corroborat, q̃ illi omnibus notam fecerunt, non quasi quidem aliquid esse minus in præcedentibus inferentes, sed de Spiritu Sancto intellectum eorum aduersus eos, qui Dominum eius respuere tentauerunt scripturarum testimonijs declarantes: puta per hunc modum dicendum est, quòd processio Spiritus Sãcti à Filio implicitè in Symbolo Constantinopolitano continetur, inquantum continetur id, quod procedit à Patre, quia quod de Patre intelligitur, oportet & de Filio intelligi, cum in nullo differant, nisi quia hic est Filius, & ille Pater, sed propter insurgentes errores eorum, qui Spiritum à Filio esse negabãt, conueniens fuit vt in Symbolo poneretur non quasi aliquid additum, sed explicitè interpretatum, quod implicitè continebatur; sicut si insurgeret hæresis, quæ negaret Spiritum Sanctum esse factorem cœli, & terræ, oporteret hoc explicitè poni, cum in prædicto Symbolo hoc non dicatur nisi de Patre; sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationẽ, ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cuius auctoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur; quæ omnia patent ex gestis Calcedonensis Synodi; nec est necessarium, quòd ad eius expositionem faciendam vniuersale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeat bellorum dissidia, sicut in septima Synodo legitur, quòd Constantinus Augustus dixit, quod propter imminentia bella vniuersaliter Episcopos congregare non potuit, sed tamen illi, qui conuenerunt quædam dubia in fide exorta sequentes sententiam Agatonis Papæ determinauerunt, scilicet quòd in Christo sint duæ voluntates, & duæ actiones; & similiter Patres in Calcedonensi Synodo congregati sequuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinauit Christum esse in duabus naturis. q. 10. de potentia Dei, ar. 4. ad 13.

Quaritur circa qua errare possit Ecclesia.

6 Respondeo dicendum, quòd in alijs sententijs, quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiæ errare propter falsos testes. Quodlibeto 9. art. 16. in corp.

CONCVBINATVS.

1 *Quid sit concubinatus.*
Concubinatus est contra legem naturæ.
2 *Prima præcepta legis naturæ dispensationem non habent.*

Quo-

Quomodo intelligendum sit, quòd aliqui veteris legis concubinas habuerint.

Nunquam fuit licitum habere concubinam.

3 *Concubinatus est peccatum mortale.*

4 *Concubinatus est contra bonum prolis.*

5 *Gentiles reputabant non esse malum accedere ad concubinam.*

6 *Dominus non potest licitè vti ancilla ad concubitum.*

Quæritur an habere concubinam sit contra legem naturæ.

1 RESpondeo dicendum, quòd quicunque concubitu vtitur propter delectationem, quæ in ipso est non referendo ad finem à natura intentum, contra naturam facit, & similiter etiam nisi sit talis concubitus, qui ad illum finem conuenienter ordinari possit; & quia res à fine plerumque nominantur tanquam ab optimo, sicut coniunctio matrimonij à prolis bono nomen accepit, quod per matrimonium principaliter quæritur, ita concubinæ nomen illam coniunctionem exprimit, qua solus concubitus propter seipsum quæritur,& si etiam aliquis quandoque ex tali concubitu prolem quærat, non tamen est conueniens ad prolis bonum, in quo non solùm intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio,& instructio, per quā accipit nutrimentum, & disciplinam ex parentibus,in quibus tribus parētes proli tenentur secundùm Phylos.in 8.Eth.cum autem educatio,& instructio prolis à parentibus debeatur per longum tempus, exigit lex naturæ,vt pater, & mater in lōgum tempus commaneant ad subueniendum communiter proli; vnde & aues, quæ communiter puellos nutriunt ante completam nutritionem non separantur à mutua societate, quæ incipit à concumbendo: hæc autem obligatio ad commanendum fœminam cum marito matrimonium facit: & ideo patet,quòd accedere ad mulierem non iunctam sibi matrimonio,quæ concubina vocatur,est contra legem naturæ. 4.sent. d.33.q.1.a.3.quæst.1. in corp.

Quæritur an aliquando fuerit licitum concubinam habere.

2 Respondeo dicendum, quòd Rabi Moyses dicit,quòd ante tempus legis fornicatio non erat peccatum, quod probat ex hoc, quòd Iudas cum Thamar concubuit, sed ista ratio non cogit; non enim necesse est filios Iacob à peccato mortali excusari, cum accusati fuerint apud patrem crimine pessimo, & in Ioseph necē, vel venditionem consenserint: & ideo dicendum est, quòd cum habere concubinā non matrimonio iunctam sit contra legē naturæ, nullo tempore secundùm se licitum fuit,nec etiam ex dispensatione; cōcubitus enim cum ea, quæ non est matrimonio iuncta non est conueniens actus ad bonum prolis, quod est principalis finis matrimonij: & ideo est contra prima præcepta legis naturæ, quæ dispensationem non recipiunt: vnde vbicumque legitur in veteri Testamento aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit à peccato mortali excusare, oportet eas esse matrimonio iunctas, & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione vxoris, & aliquid de ratione concubinæ; secundū enim, quòd matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis vxor viro coniungitur insolubili coniunctione,vel saltem diuturna,& contra hoc non est aliqua dispensatio, sed quantum ad secundum finem, qui est dispensatio familiæ, & communicatio operum vxor coniungitur vt socia, sed hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur; in hoc enim poterat esse dispensatio, cum sit secundarius matrimonij finis, & ex hac parte habebant aliquid simile cōcubinæ, ratione cuius concubinæ nominantur,

nantur. 4.sent. d.33.q.1.a.3. quæstiunc.3. in corp.& ad 1.

Quæritur an accedere ad concubinam sit peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd cum cõcubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intẽdit, non est dubiũ, ꝙ fornicatio simplex de sui rõne est peccatum mortale, etiam si lex scripta nõ esset. 4.sent d.33.q.1.a.3. quæst.2.in corp.] 2.2. q.154. a.2. in corp.] 3. contra gentes cap. 122.] q.15.de malo,2.in corp.

Quæritur an concubinatus sit contra bonum prolis.

4 Respondeo dicendum, quòd habere concubinam est contra bonũ prolis quãtũ ad id, quòd natura in eo de prima intentione intendit, s. educationem, & instructionem, quæ requirit diuturnam cõmansionem parentum, quod non est in concubina, quæ ad tempus assumitur. 4. sent. d.33.q.2.a.2.quæst.1 ad 2.

Quæritur vnde oriebatur, quòd Gentiles concubinatum putabant esse licitum.

5 Respondeo dicendum, quòd in gentibus quantum ad multa lex naturę offusca ta erat, vnde accedere ad concubinã malum non reputabant, sed passim fornicatione, quasi re licita vtebantur. 4.sent. d. 33.q.1.a.3. quæst.1.ad 1.

Quæritur an dominus possit vti ancilla ad concubitum, cum sit res sua.

6 Respondeo dicendum, quòd ancilla quamuis sit res domini ad obsequium, non est tamen res sua ad concubitum. 4. sent.d.33.q 1.a.3. quæst.1.ad 4.

CONCVPISCENTIA.

1 *Quid sit concupiscentia.*
In quo sit subiectiuè concupiscentia.
2 *Dupliciter dicitur aliquid puerile.*
Cõcupiscentia assimilatur puero quo ad tria.
3 *Magnitudo, & debilitas concupiscentiæ ex duobus oriri potest.*
Quæ magnitudo, & debilitas concupiscentiæ augeat, vel minuat meritum.
4 *Quæ concupiscentia non sit peccatum.*
5 *Concupiscentia non ligat rationem totaliter.*
Concupiscentia minuit peccatum.
6 *Quæ sit intentio legis.*
Quid requiratur ad virtutem.
In præceptis Decalogi prohibetur concupiscentia rerum illicitarum.
7 *Non potest quis facere, quin surgat aliquis motus concupiscentiæ.*
Singuli motus concupiscentiæ possunt vitari.
Tales motus non habent rationem perfectam peccati.
8 *Ira accensa minuit concupiscentiam.*

Quæritur quid sit concupiscentia, & in quo sit subiectiuè.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut Phylos.dicit in 1.Reth. concupiscentia est appetitus delectabilis; est autẽ duplex delectatio, vna quæ est in bono intelligibili, quod est bonum rationis, alia quæ est in bono secundùm sensum; prima quidem delectatio videtur esse animæ tantùm; secunda autem est animæ,& corporis, quia sensus est virtus in organo corporeo: vnde & bonum secundùm sensum est bonum totius coniuncti; talis autem delectationis appetitus videtur esse concupiscentia, quæ simul pertineat & ad animam, & ad corpus, vt ipsum nomen concupiscentiæ sonat; vnde concupiscentia propriè loquendo est in appetitu sensitiuo,& in vi cõcupiscibili. quæ ab eã denominatur.p.2.q.30.a.1.in corp.

Quæ-

Quæritur an concupiscentia sit peccatum puerile.

2 Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur puerile dupliciter, vno modo, quia conuenit pueris, & sic Phylosophus non intendit dicere, quòd peccatum intemperantiæ sit puerile, dum dicit in 3. Eth. quòd nomen intemperantiæ referimus ad puerilia peccata, alio modo secùdùm quandam similitudinem, & hoc modo peccata intemperantiæ puerilia dicuntur: peccatum enim intemperantiæ est peccatum superfluæ concupiscentiæ, quæ assimilatur puero quo ad tria, primò quidem quantum ad id, quod vterque appetit; sicut enim puer, ita & concupiscentia appetit aliquid turpe, cuius ratio est, quia pulchrum in rebus humanis attenditur, prout aliquid est ordinatum secundùm rationem; vnde Tullius dicit in 1. de Off. quod pulchrum est, quod consentaneum est hominis excellentiæ in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differt. Puer autem non attendit ad ordinem rationis, & similiter concupiscentia non audit rationem, vt dicitur in 7. Eth. Secundò conueniunt quantum ad euentum; puer enim si suæ voluntati dimittatur crescit in propria voluntate, vnde Eccles. 30. dicitur, Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit præceps; ita etiam & concupiscentia, si ei satisfiat maius robur accipit; vnde August. dicit in 7. Confess. Dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Tertiò quantum ad remedium, quòd vtrique præbetur; puer enim emendatur per hoc, quod coercetur, vnde dicitur Prouerb. 23. Noli subtrahere à puero disciplinam, tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis; & similiter dum concupiscentiæ resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum, & hoc est, quod Augustinus dicit in 7. Musicæ, quòd mente in spiritualia suspensa, atque ibi infixa, & manente, consuetudinis. s. carnalis concupiscentiæ impetus frangitur, & paulatim repressus extinguitur; maior enim erat cum sequeremur, non omnino nullus, sed certè minor cum refrenamus: & ideo Phylosophus dicit in 3. Ethic. quòd quemadmodum puerum oportet secundùm præceptum pedagogi viuere, sic & concupiscibile consonare rationi. 2. 2. q. 142. a. 2. in corp.

Quæritur quando debilitas, & magnitudo concupiscentiæ augeat, vel minuat meritum.

3 Respondeo dicendum, quòd magnitudo concupiscentiæ, seu debilitas eius ex duplici causa procedere potest; quandoque enim procedit ex causa corporali; quidam enim ex naturali complexione sunt magis proni ad concupiscendum, quàm alij, & iterum quidam habent opportunitates delectationum concupiscentiam inflammantes magis paratas, quàm alij, & talis debilitas concupiscentiæ diminuit meritum, magnitudo verò auget; quandoque verò debilitas, vel magnitudo concupiscentiæ prouenit ex causa spirituali laudabili, puta ex vehementia charitatis, vel fortitudine rationis, sicut est in homine temperato, & hoc modo debilitas concupiscentiæ auget meritum ratione suæ causæ, magnitudo verò minuit. 2. 2. q. 155. a. 4. ad 2.

Quæritur quænam concupiscentia non sit peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd concupiscentia carnis contra spiritum, quando ratio ei actualiter resistit, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis. p. 2. q. 80. a. 3. ad 3.

Quan-

Quæritur an concupiſcentia liget totaliter rationem.

5 Reſpondeo dicendum, quòd concupiſcentia non totaliter ligat rationem, ſicut ebrietas, niſi fortè ſit tanta, quòd faciat hominem inſanire, & tamen paſſio concupiſcentiæ diminuit peccatum, quia leuius eſt ex infirmitate, quàm ex malitia peccare. 2.2. q. 150. a. 4. ad 3.

Quæritur quare in præceptis Decalogi prohibeatur concupiſcentia rerum illicitarum.

6 Reſpondeo dicendum, quòd intentio legis eſt, vt homines ad virtutem inducantur: ad virtutem autē non ſufficit, vt actus virtutis qualitercunque fiat, ſed oportet vt homo ſciens, & volens, & propter debitum finem perſeueranter, & delectabiliter operetur: ſimiliter etiam non ſufficit, quòd actus contrarius qualitercunque prætermittatur, niſi etiam voluntas illud faciendi derelinquatur, & paſſiones inclinantes ad actum illicitum ordinentur: & ideo in præceptis Decalogi non debuit ſolùm prohiberi actus illicitus, ſed etiam concupiſcentia illicitarum rerum. 3. ſent. d. 40. a. 1. in corp. 3a. 2. ad 3.

Quæritur an concupiſcentia poſſit vitari.

7 Reſpondeo dicendum, quòd concupiſcentia non poteſt vitari ſic, quòd nullus motus concupiſcentiæ ſurgat, quia dum reſiſtitur vni inſurgit alius, poſſunt tamen vitari ſinguli, & ex hoc quilibet habet aliquid de ratione peccati, licèt non habeat rationem perfecti peccati, quod eſt peccatum mortale. Quodlibeto 4. a. 21. ad 2.

Quæritur quid minuat concupiſcentiam.

8 Reſpondeo dicendum, quòd concupiſcentia accenſa minuit iram, & ira accenſa minuit concupiſcentiam, vt in pluribus. p. parte, quæſt. 81. artic. ſecundo, in corpore.

CONDEMNATVS.

1 *Dupliciter aliquis condemnatur ad mortem.*
Condemnato iuſtè ad mortem non licet ſe defendere.
Condemnato iniuſtè ad mortem licet ſe defendere, ſi tamen ex hoc non oriatur ſcandalum.
2 *Quæ defenſio ſui ſit licita.*
3 *Nullus poteſt eripere à morte condemnatum iuſtè ad illam.*
4 *Quomodo intelligatur quoddam dictum Prouerb. 24.*
Non poteſt quis liberare ſeipſum à morte reſiſtendo iuſtitiæ.
5 *Damnatus ad mortem non tenetur facere id, vnde mors ſequatur.*
Condemnatus ad mortem tenetur non reſiſtere agenti in ipſum.
Condemnatus vt fame moriatur, non peccat ſi ſumat cibum ſibi datum occultè.

Quæritur an liceat condemnato ſe defendere.

1 Reſpondeo dicendum, quòd aliquis damnatur ad mortem dupliciter, vno modo iuſtè, & ſic non licet condemnato ſe defendere; licitum enim eſt iudici eum reſiſtentem impugnare, vnde relinquitur, quòd ex parte eius ſit bellum iniuſtum, vnde indubitanter peccat; alio modo condemnatur aliquis iniuſtè, & tale iudicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundùm illud Ezech. 22. Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem: & ideo ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus, niſi fortè propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur. 2. 2. q. 69. artic. 4. in corp.

Quæ-

Quaritur an qualibet defensio sui sit licita.

2 Respondeo dicendum, quòd qualibet defensio sui est licita, sed solùm quæ fit cum debito moderamine. 2.2.q.69.ar. 4.ad primum.

Quaritur an possit aliquis à morte violenter eripi.

3 Respondeo dicendum, quòd à morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem iuris ciuilis, puta si aliquis à suo iudice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter à morte eripere.2,2.q.10.a.12 ad 2.] 3 p. q.68. a.10. ad 1.] Quodlibeto 2.a.7.ad 2.

Quaritur quomodo intelligendũ sit illud Prouerb.24. Erue eos, qui ducuntur &c.

4 Respondeo dicendum, quòd per illud dictum Sapientis Prouerb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui trahũtur ad interitum liberare ne cesses, non inducitur aliquis ad liberandum alium à morte contra ordinem iustitiæ: vnde nec seipsum contra iustitiam resistendo aliquis debet liberare à morte. 2. 2.q.69.a.4.ad 3.

Quaritur ad quid teneatur condemnatus.

5 Respondeo dicendum, quòd nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id, vnde mors sequatur, quod est manere in loco, vnde ducatur ad mortem; tenetur tamen non resistere agenti quin patiatur, quod iustum est eum pati; sicut etiam si aliquis sit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere esset se ipsum occidere, 2.2.q.69.a.4.ad 2.

CONFESSIO IVDICIALIS.

1 *Confessio iudicialis pertinet ad iustitiam.*
2 *In iudicio tenetur quis fateri veritatem.*
3 *In iudicio dum quis fatetur veritatem, non se prodit.*
4 *Si Prælatus præcipiat extra iudicium subdito, vt reuelet peccatum occultum alterius, peccat, nec subditus tenetur obedire ei.*
Si præcipiat in iudicio seruato ordine iuris tenetur subditus fateri veritatem.
Si Prælatus non seruet in iudicio ordinem iuris, subditus appellet.

Quaritur ad quam virtutem pertineat confessio veritatis in iudicio.

1 Respondeo dicendum, quòd confessio veri quamuis ad veritatis virtutem pertineat absolutè, tamen secundùm quod aliqua ratio boni additur, ad aliam virtutem pertinere incipit: & ideo dicit Phylosophus in 4. Eth. quòd confessio, quæ fit in iudicijs non pertinet ad veritatis virtutem, sed magis ad iustitiam. 4.sent.d.17.q.3.a.2.quæstiunc.3.in corp.

Quaritur an homo teneatur fateri veritatem in iudicio.

2 Respondeo dicendum, quòd confiteri peccatum in casu est de iure naturali, scilicet cum quis in iudicio constitutus à iudice interrogatur, tunc enim non debet mentiri peccatum excusando, vel negando, de quo Adam, & Caim vituperantur. 4.sent. d.17.q.3.a.1.quæst.2.ad 1.

Quaritur an fateri veritatem in iudicio sit se prodere.

3 Respondeo dicendum, quòd quando aliquis secundùm ordinem iuris à iudice interrogatur, non ipse se prodit, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi

dendi imponitur per eum, cui obedire tenetur. 2.2.q.69.a.1.ad primam.

Quaritur an subditus teneatur fateri peccatum occultũ alterius Prælato præcipienti.

4 Respondeo dicendum, quòd præceptum alicui factum à Prelato suo de peccato alterius publicãdo in eo casu, in quo publicari non debet, potest fieri vel in iudicio, vel extra iudiciũ; si extra iudiciũ, peccat præcipiens, nec ille, cui præcipitur, obedire tenetur; si autem in iudicio ordine iuris exigente Iudex alicui præcipiat, vt peccatum suum, vel alterius confiteatur, non peccat præcipiendo, quia ipse nõ exigit, sed accusans, cui iudex ius reddere debet, & tunc tenetur quis confiteri ad præceptum Iudicis peccatum suum; vel alterius; vel appellare, si contra ordinem iuris ei præcipiatur, & tunc publicans peccatum occultum vitat maius malum, scilicet disciplinæ iuris eneruationẽ, tamen Iudex deberet dissimulare quantùm posset, ne tale præceptum faceret saluo ordine iuris, & præcipuè in capitulo, vbi magis per æquitatem procedendum est, quàm secundùm rigorem iuris. 4. sent. d. 19 q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. ad 3.

CONFESSIO FIDEI.

1 *Exterior confessio fidei est actus fidei.*
2 *Quæ sunt necessaria ad salutem cadunt sub præcepto.*
Præcepta affirmatiua non obligãt ad sẽper.
Confessio fidei cadit sub præcepto affirmatiuo.
Confessio fidei est necessaria pro loco, & tempore.
3 *In quo casu quis teneatur fidem suam alijs propalare.*
4 *Non debet quis cum scandalo propalare suam fidem de his, quæ non sunt determinata ab Ecclesia.*
Tenetur quis fidem suam de his, quæ iã sunt determinata ab Ecclesia confiteri, coram proximo etiam cum scandalo.
5 *Tenetur quis fateri veritatem ore, non opere.*
6 *Non debet quis publicè fidem fateri sine vtilitate fidei, vel fidelium. Debet quis publicè fateri veritatem si adsit vtilitas fidei, vel aliqua necessitas.*

Queritur an confessio exterior sit actus fidei.

1 Respondeo dicendum, quòd confessio eorum, quæ sunt fidei secundum suam speciem ordinatur sicut ad finem ad id, quod est fidei secundũ illud secũdę ad Corinth. 4. habentes eundẽ spiritũ fidei credimus, propter quòd & loquimur; exterior enim locutio ordinatur ad significandũ id, quod in corde concipitur, vnde sicut cõceptus interior eorũ, quæ sũt fidei est propriè fidei actus, ita etiam & exterior confessio. 2.2.q.3.a.1.in corp.

Quaritur an confessio fidei cadat sub præcepto.

2 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt necessaria ad salutẽ cadunt sub præcepto Diuinæ legis, confessio autem fidei, cum sit quoddã affirmatiuũ non potest cadere, nisi sub præcepto affirmatiuo, vnde eodem modo est de necessarijs ad salutẽ, quomodo potest cadere sub præcepto affirmatiuo Diuinæ legis; præcepta autem affirmatiua non obligant ad semper, etsi semper obligent; obligant autem pro loco, & tempore secundùm alias circunstantias debitas, secundùm quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quòd sit actus virtutis, sic ergo confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per dimissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda, puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd

fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fidei, in huiuſmodi enim caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis. 2.2. q. 3. a. 2. in corp. ſ. 3. ſent. d. 29. a. 8. quæſtiunc. 2. ad 3. ſ. 4. ſent. d. 49. q. 5. a. 3. quæſtiunc. 2 ad 1. ſ quodlibeto 9. a. 14. in corp. ſ Lu. 2. cap. 10. ad Romanos, ſ Lu. 3. cap. 14. ad Romanos.

Quæritur quando fidelis teneatur confiteri fidē.

3 Reſpondeo dicendum, quòd in caſu neceſſitatis, vbi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem ſuam alijs propalare, vel ad inſtructionem aliorum fidelium, ſiue confirmationem, vel ad reprimendum infidelium inſultationem, ſed alijs temporibus inſtruere homines de fide nō pertinet ad omnes fideles. 2.2. q. 3. a. 2. ad 2.

Quæritur quæ pertinentia ad fidem teneatur fidelis confiteri exterius.

4 Reſpondeo dicendum, quòd eorum, quæ ſunt fidei quædam ſunt, quæ nō ſunt perfectè per Eccleſiam manifeſtata, ſicut in primitiua Eccleſia nōdum erat perfectè declaratum apud homines, quòd illi, qui erant ex Iudęis conuerſi nō tenerētur legalia obſeruare, & ſicut tempore Auguſtini nondum erat per Eccleſiam declaratum, quòd anima non eſſet ex traduce, vnde in huiuſmodi ſufficit homini, ꝙ fidem habeat coram Deo, nec oportet, quòd fidem propalet cum ſcandalo proximorum, niſi fortè apud eos, qui habent, de fide determinare. Quædam verò ſunt ad fidem pertinentia iam per Eccleſiam determinata, & in talibus non ſufficit fidem habere coram Deo, ſed oportet, quòd coram proximo fidē quis confiteatur quantumcunque ex hoc aliquis ſcandalizetur, quia veritas doctrinæ non eſt dimittenda propter ſcandalum, ſicut nec Chriſtus veritatem ſuæ doctrinæ propter ſcandalum Phariſęorum dimiſit, vt habetur. Matth. 15. Luc. 3. capite 14. ad Romanos.

Quæritur an ſit neceſſe manifeſtare fidem ſuam opere.

5 Reſpondeo dicendum, quòd licèt circa ſupradicta oporteat, quòd homo fidem ſuam manifeſtet confeſſione verborum, non tamen oportet, quòd eam manifeſtet exequtione operis, ſicut ſi aliquis tenet fide, vti matrimonio eſſe licitum, nō requiritur ab eo, quòd matrimonio vtatur ad fidei ſuæ manifeſtationem. Lu. 3. cap. 14. ad Romanos.

Quæritur quando ſit abſtinendum à confeſſione exteriori fidei.

6 Reſpondeo dicendum, quòd ſi turbatio infidelium oriatur de confeſſione fidei manifeſta abſq; aliqua vtilitate fidei, vel fidelium, non eſt laudabile in tali caſu fidem publicè confiteri, vnde Dominus dicit Matthęi 7. Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas veſtras ſpargere ante porcos, ne conuerſi dirumpant vos; ſed ſi vtilitas fidei aliqua ſperetur, aut neceſſitas adſit contempta perturbatione fidelium debet homo publicè fidem confiteri, vnde Matthæi 15. dicitur, quòd cum diſcipuli dixiſſent Domino, quòd Phariſęi audito eius verbo ſcandalizati ſunt, Dominus reſpondit, ſinite illos; ſcilicet turbari, cęci ſunt, & duces cæcorum. 2.2. q. 3. a. 2. ad 3.

C O N F E S S I O
Sacramentalis.

De neceſsitate, & qualitate confeſsionis ſacramentalis.
Cap. I.

1 *Duplex confeſſio peccatorum. ſcilicet interior, & exterior.*

Inte-

Quæritur quotuplex sit confessio, et quæ requiratur ante baptismum.

1 Respondeo dicendum, quòd duplex est peccatorum confessio, vna quidem interior, quæ fit Deo, & talis cõfessio peccatorum requiritur ante baptismum, vt scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat, non enim potest inchoare nouam vitã, nisi peniteat eum veteris vitæ, vt dicit Augustinus in lib. de penitentia, alia verò est confessio peccatorũ exterior, quæ fit Sacerdoti, & talis confessio non requiritur ante baptismũ, primo quidem, quia talis confessio cũ respiciat personam ministri pertinet ad penitentiæ sacramentũ, quod nõ requiritur ante baptismum, quia est ianua omniũ sacramentorum; secundò quia cõfessio exterior, quæ fit Sacerdoti ordinatur adhoc, quòd Sacerdos cõfitentẽ absoluat à peccatis, & liget ad opera satisfactoria, quę baptizatis nõ sũt imponẽda, nec etiã baptizati indigẽt remissione peccatorum per claues Ecclesiæ, quibus omnia remittuntur per baptismũ; tertiò quia ipsa particularis confessio homini facta est penosa propter verecundiã cõfitentis, baptizato autẽ nulla exterior pena imponitur, & ideò à baptizatis non requiritur specialis confessio peccatorũ, sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiæ abrenunciant Sathanæ, & omnibus pompis eius, & hoc modo dicit quædam glosa Matthæi 3. quòd in baptismo Ioannis exemplum dabatur baptizãdis confitendi peccata, & promittendi meliora: si qui tamen baptizandi ex deuotione peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda non adhoc, quòd eis satisfactio imponeretur, sed adhoc, quod contra peccata cõsueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur. 3. p. q. 68. a. 6. in corp & ad 2.

Quæritur quid sit confessio.

2 Respondeo dicendum, quòd in actu confessionis plura considerãda occurrũt; primò ipsa substãtia actus, siue genus eius, quòd est manifestatio quædam: secundò de quo fit, scilicet peccatum; tertiò cui fiat, scilicet Sacerdoti; quartò causa eius, scilicet spes veniæ; quintò effectus eius, scilicet absolutio à parte pœnæ, & obligatio ad aliam partem exoluendam; In diffinitione Augustini confessionis, quæ dicitur confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur, tangitur, & substantia actus in apertione, & de quo fit cõfessio, cum dicitur morbus latens, & causa in spe veniæ: in alijs diffinitionibus tangũtur aliqua de illis quinque assignatis, Gregorius enim dicit, quòd confessio est peccatorũ detestatio, & ruptio vulneris: quidam verò dicunt, quòd confessio est legitima coram Sacerdote peccatorũ declaratio: quidã autem sic, confessio est sacramentalis delinquentis accusatio ex erubescentia, & per claues Ecclesiæ satisfactoria obligans ad peragendam penitentiam iniunctam. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur à quo confessio sit instituta, & præcepta.

3 Respondeo dicendum, quòd præceptum de confessione non est ab homine puro institutum, quãuis sit à Iacobo promulgatum, sed à Deo institutionẽ habuit, quamuis expressa institutio ipsius non legatur, tamen quædam prefiguratio ipsius inuenitur, & in hoc, quòd Ioanni confitebantur peccata, qui baptismo ipsius ad gratiã Christi preparabãtur, & in hoc etiã quod Dominus Sacerdotibus leprosus transmittit, qui quamuis non essent noui testamenti Sacerdotes, tamen in eis noui testamenti Sacerdotium significabatur. 4. sent. distinct. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 5. ad 2. (a. 3 quæstiunc. 1. ad. 2.

Quæ-

Quæritur an confeſsio ſit actus virtutis, & pars ſacramenti.

4 Reſpondeo dicendum, quòd quamuis gratia ſacramentorũ, & gratia virtutum ſit alia, & alia, non tamen ſunt contrariæ, ſed diſparatę, & ideo non eſt inconueniẽs, vt eadem confeſſio ſit actus virtutis ſecũdùm, quòd ex libero arbitrio gratia informato procedit, & ſit ſacramentũ, vel pars ſacramenti ſecundum, quòd eſt medicina in remedium peccati ordinata. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 3.

Quæritur an in lege Moyſi fuerit confeſsio aliqua.

5 Reſpondeo dicendum, quòd in lege Moyſi erat aliqua confeſſio, quia in generali profitebatur peccatum ſuum oblationem in lege faciens pro peccato ſtatutam non autem in ſpeciali, ſicut eſt in noua lege; nec iterũ fiebat Sacerdoti habenti claues, quæ confeſſio eſt ſacramentalis, nec ſatisfactio erat ſecundum arbitrium talis Sacerdotis, nec contritio cũ propoſito talis confeſſionis, & ſatisfactionis, & ideò aliqua pęnitentia erat tunc, ſed non quæ nunc eſt ſacramentum. 4. ſent. diſtinct. 22. q. 2. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 3.

Quæritur an confeſſio ſit de iure naturæ.

6 Reſpondeo dicendum, quòd confeſſio, quæ ſacramentalem neceſſitatem habet non eſt de iure naturali, ſed Diuino. 4. ſent. diſtinct. 17 q. 3. a. 1. quæſtiunc. 2. in corp. [diſtin. 21. q. 3. a. 1. quęſtiunc. 1. ad 2.

Quæritur an omnes teneantur ad confeſsionem.

7 Reſpondeo dicendum, quòd ad confeſſionem dupliciter obligamur, vno modo ex iure Diuino ex hoc ipſo, quòd eſt medicina, & ſecundũ hoc non omnes tenẽtur ad confeſsionem, ſed illi tantùm, qui peccatum mortale incurrũnt poſt baptiſmum: alio modo ex præcepto iuris poſitiui, & ſic tenentur omnes ex illa inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio generali ſub Innocentio tertio, tum vt quilibet ſe peccatorem recognoſceret, quia omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, tum vt cum maiori reuerentia ad Euchareſtiam accedat, tum vt Eccleſiarũ rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus inter gregem lateat. 4. ſent. diſtinct 17. quæſt. 3. a. 1. quæſtiunc. 3. in corp.

Quæritur an confeſsio ſit de neceſsitate ſalutis, & cui.

8 Reſpondeo dicẽdum, quòd illa ſacramenta, quę ordinantur contra culpam, cũ qua ſalus eſſe non poteſt ſunt de neceſsitate ſalutis, & ideo ſicut baptiſmus, quo deletur originale, eſt de neceſsitate ſalutis, ita & pęnitentiæ ſacramentũ, ſicut autem aliquis per hoc, quòd baptiſmum petit ſe miniſtris Eccleſiæ ſubijcit, ad quos pertinet diſpenſatio ſacramenti, ita etiã per hoc, quòd fatetur peccatum ſuum ſe miniſtro Eccleſię ſubijcit, vt per ſacramẽtum pęnitentię ab eo diſpenſatum remiſſionem conſequatur, qui congruum remedium adhibere non poteſt, niſi peccatum cognoſcat, quòd fit per confeſsionem peccantis, & ideo cõfeſsio eſt de neceſsitate ſalutis eius, q in peccatũ actuale mortale cecidit. 4. ſent. diſt. 17. q. 3. a. 1. q. 1. in corp.

Quæritur qua ratione confeſsio ſit de neceſſitate ſalutis.

9 Reſpondeo dicendũ, ꝙ ad gratię infuſionem conſequendã ordinata ſunt Eccleſię ſacramẽta, ante quorũ ſuſceptionẽ, vel actu, vel propoſito aliquis gratiã nõ conſequitur, ſicut in baptiſmo patet, & ſimiliter eſt de cõfeſsione, & vlteri⁹ per cõfeſſionis erubeſcẽtiam & vim clauium, quibus ſe confitens ſubijcit, & ſatisfactionẽ iniun-

iniunctam, quam Sacerdos moderatur secundùm qualitatem criminum sibi per confessionem innotescentium pœna temporalis expiatur, sed tamen ex hoc, quod operatur confessio ad pœnæ remissionem non habet, quòd sit de necessitate salutis, quia pœna ista est temporalis, ad quam post culpę remissionem aliquis ligatus remanet, vnde sine hoc, quod in pręsenti vita expiaretur, esset via salutis, sed habet quod sit de necessitate salutis ex hoc, quod ad remissionem culpæ operatur. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1.

Quæritur an contritus teneatur ad confessionem.

10 Respondeo dicendum, quòd quamuis tota pœna possit per contritionem dimitti, tamen adhuc necessaria est confessio, & satisfactio, tum quia homo non potest esse certus de sua contritione, quòd fuerit ad totum tollendum sufficiēs, tum quia confessio, & satisfactio sunt in præcepto: vnde transgressor constitueretur si non confiteretur, & satisfaceret. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 1. ad 8.

Quæritur quare contritus teneatur ad confessionem.

11 Respondeo dicendum, quòd aliquis non potest esse certus, quòd contritio sua sit sufficiens ad deletionem pœnæ, & culpæ: & ideo tenetur confiteri, & satisfacere, maximè cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum, quod debet ad effectum deduci etiam propter præceptum, quod est de confessione datum. 4. sent. d. 17. q. 2. art. 5. quæstiunc. 2. ad 1.) a. 1. quæst. 1. ad 8.

Quæritur quare confessio sit necessaria.

12 Respondeo dicendum, quòd confessio ad hoc necessaria est, vt pœnitens satisfactionem accipiat secundùm modum delicti. 4. sent. d. 16. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur qua ratione possit Papa dispensare in confessione.

13 Respondeo dicendum, quòd sicut Papa non potest dispensare, vt aliquis sine Baptismo saluetur, ita nec quòd saluetur sine confessione secundùm quod obligat ex ipsa vi sacramenti; sed potest dispensare in confessione secundùm quod obligat de præcepto Ecclesiæ, vt possit aliquis diutiùs confessionem differre, quàm ab Ecclesia institutum sit. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 5. in corp. 3 Quodlibeto 1. ar. 10. in corp.

Quæritur an teneatur statim confiteri homo.

14 Respondeo dicendum, quòd cū propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, s. quando peccata memoriæ occurrunt, cū præcipuè in articulo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum eum oporteat incurrere, sicut cum teneatur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem confiteri tenetur, & habere propositum confitendi; sed ad confessionem actualiter faciendā obligatur aliquis dupliciter, vno modo per accidens, s. quando ad aliquid tenetur, quod non potest sine peccato facere, nisi confessus, tunc enim confiteri tenetur sicut si debeat Euchareſtiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale, nisi confessus, accedere debet copia Sacerdotis oblata, & necessitate non vrgente, & inde venit obligatio, qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit, vt semel in anno .s. in Pascha omnes sacram communionem accipiant: & ideo ante tempus illud confiteri te-

ri tenent alio modo obligatur aliquis ad confessionem per se, & sic videtur eadem ratio esse de confessione, & de baptismo differendo, quia vtrumque est sacramentum necessitatis: ad baptismum autē percipiendum nō tenetur aliquis statim post quā habet propositum baptismi, ita quòd peccat mortaliter, nisi statim baptizetur, nec est aliquod tempus determinatum, vltra quod si baptismum differat peccatū mortale incurrat, sed potest contingere, quòd in dilatione baptismi erit peccatū mortale, vel nō erit, & hoc pensandum est ex causa dilationis, quia sicut dicit Philosophus in 8. physicorum, voluntas non retardat facere opus volitum, nisi propter aliquā causam rationabilem; vnde si causa dilationis baptismi peccatum mortale annexum habeat, vt potè si propter contemptum, vel aliquid huiusmodi baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale, aliàs non, & ideò idem videtur esse de confessione, quę non est maioris necessitatis, quàm baptismus, & quia, ea quę sūt de necessitate salutis tenetur homo in hac vita implere, ideò si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel baptismum suscipiendum, & ꝓpter hoc etiam, Iacob. simul præceptum edidit de cōfessione facienda, & extrema vnctione suscipienda, & ideò videtur probabilis eorum opinio, qui dicunt, quòd non tenetur homo ad statim confitēdum, quamuis periculosum sit differre, alij autem dicūt, quòd tenetur contritus ad statim confitendū debita opportunitate oblata secundum rectam rationem; nec obstat, quòd decretalis terminum præfigat, vt semel in anno confiteatur, quia Ecclesia non indulget dilationem, sed prohibet negligentiam in maiori dilatione, vnde per decretalem illam nō excusatur à culpa dilationis quantum ad forum consciētiæ, sed excusatur à pęna quantum ad forum Ecclesiæ, vt non priuetur debita sepultura, si morte præuentus fuerit antè tempus illud: sed hoc videtur nimis durū quia præcepta affirmatiua non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidem, ex hoc, quod tunc commodè impleri possunt, quia sic si nō daret aliqui, elemosinam de superfluo quandocunque pauper afferatur, peccaret mortaliter, ꝙ falsum est, sed ex hoc, quod tempus necessitatem vrgentem adducit, & ideò non oportet, quod ei statim oblata opportunitate non confiteatur, etiamsi maior opportunitas nō expectetur, aliquis peccet mortaliter, sed quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur, nec hoc est ex indulgentia Ecclesiæ, quòd non teneatur ad statim, sed ex natura præcepti affirmatiui, vnde ante Ecclesiæ statut in etiam minus debebatur. Quidam verò dicunt, ꝙ seculares non tenentur ante quadragesimale tempus confiteri, quod est eis tempus pęnitentiæ, sed Religiosi tenētur ad statim, quia totum tempus est eis pęnitentiæ tempus: sed hoc nihil est, quia Religiosi non tenentur ad alia, quàm alij homines, nisi ad quæ se ex voto obligauerunt, 4. sent distinct. 17. q. 3. a. 1. quæst. 4. in corp. quodlibeto 1. a. 11. in corp.

Quæritur an aliquis possit confessionem differre vsque ad quadragesimam.

15 Respondeo dicendum, quòd peccator quamcitius commodè potest peccatum suum confiteatur, quia per sacramentum pęnitentiæ confertur gratia, quę hominem reddit magis firmū ad resistendum peccato. Quidam autem dicūt, quòd tenetur confiteri quamcito opportunitas confitendi se obtulerit, ita quòd si differat peccat: sed hoc est cōtra rationē pręcepti affirmatiui, quod licet obliget semper, non tamen obligat ad sēper, sed loco, & tempore, tempus autem implendi pręceptum de confessione videtur, quando imminet aliquis casus, in quo necesse est

homini, quòd sit confessus, puta si immineat ei mortis articulus, vel necessitas accipiendi Eucharistiam, aut sacrum Ordinem, vel aliquid huiusmodi, ad ꝙ oportet hominẽ per confessionẽ purgatũ præparari, vnde si aliquid bonum immineat, & aliquis confiteri prętermittat, peccat, dũmodo debita opportunitas adsit, & quia ex præcepto Ecclesiæ omnes fideles tenẽtur saltem semel in anno in festo Paschæ præcipuè sacramenti communionem accipere, ideò Ecclesia ordinauit, vt semel in anno, quando imminet tẽpus accipiendi Euchareſtiam, omnes fideles confiteãtur. dico ergo, quòd differe confessionem vsq; ad hoc tempus per se loquendo licitũ est, sed per accidens potest fieri illicitum, puta si immineat aliquis articulus, in quo cõfessio requiratur, vel si aliquis propter contemptum confessionem differat, & similiter per accidens posse esse talis dilatio meritoria, si adhoc differet, vt prudẽtiori cõfiteretur, vel deuotius propter sacrum tempus. quodlibeto primo. a. 11. in corp.

Quæritur ad quid ordinetur confeßio.

16 Respondeo dicendum, quòd confessio operatur præsupposita contritione, quæ culpam delet, & sic ordinatur cõfessio directè ad remissionem pœnæ, quod quidem facit & ex erubescentia, quã habet, & ex vi clauium, cui se cõfitens subijcit 4. sent. distinct. 21. q 2. a. 2. in corp.

Quæritur an contritio debeat præcedere confeßionem.

17 Respondeo dicendum, quòd contritio naturaliter præcedit confessionẽ, sed quòd aliquando sequatur, est per accidẽs ex defectu pęnitentis, & tamen tunc etiã debet habere propositum confitendi, si aliquod memorię occurrat, quod cõfessus nõ sit. 4. sent. dist. 17. q. 2. a. 1. quæst. 1. ad 7.

Quæritur an accedens fictus ad confeßionem percipiat absolutionis beneficium.

18 Respondeo dicendum, quòd confessio est actus virtutis, & pars sacramẽti, secundùm autem, quòd est actus virtutis est actus meritorius propriè, & sic confessio non valet sine charitate, quæ est principiũ merendi, sed secundùm ꝙ est pars sacramenti sic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet Claues Ecclesiæ, qui per confessionem conscientiam confitentis cognoscit, & secundum hoc confessio etiã potest esse in eo, qui non est cõtritus, quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere, & clauibus Ecclesię se subijcere, & quãuis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, sicut etiam est & in alijs sacramentis, vnde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodũ fictionem suam confiteri. 4. sent. distinct. 17. q. 3. a. 4. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur quot, & quæ sint conditiones bonæ confeßionis.

19 Respondeo dicendum, quòd confessio habet conditiones sexdecim, quæ à magistris assignantur his versibus:

Sit simplex, humilis confeßio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta lacrimabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Dictarum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis, quædam de bene esse ipsius ea autem, quę sunt de necessitate confessionis, vel competũt ei secundũ, quòd est actus virtutis, vel secundũ quòd est pars sacramenti, si primo modo aut ratione virtutis in generali, aut ratione specialis virtutis, cuius est actus; ex ipsa autẽ ratione virtutis in genere sunt quatuor cõditiones, vt in 2. Eth. dicitur, prima est, vt aliquis sit sciens, & quantùm adhoc cõfessio

feſsio dicitur eſſe diſcreta ſecundũ, quòd in actu omnis virtutis prudentia requiritur, eſt autem hæc diſcretio, vt maiora cũ maiori pondere confiteatur; ſecunda cõditio eſt, vt ſit eligens, quia actus virtutum debent eſſe voluntarij, & quantùm adhoc dicitur libens: tertia conditio eſt, vt propter hoc ſcilicet debitum finẽ operetur, & quantũ ad hoc dicitur, quòd debet eſſe pęnitẽtia pura, vt ſcilicet recta ſit intentio; quarta eſt vt immobiliter operetur, & quantũ adhoc dicitur, quòd debet eſſe fortis, vt ſcilicet propter verecũdiam non dimittat, eſt autem confeſsio actus pęnitentiæ virtutis, quę quidem primo initium ſumit in horrore turpitudinis peccati, & quantùm ad hoc confeſsio debet eſſe verecũda, vt ſcilicet non ſe iactet de peccatis propter aliquam ſæculi vanitatem admixtam, ſecundo progreditur ad dolorem de peccato commiſſo, & quantùm ad hoc debet eſſe lacrimabilis, tertio in abiectione ſui terminatur, & quantùm ad hoc debet eſſe humilis, vt ſe miſerum confiteatur, & infirmum; ſed ex propria ratione huius actus, qui eſt confeſſio habet, quòd ſit manifeſtatiua, quæ quidem manifeſtatio per quatuor impediri poteſt, primo per falſitatem, & quantũ hoc dicitur fidelis, ideſt vera; ſecundo per obſcuritatem, & cõtra hoc dicit, nuda, vt non inuoluatur obſcuritate verborum; tertio per multiplicationem verborũ, & contra hoc dicitur, quòd ſit ſimplex, vt non recitet in confeſſione, niſi quod ad quantitatem peccati pertinet; quarta vt non ſubtrahatur aliquid de his, quæ manifeſtanda ſunt, & contra hoc dicitur integra; ſecundùm autem quòd confeſſio eſt pars ſacramenti, ſic concernit iudicium Sacerdotis, qui eſt miniſter ſacramenti, vnde oportet, quòd ſit accuſans ex parte confitentis: parere parata per comparationem ad Sacerdotem: ſecreta quantùm ad conditionem fori, in quo de occultis conſcientiæ agitur; ſed de bene eſſe confeſſionis eſt, quòd ſit frequens, & quod ſit accelerata. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 4. quæſtiunc. 4. in corp.

Quæritur quomodo intelligenda ſit illa particula, lacrimabilis.

20 Reſpondeo dicendum, quòd illa particula, lacrimabilis, intelligenda eſt de lacrimis mentis. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 4. quæſtiunc. 4. ad 5.

Quæritur an illa particula, integra, ſit neceſſaria.

21 Reſpondeo dicendum, quòd quia in medicina corporali oportet, quòd medicus non ſolùm vnum morbum, contra quẽ medicinam dare debet, cognoſcat, ſed etiam vniuerſaliter totam habitudinem ipſius infirmi, eo quòd vnus morbus ex adiunctione alterius aggrauatur, & medicina, quæ vni morbo competeret, alteri nocumentum præſtaret, & ſimiliter eſt in peccatis, quia vnum aggrauatur ex adiũctione alterius, & illud, quod vni peccato eſſet conueniens medicina, alteri incentiuum præſtaret, cum quandoque aliquis contrarijs peccatis infectus ſit, vt Gregorius in paſtorali docet, & ideo de neceſſitate confeſſionis eſt, quòd homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, quòd ſi non facit non eſt confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio. 4. ſent, d. 17. q. 3 a. 4. quæſtiunc. 2. in corp.

Quæritur quid faciendum, quando confeſſarius non poteſt de omnibus abſoluere.

22 Reſpondeo dicendum, quòd ſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſoluere, tenetur ſibi omnia confiteri, vt quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis, de quibus non poteſt abſoluere, ad ſuperiorem remittat. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 4. quæſtiunc. 2. ad 4.

Quæ-

Quaritur an confessio possit fieri alio modo, quàm oretenus.

23 Respondeo dicendum, quòd confessio secundum, quòd est pars sacramenti habet determinatum actum, sicut & alia sacramenta habent determinatam materiam,& sicut in baptismo ad significandũ interiorem absolutionem assumitur illud elementum,cuius est maximus vsus in abluendo, ita in habitu sacramentali ad manifestandum ordinatè assumitur ille actus,quo maximè consueuimus manifestare, scilicet per proprium verbum, alij enim modi sunt inducti ad suplementum istius, 4.sent.distinct. 17.q.3.a.4. qu. 3. in corp.[quodlibeto 1.a. 10. in corp.

Quaritur quomodo Mutus, ignarus lingua possint confiteri.

24 Respondeo dicendum, quòd in eo, qui vsum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ sufficit, quòd per scriptum,aut nutum, aut interpretẽ confiteatur, quia non exigitur ab homine plus, quàm possit, quamuis homo non debeat baptismũ accipere,nisi in aqua,quia aqua est omninò ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur,sed actus confessionis est à nobis, & ideò quando non possumus vno modo,debemus secundùm, quod possum' cõfiteri, 4.sent.distinct. 17.q 3.a.4.quæst. 3.ad 2.

Quaritur an confessio possit fieri in scriptis, quando non adest Sacerdos proprius.

25 Respondeo dicendum, quòd in absentia proprij Sacerdotis potest etiã laico fieri confessio,& ideò nõ oportet,quòd per scriptũ fiat, quia plus pertinet ad necessitatem confessionis actus, quàm ille, cui fit confessio, 4. sent. distinct. 17.q.3.a. 4. quæstiunc.3. ad 3.

Quaritur an aliquis possit absolui sine confessione.

26 Respondeo dicendum, quòd non est trahendum in consuetudinem, vt aliquis exemplo Domini absque confessione, & pœnæ inflictione quẽquam absoluat, quia Christus excellentiam habuit in sacramẽto,& potuit conferre effectum sine sacramẽto,quod nullus purus homo potest. super cap.8.Ioannis.

Quaritur an moribundis confessis sit iniungenda pęnitentia.

27 Respondeo dicendum, quòd non est imponenda in articulo mortis pęnitentia sed innotescenda,vt procuret per amicos & eleemosinas expiari, & eius complendæ propositum habeat, si euadat, tamen est confortandus ex Diuina misericordia,ne in desperationem cadat,4.sent.distinct.20.in expositione litterę.

De quibus sit facienda confessio Cap. II.

1 *Confessio non debet esse de peccato originali, sicut nec satisfactio datur pro eo.*

2 *Peccata venialia non sunt de necessitate confitenda.*

Perfectionis est ea confiteri.

3 *Tenetur quis tantùm confiteri, ea mala, quę fecit, vel bona, quæ omisit.*

4 *Tenetur quis confiteri circunstantiam, quæ est de necessitate confessionis, licèt per eam cognoscatur persona aliqua, occultando tamen eam, si circunstantia non sit de necessitate confessionis dimittatur.*

5 *Homo tenetur confiteri circunstantias trahentes in aliud genus peccati.*

6 *Quæ circunstantiæ peccati carnalis trahentes in aliam speciem sunt confitendæ.*

Si pęnitens videat confessarium procliuem ad huiusmodi peccata carnalia, petat ab e,

vt

vt alteri confiteatur.

Si ille recusauerit dare, recurrat ad superiorem.

Huiusmodi circunstantiæ non aggrauantes in infinitũ laudabiliter reticẽtur aliquando.

7 *Dubitans de peccato mortali tenetur confiteri illud.*

Confitendum est tamen sub dubio.

8 *Sunt confitendæ occasiones alijs datę ad peccandum.*

Tacenda tamen est persona, cui data est occasio ad peccandum.

Notificandum est peccatum, cuius data fuit occasio.

9 *Singula peccata mortalia sunt confitenda.*

10 *Homo tenetur habere propositum abstinendi ab omnibus peccatis mortalibus.*

11 *Quid requiratur ad remissionem peccati mortalis.*

12 *Duo debet quis confiteri scilicet bona amissa & mala commissa.*

13 *Non confitens peccata, quia nescit ea esse peccata ignorantia iuris non excusatur a fictione, secus autem ignorantia facti.*

Quæritur an peccatum originale sit confitendum.

1 RESpondeo dicendum, quòd quia pęnitentia potest sumi large, & propriè; proprie quidem pęnitentia importat dolorem de peccato commisso in præterito, & sic nullo modo potest esse pęnitentia de originali peccato, quia non est commissum, largè autem potest dici pęnitentia omnis displicentia mali præteriti, & sic in eo, qui liberum arbitrium habet, debet esse pęnitentia de originali, quia ex hoc ipso, quòd alicui placet aliquid, displicet ei, quòd ad illud impedimentum pręstitit, peccatum autem originale impedimentum glorię fuit, ad quam quilibet desiderio tendere debet, non tamen de eo debet esse confessio, quæ non est nisi factorum, nec satisfactio, quia pro peccato originali non debetur, nisi pęna damni, pęnitentia autem importat pœnã sensus, 4. sent. distinct. 16. q. 1. a. 2. quęst. 2. in corp.

Quæritur an homo teneatur confiteri peccata venialia.

2 Respondeo dicendum, quòd quia cõfessio ad hoc necessaria est, vt pęnitens satisfactionem accipiat secundum modũ delicti, peccato autem veniali non debetur pęna satisfactoria taxata, quia pœna illa esset proportionata pęnę peccati mortalis à quo peccatũ veniale in infinitũ distat, vnde per solam contritionem interiorem peccatum veniale remitti potest, & quòd aliqua satisfactio exterius iniungitur, hoc est magis ad deuotionem excitandum, vel contritionem, quam ad satisfaciendum, & ideò ad confessionem venialium non tenemur, neque necessitate quę est ex suppositione finis, scilicet remissionis eorum, quia etiam sine confessione, vel actu, vel proposito existente possunt venialia remitti, tamen perfectionis est ea confiteri, 4. sent. distinct. 16. q. 2. a. 2. quæst. 3. in corp. [q. 3. a. 2. quęst. 5, in corp.] d. 15. q. 3. a. 3. quæst. 3. in corp.

Quæritur an fatendum sit, quod quis non fecit.

3 Respondeo dicendum, quòd per confessionem debet pęnitens se cõfessori suo manifestare, ille autem, qui aliud de se Sacerdoti loquitur, quã sua cõscientia habeat siuè in bonum, siue in malum, non se Sacerdoti manifestat, sed magis occultat, & ideò non est idonea confessio, sed ad hoc, quod sit idonea requiritur, quòd os cordi concordet, vt solùm hoc os accusat, quod conscientia tenet, 4. sent. distinc. 21. q. 2. a. 3. in corp.

Quæ-

Quaritur an sit confitenda circunstantia, qua infamatur persona aliqua.

4 Respondeo dicendum, quòd homo in confessione debet famam alterius custodire quantùm potest, sed suam conscientiam magis purgare debet, & ideò si circunstantia, quę ducit in cognitionem personæ sit de necessitate confessionis secundùm regulam datam tunc debet confiteri occultando personam quantùm potest, si autem non sit de necessitate confessionis, debet dimittere, ne peccatũ alterius prodat. 4. sent. d. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 5. ad 5.

Quaritur quas circunstantias teneatur homo confiteri.

5 Respondeo dicendum, quòd homo non confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quæ cognosci non potest, nisi per circunstantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum specificatur. opusculo 12. cap. 16.

Quaritur qua circunstantia peccati carnalis sint confitenda.

6 Respondeo dicendum, quòd circunstantiæ particulares peccati carnalis, quę in aliam speciem peccati mortalis trahũt semper sunt confitendæ, quia gratia, quæ in sacramento penitentiæ datur, restauret, si quæ inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proueniat, vel in confitente, vel in Sacerdote; si tamen Sacerdotem lasciuum, & ad huiusmodi peccata pronum viderit, debet accipere licẽtiam confitendi alteri Sacerdoti, & si non dederit, ad superiorem recurrere: si autem circunstantiæ non aggrauant in infinitum nouam speciem peccati mortalis conferendo quandoque laudabiliter reticẽtur adhibita debita discretione secundùm considerationem turpitudinis circunstãtię, & pronitatem inclinationis ad peccatum ex eius confessione in ipso confitente, vel in Sacerdote. 4. sent. d. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 5. ad 4. & d. 19. in expositione litteræ.

Quaritur an confitendum sit peccatum dubium, & quomodo.

7 Respondeo dicendum, quòd quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente, quia qui aliquid committit, vel amittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter discrimini se committens, & similiter periculosè committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, sed negligit confiteri, non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, & lepram. 4. sent. d. 21. q. 2. a. 3. ad 3.

Quaritur an sit confitenda occasiones alijs data peccandi.

8 Respondeo dicendum, quòd sunt etiã in confessione explicanda occasiones datę alijs ad peccandum, quia omnium peccatorum homo est particeps, quibus occasionem præbuit malitiosè, vel non malitiosè, vnde confiteri debes, si malitiosè, vel ignoranter dedisti alicui occasionem peccandi, nec nominare debes directè, vel indirectè personam, cui dedisti causam, sed sola occasio est dicenda, peccatum verò, quod factum est ab alio occasione tui potest dici explicitè, quando est notũ confessori, nõ illum, qui fecit, alioquin dic solam qualitatem delicti, sic dicendo; feci fieri peccatum quoddam mortale, vel graue propter talia verba, quæ dixi, aut propter tale malum exemplum, quod dedi; item si habuisti turbationem cum socio in itinere, vel in aliquo opere, aut propter socium, dixisti malè officium, quia malè

malè proferebat, non debet dicere, socius meus turbauit me in tali facto, aut dixi malè officium meum propter defectum socij mei, quia sic accusas socium, in cuius notitiam confessor potest venire: dic ergo turbationem habui cum aliquo propter meam superbiam, quia ipsi dixi verba iniuriosa & ipsum prouocaui ad dicēdum mihi: & si est illius culpa, dic, habui turbationem ad quoddam propter impatientiam meam, quia nolui supportare eum in charitate propter aliqua verba ab eo dicta; vel dixi malè officium cū aliquo in tali hora, & dicente mihi conscientia, vt redicerem, propter pigritiam meam non redixi. opusculo 64. cap. 14.

Quaritur an sint confitenda singula peccata mortalia.

9 Respondeo dicendum, quòd contritio est in conspectu Dei, qui vno intuitu omnia videt, sed confessio fit homini, cui oportet sigillatim omnia exponi, & preterea oportet de omni peccato mortali, quod memoriæ ocurrit singulariter dolere. 4. sent. distinct. 21. in expositione litteræ.

Quaritur quid facere debeat pœnitens circa peccata mortalia.

10 Respondeo dicendum, quòd penitentia de peccatis mortalibus requirit, quòd homo proponat abstinere ab omnibus, & singulis peccatis mortalibus. 3. p. q. 87. a. 1. ad 1.

Quaritur quid requiratur ad remissionem peccati mortalis.

11 Respondeo dicendum, quòd exigitur ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia; vt scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantùm in ipso est, vt scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, vt singula detestetur. 3. p. q. 87. a. 1. in corp.

Quaritur quæ debeat homo confiteri.

12 Respondeo dicendum, quòd duo debet homo confiteri, scilicet bona omissa, & mala commissa. super Psalm. 31.

Quaritur an quis excusetur à fictione, si amittat in confessione ea, quæ ignorabat esse peccata.

13 Respondeo dicendum, quòd ignorantia iuris non excusat, quia ipsa peccatum est, sed ignorantia facti excusat; vnde aliquis de hoc, quod non confitetur peccata, quæ nescit esse peccata propter ignorantiam iuris Diuini, nec excusatur à fictione; excusaretur autem, si nesciret ea esse peccata propter ignorantiam particularis circunstantię, vt si cognoscit alienam, quam credidit esse suam; sed obliuio de actu peccati habet ignorantiam facti, & ideò excusat à peccato fictionis in confessione, quod fructum absolutionis & confessionis impedit. 4. sent. d. 21. q. 2. a. 2. ad 4.

CVI CONFESSIO sit facienda.

CaP. III.

1 *Soli Sacerdoti facienda est confessio.*
2 *Non est necesse confiteri Sacerdoti peccata venialia.*
Sacramentalibus notum est veniale remitti, sicut per tunsionem pectoris, & aquam benedictam.
3 *Confessioni sicut Sacerdoti, ita & proprio Sacerdoti oportet fieri.*

4 Epis-

4 *Episcopus potest audire confessiones omniū suæ Diocesis etiam contra voluntatem Parochi.*

Aliquis auctoritate Episcopi, & Papa potest audire confessiones contra voluntatem Parochi.

Archiepiscopus non potest dare licentiā audiendi confessiones contra voluntatem Episcopi Diocesani.

5 *Si Sacerdos proprius non est idoneus, eligatur alter de licentia superioris.*

6 *Si pœnitens timet ex confessione facienda periculum sibi, vel confessario, petat à superiore, vt alteri confiteatur.*

Si Superior negat facultatem, tunc se habet, ac si non haberet copiam confessarij.

7 *Sacerdotes debent esse faciles in danda licentia alteri confitendi.*

Sacerdotes nimis curiosi scire conscientias aliorum peccant.

8 *Dupliciter aliquis impeditur, ne alterius audiat confessionem, scilicet per defectum iurisdictionis, & per impedimentum executionis ordinis.*

Episcopus, & Papa possunt committere Sacerdoti non habenti iurisdictionem, vt confessionem audiat.

Qui propter impedimentum executionis ordinis non potest audire confessiones poterit eas audire de mandato eius, qui potest remouere impedimentum.

9 *Dum Prælati superiores committunt alicui ea quæ sunt iurisdictionis non fit præiudicium Prælatis inferioribus.*

Fit præiudicium tantùm ijs, qui quærunt, quæ sua sunt.

10 *Pœnitens debet magis obedire pœnitentiario Papæ, quam Episcopi, & pœnitentiario Episcopi, quam proprio Sacerdoti.*

Pœnitens magis debet obedire proprio Sacerdoti, quam eius coadiutore.

11 *Qui confessus est pœnitētiario Episcopi non tenetur iterū confiteri proprio Sacerdoti.*

Talis debet confiteri peccata venialia proprio Sacerdoti; vel profiteri se immunē esse à peccato mortali propter Statutū Ecclesiæ de confitendo semel in anno.

Proprius Sacerdos debet ei credere.

Optimum est pluries confiteri.

Pœnitentiarius Episcopi suadeat pœnitenti, vt iterum confiteatur proprio Sacerdoti.

Si tamen non vult confiteri proprio Sacerdoti, illum nihilominus absoluat.

12 *Non habens curam animarum non habet potestatem iudicatiuam, nec potest absoluere in foro confessionis.*

13 *Quando proprius Sacerdos est ignorans, tunc de licentia ipsius, vel superioris ad alium recurrat.*

Quinque sunt casus, in quibus licet alteri confiteri, quàm proprio Sacerdoti sine eius licentia.

14 *Sacerdos potest cognoscere vultum pecoris sui dupliciter, scilicet extra confessionem, vel in confessione.*

Extra confessionem conuersando cum illo, & certificando se de factis eius.

In cōfessione credēdū est homini pro se, et cōtra se.

Credēdū est homini dicēti se alteri esse cōfessū.

15 *Monachi curam habentes animarum possunt absoluere.*

16 *Ex priuilegio Papæ Monachi, & Religiosi possunt audire confessiones.*

17 *Remissio venialium sequitur potestatem ordinis.*

Sacerdos potest absoluere æqualem, vel superiorem de venialibus.

18 *Prælati possunt sibi eligere confessarium.*

19 *Sacerdos debet examinare conscientiam pœnitentis.*

Confessarius in examinando conscientiam, & interrogando tria obseruet, & quæ.

Quæritur an soli Sacerdoti sit faciēda cōfessio.

1 RESpondeo dicendum, quòd quia gratia, quæ in sacramentis datur à capite in membra descendit, ideò solus est ille minister sacramentorū, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharestiam potest,

potest, & ideò cũ in sacramento pœnitentiæ gratia conferatur, solus Sacerdos est minister huius sacramenti, & ideò ei soli facienda est sacramentalis confessio, quæ ministro Ecclesiæ debet fieri. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 1. in corp. [4. contra gentes cap. 72.

Quæritur an peccatum veniale sit necessariò confitendum Sacerdoti.

2 Respondeo dicendum, quòd quia per peccatum veniale homo nec à Deo, nec sacramentis Ecclesiæ separatur, ideò non indiget nouæ gratiæ collatione ad eius dimissionem, nec indiget reconciliatione ad Ecclesiam, & propter hoc non oportet, quòd venialia aliquis Sacerdoti confiteatur, quia ipsa confessio laico facta sacramentale quoddam est, quamuis non sit sacramentum perfectum, & ex charitate procedens, & talibus natum est veniale remitti, sicut per tunsionem pectoris, & per aquam benedictam. 4. sent. distinct. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 3. in corp. [d. 16. q. 2. a. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an confessio sit facienda proprio Sacerdoti.

3 Respondeo dicendum, quòd cum alia sacramenta nõ consistant in hoc, quòd ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solùm, vt recipiat, sicut patet in baptismo & huiusmodi, sed actus recipientis requiritur ad percipiendum vtilitatem sacramenti in eo, qui est suæ voluntatis arbiter constitutus, quasi remouens prohibens scilicet fictionem; sed in pœnitentia actus accedentis ad sacramentum est de substãtia sacramenti; eo quòd contritio, confessio, & satisfactio sunt pœnitentiæ partes, quæ sunt actus pœnitentis, actus autem nostri cum in nobis principium habent, non possunt nobis ab alio dispensari, nisi per imperium, vnde oportet, quòd ille, qui dispensator huius sacramenti cõstituitur, sit talis, qui possit imperare aliquod agendum; imperium autem non cõpetit alicui in alium, nisi qui habet super eum iurisdictionem: & ideò de necessitate huius sacramenti est non solùm, vt minister habeat ordinem, sicut in alijs sacramentis, sed etiam quòd habeat iurisdictionem: & ideò sicut ille, qui non est Sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet iurisdictionem, & propter hoc oportet, sicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti confessionem fieri; cum enim Sacerdos non absoluat nisi ligando ad aliquid faciẽdum, ille solus potest absoluere, q potest per imperium ad aliquid faciẽdum ligare. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc 4. in corp. [opusculo 19. cap. 4.

Quæritur an aliquis possit confessiones audire de indulgentia Papæ sine voluntate proprij Prælati.

4 Respondeo dicendum, quòd aliqui dicunt, quòd nullus potest etiam auctoritate superioris Prælati absoluere subditum inferioris Prelati contra voluntatem ipsius, puta non potest auctoritate Episcopi contra voluntatem Parochialis aliquẽ absoluere: sed hoc est erroneum, quia ad absoluendum requiritur potestas Sacerdotalis, & iurisdictio; Episcopus autẽ immediatam iurisdictionem in omnes habet; vnde Episcopus potest omnium confessiones audire et cõtra voluntatẽ Presbyteri Parochialis, & similiter etiam ille, cui Episcopus committit, & multo magis si Papa committit; tamen Archiepiscopus, quia non habet immediatam iurisdictionẽ in omnes sui Archiepiscopatus, nisi ex apellatione, non posset alicui dare licentiam, vel auctoritatem audiendi confessiones contra voluntatem Episcopi Diocesani suffraganei. quodlibeto 12. a. 31. in corp.

Quæ-

Quæritur ad quem ſpectet electio Sacerdotis, cum proprius non eſt idoneus.

5 Reſpondeo dicendum, quòd electio diſcreti Sacerdotis non eſt nobis commiſſa, vt noſtro arbitrio facienda, ſed de licentia ſuperioris, ſi fortè proprius Sacerdos eſſet minus idoneus ad apponendum peccato ſalutare remedium. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 4 ad 3.

Quæritur quid facere debeat pœnitens quando timet ſibi, vel Sacerdoti periculum ex confeſsione ſibi facta.

6 Reſpondeo dicendum, quòd in caſibus illis, in quibus probabiliter timet pœnitens periculum ſibi, vel Sacerdoti ex confeſsione ei facta, debet recurrere ad ſuperiorem, vel ab eodem petere licentiã alteri confitendi; quòd ſi licentiam habere non poſsit, idem eſt iudicium, quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis; vnde magis debet eligere laico cõfiteri: nec in hoc tranſgreditur aliquis præceptum Eccleſiæ, quia præcepta iuris poſitiui non ſe extendunt vltra intentionem præcipiẽtis, quæ eſt finis præcepti, hæc autem eſt charitas ſecundùm Apoſtolum: nec iterũ fit aliqua iniuria Sacerdoti, quia priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur auctoritate. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 4. ad 5. & d. 19. q. 1. a. 3. quæſtiun. 2. ad 1.

Quæritur an Sacerdos debeat eſse facilis ad dandam licentiam alteri confitendi.

7 Reſpondeo dicendum, quòd peccaret Sacerdos, ſi non eſſet facilis ad præbendã licentiam confitendi alteri, quia multi ſunt adeò infirmi, quòd potius ſine confeſſione morerentur, quã tali Sacerdoti confiterentur, vnde illi, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis inijciunt, & per conſequens ſibi ipſis. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 4. ad 6.

Quæritur an aliquis poſsit confiteri alteri, quàm proprio Sacerdoti ex priuilegio, vel de mandato ſuperioris.

8 Reſpondeo dicendum, quòd Sacerdos aliquis poteſt dupliciter impediri, nè alicuius confeſſionem audiat, vno modo propter defectum iuriſdictionis, alio modo propter impedimentum executionis ordinis, ſicut excommunicati, & degradati, & huiuſmodi: quicunque autem habet iuriſdictionem poteſt ea, quæ ſunt iuriſdictionis committere, & ideò ſi aliquis impediatur, quòd alterius confeſſionem audire non poſſit per iuriſdictionis defectũ, poteſt ſibi per quẽcunque iuriſdictionem habentem immediatam in illos committi ſiue quòd confeſſionem audiat, & abſoluat, ſiue per ipſum Sacerdotem, ſiue per Epiſcopum, ſiue per Papam: ſi autem propter executionis ordinis impedimentum audire non poſſit, poteſt ſibi cõcedi, quòd confeſſionem audiat per eum, qui impedimentum amouere poteſt. 4. ſent. diſtinc. 17. q. 3. a. 3. quæſtiunc. quinta in corp.

Quæritur an poteſtas iuriſdictionis poſsit committi alteri à proprio Sacerdote.

9 Reſpondeo dicendum, quòd cum iuriſdictionis poteſtas non ſit commiſſa alicui homini in fauorem ſuum, ſed in vtilitatem plebis, & ad honorem Dei, ideò ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis, & ad honorem Dei promouendum, quòd alijs, quæ ſunt iuriſdictionis, committant, in nullo ſit præiudicium inferioribus Prælatis, niſi illis, qui quærunt, quæ ſua ſunt, non vt eas paſcant, ſed vt ab eis paſcantur. 4. ſent. diſtinct. 17. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 5. ad 1.

Quæ-

Quaritur quibus magis obedire debeat pęnitens, quando sunt plures confessarij.

10 Respondeo dicendum, quòd inconueniens esset; si duo æqualiter super eandem plebem constituerentur, sed quòd duo, quorum vnus alio principalior est super eandem plebem constituātur, non est inconueniens; & secundùm hoc super eandem plebem immediatè sunt, & Sacerdos Parochialis, & Episcopus, & Papa, & quilibet eorum potest ea, quæ sūt iurisdictionis ad ipsum pertinentia, alteri cōmittere; sed si superior committat, qui & principalior est, dupliciter potest committere, aut ita quòd eum vice sui constituat, sicut Papa, & Episcopus suos pęnitentiarios constituunt, & tunc talis est principalior, quam inferior prælatus, sicut pęnitē tiarius Papę, quàm Episcopus, & pęnitentiarius Episcopi, quā Sacerdos parochialis, & magis tenetur ei confitens obedire, alio modo, vt eum coadiutorem illius Sacerdotis constituat, & quia coadiutor ordinatur ad eum, cui adiutor datur, ideo adiutor est minus principalis, & ideo pęnitens non tantùm obedire tenetur ei, quantùm proprio Sacerdoti. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 5. ad 3.

Quaritur an qui confessus est superiori, iterum debeat confiteri proprio Sacerdoti.

11 Respondeo dicendum, quòd nullus tenetur confiteri peccata, quæ non habet, & ideo si aliquis pœnitentiario Episcopi, vel alteri ab Episcopo cōmissionem habenti confessus fuerit, cum sint sibi dimissa peccata, & quo ad Deum, & quo ad Ecclesiam, non tenetur ea confiteri proprio Sacerdoti quantumcunq; petat, sed propter Statutum Ecclesię de confessione facienda proprio Sacerdoti semel in anno eodem modo se debet habere, sicut ille, qui habet solum venialia, talis enim debet solum venialia confiteri, vt quidam dicunt, vel etiā profiteri se à peccato mortali immunem, & Sacerdos in foro conscientię ei credere tenetur. si tamen iterum confiteri teneretur, nō frustra primo confessus fuisset. quia quanto pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tanto plus de pœna ei remittitur, tum ex erubescentia confessionis, quæ in pęnam satisfactoriā computatur, tum ex vi clauium. vnde totiens posset aliquis cōfiteri, quòd ab omni pęna liberaretur; nec reiteratio iniuriam facit sacramento, nisi illi, in quo sanctificatio adhibetur, vel per caracteris impressionē, vel per materię consecrationē, quorum neutrum est in pęnitentia, vnde bonum est, quòd ille, qui auctoritate Episcopi confessionem audit inducat confitentem, quòd confiteatur proprio Sacerdoti, ꝙ si noluerit, nihilominus eum absoluere debet. 4. sent. d. 17. q. 3. a 3. quæst. 5. ad 4.

Quaritur an qui non habet curam animarum possit absoluere in foro confessionis.

12 Respondeo dicendum, quòd aliter est in sacramento pęnitentiæ, & aliter in quibusdā alijs sacramentis, nā in quibusdam, qui habet ordinē potest ex hoc ipso inducere effectū sacramēti in omni casu, scilicet in illis, in quibus ꝙ est effectus sacramentorū, est res existens extra sacramētū, vnde Sacerdos degradatus, & excōmunicatus licet peccet, tamen consecrat, & baptizat, & similiter Episcopus consecratus, quia confert caracterē; in pęnitentia autē non imprimitur caracter, nec effectus, nisi virificatio pęnitentis, quod nō potest fieri nisi per potestatem iudicatiuam, non habens autem curam animarum non habet hāc potestatē. quodlibeto 12. a. 15. in corp.

Quaritur quando quis possit alteri confiteri, quàm proprio Sacerdoti.

13 Respondeo dicendū, ꝙ quādo Sacerdotis ignorantia posset hominē inducere

in errorem, tunc de licentia Sacerdotis, vel superioris debet alium petere prudẽtiorem. quinque tamen casus ponuntur, quibus licet alijs confiteri, quàm proprio Sacerdoti sine eius licentia, primus est si sit vagabundus; secundus si mutauit domicilium; tertius si offendit in aliena Parochia; quartus propter malitiam Sacerdotis, si reuelat confessiones, vel incitat ad malum; quintus in articulo necessitatis. 4. senten. distinct. 21. in expositione litteræ.

Quæritur quomodo possit, & debeat cognoscere vultum pecoris sui Sacerdos.

14 Respondeo dicendum, quòd rector Ecclesiæ debet vultũ pecoris sui agnoscere dupliciter. vnò modo per sollicitã exterioris conuersationis considerationem, quia inuigilare debet super gregem sibi commissum, & in hac cognitione nõ oportet, quòd credat subdito, sed certitudinẽ facti in quantũ potest inquirat: alio modo per confessionis manifestationẽ, & quãtũ ad hanc cognitionẽ non potest maiorẽ certitudinẽ accipere, quã vt subdito credat, q̃a secundũ hoc est subueniendũ cõscientię ipsius. vnde in foro confessionis creditur homini, & pro se, & contra se; non autẽ in foro exterioris iudicij, & ideò ad hanc cognitionem sufficit, quòd credat subdito dicenti se alteri absoluere volente cõfessum fuisse. & sic patet, quòd talis cognitio pecoris per piuilegium alicui indultum de confessione audienda non impeditur. 4. sent. distinct. 17. q. 3. quæstiunc. 5. ad 2. (quodlibeto 1. a. 12.

Quæritur an Monachi curam habentes animarum possint confessiones audire.

15 Respondeo dicendum, quòd Gregorius dicit Apostolico moderamine, & pietatis officio à nobis constitutum est, quòd Sacerdotibus Monachis Apostolorũ figuram tenentibus liceat prędicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pęnitentiam imponere, atque peccata soluere; & loquitur de illis Monachis, qui iurisdictionem habent, vt pote quibus alicuius Parochię cura est cõmissa, de quibus aliqui dicebant, quòd hoc ipso, quòd Monachi erant non poterant absoluere, & pęnitentias iniungere; quòd falsũ est. 4. sent. distinct. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 4. ad 1.

Quæritur an Religiosi possint confessiones audire.

16 Respondeo dicendum, quòd ex auctoritate Papæ, & Episcopi, Monachis, & alijs Religiosis licet confessiones audire; & in cap. sunt tamen nonnulli, dicit Bonifacius Papa. credimus à Sacerdotibus, Monachis ligandi, soluendique officium Deo operante digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari. Decertantes igitur Monasticæ professionis Præsbyteros Sacerdotalis potentię arcere officio, omninò præcipimus, vt ab huiusmodi auribus reprimantur in posterum, quia quantò quisque celsior est, tantò, & illis erit potentior. opusc. 19. cap. 4.

Quęritur an quilibet Sacerdos possit absoluere de venialibus.

17 Respondeo dicendum, quòd in foro cõfessionis aliquis potest superiorem, vel ęqualem de venialibus absoluere, quia venialia ex quibuslibet sacramentis gratiã conferentibus remittuntur, vnde remissio venialium sequitur potestatem ordinis. 4. sent. distinct. 18. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3.

Quæritur an Prælati possint sibi eligere confessarium.

18 Respondeo dicendum, quòd quia Præla-

Prælatis incumbit sacramenta dispẽsare, quæ non nisi mundi tractare debent, ideo concessum est eis à iure, quòd possunt sibi eligere proprios confessores, qui quantũ adhoc sunt eis superiores, sicut etiã vnus medicus ab alio curatur non in quantum est medicus, sed in quantum est infirmus. 4. sentent. d.17. quæst.3. art.3. quæstiunc. 4. ad 4.

Quæritur an Sacerdos debeat interrogare pœnitentem, & de quibus.

19 Respondeo dicendum, quòd Sacerdos debet pescrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, & Iudex causam. quia frequenter, quæ pro confusione confitens taceret, interrogatus reuelat. sed tamen in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda. Primò vt quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueuerunt in hominibus illius conditionis abundare, non enim oportet, quòd à simili tẽ quæratur de peccato clericorum, aut Religiosorum, aut econuerso. Secundò, vt non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus manifesta sunt de alijs autem adinuentionibus peccatorum, ita debet à longinquo fieri interrogatio, vt si commisit, dicat, si non commisit, non addiscat. Tertiò, vt de peccatis præcipuè carnalibus non descendat nimis ad particulares circunstantias, quia huiusmodi delectabilia quantò magis in speciali considerantur magis ad concupiscentiam nata sunt mouere, vt dicitur in 3. & si, & ideo potest contingere, vt confessor talia quærens, & sibi, & confitenti noceat. 4. sent. d. 19. in expositione litteræ.

De modo benè confitendi. Cap. IIII.

1 *Ante confessionem pœnitens examinet diligenter conscientiam.*
Primò confiteatur peccata grauia certa.
Secundò leuia, & venialia.
2 *Peccata confiteantur per verba simplicia.*
3 *Non est nominanda persona socia peccati.*
4 *In confessione non est mentiendum.*
Certa pro certis, dubia pro dubijs sunt dicenda.
5 *Non est confitenda vnà pars peccatorum vni confessario, & alia alteri.*
6 *Peccata oblita sunt confitenda primò confessario, si illius habeatur copia, aliter alteri confessario.*
Si ex malitia omisit aliquis quadam peccata mortalia, recurrere debet ad primum confessarium.
Si recurrit ad alium confessarium reasumenda est tota confessio, & simul confitendum est mendacium factum, in confessione.
7 *Circunstantia loci, quæ est confitenda.*
8 *Circunstantia temporis, quæ est confitenda.*
9 *Confiteri debet quis, si peccauit coram alijs, qui occasionem sumere potuerunt peccandi.*
10 *Est confitendus numerus malarum cogitationum, si memoriæ occurit.*
Si non occurrat memoriæ numerus præcisus, debet dicere eum sicut bona fide iudicat.
Numerus cogitationum mortalium confitendus est.
Quæ leuia sunt explicanda in confessione.
11 *Cum peccatis sunt explicandæ intentiones malæ, quibus peccata commissa sunt.*
12 *Sunt confitenda peccata causata ex primo peccato.*
13 *Sunt confitenda causa, & occasiones peccatorum.*
14 *Modus per facilis confitendi se exponitur.*

Quaritur qua peccata prius sint confitenda.

1 RESpõdeo dicendũ, ꝙ penitẽtes ante confessionẽ diligẽter se ipsos examinẽt, & dicant primò omnia vitiosa, & grauia quæ pro certo nouerint se fecisse; ita quòd sub humilitatis specie, aut causa quacunq; nullatenus mẽtiantur; sed postea possunt dicere generalia, & leuia, quæ non possunt specialiter explicare, sicut sunt cogitationes otiosæ, verba ociosa, negligentia, & pigritia circa orationẽ. amissio temporis, distracti o cordis dicendo horas, vel orando, ingratitudo beneficiorum Dei, superflua cura de corpore, & de rebus temporalibus, turbationes leues contra proximum, iudicium leue alieni cordis despectio proximi quoad personam, & vitam, siue mores, & his similia. opusculo 64. cap. 3.

Quaritur qua simplicitate debeant confiteri peccata.

2 Respondeo dicendum, quòd confessio debet esse pura, quia peccata debent simpliciter dici absque duplicitate, & excusatione, sicut homo credit ea manifesta esse coram Deo, nec debent verba dici pallіantia, aut cooperientia, vel minuentia peccatum. sicut faciunt multi magnas filacterias, & historias longas dicentes antequam peccatum explicent, vt sic per illas ostendant se minus, culpabiles de peccato, quòd quidem peccatum in fine illorum verborum superfluorum excludunt. opusculo 64. cap. 1. & 2.

Quaritur an sint subticendæ personæ complices, & sociæ peccati.

3 Respondeo dicendum, quòd similiter non debet dici, quòd cadat in infamiam alicuius, aut quod possit præbere confessori occasionem turbationis contra aliquem, aut materiam contemnendi, vnde si expediret nominare peccata alterius confitendo propria, tunc taliter explicentur, quòd confessor nullo modo possit inteligere personam cum qua peccasti, nec possit venire in notitiam complicis in peccato, sicut si dedisti Petro occasionem peccandi, cum peccauit, non debes nominare, sed sufficit tibi dicere fui causa committendi tale peccatum cuidam personæ. opusculo 64. cap. 2.

Quaritur an sit licitum aliquando mentiri in confessione.

4 Respondeo dicendum, quòd nulla falsitas dicatur scienter, nec aliquod dubium affirmetur, sed certa vt certa, & dubia, vt dubia sunt dicenda, & ideo quando confiteris non dicas, dico meam culpam, si feci tale quid, aut si dedi materiam turbationis tali, aut fecissem tale peccatum, si potuissem, sed dic simpliciter, feci sic, & sic, & appetiui sic, & sic habui voluntatem deliberatã faciendi tale peccatum, & non dimisi, nisi quia non potui, vel quia nesciui, vel quia timui verecundiam, aut pœnam temporalem. sunt tamen quidam, qui nescientes, aut verecundantes, aut nõ curantes specificare peccata apertè mentiuntur in confessione, quam faciunt, dicendo quędam generalia ad quandam cautelam, quibus cõprehendant peccata omnia, quæ fecerunt, dicunt enim dico meam culpam de quinque sẽsibus meis malè custoditis &c. & tamen si interrogarentur de quolibet per se inuenirentur non offendisse in altero præmissorum istorum prædictorum, maximè postquam confessi fuerint, & sic etiam dicunt de septem vitijs capitalibus, cum tamen non offenderint in omnibus, sicut sonant verba eorum. opusculo 64. cap. 3.

Qua-

Quæritur an liceat vni Sacerdoti dicere partem peccatorum, & aliam alteri.

5 Reſpondeo dicendum, quòd nec dicas partem vni confeſſori, & partem alteri, quia nullo modo debes diuidere; hoc faciunt illi, qui timent deſpici à confeſſore, nec reputari minus boni plus timentes humanam verecundiam, quam Diuinam offenſam, & plus amantes laudem extrinſecam, quàm intrinſecam pacem mentis, & conſcientiæ puritatem. opuſculo 64. capitulo 4.

Quæritur quomodo ſint confitenda peccata ex obliuione, aut malitia omiſſa.

6 Reſpondeo dicendum, quòd ſimiliter ſi oblitus es quando confiteris aliqua peccata, & poſtea die ſequenti, vel alia die recordaris, ſi potes debes recurrere ad eundem confeſſorem, vt confitearis, ſi potes habere copiam, aut alium, alioquin ſufficit tibi bona voluntas, quòd ſi non ex obliuione, ſed ex malitia, & verecundia oblitus es, vel ommiſiſti cõfiteri aliquod peccatũ, teneris reccurrere ad primum confeſſorẽ, & ſi vis recurrere ad alium, teneris confiteri omnia peccata prius confeſſa, & illud, quòd prius omiſeras, & omnia, quæ poſtea cõmiſiſti prima confeſſione facta, & teneris confiteri de mendacio, aut ſimulatione quàm cũmiſiſti, quia dediſti intelligere confeſſori tuo, quòd primo integrè fuiſti confeſſus. opuſculo 64. cap. 4.

Quæritur an circunſtantia loci ſit confitenda.

7 Reſpondeo dicendum, quòd confeſſio debet eſſe plena, quia debet continere circunſtantias aggrauantes peccata, quæ sũt locus, in quo peccaſti, quia grauius eſt peccare in Eccleſia, aut in loco ſacro, quã in domo; & grauius eſt cogitare aliquid in honeſtum, quando dicis Miſſam, vel officium, vel quando oras, quam quando ſcribis, & grauius eſt reſpicere, vel tangere animo impudico corpus hominis ſub pannis, quam manum, vel pedem, quia magis libidinoſa delectatio eſt ibi, & ſic facies diferentiam inter locum, & locum. opuſcuſo 64. cap. 5.

Quæritur an circunſtantia temporis ſit confitenda.

8 Reſpondeo dicendum, quòd tempus in quo peccaſti conſiderandum eſt, quia grauius eſt caueri à Miſſa, vel otiari in die Dominico, vel in Feſto ſolemni, quam in die alio ſimplici, & grauius eſt quodcunque peccatum in magna ſolemnitate, quam alio tempore; & grauius eſt non vacare orationi, vel eſſe diſſolutum in lingua, vel relaxatum in gula, quando homo debet communicare, & die quo homo cõmunicat, quam in alio tempore. opuſculo 64. cap. 6.

Quæritur quomodo confitendum ſit peccatum coram alijs commiſſum, & quædam alia.

9 Reſpondeo dicendum, quòd grauius eſt dicere, & facere aliquid coram eo, qui poteſt ex hoc ſumere occaſionem peccandi, quam illud dicere, & facere occultè, & grauius eſt ſimulare ſe eſſe patientem habendo iram in corde, quàm oſtendere ſe eſſe turbatum, ſicut eſt, non dando tamen alicui per hoc turbationis, vel mali exempli occaſionem, & dicit Gregorius, & ideò non ſufficit dicere, fui iratus de verbo mihi dicto, ſed debet dicere, & addere, & ſimulaui me eſſe patientem in verbis, & ſignis exterioribus, vt reputarer humilis, vbi eram ſuperbus, ita quòd cum illa ſimulatione addidi mendacium ad iram, quàm occultaui; ad hoc eſt grauius tangere Bertam oſculãdo, quam ipsã in eodem loco tangere cum pede, quia iſte

sic modus tangendi est magis impudicus vnde non sufficit dicere, tetigi bertam impudicè, sed oportet dicere locum corporis, si tetigisti manum, vel pectus supra pannos, vel ad nudum, & dicas modum, scilicet cũ ore, manu, vel cum pede. opusculo 64. cap. 7.

Quæritur an sit confitendus malarum cogitationum, & quomodo.

10 Respondeo dicendum, quòd grauius est facere quodcunque peccatum cũ corde, aut cum aliquo sensu corporis bis, quã semel, & ideò si potes recordari, debes specificare vices cogitationum malarum, aut motus libidinosus in carne, & voluntatem faciendi aliquod peccatum, aut quotiens iterasti respicere in faciem alicuius propter delectationem visus, aut quotiens turbasti aliquem, aut murmurasti, & sic de alijs; quod si non es memor de numero, dic bona fide secundùm quòd iudicas te totiens iterasse peccata: & attende, quòd cogitationes leues, & leuia verba non sunt numero explicanda, nisi essent occasiones alicuius grauis peccati, vel vitij, aut essent de se in aliquo genere septem vitionum capitalium, si tamen propter aliquam cogitationem leuem haberes nimis longam distractionem mentis in oratione, vel in Psalmodia, credo quòd banum esset explicare, si esses memor propter magnum dispendium, quòd facit; si etiam propter aliquòd verbum solaciosum, vel leue aliquãdo turbaris, aut oriretur aliqua mala suspicio, aut aliquod malum, tunc debet specificari propter malum ipsius effectus, sic quòd talia ociosa, & leuia sunt specificanda, quando propter ea incurritur aliquod graue vitium, vel delictum, aut datur alicui materia peccandi, sufficit ergo dicere simul omnes distractiones mentis habitas in oratione, & in officio propter cogitationes leues sic dicendo, dico meam culpam de nimia distractione, & mentis euagatione, quam habui in oratione; audiendo Missam, & dicendo horas propter cogitationes inutiles, & ociosas, in quibus cor meũ nimis occupaui, sic quòd ibi non fui intentus, vt debui, & potui cogitationes autem vitiosæ procuratæ, & cum delectatione receptæ omnes sunt explicandę quantùm potest homo quantùm ad quantitatem, moram, & vices, cogitationes verò quantumcunque malæ, & vitiosæ si non sunt studiosè procuratæ, nec cum delectatione receptæ, nec cum mora seruatæ in corde, nec dedisti accessionem veniendi propter cibi, & potus intemperãtiam, aut propter occasionem, sed subito venerunt, & recesserunt & displicentiam habuisti in illis, & statim quando sensisti, vt potuisti, & pulisti, aut expellere procurasti occupando te in lectione, aut in meditatione Sancta, tales dico nõ sunt confitendæ, quia non solum in istis homo non offendit, sed multum meretur tamquàm pugil, pugnator, & victor, vnde Hieronymus, ille prædicatur Beatus, qui statim, vt cępit cogitare cogitatus interfuit, & allidit ad petrã, id est Christum: sed hodie quidam tales cogitationes confitentur potius ad laudẽ, & vanam gloriam, vt Confessor reputet eos spirituales, cum tamen talia esset occultanda, & in confessione tacenda, quia solum confitens debet se simpliciter ostẽdere peccatorem; vnde tales sunt thesauri Dei latrones, quia vanę glorię appetitores & ideo pęna latronum sunt puniendi. opusculo 64. cap. nono.

Quæritur an sit notificanda mala intentio simul cum peccato.

11 Respondeo dicendum, quòd grauius est facere quodcunque peccatum cum intione peccandi, seu prouocandi aliquem ad simile, aut aliquod aliud peccatum, quam ad faciendum sibi ipsi tantùm; sic si noueris defectum alicuius, facias ipsum despici, aut minus reputari propter inuidiam

diam tuam: vel aliam malitiam, aut si fecisti aliquem actum cum oculis, aut manibus aduersus aliquem, vel aliquam personam, vt prouocares eam ad malum, & sic de alijs peccatis studiosè factis, non tantū in damnum facientis, sed etiam in proximi detrimentum, quæ quidem peccata nō sufficit confiteri, nisi explicentur intentiones malitiosæ. opusculo 64. cap. 9.

Quæritur an sint confitenda peccata orta ex primo peccato.

12 Respondeo dicendum, quòd descensus de peccato in peccatum est diligentius perscrutandū; non est ita graue vnum peccatum simplex, sicut est illud, cuius occasione plura alia peccata sunt commissa; vnde si studiosè fecisti aliquem defectum tali modo, quòd alius fuit, inculpatus de hoc, & non excusasti innocentem, sed permisisti eum iniustè pati, vel si pro defensione vnius mendacij verba iniuriosa protulisti, aut incurristi plura alia mendacia, aut pro excusatione vnius mendacij commisisti periurgium, & ab hoc fuit suspicio de alio, vel facta iniusta punitio super aliquem, aut ortum est odium, aut turbatio aliqua inter aliquos; omnia hęc, & similia, quæ ex peccato primò sunt consequta debent cum primò principali peccato plenius explicari. opusculo 64. cap. 9.

Quæritur an sint confitendæ causæ, & occasiones peccatorum.

13 Respondeo dicendum, quòd similiter de plenitudine confessionis est dicere non solum circunstantias prædictas, vel similes, sed etiam occasiones, & causas peccatorum, propter quas incurristi ipsa peccata videlicet, quia neglexisti ea vitare, sicut potuisti, & sciuisti, hujusmodi enim causę sunt totaliter dicendę, ꝙ te cum de peccatis accuses, & non excuses, sicut quidam faciunt, imponentes culpam Diabolo, sicut Eua, quę dixit, serpens decepit me dicunt enim me tantùm tentauit de tali peccato, quòd oportuit me consentire, nec potui me defendere vllo modo: sed ista nō est confessio, nec expressio causæ peccati; imò est excusatio sui, & accusatio Diaboli illius, qui forte non est culpabilis ibi, non enim omne peccatum fit semper ex suggestione Diaboli, nec omnis tentatio est à Demone; multi ergo mētiuntur dicentes Demon me seduxit ad tale peccatum, & ideò oportet dicere, cum sentirem me stimulare ad tale peccatum perpetrandum fui negligens in euitando occasiones me incitantes ad hoc, scilicet locum, tempus, & personam, & fui negligens in adiuuando me cum ieiunio, & oratione, & aliis necessarijs, sicut sciui, & potui, vnde propter negligentiam, & malitiam meam comisi ipsum peccatum &c. alicui verò imponunt culpam proximo, sicut fecit Adam &c. dicunt enim, quædam persona tantùm institit mihi rogando, & blandiendo, & aliqua dona dando, quòd nullus de mundo potuisset se defendisse, sic quòd oportuit me finaliter consentire. Aliqui dicunt, quidam dixit mihi tantùm malum, de quodā quòd fecit me murmurare de illo, & illum despicere. sed hæc est vitiosa confessio, dic ergo ergo sic de primò, cum viderem expressè quòd locutio, & cōuersatio cum quadam persona esset mihi inutilis, & periculosa, & sentirem affectū cordis ad ipsā personam, aut ipsius ad me nō esse purum, aut secundum Deum, sed potius secundū carnē, & in conspectu, & in præsentia eiusdem haberem nimiam complacentiam, & sēsualem, & ex hoc semper haberem imaginationes impudicas de illa cum libidinosis motibus carnis, & ita propter hoc debebam fugere eam nihilominus fui secutus voluptatem carnis in tātùm quòd ad talem actum deueni cum ea; vnde me, & ipsam illaqueaui. De secundò sic dices, ac dies dici aliqua mala de quadam persona facilius ea credidi quàm credidis-

sem bona, si audiuissem propter leuitatē cordis mei,& defectum charitatis,& quādo debui compati murmuranti,& excusare in corde meo omnia, de quibus ille murmurabat, ego statim murmuraui cum illo confirmando malum, de quo dicebat, vel addēdo ad illud, quòd dicebat,ac per hoc dedi sibi occasionem magis murmurandi, & nota, quòd hic non debet quis murmurantem nominare, nec factum, de quo murmurauit, nec personam, de qua murmurauit, quando scilicet talis nominatio esset in excusationem sui, vel infamiam proximi.opusculo 64.cap 9.

Quaeritur quis sit modus facilis confitendi benè.

14 Respondeo dicendum, quòd vt sciàs melius confiteri,studeas semel in die examinare quomodo tempus expendisti, & discurre per singulas horas cogitando in quibus fuisti,aut quibus personis,quid cogitasti,quid dixisti,quid audiuisti,quid fecisti,vt cognoscas relaxationes linguę cordis, & sensuum, in quibus, & quoties offendisti,aut dedisti alijs materiam offendendo,& sic ordine in mēte tua,sicut eorū fueris memor, & illa pluries pertracta, & ordinatè repete in mēte tua,nec te pigeat in tali examinatione exercere, quia pax, & laetitia mentis, quàm inde consequeris excedit omne mundanum gaudium,quòd si absque difficultate magna, & cum magna tranquillitate animi istum modum volueris obseruare, stude in paucis delinquere, vt pauca possis recolere, & confiteri,confessorem eligas cōpassiuum, probatum in tentationibus, & in via continentiae se exercitantem, cui sępè confitearis, & aperias omnes defectus clarè,& lucidè, & stimulos, quibus molestaris, ad ista melius obtinenda necessaria est tibi solitudo, quae est via primaria ad cordis, munditiam, & tutela ad custodiam, vnde si es Religiosus, si pacem quaeris, hinc minus egredieris. Versus.

Cella quasi cęlum tibi sit,qua cęlica cernas.
Hic legas, hic ores, mediteris, crimina plangas.
Pax est in cella, foris autem plurima bella.

Si autem es saecularis,fuge consortia quātum potes, nisi pro euidenti vtilitate, aut necessitate expedit etiam vt potes in cordę propositum tibi cauendi pro posse ab omni offensa Dei, & proximi, & debes armare te cum oratione dicendo, Deus in adiutorium meum intende, quia sine auxilio Dei impossibile est te à quantocunq; liberari,& quāuis Deus permittat, quantumcunque ipsum rogaueris in oratione ne in aliqua peccata incidas, non tamen propter hoc desistas à bono proposito benè operandi,quia hoc Deus permittit, vt cognoscas te infirmum, & continuè Diuino auxilio indigere, nihilque boni per te ipsum posse perficere quantumcunque cupias, & proponas, propter quòd oportet semper orare,& non deficere, ille autē sēper orat,qui nō cessat benefacere,& mala vitare desiderat; si autē ab in coepto bono desisteres eo, quòd in oratione non exaudieris,tūc est signum,quòd spiritualis ędificij, quòd est conscientiae puritas, cares principio,cui est annexa cognitio propriae vilitatis, ad quod consequitur virtus humilitatis,quę mētem in bono confirmat,& facit hominem contentari de omnibus iudicijs,& permissionibus Diuinis circa omnes creaturas,& se. Dum enim in veritate te ipsum agnoscis,omnibus compateris nullum odis,nulli inimicaris, plus gaudes de passionibus, & pęnis corporalibus, quā de consolationibus carnalibus, quia tu vides ista meruisse, esse vtilia haec autem periculosa, si ergo omnia praeter peccatum diligis, nihil praeter peccatū timeas, nihil te praeter Deum afficiat, nihil te nisi culpa contristet: & quoniam cognitio: & accusatio sui ipsius,quae aquiritur per mētis mundiciam in solitudine, & mentali oratione aquiritur, necesse est, vt quisquis

quis ad hanc puritatem peruenire affectet solitudinem velut matrem omnis munditiæ amplectatur, & ibi in lectione, & sui cordis scrutatione sic se quotidie exerceat, quòd omni vitiositate vitata, omniq; humana verecundia post posita, & despecta ad puram, & integram, & plenam confessionem, nunc se præparet, & disponat. opusculo 64. cap. 27.

De Reiteratione confessionis. Cap. V.

1 *Qui confessus est* Sacerdoti *habenti iurisdictionem non potest compelli, vt reiteret confessionem.*

2 *Qui fictus accessit ad confessionem non tenetur reiterare illam.*

Sufficit, vt fateatur fictionem.

3 *Volens confiteri peccatum omissum ex obliuione non tenetur reiterare totam confessionem.*

Peccatum oblitum dicat explicitè, cætera confiteatur in generali.

4 *Aliquid exponetur dupliciter in confessione scilicet directè & indirectè.*

Quæ peccata notificare debeat, vel non debeat in confessione recidiuans.

5 *Quando scienter omittitur aliquod peccatum reiteranda est confessio.*

6 *Per reiterationem confessionis minuitur pœna.*

Potest esse, quòd totaliter dimittatur pœna per reiterationes plures confessionis.

Quæritur an aliquis possit compelli ad reiterandam confessionem.

1 Respondeo dicendū, quòd non potest aliquis alicuius nominis auctoritate cōpelli ad confitendū peccatum, q̃ alteri confessus est, qui absoluere potuit, quia & confessio peccatorū, quoddam sacramentale est Diuino imperio subiacens non humano. quodlibeto 1. a. 12. ad 1.

Quæritur si fictè confessus teneatur reiterare confessionem?

2 Respondeo dicendum, quòd non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 4. quæst. 1. in corp.

Quæritur an qui oblitus est alicuius peccati, teneatur reiterare confessionem.

3 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quòd quando aliquis recordatur eorum, quæ prius oblitus fuit, debet iterū etiam ea, quæ confessus fuerat, confiteri, & præcipuè si non potest eundem habere, cui ante confessus fuerat, qui omnia cognoscit, vt totius culpæ quantitas vni Sacerdoti innotescat, sed hoc non videtur necessarium, & sufficit, quòd hoc peccatum confitens dicat explicitè, & alia in generali dicendo, quòd cum alia multa confiteretur, huiusmodi oblitus fuit. 4. senten. distinct. 17. quæst. 3. articul. 4. quæstiunc. 2. ad 3.

Quæritur an recidiuans teneatur peccata confiteri, de quibus prius confessus fuit.

4 Respondeo dicendum, quòd videtur distinguendum esse, quòd in confessione est aliquid exponendum dupliciter, vnō modo directè, & sic exponi dicitur, cuius abolitio per confessionem quæritur, & sic peccata dimissa recidiuans nullo modo confiteri tenetur, nec in generali, nec in speciali cuicunque confiteatur; alio modo indirectè, sicut illud, sine quo sciri non potest debitus satisfaciendi modus; cum enim contritio secundum, quòd est de necessitate salutis, motum confessionis, & satisfactionis debitæ includat, tenetur ille, qui confitetur Sacerdoti exponere ea, quibus Sacerdos possit scire, quæ satisfactio sit congrua iniungenda, sicut

sicut confitens confitetur Sacerdoti interdum se esse infirmum, vt ei ieiunium non imponat, & per hunc modum tenetur reciduans notificare peccata dimissa quantùm sufficit adhoc, quòd sciatur quæ satisfactio est ei iniungenda, vt si frequenter lapsum carnis passus est ex aliqua occasione, illa occasio præscendatur per satisfactionem, & sic de alijs peccatis, & adhoc videtur sufficere confessio dimissionem peccatorum in generali, tamen quantùm ad alia specialia oportet descendere secundùm, quòd confitens viderit opportunum, non enim potest in his aliqua certę mensura præfigi. 4. sent. distinct. 22. qu. 1. a. 4. in corp.

Quæritur an scienter dimittens aliquod peccatum teneatur reiterare totam confessionem.

5 Respondeo dicendum, quòd de necessitate confessionis est, quòd homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, quod si non facit, non est confessio, sed confessionis simulatio, & ideo reiteranda est. 4. sent. d. 17. q 3. a. 4. quæst. 2. in corp.

Quæritur quid faciat reiteratio confessionis.

6 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quòd in prima absolutione tantũ dimittitur vi clauium, quantùm dimitti potest, sed tamen valet iterata confessio tum propter instructionem, tum propter maiorem certitudinem, tum propter intercessionem confessionis, tum propter verecundiæ meritum, sed hoc non videtur verum, quia & si hæc esset ratio confessionẽ iterandi non tamen esset ratio iterãdi absolutionem præcipuè in eo, qui non habet aliquam causam dubitationis de præsenti absolutione, ita enim poterit dubitare post secundam absolutionem, sicut post primam; sicut videmus quòd sacramentum extremæ vnctionis non iteratur super eundem morbum eo, quòd totum, quòd per sacramentum fieri potuit, semel factũ est, & præterea in secunda confessione non requireretur quòd haberet claues ille, cui fit confessio, si nihil ibi ius clauium operatur, & ideo dicunt, quòd etiam in secunda absolutione gratiæ confertur augmentum, & quanto maior gratia recipitur, minus de impunitate peccati præcedentis manet, & ideo minor pœna purgatus debetur; vnde etiam in prima absolutione alicui plus, vel minus de pœna dimittitur in clauium secundum, quòd plus se ad gratiam disponit, & potest esse tanta dispositio, quòd etiam ex vi contritionis tota pœna tollitur; vnde etiam non est inconueniens, si per frequentem confessionem etiam tota pœna tollatur, vt peccatum omninò remaneat impunitum, pro quo pœna Christi satisfecit. 4. sent. d. 18 q 1. a. 3. quæstiunc. 2. ad. 4.

De sigillo confessionis.

Cap. VI.

1 *De necessitate sacramenti pœnitentiæ est celare peccata audita in confessione.*
2 *Sub sigillo directè non cadunt nisi ea, quæ cadunt sub confessione sacramentali sub sigillo, quæ cadunt indirectè.*
3 *Scitum in confessione se habet, vt nescitum.*
4 *Quomodo se gerere debet confessarius, dum audit confessionem hæretici obstinati peruertentis plebem.*
Quomodo se debeat gerere confessarius, quando in confessione cognoscit affinitatem in aliquos volentes cõtrahere matrimonium.
5 *Non debet Sacerdos reuelare confessionem, quamuis contra eum fulminetur excommunicatio.*
Talis excommunicatio non tenet.
6 *Confessarius potest iurare se nescire ea, quæ audiuit in confessione.*
Prælatus potest relinquere impunitum peccatum, quòd sciuit in confessione.

Nec

Nec remedium debet adhibere, nisi eo modo, quo ei defertur.
Adhibeat remedium in confessione.
Quid facere debeat Abas, quando in confessione cognoscit peccatum sui Prioris, cui nisi prouideat, erit in ruinam ipsius.
7 *Quod scitur in confessione non est manifestandum, nec verbo, nec signo nec nutu.*
Non est aliquid faciendum per quòd in peccati cognitionem quis possit deuenire.
Prælatus non debet priuare officio sibi subditum propter peccatum sibi confessum.
Debet admonere ipsum, vt petat absolutionem à tali officio.
Abas potest absoluere ab officio subditum sibi confessum, & cumqua conditione, & cautela, & alia occasione accepta, & si cõsuetum est, tales de facili remoueri ab officio ad libitum ipsius Abbatis.
Si tamen periculum non timeretur imposterum, non absoluat eum ab officio.
8 *Pro peccato occulto dans penitentiam publicam reuelat confessionem.*
9 *Confessarius potest reuelare audita peccata in confessione de licentia penitentis.*
10 *Ille, cui fit reuelatio tenetur celare peccata: Ita etiam interpres.*
Nisi forte penitens velit, vt illa sciat absolutè & libere.
11 *Confessarius potest reuelare peccata, aliàs scita, licèt ea audierit in confessione.*
Non tamen potest dicere se ea audiuisse in confessione.
Propter scandalum tamen absolute taceat ea.
Non manifestet ea, nisi in casu necessitatis.
12 *In hoc casu non dicitur quis reuelare confessionem, nisi per accidens.*
13 *In nullo casu est reuelanda confessio aliquo modo.*
Qui reuelat confessionem est sacrilegus.
14 *Peccatum in confessione auditum, & alias scitum potest quis reuelare ad Iustitiam faciendam, etiam si sequatur scandalum.*
Scãdalũ tamen quatũ in se est vitare nitatur.
15 *Papa non potest dispensare cum aliquo, vt reuelet confessionem.*

Quæritur an confessarius teneatur celare audita in confessione.

1 Respondeo dicendum, quòd quia in sacramentis ea, quæ exterius geruntur sunt signa rerum, quæ interius contingunt, & ideo confessio, qua quis Sacerdoti se subijcit, signum est interioris, qua quis Deo subijcitur, Deus autem peccatũ illius, qui se sibi subijcit, per penitentiam tegit; vnde & hoc oportet in sacramento penitentiæ signari, & ideo de necessitate sacramenti est, quòd quis confessionem celet, & tanquàm violatur sacramenti peccat, qui reuelat, & præter hoc sunt aliæ vtilitates huius celationis, quia per hoc homines ad confessionem magis attrahuntur & simplicius peccata confitentur. 4. sent. d.21.q.3.a.1.quæstiunc.1.in corp. (quodlibeto 12.a.16.

Quæritur quæ cadant sub sigillo confessionis.

2 Respondeo dicendum, quòd sigillum confessionis non directè se extendit, nisi ad illa, quæ cadunt sub sacramentali confessione, sed indirectè, id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad cõfessionis sigillum pertinet, sicut illa, per quæ posset peccator, vel peccatum depræhendi, nihilominus etiam illa summo studio sunt celanda tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset. 4. sent. dist. 21. q. 3. a. 1. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an audita in confessione se habeant vt nescita.

3 Respondeo dicendũ, quòd illud, quòd sub confessione scitur, est quasi nescitum, cum nesciat vt homo, sed vt Deus. 4. sent. d.21.q.3.a.1.quæstiun. prima ad primum.

Quæ-

Quaritur quomodo se genere debeat confessarius cum audit peccatum perniciosum puta haresim.

4 Respondeo dicendum, quòd si aliquis in confessione scit aliquem hæreticum, qué non potest inducere adhoc, quòd desistat à corruptione plebis, & similiter qui scit per confessionem affinitatem esse inter aliquos, qui contrahere volunt, aliquod remedium adhibere debet quantùm potest, sine confessionis reuelatione, sicut monendo eos, qui confitentur, & alijs diligentiã apponendo, ne corrumpantur per hæresim: potest etiam dicere Prælato, quòd diligentius inuigilet super gregem suum, ita tamen quod non dicat aliquod, per quòd verbo, vel nutu confitentem prodat. 4. sent. d. 21. q. 3. a. 1. ad primum.

Quaritur an confessarius propter censuram debeat reuelare confessionem.

5 Respondeo dicendum, quòd præceptũ de confessione seruanda consequitur ipsum sacramentum, & ideo sicut præceptũ de confessione sacramentali facienda est de iure Diuino, & nõpotest aliqua dispẽsatione, vel iussione humana homo ab eo absolui, ita nullus ad reuelationem confessionis potest ab homine cogi, vel licentiari, vnde si præcipiatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quòd dicat, si aliquid scit de peccato, non debet dicere, quia debet æstimare, quòd intentio præcipientis sit, si sciat, vt homo, si etiam exprimeret de confessione interrogans, non debet dicere, nec excommunicationẽ incurreret, quia non est subiectus superiori suo, nisi vt homo, hoc autem nescit, vt homo, sed vt Deus. 4. sent. d. 21. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. ad 2.

Quaritur an Pralatus possit absoluere subiectum ab officio propter peccatum in confessione auditum.

6 Respondeo dicendum, quòd quia homo non adducitur in testimonium, nisi homo: ideo absque læsione conscienti potest iurare se ne scire, quòd scit tantùm vt Deus; similiter autem absque læsion conscientiæ potest Prælatus impunitu dimittere peccatum, quòd scit, vt Deu vel sine aliquo remedio, quia non tenetu adhibere remedium, nisi eo modo, quo a ipsum refertur, vnde in his, quæ deferun tur ei in foro pęnitentiæ, in eodem for debet quantum potest adhibere remediũ vt Abas in casu, quo scit per confessionen alicuius Prioris sibi subiecti peccatum, cuius occasio inducit ipsum ad ruinam, si e Prioratum dimittat, admoneat eum, vt Prioratum resignet; vel si noluerit, potest ex aliqua alia occasione absoluere à cura Prioratus, ita tamen quòd omnis suspicio vitetur de confessionis reuelatione. 4. sen. d. 21. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. ad. 3. (2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

Quaritur an Pralatus possit subditum suum ab administratione remouere, quia in confessione audiuit peccatum, per quòd debet amoueri.

7 Respondeo dicendum, quòd id, quòd per confessionem auditũ, nullo modo est manifestãdum nec verbo, nec signo, nec nutu, nec etiam aliquid est faciẽdum, vnde in suspicionẽ peccati aliquis possit deuenire si ergo amotio subditi ab administratione possit inducere admanifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo Prælatus debet subditum ab administratione remouere, puta si in aliquo Monasterio esset consuetum, quòd Priores non amouerentur de suis Prioratibus, nisi propter culpã, mani-

manifestaretur peccatum confitentis per remotionem ab administratione, vnde si Abas hoc faceret, grauiter peccaret tanquam confessionem reuelans. posset tamen eum secreto charitatiuè admonere, vt cum instantia peteret cessionem, si hoc videret saluti eius expedire. si verò per amotionem ab administratione peccatū nullatenus manifestaretur; puta si in aliquo Monasterio esset consuetum, quòd Abas pro suo libito de facili aliquos ab administratione remoueret, tunc alia occasione accepta potest subditum sibi confessum ab administratione remouere. & deberet hoc facere cum debita tamen cautela, si talis administratio esset subdito periculosa imposterum, quamuis etiā in hoc casu melius esset, quòd eum induceret ad cessionem petendā. si verò periculum imposterum non timeretur, non oportet, quod pro peccato præterito per pœnitentiam delato eum ab administratione remoueat, sicut etiam Augustinus dicit in lib. de adulterinis coniugijs. Cur adhoc deputamus adulteros, quos credimus penitentia esse sanatos, quandoque enim penitentes innocentibus meliores sunt. quodlibeto 5.a.13. in corp.

Quæritur an dans penitentiam publicam pro peccato occulto reuelet confessionem.

8 Respondeo dicendum, quòd pro peccato occulto penam inferēs publicam reuelator est confessionis, aut proditor criminis 4.sent.d.9.q.1.a.5. quæst.1.in corp.

Quæritur an confessarius de licentia penitentis possit reuelare confessionem.

9 Respondeo dicendum, quòd quia duo sunt, propter quæ Sacerdos tenetur peccatum occultare, primo & principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti, in quantum scit illud, vt Deus, cuius vicem gerit ad confessionem; alio modo propter scandalum vitandum, potest autem penitens facere, vti illud, quòd Sacerdos sciebat, vt Deus sciat etiam, vt homo, quòd facit, dum eum licentiat ad dicendum, & ideo si dicat, non frangit sigillū cōfessionis. tamen debet cauere scādalum dicendo, ne fractor sigilli prędicti reputetur. 4. sent.d.21.q 3.a.2.in corp.

Quæritur an ille, cui de consensu penitentis confessarius reuelauit confessionem, teneatur celare illam.

10 Respondeo dicendum, quòd ille, ad quē notitia peccati deuenit mediante Sacerdote ex voluntate confitentis participat in aliquo actum Sacerdotis, & ideò simile est de eo, & de interprete, nisi fortè peccator velit, quòd ille absolutè sciat, & liberè. 4.sent.d.21.q.3 a.3.ad 4.

Quæritur an Confessarius possit dicere peccata in confessione audita, aliaq; tamen via scita.

11 Respondeo dicendū, quòd quidā dicunt, ꝙ illud ꝙ aliquis audit in cōfessione non potest aliquo modo dicere, si sciat alias, siuè ante, siue post: quidā verò dicūt, quod per confessionem præcluditur, sibi via, ne possit aliquid dicere, quòd prius sciuit, non autem quin possit dicere, si postea alio modo sciat. vtraque autem opinio, dum nimium sigillo confessionis attribuit, pręiudiciū veritati, & iustitię seruandæ facit. posset enim aliquis ad peccata esse procliuior, si nō timeret ab illo accusari, cui confessus est, si coram ipso peccatū iteraret. similiter etiā multū iustitiæ perire poterit, si testimoniū ferre nō posset aliquis de eo, quod vidit propter confessionē de hoc factā. nec obstat, ꝙ quidā dicunt, quòd debet protestari se nō tenere priuatum hoc; quia hoc non posset protestari, nisi postquā peccatū esset sibi dictum, & tunc quilibet Sacerdos posset, cū vellet, reuelare peccatum protestationem facien-

faciendo, si hoc ipsum ad reuelandum liberum redderet, & ideò alia opinio est, & verior, quia illud, quòd homo alias scit, siuè ante confessionem, siue post, non tenetur cęlare quantùm ad id, quòd scit, vt homo: potest enim dicere, scio illud, quia vidi. tenetur tamen cęlare illud in quantùm scit, vt Deus. non potest enim dicere, ego audiui in confessione, tamen propter scandalum, vitãdum debet abstinere, ne de hoc loquatur, nisi necessitas immineat. 4. sent. d. 21. q. 3. a. 3. in corp.

Quaeritur an in supradicto casu diceretur confessarius fractor sigilli.

12 Respondeo dicendum, quòd quando aliquis dicit se vidisse, quòd in confessione audiuit, non reuelat, quòd in confessione audiuit, nisi per accidens, sicut qui scit per auditum, & visum non reuelat, quod vidit per se loquendo, si dicat se audisse, sed per accidens, quia dicit auditum, cui accidit visum esse, & ideo talis sigillum confessionis non frangit. 4. sent. distinct. 21. q. 3. a. 3. ad 1.

Quaeritur an in aliquo casu liceat reuelare confessionem.

13 Respondeo dicendum, quòd non, nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licèt facere, quia est sacrilegium, nã ita est in sacramentis nouę legis, quòd efficiunt, quòd figurant. effectus autem pęnitentiae est occultatio peccatorum ab oculis Dei viuentis, & hęc occultatio significatur per secretum confessionis, & ideo sicut prophanaret sacramentum, qui conficeret corpus, & sanguinem Christi de alio, quàm de pane, & vino, ita esset reuelans sacrilegus. quodlibeto 12. a. 16.

Quaeritur an propter scandalum sit tacenda veritas, quam in confessione quis audiuit, & tamen alius sciuit, si necessitas immineat.

14 Respondeo dicendum, quòd non debet ita vitari peccatũ ex vnã parte, quòd ex alia iustitia relinquatur: veritas enim non est propter scandalum dimittenda. & ideo, quando imminet periculum iustitię, & veritatis, non debet dimitti reuelatio eius, quòd quis in confessione audiuit, si alias scit, propter scandalum, dum tamen quantum in se est euitare nitatur. 4. sent. d. 21. quaest. 3. a. 3. ad 4.

Quaeritur an Papa possit dispensare cum aliquo, vt reuelet confessionem.

15 Respondeo dicendum, quòd Papa non potest licentiare confessorem, vt dicat, quia nõ potest facere, vt sciat, vt homo, quòd potest, qui confitetur. 4. sent. d. 21. q. 3. art. 2. ad 1.

De effectu Confessionis. Cap. V.

1 *Confessio Ianuam Paradisi aperit.*
2 *Confessio spem salutis tribuit.*
3 *Confessio liberat à culpa.*
Confessio in voto liberat à culpa.
Confessio liberat à morte peccati.
4 *Si quis in ipsa absolutionẽ incipit conteri, & habere in voto claues Ecclesię sine culpa ei dimittitur.*
5 *Nullus peccando consequitur remissionem peccatorum.*
6 *Confessio ex vi absolutionis liberat à poena aeterna.*
Remanet tamen obligatio ad poenã tẽporalẽ.
Et haec poena restat in purgatorio luenda etiam his qui à poenà inferni liberati sũt.
Per vim clauium poena temporalis fit proportionata viribus pęnitentis, quam per satisfa-

satisfactionem in hac vita purgare potest.
Minuitur hæc pęna per erubescentiam habitam in confessione.
7 *Tota pœna temporalis non remittitur per confessionem, sed pars.*
Per baptismum tota pœna dimittitur.
Confessio liberat à pœna Purgatorij.
Minus in purgatorio patitur absolutus moriens ante satisfactionem, quam si moreretur ante absolutionem.
8 *Quomodo intelligatur illud dictum, quòd confessio facit de mortali veniale.*
Quot modis dicatur veniale.
9 *Sine confessione actuali, vel in voto non dimittitur peccatum.*
10 *Confessio generalis aliquando est sacramentalis, & aliquando non.*
Quæ confessio generalis sit sacramentalis & quæ non.
Confessio generalis sacramentalis delet venialia quo ad culpam, & quò ad pœnam vel in parte, vel in toto.
Ex quattuor habet hunc effectum, & quibus.
Confessio generalis non sacramentalis ex tribus tãtùm habet efficaciam, & quibus.
11 *Qua ratione confessio generalis deleat culpam, & pœnam.*
12 *Confessio generalis sacramentalis sufficit ad delenda peccata mortalia oblita.*
13 *Quando quis recordatur obliti peccati, debet illud confiteri.*
14 *Non reportat commodum ex hoc, quòd dimittuntur ei peccata mortalia oblita, & cęlare.*
16 *Non potest quis certo scire sibi dimissa esse peccata mortalia oblita per confessionem generalem.*

Quęritur an confessio Ianuã Paradisi aperiat.

1 RESpondeo dicendum, quòd à Paradisi introitu prohibetur aliquis per culpam, & reatum pęnæ, & quia hæc impedimenta confessio amouet, ideo dicitur Paradisum aperire. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 5. quæst. 3. in corp.

Quæritur an confessio spem salutis tribuat.

2 Respondeo dicendum, quòd spes remissionis peccatorũ non est nobis nisi per Christum, & quia homo per confessionem se subijcit clauibus Ecclesiæ, ex passione Christi virtutem habẽtibus, ideo dicitur, quòd confessio spem salutis tribuit. 4. sen. d. 17. q. 3. a. 5. quæst. 4. in corp.

Quæritur an confessio liberet à morte peccati?

3 Respondeo dicendum, quòd pęnitentia in quantum est sacramentum præcipuè in confessione perficitur, quia per eã homo ministris Ecclesiæ se subdit, qui sũt sacramentorum dispensatores. contritio enim votum confessionis annexum habet, & satisfactio pro iudicio Sacerdotis, cui fit confessio, taxatur: & quia in sacramẽto pęnitentię gratia infunditur, per quam fit remissio peccatorum, sicut in baptismo, ideo eodem modo confessio ex vi absolutionis coniunctæ remittit culpam, sicut baptismus. liberat enim Baptismus à morte peccati non solum secundum, quòd actu recipitur, sed etiam sicut in voto habetur, sicut patet in illis, qui iam sanctificati ad baptismum accedunt, & si aliquis impedimentum non præstaret ex ipsa collatione baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si prius sibi remissa non fuissent. & similiter dicendum est de confessione adiũcta absolutione, quòd secundum, quòd in voto pęnitentis præcessit, à culpa liberauit. postmodum autẽ in actu confessionis, & absolutionis gratia augetur, & etiam remissio peccatorũ daretur, si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset, & ipse tunc obicem gratiæ non præberet; & ideo sicut de baptismo dicitur, quòd liberat à morte, ita & de confessione dici potest 4. sent. distinct. 17. quæst. 3. art. 5. quæstiunc. 1. in corp.

Quæ-

Quæritur an per absolutionem Sacerdotis culpa remittatur.

4 Respondeo dicendum, quòd cum aliquis actu absoluitur, consequitur plenariè sacramenti effectum. sed si antequam absoluatur habeat hoc sacramentum in voto, quando scilicet proponit se subijcere clauibus Ecclesiæ: iam virtus clauium operatur in ipso, & consequitur remissionẽ culpę. si quis tamẽ in ipsa absolutione incipit conteri, & claues Ecclesiæ habere in voto, in ipsa absolutione Sacerdotis culpa ei dimittitur per gratiam, quæ infunditur in hoc sacramento, sicut in alijs sacramentis nouæ legis. vnde quandoque contingit, quòd aliqui nõ perfectè contriti virtute clauium gratiam contritionis cõsequũtur dummodo non ponãt obicem Spiritui Sancto. & idem est in alijs sacramentis nouæ legis, in quibus gratia confertur. videtur tamen esse differentia inter baptismum, & penitentiam propter hoc, quòd sacramentum penitentiæ semper exhibetur adultis, in quibus, vt plurimum contritio precedit tempore confessionem, & absolutionem; baptismus autẽ multotiens confertur pueris, in quibus votum baptismi non precedit. omnino autem simile apareret, si etiam baptismus exhiberetur adultis. quodlibeto 4. artic. 19. in corp.

Quæritur an quis possit peccando consequi remissionem peccatorum.

5 Respondeo dicendum, quòd in sacramento penitentiæ non imprimitur caracter, sed solum confertur gratia ad remissionem peccati, quã remissionem nullus consequitur peccando quodlibeto 1. art. 10. in corp.

Quæritur an confessio liberet à pęna.

6 Respondeo dicendum, quòd confessio simul cum absolutione habet vim liberandi à pena dupliciter, vno modo ex ipsa vi absolutionis, & sic quidem liberat in voto existens à pęna æterna, sicut & à culpa, quę quidem pęna est pęna condemnãs, & ex toto exterminans, & à qua homo liberatus, manet adhuc obligatus ad pęnã temporalem secũdùm, quòd pęna est medicina purgans, & promouens, & hæc pœna restat in purgatorio patiẽda etiã his, qui a pęna inferni liberati sunt, quæ quidem pœna est improportionata viribus pęnitentis in hoc mundo viuentis, sed per vim clauium intantum diminuitur, quòd proportionata viribus pęnitentis remanet, ita quòd satisfaciendo se in hac vita purgare potest; alio modo diminuit pœnam ex ipsa natura actus confitentis, qui habet pęnam erubescentiæ annexam. & ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis pena diminuitur. 4. sent. distinct. 17. quæst. 3. a. 5. quæstiunc. 2 in corp.

Quæritur an confessio liberet à pœna temporali.

7 Respondeo dicendum, quòd illi, qui per contritionem consequutus est remissionem peccatorum quantùm ad culpam, & per consequens quantùm ad reatũ pœnę æternę, quę similiter cum culpa dimittitur ex vi clauium ex Passione Christi efficaciam habentium augetur gratia, & pęna remittitur tẽporalis, cuius reatus adhuc remanserat post culpæ remissionem, non tamen totus, sicut in Baptismo, sed pars eius; eo q in baptismo homo regeneratur configuratus Passioni Christi totaliter efficaciam Passionis Christi, quæ sufficit ad omnem pęnam delendam in se suscipiens, quia non debet alicui imputari ad pœnam, nisi quòd ipsemet fecit: in baptismo autem homo nouam vitam accipiens fit per gratiam baptismalem nouum homo, & ideo nullus reatus pœnæ remanet

remanet in eo pro præcedēti peccato, sed in pęnitentia homo non mutatur in aliam vitam, quia non est regeneratio, sed sanatio quædam, ideo ex vi clauium, quę operatur in sacramento pęnitentiæ non tota pęna remittitur, sed aliquid de pęna temporali, cuius reatus post absolutionem à pœna æterna remanere potuit, nec solum à pœna illa, quam habet, vel suscipit ab ea pęnitens in confitendo, vt quidam dicunt, quia sic cōfessio, & Sacerdotalis absolutio non essent nisi in onus, quòd non competit sacramentis nouæ legis; sed etiam de illa pęna, quæ in purgatorio debetur, aliquid remittitur, vt minus à purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet. 4. sent. d. 18. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur quomodo intelligatur id, quòd dicitur per confessionem fit veniale, quod prius erat mortale.

8 Respondeo dicendum, quòd quando dicitur, quòd per confessionem fit veniale quod prius erat mortale, veniale non sumitur pro culpa, sed pro pęna de facili expiabili. vnde non sequitur, quòd culpa in culpā conuertatur, sed pœnitus anihilatur: dicitur .n. veniale tripliciter, vnò modo ex genere, sicut verbum ociosum, alio modo ex causa, idest veniæ causam in se habens, sicut peccatum ex infirmitate, alio modo ex euentu, sicut hic accipitur, quia per confessionem hoc euenit, quòd de culpa præterita homo veniā consequatur. 4. sent. d 17. q. 3. art. 5. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæritur an peccatum possit dimitti absque confessione.

9 Respondeo dicendum, quòd quamuis peccatum dimittatur ante actualem confessionem, nunquā tamen dimittitur ante confessionem in proposito existentem, sicut etiam ante baptismum actualiter susceptum aliquis rem baptismi cōsequitur ex proposito suscipiendi baptismum. 4. sen. d. 16. q. 1. a. 1. quæstiun. 2. ad 2. [d. 17. in expos. litteræ [quodlibeto 4. a. 10. in corp.

Quæritur an confessio generalis deleat venialia peccata.

10 Respondeo dicendum, quòd confessio generalis quandoque est sacramentalis, & quandoque non; sacramentalis quidem est, quando aliquis in secreto Sacerdoti confitetur quædam, quæ meminit, & alia venialia in generali; & tunc illa generalis cōfessio ex quattuor habet, ꝙ valeat ad remissionē venialium quantum ad culpam, & etiam pęnā, vel in parte, vel in toto; scilicet ex contritione confitentis, ex humilitate cōfessionis, ex oratione Sacerdotis, in quantum est quędam persona, ex vi clauium; quando autem fit publicè coram multis, & cum multis in Ecclesia non est sacramentalis. vnde tunc habet efficaciam ex tribus primis, & non ex quarto, & propter hoc etiam nō subiungitur in prima, & completorio absolutio, nec satisfactionis iniunctio, sed solum oratio Misereatur. 4. sent. d. 21. q. 2. a. 1. ad 1.

Quæritur qua ratione confessio generalis deleat culpam, & pęnam.

11 Respondeo dicendū, ꝙ cum cōfessio generalis sit actus ex charitate procedens in eo, qui caritatē habet in venialia directus, cōstat ꝙ valet ad venialiū peccatorū dimissionē quantum ad culpā, & quādoq; quantū ad pęnā, tanta potest Deuotio cōfitentis adesse. 4 sent. d. 21. q. 2. a. 1. in corp.

Quæritur an confessio generalis sacramentalis deleat peccata mortalia oblita.

12 Respondeo dicendum, ꝙ quia con-

fessio operatur præsuposita contritione, quę culpam delet, & sic ordinatur cōfessio directè ad dimissiorem pęnæ, quòd quidē facit, & ex erubescentia, quam habet, & ex vi clauium, cui se confitens subijcit. cōtingit autem quandoq;, quòd per contritionem præcedentem peccatum aliquod deletum est, quo ad culpam siue in generali, si eius tunc memoria non habeatur, siue in speciali; & tamen ante confessionē aliquis illius peccati oblitus est, & tunc confessio generalis sacramentalis operatur ad dimissionem pœnæ ex vi clauium, quibus se confitens subijcit, nullum obstaculum quantum in ipso est ponens, sed ex illa parte, qua erubescentia confessionis peccati pœnam minuebat, pœna ipsius, de qua quis specialiter coram Sacerdote nō erubuit, non est diminuta. 4. sent. d. 21. q 2. art. 2. in corp.

Quæritur an quis teneatur confiteri peccata oblita, quando de illis recordatur.

13 Respondeo dicendum, quòd quia in sacramentali confessione nō solum requiritur absolutio, sed iudicium Sacerdotis satisfactionem imponentis expectatur; ideo quamuis iste absolutione sit functus, tamen tenetur confiteri, vt suppleatur, ꝙ deficit sacramentali confessioni. 4. sent. d. 21. q. 2. a. 2. ad 1.

Quæritur an pęnitens, ex hoc quod generalis confessio sacramentalis debet peccata mortalia oblita, consequatur aliquod commodum.

14 Respondeo dicendum, quòd iste non reportat commodum ex negligentia, quia non ita plenam remissionem consequitur, sicut alias consecutus fuisset; nec tamen mereretur, & tenetur iterum confiteri, cum ad memoriam peccatum reduxit. 4. sentent. distinct. 21. quæst. 2. art. secund. ad tert.

Quæritur an certo possit sciri, ꝙ per generalem confessionem sint dimissa peccata oblita.

15 Respondeo dicendum, quòd cū confessio nō operetur, vt dictū est, nisi contritione pręsupposita, de qua, q̄do vera fuerit nō pōt aliquis scire, sicut nec scire pōt. an gratiā habeat per certitudinem; ideo sciri non pōt, vtrū ꝑ confessionē generalē sit sibi peccatū oblitū dimissum per certitudinē, quamuis possit per cōiecturas aliquas æstimari. 4. sent. d. 21. q. 2. a. 2. ad. 2.

CONFESSOR.

1 *Quas qualitates debeat habere confessor.*
2 *Confessor debet scire discernere inter peccatum, & peccatum, & peccatum mortale, & veniale.*
Si in aliquo peccato est difficultas, recurrat confessor ad sapientiores.

Quæritur qualis debeat esse confessor.

1 Respondeo dicendum, ꝙ sit confessor charitatiuus, & humilis, discretus, & intelligens sic quod possit ad ipsum confidenter recurrere, & sciat sibi remediū adhibere. aliter autem si cęcus, cęco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. opusculo 64. cap. 27.

Quęritur quanta debeat esse scientia Cōfessoris.

2 Respondeo dicendum, ꝙ scientia Cōfessoris tāta debet esse, vt sciat distinguere inter peccatum, & non peccatū, & peccatum mortale, & veniale; & si in aliquo esset dubitatio posset ad discretiores recurrere. Ponuntur autem multę alię cōditiones, quę ad Confessorem requiruntur, vt confitentes alliciet, quæ his versibus continentur.

Confessor dulcis, affabilis, atque suauis,
Prudens, discretus, Mitis, Pius, atque Benignus.

Quæ-

Quaritur an Confessor peccet dans minorem pœnitentiam pœnitenti, quam par sit.

Respondeo dicendum sicut verbo, satisfactio.

Confirmatio. Cap. I.

1 *Dua opiniones circa institutionem sacramenti confirmationis confutantur.*
Christus instituit sacramentum confirmationis exhibendo, sed promittendo.
2 *Confirmatio est linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum.*
Benedictio Chrismatis non est forma confirmationis.
3 *Chrisma est materia confirmationis.*
Chrisma conficitur ex oleo, & balsamo.
4 *Oleum debet esse oliuarum.*
5 *Quæsit forma confirmationis.*
In sacramento confirmationis datur Spiriritus Sanctus.
Tria sunt necessaria in confirmatione.
6 *Ritus obseruati in hoc sacramento sunt conuenientes.*
7 *Confirmatio non potest iterari.*
8 *Confirmatio non requirit locum sanctificatum.*
9 *Idem tempus est præfixum baptismo solemniter celebrando, & confirmationi.*
Confirmatio quantum ad communem vsum oportuit in aliud tempus differri.
10 *Post cõfirmationẽ ligatur frons Chrismate.*
Non debet Chrismatus lauare caput per septem dies.
11 *Debet dari Patrinus confirmato.*

Quaritur quisnam instituerit sacramentum confirmationis.

1 RESpondeo dicendum, quòd circa institutionem sacramenti cõfirmationis est triplex opinio, quidam enim dixerunt, quòd hoc sacramentum non fuit institutum nec à Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio; alij verò dixerunt, quòd fuit institutũ ab Apostolis. sed hoc nõ potest esse, quia instituere nouum sacramentum pertinet ad potestatem Excellentiæ, quæ competit soli Christo, & ideo dicendum est: quòd Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo secundum illud Ioannis 16. si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos: & hoc ideo quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascensionem secundum illud Ioannis 7. nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. 3. p. quęst. 72. a. 1. ad 1. [4. sent. distinct. 7. quæst. 1. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1.

Quaritur quid sit sacramentũ confirmationis.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt ipsum Chrisma esse sacramẽtum, sed hoc falsum apparet in hoc, ꝙ vsus Chrismatis in pluribus est, quã sacramentum cõfirmationis, sicut patet in baptizato, qui Chrismate in fronte linitur, & de Pontifice, cuius caput Chrismate tãgitur. & ideo dicendum, quòd sacramentũ confirmationis non est ipsum Chrisma, sed linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum. illa autem benedictio vocalis Chrismatis non est forma sacramenti; sed magis quędam benedictio sacramentalis, sicut benedictio aquæ, vel Altaris. 4. sent. d. 7. q. prima, a. 2. quæstiunc. 3 ad 2. [art. 1. quæstiunc. 1. ad 2.

Quaritur quænam sit materia confirmationis.

3 Respondeo dicendum, ꝙ Chrisma est cõueniens materia huius sacramẽti. sicut .n. dictũ est in hoc sacramẽto datur plenido S. S. ad robur spirituale, ꝙ cõpetit perfectæ ętati, homo autẽ cum ad perfectam

feffio operatur præfupofita contritione, quę culpam delet,& fic ordinatur cõfeffio directè ad dimiffiorem pęnæ,quòd quidẽ facit, & ex erubefcentia, quam habet, & ex vi clauium,cui fe confitens fubijcit.cõtingit autem quandoq;, quòd per contritionem præcedentem peccatum aliquod deletum eft, quo ad culpam fiue in generali, fi eius tunc memoria non habeatur, fiue in fpeciali; & tamen ante confeffionẽ aliquis illius peccati oblitus eft, & tunc confeffio generalis facramentalis operatur ad dimiffionem pœnæ ex vi clauium, quibus fe confitens fubijcit, nullum obftaculum quantum in ipfo eft ponens, fed ex illa parte, qua erubefcentia confeffionis peccati pœnam minuebat, pœna ipfius,de qua quis fpecialiter coram Sacerdote nõ erubuit,non eft diminuta.4.fent. d.21.q 2.art.2.in corp.

Quæritur an quis teneatur confiteri peccata oblita, quando de illis recordatur.

13 Refpondeo dicendum, quòd quia in facramentali confeffione nõ folum requiritur abfolutio, fed iudicium Sacerdotis fatisfactionem imponentis expectatur; ideo quamuis ifte abfolutione fit functus, tamen tenetur confiteri, vt fuppleatur, ꝙ deficit facramentali confeffioni.4.fent.d. 21.q.2.a.2.ad 1.

Quæritur an pęnitens, ex hoc quod generalis confeffio facramentalis debet peccata mortalia oblita, confequatur aliquod commodum.

14 Refpondeo dicendum, quòd ifte non reportat commodum ex negligentia, quia non ita plenam remiffionem confequitur, ficut alias confecutus fuiffet; nec tamen mereretur, & tenetur iterum confiteri, cum ad memoriam peccatum reduxit. 4.fentent..diftinct..21.quæft.2.art. fecund. ad tert.

Quæritur an certo poffit fciri, ꝙ per generalem confeffionem fint dimiffa peccata oblita.

15 Refpondeo dicendum,quòd cũ confeffio nõ operetur,vt dictũ eft,nifi contritione pręfuppofita,de qua, q̃do vera fuerit nõ põt aliquis fcire,ficut nec fcire põt. an gratiã habeat per certitudinem; ideo fciri non põt, vtrũ ꝑ confeffionẽ generalẽ fit fibi peccatũ oblitũ dimiffum per certitudinẽ,quamuis poffit per cõiecturas aliquas æftimari. 4.fent.d.21.q.2.a.2.ad.2.

CONFESSOR.

1 *Quas qualitates debeat habere confeffor.*
2 *Confeffor debet fcire difcernere inter peccatum, & peccatum,& peccatum mortale, & veniale.*
Si in aliquo peccato eft difficultas, recurrat confeffor ad fapientiores.

Quæritur qualis debeat effe confeffor.

1 Refpondeo dicendum,ꝙ fit confeffor charitatiuus, & humilis, difcretus,& intelligens fic quod poffit ad ipfum confidenter recurrere,& fciat fibi remediũ adhibere. aliter autem fi cęcus,cęco ducatum præftet, ambo in foueam cadunt. opufculo 64.cap.27.

Quęritur quanta debeat effe fcientia Cõfefforis.

2 Refpondeo dicendum,ꝙ fcientia Cõfefforis tãta debet effe,vt fciat diftinguere inter peccatum,& non peccatũ,& peccatum mortale, & veniale; & fi in aliquo effet dubitatio poffet ad difcretiores recurrere. Ponuntur autem multę alię cõditiones, quę ad Confefforem requiruntur, vt confitentes alliciet,quæ his verfibus continentur.

Confeffor dulcis, affabilis, atque fuauis,
Prudens, difcretus, Mitis, Pius, atque Benignus.

Quæ-

Quæritur an Confessor peccet dans minorem pœnitentiam pœnitenti, quam pars sit.

Respondeo dicendum sicut verbo, satisfactio.

Confirmatio. Cap. I.

1 *Duæ opiniones circa institutionem sacramenti confirmationis confutantur.*
Christus instituit sacramentum confirmationis exhibendo, sed promittendo.
2 *Confirmatio est linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum.*
Benedictio Chrismatis non est forma confirmationis.
3 *Chrisma est materia confirmationis.*
Chrisma conficitur ex oleo, & balsamo.
4 *Oleum debet esse oliuarum.*
5 *Quæscit forma confirmationis.*
In sacramento confirmationis datur Spiritus Sanctus.
Tria sunt necessaria in confirmatione.
6 *Ritus obseruati in hoc sacramento sunt conuenientes.*
7 *Confirmatio non potest iterari.*
8 *Confirmatio non requirit locum sanctificatum.*
9 *Idem tempus est præfixum baptismo solemniter celebrando, & confirmationi.*
Confirmatio quantum ad communem vsum oportuit in aliud tempus differri.
10 *Post cõfirmationẽ ligatur frons Chrismate.*
Non debet Chrismatus lauare caput per septem dies,
11 *Debet dari Patrinus confirmato.*

Quæritur quisnam instituerit sacramentum confirmationis.

1 RESpondeo dicendum, quòd circa institutionem sacramenti cõfirmationis est triplex opinio, quidam enim dixerunt, quòd hoc sacramentum non fuit institutum nec à Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio; alij verò dixerunt, quòd fuit institutũ ab Apostolis. sed hoc nõ potest esse, quia instituere nouum sacramentum pertinet ad potestatem Excellentiæ, quæ competit soli Christo, & ideo dicendum est: quòd Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo secundum illud Ioannis 16. si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos: & hoc ideo quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascenscionem secundum illud Ioannis 7. nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. 3. p. quæst. 72. a. 1. ad 1. [4. sent. distinct. 7. quæst. 1. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1.

Quæritur quid sit sacramentũ confirmationis.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt ipsum Chrisma esse sacramẽtum, sed hoc falsum apparet in hoc, ꝙ vsus Chrismatis in pluribus est, quã sacramentum cõfirmationis, sicut patet in baptizato, qui Chrismate in fronte linitur, & de Pontifice, cuius caput Chrismate tãgitur. & ideo dicendum, quòd sacramentũ confirmationis non est ipsum Chrisma, sed linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum. illa autem benedictio vocalis Chrismatis non est forma sacramenti; sed magis quędam benedictio sacramentalis, sicut benedictio aquæ, vel Altaris. 4. sent. d. 7. q. prima, a. 2. quæstiunc. 3 ad 2. [art. 1. quæstiunc. 1, ad 2.

Quæritur quænam sit materia confirmationis.

3 Respondeo dicendum, ꝙ Chrisma est cõueniens materia huius sacramẽti. sicut .n. dictũ est in hoc sacramẽto datur plenitudo S. S. ad robur spirituale, ꝙ cõpetit perfectæ ætati, homo autẽ cum ad perfectam

ętatem peruenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios, antea verò quasi singulariter sibi ipsi viuit, gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur. vnde Christus dicitur esse vnctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quã habuit, & ideo oleum cõpetit materię huius sacramenti, admiscetur autem balsamũ ꝓpter fragrãtiã odoris, quæ redũdat ad alios. vnde Apostolus dicit secundæ Corinth. 2. Christi bonus odor sumus Deo &c. & licet multa alia sint odorifera, tamen præcipuè accipit balsamum propter hoc, quòd habet præcipuum odorem & quia etiam incorruptionem pręstat. vnde Ecces. 24. dicitur quasi balsamum non mixtum odor meus. 3. p. q. 72. a. 2. in corp. [4. sent. d. 7. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur quod oleum requiratur ad materiam confirmationis.

4 Respondeo dicendum, quòd proprietates olei, quibus significatur Spiritus Sanctus magis inueniuntur in oleo oliuarum, quam in quocunq; alio oleo. vnde, & ipsa oliua semper frondibus virens virorem, & misericordiam Spirtus Sancti significat, hoc etiam oleum propriè dicitur oleum, & maximè habetur in vsu, vbi haberi potest, quilibet autem alius liquor ex similitudine huius oleum nominatur, nec est in vsu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum oliuarum, & ideo hoc oleum solum assumitur in vsum huius, & quorundam aliorum sacramentorũ 3. p. q. 72. art. 2. ad 3. [4. sent. d. 7. quæst. 1. art. 2. ad 4.

Quæritur quænam sit forma sacramenti confirmationis.

5 Respondeo dicendum, ꝙ conueniens forma huius sacramenti est, consigno te signo Crucis, & cõfirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramẽti cõtinere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti, sicut autem ex supradictis patet, in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnæ, & ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta, quorũ primũ est causa cõferens plenitudinẽ roboris spiritualis, quę est Sãcta Trinitas, quæ exprimitur cũ dicitur in nomine Patris, &c. secundũ est ipsum robur spirituale, quòd homini confertur per sacramentum materię visibilis ad salutem, ꝙ quidem tangitur, cum dicitur cõfirmo te Chrismate salutis; tertium est signũ, quòd purgatori datur, sicut & in pugna corporali milites insignijs Ducum insigniũtur, & quantum adhoc dicitur, consigno te signo Crucis, in quo scilicet Rex noster triumphauit, vt dicitur Colos. 2. [. 3. p. q. 72. a. 4. in corp. [4. sent. d. 5. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an ritus huius sacramenti sint conuenientes.

6 Respondeo dicendum, quòd certũ esse debet ritus, quos Ecclesia obseruat in hoc & in alijs sacramentis, esse conuenientes, 3. p. q. 72. a. 12. in corp.

Quæritur an confirmatio possit iterari.

7 Respondeo dicendum, quòd sacramentum, quòd habet effectum semper permanentem nõ potest iterari sine iniuria sacramenti, & ideo qa in confirmatione imprimitur caracter, qui est indelebilis, ideo non debet iterari. 4. sent. d. 7. q. 3. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an confirmatio requirat locum sanctificatum.

8 Respõdeo dicẽdũ, quòd cõfirmationis sacra-

sacramentum non continet ipsum Christum,& ideo non requiritur loci sanctificatio.4. sent. d.13.q.1.a.2. quæst.5.ad 1.

Quæritur quo tẽpore sit cõferenda confirmatio.

9 Respondeo dicendum,quòd sicut Melchiades Papa dicit,ita coniuncta sũt hæc duo sacramenta scilicet baptismi, & confirmationis,vt ab inuicem nisi morte præueniente nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non possit.& ideo eadem tempora sũt prefixa baptismo solemniter celebrando, & huic sacramento. sed quia hoc sacramentum à solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentes, vbi præsbyteri baptizant, oportuit quantum ad communem vsum sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri. 3.p.q.72.a.12.ad 1.

Quæritur, quæ nam sint obseruanda post confirmationem.

10 Respondeo dicendum,quòd ligatur frons confirmati quousque desinetur locus,& postmodum etiam secundum Hugonem debet esse sub quadam disciplina custodiendi Chrisma,ne scilicet caput lauet vsque ad septem dies propter septem dona spiritus Sãcti: & sicut etiam Ecclesia septem diebus aduentum Spiritus Sãcti in discipulos celebrat. 4. sent.d.7.q.3. a.3.quæstiunc.2.ad 3.

Quæritur an ille, qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

11 Respondeo dicendũ, quòd sicut aliquis de nouo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conseruationem vitæ secundum illud Hebræorum 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos, ita illi, qui assumuntur ad pugnam indigent creditorib' à quibus instruantur de his, quæ pertinẽt ad modum certaminis. & ideo in bellis materialibus constituuntur Duces, & Cẽturiones,per quos alij gubernẽtur.& propter hoc etiam ille,qui accepit hoc sacramentum, ab alio tenetur quasi per aliũ in pugna spirituali erudiendus. similiter etiam quia per hoc sacramentũ confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille,qui adhoc sacramentũ accedit, sustẽtatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis,& puer.3.p.q.72.a.10.in corp. (4.sent. d.7.q.3.a.3.quæstiunc.1.in corp.

De illis,qui possunt confirmare. Cap. II.

1 *Confirmare non competit Sacerdotibus.*
2 *Solus Episcopus potest conferre sacramentum confirmationis.*
3 *B.Gregorius concessit, vt vbi Episcopi desunt simplices Sacerdotes conferrent sacramentum. Confirmationis secluso tamen scandalo.*
4 *Confirmatio non potest conferri nisi ab ordinatis.*

Quæritur an Sacerdotes simplices possint confirmare.

1 Respondeo dicẽdum, ꝙ Innocẽtius Papa dicit,& habetur de consecr. d.4.c.p̄sbyteris; Presbyteris cũ baptizãt Chrismate baptizatos vngere liceat,ꝙ ab Episcopo fuerat consecratum, nõ tamen frontem ex eodem oleo signare, ꝙ solum debetur Episcopis, cum tradunt paraclitum, quòd quidem fit in hoc sacramento. 3.p.q.72.a.3. in corp.

Quæritur an solus Episcopus possit cõfirmare.

2 Respondeo dicendum, quòd quia in quolibet opere vltima consumatio supremæ arti, aut virtuti reseruatur, sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifi-

artifices, superior autem dat formam, supremus autem est, ad quem pertinet vsus, qui est finis artificiatorũ, & Epistola, quæ à Notario scribitur, à Domino Papa signatur; fideles autem Christi sunt quoddam Diuinum opus secundum illud primæ ad Corinth.3. Dei ædificatio estis, sũt etiam quasi quædam Epistola spiritu Dei scripta, sicut dicitur secundæ Corinth. 3. hoc autem confirmationis sacramentum est quasi vltima consumatio sacramenti baptismi, ita scilicet, quòd per baptismũ ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis Epistola, sed per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templũ Spiritus sancti, & quasi Epistola cõscripta signatur signo Crucis, & ideo collatio huius sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia sicut, & in primitiua Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorũ vicem gerũt Episcopi, & plenitudo Spiritus sancti dabatur, vt habetur actuũ 8. Vnde Vrbanus Papa dicit, habetur de consecrat. d.5. c. omnes fideles. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismũ accipere debent, vt pleni Christiani inueniãtur. 3. p. q. 72. a. 11. in corp (4. sent. d. 7. q. 3. a. 1. quæstiunc. 2. in corp. [quodlibeto 11. art. 7. in corp.

Quæritur an Papa possit committere Presbyteris, vt confirmationem conferant.

3 Respondeo dicendum, quòd quia Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum committere quibusdã inferiorib', sicut qbusdã Presbyteris cõcedit cõferre minores ordines, qpertinet ad potestatem Episcopalem, & ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quòd simplices Sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur. 3. p. qu. 72. a. 11. ad 1. [4. sent. d. 7. q. 3. a. 1. quæst. 3. in corp.

Quæritur an non ordinatus possit confirmare.

4 Respondeo dicendum, quòd proprij dispensatores sacramentorum sunt ministri Ecclesiæ per sacramentum ordinis consecrati, vt sint mediũ inter Deum, & plebem Diuina populo tradentes, & ideo solis eis competit ex officio sacramenta ministrare, nec per alium conferri possũt excepto baptismo propter necessitatem; vnde cum confirmatio non sit sacramentũ necessitatis non poterit nisi ab ordinatis conferri. 4. sent. d. 7. q. 3. a. 1. quæ. 1. in corp.

De Confirmandis. Cap. III.

1 *Caracter confirmationis præsuponit caracterem Baptismalem.*
Si nõ baptizat' cõfirmaretur, nihil reciperet.
2 *Sacramentum confirmationis omnibus est exhibendum.*
3 *Pueri sunt confirmandi.*
4 *Confirmatio non debet dari peccatoribus non pœnitentibus.*
Potest dari peccatoribus pœnitentibus.
Per confirmationem perficitur pœnitentiæ effectus.
Si quis accedat ad suscipiendam confirmationem in peccato existens, cuius tamen conscientiam non habeat; vel etiam si non sit perfectè contritus, percipit remissionem peccatorum.
5 *Confirmandus signatur in fronte Chrismate propter duo.*
6 *Confirmandus debet esse ieiunus.*
Episcopus confirmans debet esse ieiunus.
Excipiũtur infirmi, & morte periclitantes.
Permittitur, vt confirmandi non sint ieiuni, sicut & confirmans.
Si congruè potest fieri confirmandi debent esse ieiuni: sicut & confirmans.

Quæ-

Quæritur an non baptizatus possit confirmari.

1 RESpondeo dicendum, quòd character confirmationis ex necessitate præsuponit characterem baptismalem, ita scilicet quod si aliquis non baptizatus cõfirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum: cuius ratio est, quia sicut se habet confirmatio ad Baptismum, ita augmentum ad generationem: manifestum est autem, quòd nullus potest promoueri in ætatem perfectam, nisi primò fuerit natus, & similiter nisi primò fuerit baptizatus non potest sacramentum confirmationis accipere. 3.p.q.72.a.6.in corp.

Quæritur an sacramentum confirmationis omnibus sit conferendum.

2 Respondeo dicendum, quòd quia de intétione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cuius imitatione hoc natura participat, vnde & Deut.32. dicitur Dei perfecta sunt opera, anima autem, ad quam pertinet, & Spiritualis natiuitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & potest sicut tempore senectutis spiritualem natiuitatem consequi, ita tempore iuuentutis, vel pueritiæ cõsequi perfectam ætatem, quia huiusmodi corporales ætates, animæ nõ præiudicant, & ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi 3.p. q.72.a. 8. in corp.

Quæritur an pueri sint confirmandi.

3 Respondeo dicendum, quòd confirmatio potest puero tradi, & conueniẽter traditur, quia infantis ætas non patitur fictionem, qua effectus sacramenti in traditione impediatur. & ideo quamuis túc non competit ei confiteri, vel pugnare, certum tamen est, ꝙ effectum sacramenti plenè recipit, per quẽ erit idoneus ad pugnam, & confessionem ad perfectam ætatem veniens, nisi gratiam acceptam per peccatum amittat. 4. sent. d. 7. quæst. 3, a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an peccatoribus sit conferenda confirmatio.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut ex ipso nomine apparet hoc sacramentũ datur ad confirmandum, quòd prius inuenerit, & ideo non debet dari his, quæ non habent gratiam, & propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiã reparatis; vnde dicitur in Aurelianensi Concilio, & habetur de cõsecrat. d.5.c.vt ieiuni, vt ieiuni ad confirmationem veniant, vt moneantur confessionem facere prius, vt merendi Donũ Spiritus sancti valeant accipere, & tunc per hoc sacramentum perficitur pęnitentię effectus, sicut & baptismi, quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur pęnitens pleniorem remissionem peccati; & si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet; vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo nõ fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur remissionẽ peccatorum. 3.p.q.72.a.7.ad.2.

Quæritur in qua parte corporis sint signandi confirmandi.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut supradictum est, in hoc sacramento homo accipit spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnæ, vt fortiter etiam inter aduersarios fidei Christi fidem confiteatur. vnde cõuenienter signatur Chrismate signo Crucis in fronte propter duo. primo quidem, quia insignitur signo Crucis, sicut miles signo Ducis; quod quidem debet esse euidens, & manifestum. inter omnia autem loca corporis humani maximè

frons manifesta est, quæ quasi nunquã obtegitur, & ideo linetur confirmatus Chrismate in fronte, vt in manifesto demonstraret se esse Christianum, sicut & Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestauerunt, qui prius in cenaculo latebant: secundò quia aliquis impeditur à libera confessione nominis Christi ꝓpter duo scilicet propter timorem, & propter verecundiam, vtriusque autem horum signum maximè manifestatur in frõte propter duo scilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc, quòd Spiritus à corde directè ad frontem ascẽdunt, vnde verecundati, erubescunt, timẽtes autem, pallescunt, vt dicitur in 4. Eth. & ideo in fronte signatur Chrismate, vt neq; propter timorẽ, neq; propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat. 3 p.q.72.a.9.in corp. [4.sent.d.7. q.3.a.3.quæstiunc.2. in corp.

Quæritur an confirmandus debeat esse ieiunus.

6 Respondeo dicendum, quòd in Consilio Aurelianensi, & habetur de consecrat. d.5. Statuitur, vt ieiuni ad confirmationem veniant, & in Consilio Meldensi, vt Episcopi non nisi ieiuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant; ab hac prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, sicut in Statuto Meldensis Consilij legitur, & ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur, vt hoc sacramentum (quòd non nisi ab Episcopo dari potest) etiam à non ieiunis detur, vel accipiatur, quia vnus Episcopus præcipuè in magna Diocęsi non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur; vbi tamen congruè obseruari potest, conuenientius est, vt à ieiunis detur, & accipiatur. 3.p.q.72. art.12. ad 2.

De effectibus confirmationis. Cap. IIII.

1 *In sacramento confirmationis imprimitur caracter.*

Caracter est spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata.

2 *Per sacramentum confirmationis datur Spiritus Sanctus.*

Per sacramentum confirmationis confertur gratia.

3 *Sine voto confirmationis nullus consequitur eius effectum.*

Quæritur an in sacramento confirmationis imprimatur caracter.

1 Respondeo dicẽdum, ꝙ per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras preter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo, nã in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinẽt salutẽ, prout scilicet secundum se ipsum viuit, sed in confirmatione accipit homo potestatẽ ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnã spiritualem contra hostes fidei, caracter autem est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata, & ideo manifestum est, quòd in sacramento confirmationis imprimitur caracter. 3. p. q. 72.art.5 in corp. [4.sent.distinct.7.quæst. 2.art.1.quæstiunc.1.in corp.

Quæritur an per sacramentum confirmationis conferatur gratia.

2 Respondeo dicendum, quòd quia in hoc sacramento datur baptizato Spiritus Sãctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, vt legitur actuũ 2. & sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum, vt dicitur actuum 8. datio autem Spiritus Sancti non est nisi cũ

gratia

gratia gratum faciête, vnde manifestum est, quòd gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento. 3. p.q.72 a.7. in corp. [4. sent. distinct. 7. quæst. 2. a. 2. quæstiunc. 1, in corp.

Quæritur an aliquis possit consequi effectus confirmationis sine eius voto.

3 Respondeo dicendum, quòd nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius. 3.p.q.72.a.6.ad 1.

CONSANGVINITAS.

1 *Quid consanguinitas.*
2 *Tres sunt lineæ consanguinitatis.*
Diuersi sunt gradus in vna linea.
Identitas, & nimia distantia gradus tollũt.
Quomodo gradus consanguinitatis in linea ascendẽtium & descendentiũ cõtrahatur.
Qui sit primus, & secundus gradus consanguinitatis.
Quomodo contrahantur gradus consanguinitatis in linea trasuersali.
Quomodo secundum diuersas computationes scilicet legalem, & canonicam iidem sint in primo & secundo gradu.
3 *Consanguinitas dicitur maior, & minor dupliciter scilicet intensiuè, et dimensiuè.*
4 *Quomodo pater & patruus sint, & non sint in eodem gradu.*
5 *In matrimonio quid dicatur contra ius naturæ.*
Finis primus matrimonij est bonum prolis.
Consanguinitas inter patrem & filiam, & matrem, & filium impedit matrimonium de iure naturali, & quomodo.
Finis secundarius matrimonij est repressio concupiscentiæ.
Consanguinitas impedit matrimonium de iure Diuino inter aliquas personas coniunctas præter patrem, & filiam, & matrem, & filium
Consanguinitas aliqua impedit matrimoniũ de iure positiuo.
6 *Barbari commiscebantur parentibus propter concupiscentiæ furorem.*
7 *In principio solus pater, & mater à matrimonio repellebantur,*
In lege Moysi repellebantur à matrimonio illæ omnes personæ, quæ in vna familia cohabitare solent.
In lege noua sed antiquitus consanguinitas vsque ad septimum gradum matrimonium impediebat.
Nunc consanguinitas vsque ad quartum gradum impedit matrimonium.
8 *Si modo prohibitur quintus gradus, illi qui sunt illo coniuncti, non esset separãdi.*
9 *Quare Ecclesia probibuit æqualiter gradus consanguinitatis in patruis, & nepotibus,*
10 *Aliqui gradus possunt dispensari ab Ecclesia.*

Quæritur quid sit consanguinitas.

1 RESpondeo dicendum, quòd consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum, secundum enim Phylosophum in 8. Eth. Omnis amicitia in aliqua cõmunicatione consistit, & quia amicitia ligatio, siue vnio quædam est; ideo communicatio, quæ est amicitiæ causa vinculum dicitur, & ideo secundũ quam libet communicationem denominantur aliqui quasi collegati ad inuicem, sicut dicuntur conciues, qui habent publicam communicationem ad inuicem, & commilitones, qui conueniunt in militari negotio, & eodem modo illi, qui conueniunt in naturali communicatione dicuntur consanguinei, & ideo in prædicta diffinitione ponitur quasi consanguinitatis genus, vinculum, quasi subiectum personæ descendentem, ab vno stipite, quorum est huiusmodi vinculum, quasi principium carnalis propagatio. 4. sent. d. 40. quæst. 1, art. 1. in corp.

Quæ-

Quaritur an consanguinitas conuenienter distinguatur per lineas, & per gradus.

2 Respondeo dicendum, quòd consanguinitas est quædam propinquitas in naturali communicatione fundata secundũ actum generationis, qua natura propagatur, vnde secundum Phylosophum in 8. Ethicorum ista communicatio est triplex vnã secundum habitudinem principij ad principiatum, & hæc est consanguinitas patris ad filium, vnde dicit, quòd parẽtes diligunt filios, vt sui ipsorum aliquid existentes, alia est secundum habitudinem principiati ad principium, & hæc est filij ad patrem, vnde dicit, quòd filij diligunt parentes, vt ab illis existẽtes; tertia est secundum habitudinem eorum, quę sunt ab vno principio adinuicem, sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci, vt ipse ibidem dicit. & quia punctus motus lineam facit, & perpropagationem quodam modo pater descendit in filium, ideo secũdum dictas tres habitudines, tres lineæ consanguinitatis sumuntur, scilicet linea descendentium secundum primam habitudinem, linea ascendentium secundum secundam, linea transuersalium secundum tertiã. sed quia propagationis motus non quiescit in vno termino, sed vltra progreditur, ideo contingit, quòd patris est accipere patrẽ, & filij filium, & sic deinceps, & secundum hos diuersos progressus diuersi gradus in vnã linea inueniuntur; & quia gradus cuiuslibet rei est pars aliqua illius rei, gradus propinquitatis non potest esse, vbi nõ est propinquitas, & ideo identitas, & nimia distantia gradum consanguinitatis tollũt, quia nullus est sibi ipsi propinquus, sicut nec sibi similis, & propter hoc nulla persona per se ipsam facit aliquem gradum, sed comparata alteri personę gradũ facit ad ipsam, sed tamen diuersa est ratio computandi gradus in diuersis lineis: gradus enim consanguinitatis in lineam ascendentium, & descendentium contrahitur ex hoc, ꝙ vna persona ex alia propagatur eorum, inter quos gradus consideratur, & ideo secundum computationem canonicam, & legalem persona, quæ primo in processu propagationis occurrit, vel ascendendo, vel descendendo distat ab aliquo putà à Petro in primo gradu, vt pater, & filius, quæ autem vtrique secundo occurrit, distat in secundo gradu, vt auus, & nepos, & sic deinceps; sed consanguinitas eorum, quæ sũt in linea transuersali contrahitur nõ ex hoc, quòd vnus eorum ex alio propagatur, sed quia vterque propagatur ex vno, & ideo debet gradus in hac linea consanguinitatis computari per comparationem ad vnum principiũ, ex quo propagatur, sed secundum hoc est diuersa computatio canonica, & legalis, quia legalis computatio attendit descensum à communi radice ex vtraque partæ, sed canonica tantùm ex altera, ex illa scilicet, ex qua maior numerus graduum inuenitur. vnde secundum legalem computationem frater, & soror, vel duo fratres attinent sibi in secundo gradu, quia vterque à radice communi distat per vnum gradum, & similiter filij duorum fratrum distant à se inuicem in quintò gradu, sed secundum computationem canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat à radice communi, nisi per vnum gradum, sed filius vnius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantum distat à communi radice, & ideo secundum canonicã computationem quoto gradu distat quis ab aliquo superiori, toto distat à quolibet descendẽtium ab ipso, & nũquam minus, quia propter quod vnum quodque illud magis. vnde si alij descendentes in communi principio cõueniunt cum aliquo ratione principij cõmunis, non possunt propinquiores esse descendẽti ex alia parte, quam sit primum principium ei propinquũ. aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendentę à communi principio

cipio, quam distet ipse à principio, quia ille fortè plus distat à principio communi, quam ipse, & secundum remotiorem distantiam oportet consanguinitatem cõputari.4.sent.d.40.q.1.a.2.in corp.

Quæritur, an in eodem gradu detur magis, & minus.

3 Respondeo dicendum, quòd consanguinitas dicitur maior, vel minor dupliciter, vno modo intensiuè ex ipsa natura consanguinitatis, alio modo quasi dimẽsiuè,& sic quantitas cõsanguinitatis mensuratur à personis, inter quas consanguinitatis propagatio procedit. & ideo contingit, quòd aliquorum duorum,qui sunt in eodem gradu consanguinitatis respectu alicuius personæ vnus est sibi magis consanguineus, quam alius considerando primam quantitatem consanguinitatis, sicut pater, & frater attinẽt alicui in primo gradu consanguinitatis, quia ex neutra parte incidit aliqua persona media; sed tamen intensiuè loquẽdo magis attinet alicui personæ pater suus, quã frater, quia frater non attinet ei, nisi in quantũ est ex eodem patre.& ideo quanto aliquis est propinquior cõmuni principio, à quo consanguinitas descendit, tãtò est magis consanguineus,quamuis non sit inpropinquiori gradu,& secũdum hoc propatruus est magis consanguineus alicui,quam pronepos eius,quamuis non sit in eodem gradu.4.sent.d.40.q.1.a.2.ad 5.

Quæritur quomodo pater, & patruus sint, vel non sint in eodem gradu.

4 Respondeo dicendum,quòd quamuis pater, & patruus sint in eodem gradu respectu radicis cõsanguinitatis, quia vterque distat vno gradu ab auo,tamen respectu eius, cuius consanguinitas quæritur, non sunt in eodem gradu, quia pater est in primo gradu, patruus autem nõ potest esse propinquior,quam in secũdo, in quo est auus. 4.sent.d.40.a.2. ad 6.

Quæritur an consanguinitas de iure naturali impediat matrimonium.

5 Respondeo dicendum,quòd in matrimonio illud contra legem naturæ esse dicitur, per quòd matrimonium redditur incompetens respectu finis, ad quẽ est ordinatum. finis autem matrimonij per se, & primo est bonum prolis, quòd quidem per aliquam consanguinitatem scilicet inter patrem,& filiam; vel filium,& matrẽ impeditur,non quidem vt totaliter tollatur,quia filia ex semine patris potest prolem cõcipere, & simul cum patre nutrire, & instruere, in quibus bonum prolis consistit, sed vt non conuenienti modo fiat. inordinatum est enim, quòd filia patri per matrimonium adiungatur in sociam causa generandę prolis,& æducandę,quã oportet per omnia patri esse subiectum, velut ex eo procedentem. & ideo de lege naturali est,vt pater,& mater à matrimonio repellãtur,& magis etiam mater, quã pater,quia magis reuerentię, quę debetur parentibus, derrogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducit in vxorem, cũ vxor viro aliqualiter debeat esse subiecta. sed finis matrimonij secundarius per se tantùm est concupiscentiæ repressio, quæ quidem periret,si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci, quia magn concupiscentię aditus præberetur,nisi inter illas personas, quas opportet in eadẽ domo conuersari,esset carnalis copula interdicta.& ideo lex Diuina non solum patrem, & matrem exclusit à matrimonio, sed etiam alias cõiunctas personas, quas oportet simul conuersari, & quæ debent inuicem altera alterius præiudicium custodire, & hanc causam assignat Diuina lex dicens, nec reueles turpitudinem talis, vel talis,quia turpitudo tua; sed per accidens finis matrimonij est cõsideratio

homi-

hominum, & amicitię multiplicatio, dum homo ad consanguineos vxoris, sicut ad suas se habet. & ideo huic multiplicationi amicitiæ præiudicium fieret, si aliquis sanguine coniunctam vxorem duceret, quia ex hoc noua amicitia per matrimonium nulla cresceret. & ideo secundum leges humanas, & statuta Ecclesiæ plures consanguinitatis gradus sunt à matrimonio separati. sic ergo ex dictis patet, quòd consanguinitas quantum ad aliquas personas impedit matrimonium de iure naturali, quantum ad aliquas de iure Diuino, & quantum ad aliquas de iure per homines instituto. 4. sent. d. 40. a. 3. in corp. [d. 35. a. 2. ad 4. [2 2 q. 154. a. 9. in corp.

Quæritur quare Barbari olim parentibus commiscebantur.

6 Respondeo dicendum, quòd non procedit ex lege naturali, quòd aliqui barbari parentibus commiscentur, sed ex concupiscentiæ ardore, qui legem naturæ in eis offuscauit. 4. sent. d. 40. a. 3 ad 2.

Quæritur an consanguinitatis gradus matrimonium impedientes potuerint taxari ab Ecclesia, vsq; ad quartum gradum.

7 Respondeo dicendum, quòd secundũ tempora diuersa inuenitur consanguinitas secundum gradus diuersos matrimonium impedisse; In principio enim humani generis solus pater, & mater à matrimonio repellebantur, eo quia tunc téporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere. vnde non erant remouendæ nisi illę personæ, quæ matrimonio incompetentes erant etiam quantum ad principalem matrimonij finem, qui est bonum prolis; postmodum autem multiplicato humano genere per legem Moysi plures personæ exceptæ sunt à matrimonio, quæ in vna familia cohabitare solent, quia si inter eos licitè carnalis copula esse posset, magnum incensiuum libidini præstaretur; sed alios consanguinitatis gradus lex vetus permisit, imò quodãmodo præcepit, vt scilicet vnusquisque de cognatione sua vxorem acciperet ne successionum confusio esset, quia tunc temporis cultus Diuinus per successionem generis propagabatur. sed postmodum in lege noua, quæ est lex spiritus, & amoris plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti, quia iam per spiritualem gratiam, nõ per carnis originem cultus deriuatur, & multiplicatur. vnde oportet, vt homines etiam magis à carnalibus retrahãtur, spiritualibus vacãtes, & vt amor amplius diffundatur. & ideo antiquitus vsque ad remotiores gradus consanguinitatis matrimonium impediebatur, vt ad plures per consanguinitatem, & affinitatem naturalis amicitia permanaret, & rationabiliter vsque ad septimum gradum, tum quia vltra hoc non de facili remanebat communis radicis memoria, tum quia septiformi gratiæ Spiritus Sancti congruebat. sed postmodum circa hæc vltima tẽpora restrictum est Ecclesiæ interdictum, vsque ad quartum gradum, quia vltra inutile, & periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos, quasi nullum fędus maioris amicitię quam ad extraneos habebatur charitate in multorum cordibus frigescente, periculosum autem erat, quia concupiscentia, & negligentia præualente tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis obseruabant, & sic laqueus damnationis multis inijciebatur ex remotiore graduum prohibitione. satis etiam conuenienter vsque ad quartũ gradum dicta prohibitio est restricta, tũ quia vsque ad quartam generationem homines viuere consueuerunt, vt sic non possit consanguinitatis memoria aboleri. vnde Dominus in tertiam, & quartam generationem

genera-

rationem peccata parentum se visitaturũ in filijs cõminatur; tum quia in qualibet generatione noua mixtio sanguinis, cuius identitas cosanguinitaté facit, fit cũ sanguine alieno, & quãtũ admiscetur alteri, tantum receditur à primo, & quia elemẽta sunt quatuor, quorum quodlibet, tantò est facilius miscibile, quantò est magis subtile, ideo in prima comixtione euanescit sanguinis identitas quantũ ad primum elemẽtum, quòd est subtilissimũ, in secunda quantum ad secundũ; in tertia quantum ad tertium, in quarta quantum ad quartũ, & sic conuenienter post quartã generationẽ potest reiterari carnalis coniunctio. 4. sent. d. 40. a. 4. in corp.

Quaritur an si modo prohiberetur quintus gradus, qui nunc sunt in illo coniuncti, essent separandi.

8 Respondeo dicendum, quòd si modo prohiberetur quintus gradus, qui nũc est concessus, illi qui iã sunt in quinto gradu coniũcti, non essẽt separandi. nullum .n. impedimentũ matrimonio superueniens ipsũ potest dirimere, & sic coniunctio, quę prius fuit matrimonium non efficeretur per Statutũ Ecclesiæ Stuprum. & similiter si aliquis gradus concederetur, qui nunc est ꝓhibitus, illa coniũctio non efficeretur matrimonialis ex statuto Ecclesię ratione primi contractus, quia possent separari, si vellent. sed tamen possent de nouo contrahere, & alia coniunctio esset. 4. sent. d. 40. a. 4. ad 6.

Quaritur quare Ecclesia aequaliter prohibuit gradus consanguitatis in patruis, & nepotibus.

9 Respondeo dicendũ, quòd in gradib⁹ consãguinitatis ꝓhibẽdis Ecclesia pręcipuè obseruat rationẽ amoris, & quia non est minor ratio amoris ad nepotẽ, quã ad patruum, sed etiam maior quanto propinquior est filio pater, quam Patri filius, vt dicitur in 8. Eth. propter hoc ęqualiter prohibuit gradus consanguinitatis in patruis, & nepotibus. sed lex vetus in personis prohibendis attendit præcipuè cohabitationẽ cõtra concupiscentiã, illas personas prohibens, ad quas facilior pateret accessus propter mutuã cohabitationem, magis autẽ consueuit cohabitare neptis patruo, quam amita nepoti, quia filia est quasi idem cum patre, cũ sit aliquid eius, sed soror nõ est hoc modo idem cũ fratre, cum non sit aliquid eius, sed magis ex eodem nascitur. & ideo non erat eadem ratio prohibendi neptem, & amitam. 4. sent. d. 40. a. 4. ad 7.

Quaritur an possit dispensari in gradibus consanguinitatis.

10 Respondeo dicendum, quòd sicut olim matrimonia gentilium dispensabãtur per leges Ciuiles, ita nunc per Statuta Ecclesiæ. 4. sent. d. 40. a. 4.

CONSCIENTIA.

1 *Conscientia dicit ordinẽ sciẽtiæ ad aliquid.*
Conscientia est applicatio scientia ad aliquid agendum.
Conscientia est actus.
Qua ratione dicatur conscientia testificari, ligare excusare, accusare remordere.
Aliquando conscientia dicitur sinderesis.
2 *Conscientia quibus nominibus vocetur.*
3 *Cõsciẽtia quare dicatur aliquãdo spiritus.*
4 *Vis conscientię pẽdet ex iudicio sinderesis.*
5 *Conscientia ligat vi pracepti Diuini.*
Ligare dicitur metaphoricè de spiritualibus.
Nullus ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum illud faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum illud.
Si non tenetur scire praceptum, nec sciat, nõ ligatur illo pracepto.
6 *Praceptum Dei obligat contra præceptũ Pralati, & magis obligat.*

Conscien-

Conſcientiæ ligamen eſt maius, quam ligamen præcepti Prælati.
Conſcientia ligat, etiam exiſtente in contrarium præcepto Prælati.
Conſcientia recta ſimpliciter, & perfectè obligat contra præceptum Prælati.
Conſcientia erronea ligat contra præceptum Prælati in indifferentibus ſecundũ quid, & imperfectè.
7 *Conſcientia poteſt errare.*
8 *Quorundam opinio confutatur.*
Omnis voluntas diſcordans à ratione ſiue recta, ſiue errante ſemper eſt mala.
9 *Omnis conſcientia ſiue recta, ſiue erronea, ſiue in per ſe malis, ſiue in indifferentibus eſt obligatoria, itaut qui contra conſcientiam faciat peccet.*
10 *Non faciens, quòd conſcientia dictat, etiam ſi ſit contra legem Dei peccat.*
Peccat etiam, ſi faciat contra legem Dei.
Iſte debet deponere conſcientiam erroneam, & tunc faciendo ſecundum legem Dei, non peccat.
11 *Faciens aliquid licitum, & poſtea credens eſſe illicitum non eſt verè illicitum.*
12 *Quomodo inquinatio ſit in conſcientia.*
13 *Peccatorum notæ remanent in conſcientia.*
14 *Conſcientia erans errore voluntario directè, vel per negligentiam, non excuſat.*
Conſcientia errans errore inuoluntario proueniente ex ignorantia alicuius circunſtantiæ abſque omni negligentia, excuſat.

Quæritur quid ſit conſcientia.

1 RESpondeo dicendum, quòd conſcientia propriè loquendo non eſt potentia, ſed actus. & hoc patet tum ex ratione nominis, tum etiam ex his, quæ ſecundum cõmunem vſum loquendi conſcientiæ attribuuntur. conſcientia enim ſecundum proprietatem vocabuli importat ordinẽ ſciẽtię ad aliquid, nã cõſciẽtia dicitur cum alio ſcientia. applicatio autẽ ſciẽtiæ ad aliquid fit per aliquẽ actũ. vnde ex iſta ratione nominis patet, quòd cõſcientia ſit actus. idem autem apparet ex his, quæ conſcientiæ attribuuntur. dicitur enim conſcientia teſtificare, ligare, vel inſtigare, vel etiam accuſare, vel etiam remordere, ſiue reprendere, & hæc omnia conſequuntur applicationem alicuius noſtræ cognitionis, vel ſcientiæ ad ea, quæ agimus. quæ quidem applicatio fit tripliciter, vno modo ſecũdum quòd recognoſcimus aliquid nos feciſſe, vel non feciſſe ſecundum illud Eccl. 7. Scit conſcientia ſua ſe crebro male dixiſſe alijs, & ſecundum hoc conſcientia dicitur teſtificari; alio modo applicatur ſecũdum quòd per noſtram conſcientiam iudicamus aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum, & ſecundum hoc dicitur conſcientia ligare, vel inſtigare; tertio modo applicatur ſecundum quod per conſcientiam iudicamus, quòd aliquid, quòd eſt factum, ſit benè factum, vel non ſit bene factum, & ſecundum hoc conſcientia dicitur excuſare, vel accuſare, ſeu remordere: patet autem, quòd omnia hæc conſequuntur actualem applicationem ſcientiæ ad ea, quæ agimus. vnde proprię loquendo conſcientia nominat actum; quia tamen habitus eſt principium actus, quandoq; nomen conſcientiæ attribuitur primo habitui naturali, ſcilicet Sindereſi, ſicut Hieronymus in gloſ. Ezech. primo ſindereſim conſcientiam nominat, & Baſilius naturale iudicatorium, & Damaſcenus dicit. quòd eſt lux intellectus noſtri, conſuetum enim eſt, quòd cauſæ, & effectus perinuicem nominantur. p. p. q. 79. a. 13. in corp. [q. 17. de verit. a. 1. in corp.

Quæritur quibus nominibus vocetur conſcientia.

2 Reſpondeo dicẽdum, quòd Origenes dicit, quòd conſcientia eſt ſpiritus corrector, & pedagogus animæ ſibi ſociatus, quo ſeparatur à malis, & adhęret bonis. 2. ſent. d. 24. q. 2. a. 4.

Quæ-

Quæritur quare conſcientia dicatur aliquando ſpiritus,

3 Reſpondeo dicendum, quòd conſciẽtia dicitur ſpiritus,quia eſt quoddã mentis dictamen.p.p.q.79.a.13.ad 1.[q.17.de verit.a.1. ad 8.

Quæritur à quo dependeat vis conſcientiæ.

4 Reſpondeo dicendum , quod tota vis conſcientiæ examinantis, vel conſiliantis ex iudicio ſinderefis pendet. q.17. de veritat. a.1.ad 1.

Quæritur an conſcientia liget.

5 Reſpondeo dicendum, quòd cõſcientia proculdubio ligat. ad videndum autẽ quomodo liget ſciendum eſt, quòd ligatio metaphoricè à corporalibus ad ſpiritualia ſumpta neceſſitatis impoſitionem importat. ille enim,qui ligatus eſt, neceſſitatem habet conſiſtendi in loco, vbi ligatus eſt , & aufertur ei poteſtas ad alia diuertendi. vnde patet, quòd ligatio non habet locum in illis , quæ exſe neceſſaria ſunt;non enim poſſumus dicere ignem eſſe ligatum adhoc , quòd ſurſum feratur, quãuis neceſſe ſit ipſum ſurſum ferri , ſed in his tantum neceſſarijs ligatio locum habet , quibus ab alio neceſſitas imponitur . eſt autem duplex neceſſitas , quæ ab alio agente imponi poteſt.vna quidẽ coactionis , per quam omnis abſolutè neceſſe habet facere hóc , ad quòd determinatur ex actione agentis, alias coactio non propriȩ diceretur , ſed magis inductio , alia verò eſt neceſſitas conditionata ſcilicet ex finis appoſitione , ſicut imponitur alicui neceſſitas , vt ſi non fecerit hoc, non conſequitur ſuum præmium ; prima quidem neceſſitas,quæ eſt coactionis non cadit in motibus voluntatis, ſed ſolũ in corporalibus rebus , eo quod voluntas naturaliter eſt à coactione libera: ſecunda neceſſitas voluntati imponi poteſt , vt ſcilicet neceſſarium ſit hoc eligere , ſi hoc bonũ debeat conſequi, vel ſi hoc malum debeat vitare. carere enim malo in idem cõputatur cum habere bonum in talibus, vt patet per Phyloſophum in 5. Eth. Sicut autẽ neceſſitas coactionis imponitur rebus corporalibus per aliquam actionem, ita neceſſitas conditionata imponitur voluntati per aliquam actionem. actio autẽ, qua voluntas mouetur , eſt imperium regentis, & gubernantis. vnde Phyloſophus dicit in 5. Metaph. quòd Rex eſt principium motus per ſuum imperium . ita etiã ſe habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntarijs illo modo ligationis, qui voluntati accidere poteſt,ſicut ſe habet actio corporalis ad ligãdum res corporales neceſſitate coactionis ; actio autem corporalis agentis nunquam inducit neceſſitatem in rem aliam, niſi per contactum coactionis ipſius ad rem, in quã agit,vnde nec ex imperio alicuius Regis, vel Domini ligatur aliquis , niſi imperium attingat ipſum , cui imperatur, attingit autem ipſum per ſcientiã: vnde nullus ligatur per præceptum aliquod, niſi mediante ſcientia illius præcepti,& ideo ille,qui non eſt capax notitiæ, præcepto non ligatur : nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptũ faciendum , niſi quatenus tenetur ſcire præceptum . ſi autem non teneatur ſcire, nec ſciat , nullo modo ex præcepto ligatur, ſicut in corporalibus agens corporale non agit niſi per contactum , ita in ſpiritualibus præceptũ non ligat, niſi per ſcientiam,& ideo ſicut eſt eadem vis,qua tactus agit , & qua virtus agentis agit, & tactus non agit , niſi ex virtute agentis,& virtus agentis nõ eſt,ni ſi mediante tactu , ita eadem virtus eſt , qua præceptum ligat, & qua conſcientia ligat, cum præceptum non liget,niſi per virtutem ſcientię, nec ſcientia niſi per virtutem præcepti. vnde cum conſcientia nihil aliud ſit , quã appli-

applicatio notitię ad actum, conſtat, quod conſcientia ligare dicitur vi pręcepti Diuini. q.17.de verit.a.3.in corp.

Quæritur an conſcientia magis obliget, quàm præceptum Prælati.

6 Reſpondeo dicendum, quòd dictum eſt ſupra, quod conſcientia non ligat, niſi vi præcepti Diuini vel ſecundum legem ſcriptam, vel ſecundum legem naturæ inditam; comparare igitur ligamen conſcientiæ ad ligamen, quod eſt ex præcepto Prælati non eſt aliud, quam comparare ligamen præcepti Diuini ad ligamen præcepti Pręlati. vnde cũ præceptũ Diuinũ obliget cõtra pręceptũ ꝑlati, & magis obliget, ꝙ pręceptũ Pręlati, cõſciẽtię ligamẽ erit mai', quã ligamen ꝑcepti ꝑlati, & cõſciẽtia ligabit ꝑcepto ꝑlati in cõtrariũ exiſtente. tamen hoc diuerſimodè ſe habet in conſcientia recta, & erronea, conſcientia enim recta ſimpliciter, & perfectè contra præceptũ Prælati obligat. ſimpliciter, quidem quia eius obligatio auferri non poteſt, vt ſine peccato deponi non poſſit talis conſcientia: perfectè autẽ quia conſcientia recta non ſolum hoc modo ligat, vt ille, qui eam ſequitur, peccatũ nõ incurrat, ſed vt ille, qui eam ſequitur, ſit immunis à peccato, quantumcunque Prælati præceptum ſit in contrarium; ſed conſcientia erronea ligat contra præceptum Prælati in indifferentibus ſecũdum quid, & imperfectè, ſecundum quid, quia non obligat in omnem euentum, ſed ſub conditione ſuæ durationis, poteſt enim aliquis, & debet talem conſcientiam deponere, imperfectè autẽ, quia ligat quantum adhoc, quòd ille, qui eã ſequitur, peccatum nonincurrit, non autem quantum adhoc, quòd ille, qui eam ſequitur, peccatum euitet, cum præceptum prælati eſt in contrarium; ſi tamen ad illud indifferens præceptum Prælati obliget, in tali caſu peccat, ſiue non faciat, quia contraconſcientiam agit, ſiue faciat, quia Prælato inobediẽs eſt, magis autem peccat, ſi non faciat conſcientia durante, quòd conſciẽtia dictat, cum plus liget, quam præceptũ Prælati. q.17.de verit.a.5.in corp. [2.ſent. d.39. quæſt.3.a.3.ad 3.

Quæritur an conſcientia poſſit errare.

7 Reſpondeo dicẽdum, quòd quia conſcientia importat applicationem ſcientię vel notitię humanę ad aliquem proprium actum, omnis autem notitia, quam homo habet, poteſt ad ſuum actum applicare ſiue memoriam prout homo dicitur habere conſcientiam teſtificantem, quòd fuerit aliquid, vel non fuerit, ſiue etiam ſciẽtiam vniuerſalem, vel particularem, per quam homo poteſt cognoſcere vtrum aliquid ſit faciendum, vel non faciendum, & ſecũdum hoc conſcientia dicitur vrgere, vel impedire, manifeſtum eſt autẽ, quòd ſi accipiamus diuerſas hominis cognitiones, in aliqua poteſt eſſe error, & in aliquã non; in primis enim principijs naturaliter cognitis, ſiue ſint ſpeculatiua, ſiue ſint operatiua, nullus poteſt errare, ſicut in hoc omne totum eſt maius ſua parte, vel nulli iniuriam eſſe faciendam, in alijs autem humanis cognitionibus magis particularibus ſiue pertineant ad partem ſenſitiuam, ſiue ad rationem inferiorem, quę conſiderat humana, ſiue ad rationem ſuperiorem, quę conſiderat Diuina, poteſt multipliciter error accidere. manifeſtum eſt autem, quòd in applicatione multarũ cognitionum ad actũ peruenit error, quęcunque cognitionum fuerit erronea, ſicut patet, quod falſitas accidit in concluſione, quæcunque præmiſſarum fuerit falſa; ſic ergo licet in cognitione primorũ principiorum iuris naturalis non ſit error, tamen quia in alijs principijs iuris humani, vel Diuini poteſt error accidere, ideo cõſciẽtia hominis errare poteſt, ſicut patet, quòd hæreticus, qui habet conſcientiam

numquam

nunquam iurandi, habet cõſcientiam erroneam propter hoc, quod credit, omne iuramentum eſſe contra præceptum Dei, licet in hoc non erret, quod æſtimat, nihil eſſe faciendum contra præceptum Diuinum. quodlibeto. 3. a. 26. in corp. [q. 17. de verit. a. 2. in corp. [2. ſent. d. 39. quæſt. 3. a. 2. in corp.

Quæritur an conſcientia errans obliget.

8 Reſpondeo dicendum, quòd aliqui diſtinxerunt tria genera actuum, quidam enim ſunt boni ex genere, quidam ſunt indifferentes, quidam ſunt mali ex genere. dicunt ergo, quod ſi ratio, vel conſcientia dicat aliquid eſſe faciendum, quod ſit bonum ex ſuo genere, non eſt ibi error; ſimiliter ſi dicat aliquid non eſſe faciendum, quod eſt malum ex ſuo genere: eadem enim ratione præcipiuntur bona, qua prohibentur mala, ſed ſi ratio, vel conſciẽtia dicat alicui, quod illa, quæ ſunt ſecundum ſe mala homo teneatur facere ex præcepto, vel quod illa, quæ ſunt ſecundum ſe bona, ſint prohibita, erit ratio, vel conſcientia errans, & ſimiliter ſi ratio, vel conſcientia dicat alicui, quod id, quod eſt ſecundũ ſe indifferens, vt leuare feſtucã de terra, ſit prohibitũ, vel præceptum, erit ratio, vel conſcientia errãs, dicũt ergo quod ratio, vel conſciẽtia errans circa indifferentia, ſiue præcipiendo, ſiue prohibendo obligat, ita quod voluntas diſcordans à tali ratione errante erit mala, & peccatum, ſed ratio, vel conſcientia errans præcipiendo ea, quæ ſunt per ſe mala, vel prohibendo ea, quæ ſunt per ſe bona, & neceſſaria ad ſalutẽ, non obligat; vnde in talibus voluntas diſcordans à ratione, vel conſcientia errante non eſt mala. ſed hoc irrationabiliter dicitur, in indifferentibus enim voluntas diſcordans à ratione, vel cõſcientia errãte, eſt mala aliquo modo propter obiectum, à quo bonitas, vel malicia voluntatis dependet, non autem propter obiectũ ſecundũ ſui naturam, ſed ſecundũ, quod per accidens à ratione appræhenditur vt malum, ad faciendum, vel ad vitandũ: & quia obiectum voluntatis eſt id, quod proponitur à ratione, ex quo aliquid proponitur à ratione, vt malum, voluntas dum in illud fertur, accipit rationẽ mali, hoc autem contingit non ſolum in indifferentibus, ſed etiam in per ſe bonis, vel malis. non ſolum enim id, quod eſt indifferens poteſt accipere rationem boni, vel mali per accidens, ſed etiam id, quod eſt bonum, poteſt accipere rationem mali, vel illud, quod eſt malum, rationem boni propter appræhenſionem rationis, puta abſtinere à fornicatione bonum quoddã eſt, tamen in hoc bonum non fertur voluntas niſi ſecũdum, quod à ratione proponitur; ſi ergo proponatur, vt malum à ratione errante fertur in hoc ratione mali, vnde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id, quod eſt malum per ſe, ſed id, quod eſt malum per accidens propter appræhenſionem rationis, & ſimiliter credere in Chriſtum eſt per ſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem, ſed voluntas non fertur in hoc, niſi ſecundũ, quod à ratione proponitur. vnde ſi à ratione proponatur, vt malum, voluntas ferretur in hoc, vt malum, non quia illud ſit malum ſecundum ſe, ſed quia eſt malum per accidens ex appræhenſione rationis. & ideo phyloſophus dicit in 7. Eth. quod per ſe loquendo incontinens eſt, qui non ſequitur rationem rectam, per accidens autem, qui non ſequitur etiam rationẽ falſam, vnde dicendũ, quod ſimpliciter omnis voluntas diſcordans à ratione, ſiue recta, ſiue errante ſemper eſt mala p. 2. q. 19. a. 5 in corp. [q. 17 de verit. a. 4. in corp. [ſuper cap. 14. ad Rom. lec. 2. [2. ſent. d. 39. quæſt. 3. a. 3. in corp.

Quæritur an conſcientia erronea obliget ad peccatum.

9 Reſpondeo dicendum, quod actus hu-

manus iudicatur virtuosus, vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur, & non secundum materiale obiectum actus, sicut si aliquis credens accidere patrem, occidat seruũ, incurrit patricidij peccatum, & è contrario, si quis curator putans occidere seruũ debita diligentia adhibita occidat causaliter patrem, immunis est à Patricidij crimine: si ergo aliquid, quod secundum se non est contra legem Dei, vt leuare festucam de terra, vel iurare apprehendatur errante cõscientia, vt cõtra legẽ existens Dei, & sic volũtas in ipsũ feratur, manifestum est, quòd voluntas fertur per se loquendo, & formaliter in id, quod est contra legem Dei, materialiter autem in id, quod est secũdum legem Dei, & ideo manifestum est, quod est ibi contẽptus legis Dei, ideo necesse est, quòd sit ibi peccatũ, & ideo dicendum est, quod omnis conscientia, siue recta, siue erronea, siue in per se malis, siue in indifferentibus est obligatoria, ita quod qui contra consciẽtiam facit peccat. quodlibeto 3. a. 27. in corp.

Quæritur an conscientia dictans faciendum aliquam rem contra legem Dei obliget.

10 Respondeo dicendum, quòd si alicui dictat cõscientia, vt faciat illud, quod est contra legem Dei, si non faciat, peccat, & similiter si faciat, peccat, qa ignorãtia iuris nõ excusat à peccato, nisi fortè sit ignorantia inuincibilis, sicut est in furiosis, & amẽtibus, quę omninò excusat, nec tamen sequitur, quòd sit perplexus simpliciter, sed secundum quid, potest enim erroneã conscientiã deponere, & tunc faciens secundũ legẽ Dei non peccat; non est autẽ inconueniens, ꝙ aliquo pósito aliquis homo sit perplexus, sicut Sacerdos, qui tenetur cãtare, si sit in peccato, peccat cantando, & nõ cantãdo, nec tamẽ est simpliciter ꝑplexus, qa põt pęnitẽtiã agere, & absque peccato cantare. quodlibeto 3. a. 27. ad. 2.

Quæritur an conscientia erronea sequens faciat, vt actus præcedens bonus, sit malus.

11 Respondeo dicendũ, quòd si aliquis post factum habeat cõscientiam erroneã, per quam credat id, quod est licitum à se factum fuisse peccatum, vel ꝙ est veniale, fuisse mortale, nõ propter hoc efficitur id, ꝙ prius, vel peccatũ, vel mortale, quia voluntas, & actio nõ informantur ex apprehensione sequenti, sed ex pręcedenti. Lec. 2. cap. 14. ad Romanos.

Quæritur quomodò inquinatio sit in cõscientia.

12 Respondeo dicendum, quòd inquinatio dicitur esse in conscientia non sicut in subiecto, sed sicut cognitum in cognitione, in quantum scilicet aliquis scit se esse inquinatum. p. p. qu 79. a. 13. ad 2. [q. 17. de verit. a. 1. ad 2. 3. 6.

Quæritur an in conscientia remaneant peccatorum notæ.

13 Respondeo dicẽdum, quòd peccatorum notæ remanent in conscientia quacumque vi fuerint commissa. q. 25. de verit. a. 5. ad 2.

Quæritur an conscientia erronea excuset.

14 Respondeo dicendum, quòd si ratio, vel conscientia erret errore voluntario vel directè, vel propter negligentiã, quia est error circa id, ꝙ quis scire tenetur, tũc talis error rationis, vel conscientiæ non excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientiæ sic erranti, sit mala, si autem sit error, qui causat inuoluntarium ꝓueniens ex ignorãtia alicuius circũstantiæ absq; omni negligẽtia, tunc talis error rationis, vel cõscientię excusat, vt volũtas cõcordans rationi erranti, nõ sit mala, puta si ratio errans dicat, ꝙ homo teneatur ad vxorẽ alterius accedere, voluntas concor-

concordas huic rationi erranti est mala, eo quod error iste prouenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur: si autē ratio erret in hoc, quod credat aliquam mulierē submissam esse suā vxorem, & eā petēte debitum velit eam cognoscere, excusatur voluntas eius, vt non sit mala, quia error iste ex ignorantia circumstantiæ prouenit. quæ excusat, & inuoluntarium causat. p. 2. q. 19. a. 6. in corp.

CONSECRATIO.

1 *Consecratio Altaris, templi, vestium est sacramentale quoddam.*

2 *Domus, in qua celebratur Eucharestia, significat Ecclesiam.*

Huiusmodi domus iure consecratur propter multa.

Antequā Ecclesia cōsecretur, quid sit agēdū.

In necessitate potest Missa celebrari in domo non consecrata de consensu Episcopi, cū Altare tamen portatili cōsecrato.

Numquam Ecclesia sine Altare cōsecratur.

Altare tamen sine Ecclesia consecratur.

3 *Ecclesia, Altaria per cōsecrationem acquirunt quandam virtutem spiritualem, per quam fiunt apta Diuino cultui.*

Huiusmodi ante consecrationem emundantur, exorcizantur.

Quidam probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ remittuntur peccata venialia.

Consecratio Ecclesiæ non iteratur.

Ecclesijs Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi ab igne fuerint adustæ, aut pollutæ effusione sanguinis, aut seminis.

Qui sunt extra Ecclesiam non possunt consecrare supradicta.

Ligna Ecclesiæ dedicata in quos vsus debeant expendi.

Altaris Palla, Catedra, Candelabrum, &c. si sint vetustate cōsumpta, conburantur, & cineres in baptisterio, vel pariete, vel fossis proijciantur.

4 *Consecratio Regum, Monachorum, Monialium non est sacramentum.*

5 *Consecratio Ecclesiæ, & Altaris semper manet vsque quo res ipsa maneat.*

6 *Consecratio Ecclesiæ, & Altaris &c. pertinet ad Episcopum.*

7 *Quare celebratur festum consecrationis Ecclesiæ.*

Quare octo diebus celebratur hoc festum.

Quaeritur an consecratio Ecclesiæ, Altaris, Vestium, &c. sit sacramentum.

1 RESpondeo dicendum, quod consecratio templi, & Altaris, & sacrarum vestium, & huiusmodi ordinantur ad sacramentū Eucharestiæ, & ideo non sunt sacramenta, sed sacramentalia quædā. 4. sen. d. 2. q. 1. a. 2. ad 11. [3. p q. 65. a. 1. ad 6.

Quaeritur quare consecratur Ecclesia, Altare, & quid significet talis consecratio.

2 Respondeo dicendū, quod domus, in qua sacramentum Eucharestiæ celebratur, Ecclesiam significat, sicut & Ecclesia nominatur, quæ conuenienter consecratur tum ad repræsentendam sanctificationem, quā Ecclesia consecuta est per passionē Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc sacramentum suscipere debent; per Altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus Heb. Vltimo, per ipsum offerimus Hostiam laudis Deo, vnde & consecratio Altaris significat sanctitatem Christi, de qua dicitur Lucæ primo, quòd ex te nascetur, sanctū vocabitur filius Dei, vnde de consecrat. distinct. 1. dicitur. Altaria placuit non solum vnctione Chrismatis, sed etiā Sacerdotali benedictione sacrari, & ideo regulariter non licet celebrare hoc sacramentum, nisi in domibus consecratis. vnde sicut habetur de consecrat. distinct. 1. Nullus Præsbiter Missas celebrare præsumat, nisi in conse-

cratis ab Episcopo locis, propter quod etiam, quia pagani non sunt de Ecclesia, nec alij infideles, ideo eadem distinctione legitur. Ecclesiã, in qua mortuorũ cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet, sed si apta videtur ad consecrandum inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel lignis eius loci, ne ædificetur; sed si hæc consecrata prius fuerit, Missas in ea celebrare licet, tamen si fideles fuerunt, qui in ea sepulti sunt. propter necessitatem tamen potest hoc Sacramentũ peragi in domibus non consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi, vnde in eadem distinct. legitur, Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit celebranda esse censemus, non tamen sine Altari portatili consecrato, vnde in eadem distinct. legitur, Concedimus, si Ecclesiæ fuerint incensæ, vel combustæ, in Capellis cũ tabula consecrata Missas iterum celebrari, quia enim Sanctitas Christi fons est totius Ecclesiasticæ Sanctitatis, ideo in necessitate sufficit ad peragendum. Hoc Sacramentũ Altare Sanctificatum, propter quod etiã nunquam Ecclesia sine Altari consecratur, tamen sine Ecclesia quandoq; consecratur Altare cum Reliquijs Sanctorum, quorum vita abscondita est cũ Christo in Deo. vnde in eadem distinct. legitur, Placuit, vt Altaria, in quibus nullũ corp⁹, aut Reliquiæ Martiris conditæ probantur ab Episcopis, qui eisdẽ locis præsunt, si fieri potest, euertantur. 3.p.q.83.a.3.ad 2.& 4. 4.sent.d.13.q.1.a.2.quæstiunc.5 in corp.

Quæritur quid consequantur per consecrationem Ecclesia, & Altaria.

3 Respondeo dicendum, quod Ecclesia, & Altare, & alia huiusmodi inanimata cõsecrantur non quia sint gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quã apta redduntur Diuino cultui, vt scilicet homines deuotionẽ quandã exinde percipiant, vt sint paratiores ad Diuina, nisi hoc propter irreuerentiam impediatur, vnde, & 2. Machab. 3. dicitur Verè Dei Virtus quædam est in loco. nam ipse, qui habet in cælis habitationem visitator, & adiutor loci illius est, & inde est, quod huiusmodi ante consecrationem emundantur, & exorcizantur, vt exinde Virtus inimici pellatur, & eadem ratione Ecclesiæ, quæ sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint, reconciliantur, quia per peccatum ibi commissum apparet ibi aliqua operatio inimici propter quod etiam in distinct. 1. legitur, Ecclesias Arianorum vbicunque inueneritis Catholicas, eas Diuinis precibus, & operibus absque vlla mora cõsecrate, vnde & quidam probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionẽ peccatorũ venialium, sicut & per aspersionem aquæ benedictæ, inducentes quod in Psal. 84. dicitur. Benedixisti Domine terram tuã, remisisti iniquitatem plebis tuæ, & ideo propter Virtutẽ, quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiritur, consecratio Ecclesiæ non iteratur. vnde in eadem distinc. ex Concilio Niceno legitur, Ecclesijs semel Deo consecratis nõ debet iterũ consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunq; semine pollutæ fuerint, quia sicut Infans à qualicũq; Sacerdote in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti semel baptizatus nõ debet iterũ baptizari, ita nec locus Deo dicatus est iterũ cõsecrãdus, nisi propter causas, quas superius nominauimus; si tñ fidem Sanctæ Trinitatis tenuerint, qui consecrauerunt, alioquin qui sunt extra Ecclesiã cõsecrare nõ possunt, sed sicut in eadẽ distinc. legitur, Ecclesiæ, vel Altaria, quæ ambigua sunt de cõsecratione, cõsecrẽtur; propter hoc et, q aliquã virtutẽ spiritualẽ adipiscũtur per consecrationẽ, in eadẽ distinc.

statutum

ſtatutum legitur, ligna Eccleſiæ dedicatę non debent ad aliud opus iungi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni conburenda, vel ad profectum in Monaſterio fratribus, in laicorum autem opera non debent admitti, & ibidem legitur. Altaria, Palla, Catedra, Candelabrum, & Velum ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur, cineres quoque eorum in bapriſterio inferantur, aut in pariete, aut in foſſis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquirentur. 3. p. q.83. ar.3. ad 3.

Quęritur an conſecratio Regum, Monachorum, Monialium ſit ſacramentum.

4 Reſpondeo dicēdum, quòd ad quamlibet eminentiam ſtatus datur aliqua sāctificatio, cum ſit ibi neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ, ſicut in conſecratione Regum, & Monachorum, & Monialium, & ideo sūt actiones Hierarchicæ, & propter hoc Dionyſius de eis determinat, non tamen habent rationem ſacramenti, ſed ſolum illam eminentiam, per quam homo efficitur ſacrorum diſpenſator. 4 ſent. d.2. q.1. a.2. ad nonum.

Quæritur quamdiu maneat conſecratio in Eccleſia, vel Altari.

5 Reſpondeo dicendum, quòd Eccleſię, vel Altaris manet cōſecratio, ſemper niſi deſtruatur. 3. p. q.63. a.5. in corp. [q. 76. a. 6. ad 3. [q.82. a.8. in corp.

Quæritur an ſupradictæ conſecrationes pertineant ad Epiſcopum.

6 Reſpondeo dicendum, ꝙ quia Epiſcopus accipit poteſtatem, vt agat in perſona Chriſti ſuper corpus eius miſticum, id eſt ſuper Eccleſiā, quam quidem poteſtatem nō accipit Sacerdos in ſua conſecratione, licet poſſit eam habere ex Epiſcopi commiſſione, & ideo ea, quæ non pertinēt ad diſpoſitionem corporis myſtici nō reſeruatur Epiſcopo, ſicut conſecratio ſacramenti Euchariſtiæ. Ad Epiſcopū verò pertinet tradere non ſolum populo, ſed etiam Sacerdotibus ea, ex quibus poſſunt proprijs officijs vti, & quia benedictio chriſmatis, & olei Sācti, & olei infirmorū, & aliorum, quæ conſecrantur (puta Altaris, Eccleſiæ, veſtium, & vaſorum) præſtat quamdam idoneitatem ad ſacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium Sacerdotum, ideo tales conſecrationes Epiſcopo reſeruantur tamquam Principi totius Eccleſiaſtici Ordinis. 3. p. quęſt.82. art.1. ad 4.

Quare Feſtum conſecrationis Eccleſiæ celebratur.

7 Reſpondeo dicendum, quòd quia cōſecratio Altaris repræſentat Sanctitatem Chriſti, conſecratio autem domus Sanctitatem totius Eccleſię, ideo conuenientius recolitur cum Sanctitate, & ſolemnitate conſecratio Eccleſię, vel Altaris, quā aliorum, quæ conſecrantur, propter quod etiā octo diebus ſolemnitas benedictionis agitur ad ſignificandū Beatam Reſurrectionem Chriſti, & membrorum Eccleſiæ, nec eſt opus ſolius hominis conſecratio Eccleſiæ, & Altaris, cum habeat ſpirituale virtutem, vnde de conſecrat. d.1. dicitur ſolemnitates dedicationum Eccleſiarū per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ. 3. p. q.83. a.3. ad 4.

CONSENSVS.

1 *Conſenſus eſt iudicium de eo, in quod conſentitur.*

Conſenſus pertinet ad rationem ſuperiorē.

2 *Cōſēſus poteſt attribui volūtati, et rationi.*

3 *Conſenſus non eſt, niſi de his, quæ ſunt ad finem.*

4 *Quando conſenſus ſit peccatum veniale, & quando mortale.*

5 *Consensus in delectationem quando est peccatum veniale, & quando mortale.*
6 *Delectatio in malum aliquod exterius est mala etiã si non sequatur malũ exterius.*
7 *Consensus in delectationem actus homicidij est peccatum mortale.*
8 *Consensus in peccatum non semper pertinet ad contemptum Diuinæ legis.*
Sed solũ qñ peccatũ legi diuinę cõtrariatur.

Quæritur quid sit consensus, & in quo sit subiectiuè.

1 Respondeo dicendum, quòd consensus importat iudicium quoddam de eo, in quod consentitur, sicut enim ratio speculatiua iudicat, & sentẽtiat de rebus intelligibilibus, ita ratio practica iudicat, & sententiat de agendis; est autem considerandum, quod in omni iudicio vltima sententia pertinet ad supremum iudicatoriũ, sicut videmus in speculatiuis, quòd vltima sententia de aliqua propositione datur per resolutionem ad prima principia: quamdiu enim remanet aliquod principiũ altius, adhuc per ipsum potest examinari id, de quo quæritur. vnde adhuc suspensum est iudiciũ, quasi nundum data finali sententia. manifestum est autem, quod actus humani regulari possunt ex regula rationis humanæ, quæ sumitur ex rebus creatis, quas naturaliter homo cognoscit, & vlterius ex regula legis Diuinæ. vnde cum regula legis Diuinæ sit superior, consequens est, vt vltima sententia, per quam iudicium finaliter terminatur, pertinet ad rationem superiorem, quę intendit rationibus ęternis, cum autem de pluribus occurrit iudicandum, finale iudicium est de eo; quod vltimo occurrit. in actibus autem humanis vltimo occurrt ipse actus, præambulum autem est ipsa delectatio, quę inducit ad actum, & ideo ad rationem superiorem proprie pertinet consensus in actum, ad rationem verò inferiorem, quæ habet inferius iudicium, pertinet iudicium præambulum, quòd est de delectatione. quãuis etiam, & de delectatione superior ratio iudicare possit, quia quidquid iudicio subditur inferioris, subditur etiã iudicio superioris, sed nõ cõuertitur. p. 2. q. 74 a. 7. in corp. (quæst. 15. a. 4.

Quæritur an consensus sit actus voluntatis, an intellectus.

2 Respondeo dicendum, quòd consentire est actus appetitiuę virtutis nõ absolutè, sed cõsequens ad actum rationis deliberantis, & iudicantis. in hoc enim terminatur consensus, quia voluntas tendit in id, quod est iam ratione iudicatum. vnde consensus potest attribui, & voluntati, & rationi. p. 2. q. 74. a. 7. ad 1.

Quæritur de quibus, sit consensus.

3 Respondeo dicendum, quòd consẽsus nominat applicationem appetitiui motus ad aliquid pręexistens in potestate applicantis, in ordine autem agibilium primo quidem oportet sumere apprehensionem finis, deinde appetitum eorum, quæ sunt ad finem, appetitus autem in vltimum finem tendit naturaliter. vnde, & applicatio motus appetitiui in finem apprehensũ non habet rationem cõsensus, sed simplicis voluntatis; de his autem, quæ sunt post vltimum finem in quantum sunt ad finem sub consilio cadunt, & sic potest esse de eis consensus, in quantum motus appetitiuus applicatur ad id, quòd ex consilio iudicatum est, motus verò appetitiuus in finẽ non applicatur consilio, sed magis consilium ipsi, quia consilium pręsuponit appetitum finis, sed appetitus eorum, quæ sunt ad finem pręsuponit determinationẽ consilij, & ideo applicatio appetitiui motus ad determinationem consilij propriè est consẽsus. vnde cum consiliũ non sit nisi de his, quæ sunt ad finẽ, consensus propriè loquen-

loquendo non est, nisi de his, quæ sunt ad finem p.2.q 15.a 3.in corp.

Quæritur quando consensus sit peccatum mortale, & veniale.

4 Respondeo dicendum, quòd consensus in peccatũ, quòd est veniale ex genere, est veniale peccatum, & secundum hoc potest concludi, quod consensus in delectationem, quæ est de ipsa vana cogitatione fornicationis, est peccatũ veniale, sed delectatio, quæ est in ipso actu fornicationis de genere suo est peccatum mortale; sed quod ante consensum sit veniale peccatũ tantum, hoc est per accidens scilicet propter imperfectionem actus, quæ quidem imperfectio tollitur per consensum deliberatum superueniẽtem. vnde ex hoc adducitur in suam naturam, vt sit peccatum mortale. p.2.q.74.a 8.ad 2.

Quæritur an consensus in delectationem sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd circa hoc aliqui diuersimodè opinati sunt. quidam enim dixerunt, quod cõsensus in delectationem non est peccatum mortale, sed veniale tantùm; alij vero dixerunt, quod est peccatum mortale; & hæc opinio est communior, & verisimilior. est enim cõsiderandum, quòd cum omnis delectatio consequatur aliquam operationem, vt dicitur in 10.Eth. Et iterum cum omnis delectatio habeat aliquod obiectum, delectatio quælibet potest comparari ad duo, scilicet ad operationem, quàm consequitur, & ad obiectum, in quo quis delectatur; contingit autem, quod aliqua operatio sit obiectum delectationis, sicut, & aliqua alia res. quia ipsa operatio potest accipi, vt bonum, & finis, in quo quis delectatus requiescit; & quandoque quidem ipsamet operatio, quàm consequitur delectatio, est obiectum delectationis, in quantum scilicet vis appetitiua, cuius est delectari, reflectitur in ipsam operationẽ, sicut in quoddam bonum, puta cũ aliquis cogitat, & delectatur de hoc ipso, quod cogitat, in quantum sua cogitatio placet, quandoque vero delectatio consequens vnam operationem, puta cogitationem aliquam habet pro obiecto aliam operationem, quasi rem cogitatam, & tunc talis delectatio procedit ex inclinatione appetitus non quidem in cogitationem, sed in operationem cogitatam. sic igitur aliquis de fornicatione cogitans de duobus potest delectari, vno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata, delectatio autem de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam, cogitatio autẽ ipsa secundum se non est peccatum mortale, immo quandoque est veniale tantùm, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea, quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis vtiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare, & ideo per cõsequens affectio, & delectatio, quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoq; nullum. vnde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale, & secundum hoc prima opinio habet veritatem. quòd autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato hoc contingit ex hoc, quod affectio eius inclinata est in hunc actum, vnde quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quam quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus sit inclinatus in fornicationẽ nullus enim delectatur, nisi in eo, ꝙ est conforme appetitui eius. quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus suus conformetur his, quæ secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. vnde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, vt secunda opinio ponit. p.2.q.74..8.in corp.

Quæritur an delectatio alicuius mali exterioris sit peccatum, etiamsi non sequatur exterius ipsum malum.

6 Respondeo dicendum, quòd delectatio, quæ habet actũ exteriorẽ pro obiecto non potest esse absq; complacentia exterioris actus secundum se, etiamsi non statuatur implendum propter prohibitionẽ alicuius superioris. vnde actus fit inordinatus, & per consequens delectatio erit inordinata. p. 2. q. 74. a. 8. ad 4.

Quæritur an consensus in delectationem, circa homicidium sit peccatum mortale.

7 Respondeo dicendum, q̃ consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidij cogitati est peccatum mortale, nòn autẽ consensus in delectationẽ, quę ꝓcedit ex cõplacentia cogitationis de homicidio. p. 2. q. 64. a. 8. ad 5.

Quæritur an consensus deliberatus in peccatũ pertineat ad contemptum Diuinæ legis.

8 Respondeo dicendum, quòd deliberatus consensus in peccatum non semper pertinet ad contemptũ legis Diuinæ, sed solum quandó peccatum legi Diuinæ cõtrariatur. p. 2. q. 74. a. 9 ad 3.

CONSILIVM.

1 *Consilium vnde dicatur.*

2 *Consilium, vt dicit actum rationis inquisitiuæ de agendis non diuiditur contra præceptum.*

Consilium vt dicit persuasionem ad aliquid agendum diuiditur contra præceptum.

Ex consilio in hoc secundo sensu procedit conscientia aliquando.

3 *Consilia ordinantur ad præcepta, & secundum quod sunt de interioribus, & de exterioribus actibus virtutum.*

Consilia ordinantur ad præcepta, vt sunt de actibus interioribus virtutum, sicut ad finem.

Consilia ordinantur ad pręcepta, vt sunt de actibus exterioribus virtutũ adhoc quod tutius, & firmius conseruenter per modum remouentis prohibens.

4 *Consilia cadunt sub pręcepto secundum animi pręparationem.*

5 *Opera supererogationis quę totaliter excedunt necessitatẽ salutis cadũt sub cõsilio.*

In operibus supererogationis, quę pertinent aliquo modo ad necessitatem salutis quãuis non secundum hunc vel illum modum, determinatio modi potest cadere sub pręcepto Ecclesię, vel cuiuscunque legislatoris

6 *Consilium non obligat nisi, vt transit in pręceptum.*

7 *Tendentes ad perfectionem debent incipere ab obseruantia consiliorum.*

8 *Difficilius est obseruare consilia quàm pręcepta quo ad actus exteriores.*

Difficilius est obseruare præcepta quàm consilia quo ad interiores actus.

Difficilius est obseruare actus exteriores pręceptorum sine consilijs, quàm cũ consilijs.

9 *Differentia inter pręceptum, & consilium.*

In lege noua dantur consilia non in veteri.

Consilia dantur de illis, per quę facilius consequimur finem.

Bona pertinentia ad vsum hominis sunt triplicis generis.

Relinquere ista bona pertinet ad consilia Euangelica.

In tribus consilijs Euangelicis fundatur omnis Religio.

Tria sunt cõsilia Euangelica scilicet obedientia, Castitas, Paupertas, omnia alia consilia ad ista tria reducuntur.

10 *Supradicta tria consilia secundum se sunt omnibus expedientia.*

Ex indispositione aliquorum ista consilia non sunt expedientia illis.

11 *Quando sit malum consilium.*

12 *Ad bonitatẽ cõsilij tria requirũtur, & quę.*

13 *Consilium humanum non est certum.*

Consilium est donum.

Quæ-

Quaritur vnde dicatur consilium.

1 Respondeo dicendum, quòd dicitur consilium, quasi cõsidium eo, quòd multi consident ad simul conferendum. p. 2. q. 14. a. 3. in corp.

Quęritur an consiliũ diuidatur cõtra pręceptũ.

2 Respondeo dicendum, quòd cosilium dupliciter dicitur, quandoque enim consilium nil aliud est, quã actio rationis inquirentis de agendis, & hoc modo consilium se habet ad electionem, sicut silogismus, vel quæstio ad conclusionem, vt patet per Phylosophum in 3. Eth. hoc autem modo acceptum consilium non diuiditur contra præceptum, quia de his, quæ sunt in precepto, consiliamur in hunc Mundũ, vnde ex tali consilio contingit aliquem obligari; sic autem dictum consilium inuenitur in conscientia quantùm ad vnum modum applicationis, cum scilicet inquiritur de agendo. alio modo dicitur consilium persuasio, vel inductio ad aliquid agendum, non habens vim coactiuam, & sic consilium contra præceptum diuiditur, cuiusmodi sunt amicabiles exhortationes, & ex isto consilio aliquando conscientia procedit, applicatur enim aliquando etiam conscientia huius consilij ad particularem actum, sed cum conscientia non liget, nisi ex virtute eius, quòd in conscientia habetur, conscientia, quæ ex consilio sequitur, non alio modo potest obligare, quam ipsum consilium, ex quo aliquis obligatur, vt non contemnat, sed non impleat. q. 17. de verit. a. 3. ad 2.

Quaritur an consilia ordinentur ad præcepta.

3 Respondeo dicendum, quòd pręcepta dantur de actibus virtutum, duplex autẽ est virtutis actus scilicet interior, & exterior, & vterque actus sub legis præcepto cadit. vnde Augustinus dicit contra faustum, quòd quia Iudęi non intelligebant homicidium nisi per interremptionem corporis humani aperuit Dominus omnẽ iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari; similiter etiã tantummodo corporalẽ cum fęmina illicitam cohabitationem vocari Męchiam, quæ erat in lege prohibita, sed Dominus demõstrauit etiã interiorẽ concupiscẽtiã adhoc ptinere. vnde manifestũ est, ꝙ etiã interiores actus virtutũ sub præcepto cadunt. consilia ergo ordinantur ad pręcepta, & secundum, quòd sunt de interioribus virtutum actibus, & secundum quod sunt de exterioribus actibus, sed diuersimode, nam ad interiores actus virtutum ordinantur, sicut in finem, omnes enim interiores actus virtutum moralium pertinent ad mentis puritatem, vt scilicet mens hominis à passionibus inordinatis, & ab exteriorum rerum cupiditate sit libera, & vlterius omnes virtutes; tàm morales, quàm Theologicæ ordinentur ad dilectionem Dei, & proximi, sed ad hæc duo omnia consilia ordinantur sicut ad finem, scilicet ad charitatem Dei, & proximi, & ad mentis puritatem. vnde dicitur in collationibus patrum, quidquid nos ad virtutem cordis potest dirigere, tota virtute sectandum est; quidquid autẽ ab hac retrahit, vt perniciosum, & vitium deuitandum est, pro hoc enim vniuersa agimus, atque toleramus, pro hac patria, parentes, dignitates, diuitiæ, delitiæ Mundi huius, & voluntas vniuersa contemnitur, vt scilicet puritas cordis perpetua retineatur, & postea subdit, pro hac ieiuniorum inediam, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere nouerimus, & per illas ab vniuersis passionibus noxijs illęsas præparet cor nostrum, vt seruare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere; & hoc idem Augustinus

stinus dicit de moribus Ecclesiæ, non reiciendis inquit generibus cibarum, quasi pollutis, sed concupiscentię perdomandę, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis intentio, & ibidem dicitur charitas pręcipuè custoditur, si charitati virtus charitati sermo, charitati habitus, charitati cultus optatur. vnde Apostolus primę ad Corinth. 7. Virginitatis consilium ad hoc ordinandum docet, vt mulier innupta cogitet, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, & Dominus Matthæi 19. Paupertatis consilium adhoc ordinat, vt homo Deum sequatur, quòd fit per rectitudinem, & puritatem interioris affectus: sic ergo consilia ordinantur sicut in finem ad præcepta secundum quòd sunt de interioribus actibus virtutum; sed secundum quod sicut de actibus exterioribus, puta non occides, non furtum facies &c. ordinantur consilia ad præcepta non sicut ad finem, non enim propter hoc homo virginitatem seruat, vt ab adulterio abstineat, neque hoc fine aliquis suis abrenunciat, vt non feretur aliena, cum exteriora opera cõsiliorũ sint maiora, q̃ exteriora opera præceptorum; ordinantur tamen ad ea in quantum faciunt ea tutius, & firmius conseruari, qui enim sua dimittit, multò magis abstinet à rapiẽdis alienis. vnde & Augustinus dicit in 19. lib. contra faustum omnia ex hebrçorum lege commemorata Dominus commendauit, vt quid quid ex persona sua insuper loqueretur, vel ad expositionem commendandam valeret, si quid ille obscurum posuisset, vel ad tutius conseruandum, quòd illa voluisset, & in lib. de Sermone, Domini in monte dicit, quòd dum fiunt illę, quæ addũtur ad perfectionẽ, multo magis fiunt illa, quæ præmissa sunt ad inchoationem; sic ergo patet, quòd consilia ordinantur sicut ad finẽ ad præcepta, prout sunt de interioribus actibus virtutum, sed ad præcepta secundum quod sunt de exterioribus actibus ordinantur consilia adhoc, quòd tutius, & firmius conseruentur per modum remouentis prohibens, & primum horum est causa secundi, firma enim exteriorum actuum obseruatio causatur ex interiori affectionis benè dispositę. quodlibeto 4. a. 24. in corp. (2. 2. q. 189. a. 1. ad 3.

Quæritur an consilia cadant sub præcepto.

4 Respondeo dicendum, quòd illa eadem, quæ sunt consilia, cadunt sub præcepto secundum animi præparationem, nullum enim consilium est perfectius; quã quòd homo tradat animam suam pro fratribus suis, & tamen hoc cadit sub præcepto secundum animi præparationem secundum illud primæ Ioannis 3. & nos debemus pro fratribus animam ponere, & similiter dare omnia sua pauperibus cadit sub præcepto secundum animi pręparationem, vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si necessitas immineat. quodlibeto. 6. a. 12. ad 2. & ad 1. [p. 2. q. 108. a. 3. ad 2. [a. 4. ad 4. [2. 2. q. 40. a. 1. ad 2. [q. 43. a. 8. ad 4. (q. 72 a. 3. in corp. [opusculo 17. cap. 6. [quodlibeto 4. a. 20.

Quæritur quæ opera super erogationis cadant sub præcepto, & quæ sub consilio.

5 Respondeo dicendum, quòd duplex est genus supererogationis, quoddã, quod totaliter excedit necessitatem salutis, & hoc non potest cadere sub præcepto, sed sub consilio, primæ Corinth 7. De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do; aliud genus supererogationis est, quod aliquo modo ad necessitatem salutis pertinet, quamuis nõ secundum hunc, vel illum modum, sicut de ieiunio patet, & ideo determinatio modi in talibus potest cadere sub præcepto Ecclesiæ, vel cuiuscunque legislatoris. 4. sentent. distinct. 15. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2.

Quæ-

Quaritur an consilium obliget, & quomodo.

6 Respondeo dicendum, quòd cõsilium nũquam obligat nisi per hoc quòd in prę-ceptum transit ex aliquo accidenti. 4. sen. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. prima ad 3. [2. 2. q. 124. a. 3. ad 1.

Quaritur an sit incipiendum ab obseruantia consiliorum, vt ad praceptorum obseruantiam deueniamus.

7 Respondeo dicendum, quòd facilius est obseruare præcepta secundum imperfectum modum, quàm obseruare consilia, & tamen qui tendunt ad perfectam præceptorum obseruationem oportet, quòd incipiant à cõsilijs, sicut à quibusdam instrumentis. quodlibeto 4 a. 24. ad 12.

Quaritur quid sit difficilius obseruare, praceptum, an consilium.

8 Respondeo dicendum, quòd obseruatio consiliorum est difficilior, quam obseruatio præceptorum quantum ad exteriores actus, tamen obseruatio præceptorum perfecta quantùm ad interiores actus, est longe difficilior, difficilius enim est deponere animi cupiditates, quam possessiones, & tamen difficilius est obseruare exteriores actus præceptorum sine consilijs, quam cum consilijs. quodlibeto 4. art. 24. ad 9.

Quaritur an consilia Christi reducantur ad tria, scilicet Paupertatem, Obedientiam, & Castitatem.

9 Respondeo dicendum, quòd hæc est differentia inter consilium, & præceptum, quòd præceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur eius, cui datur, & ideo conuenientes in lege noua, quę est lex libertatis supra pręcepta sunt addita consilia, non autem in veteri lege, q̃ erat lex seruitutis, oportet igitur, quod præcepta nouæ legis intelligantur esse data de his, quę sunt necessaria ad cõsequendum finem ęternæ Beatitudinis, in quem lex noua immediatè introducit; cõsilia verò oportet esse de illis, per quę melius, & expeditius potest homo consequi finem prædictum, est autem homo constitutus inter res mundi huius, & spiritualia bona, in quibus æterna Beatitudo cõsistit, ita quod quantò plus in hæret vni eorum, tantò plus recedit ab altero, & econuerso, qui ergo totaliter inhæret rebus huius mundi, vt in eis finem constituat habens eas quasi rationes, & regulas suorum operum, totaliter cęcidit à spiritualibus bonis, & ideo huiusmodi inordinatio tolitur per pręcepta, sed quòd homo totaliter ea, quæ sunt mundi, abijciat non est necessarium ad perueniendum in finem prædictum, quia potest homo vtens rebus huius mundi, dummodo in eis finem non constituat, ad Beatitudinem æternam peruenire. sed expeditius perueniet totaliter bona huius mundi abdicando, & ideo de hoc dantur consilia Euangèlij, Bona autem huius mundi, quæ pertinent ad vsum humanæ vitæ, in tribus consistunt, scilicet in Diuitijs exteriorum bonorũ, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum, & in delitijs carnis, quæ pertinent ad concupiscentiam carnis, & in honoribus, quæ pertinent ad superbiam vitæ, sicut patet primæ Ioannis 2 hæc autem tria totaliter derelinquere secundum, quòd possibile est, pertinet ad consilia Euãgelica, in quibus etiam tribus fundatur omnis Religio quæ statum perfectionis profitetur, nam diuitię abdicantur per paupertatem, Delitię carnis per perpetuam Castitatem, superbia vitæ per obedientiæ seruitutem: hæc autem simpliciter obseruata pertinent ad consilia simpliciter proposita, sed obseruatio vniuscuiusq; eorum in aliquo speciali casu pertinet ad consilium secundum quid, scilicet in casu illo, puta

cum

cum homo dat aliquam eleemosinã pauperi, quando dare non tenetur, consilium sequitur quantùm ad factum illud; similiter etiam quando aliquo tempore determinato à delectationibus carnis abstinet, vt orationibus vacet, consilium sequitur pro tempore illo; similiter etiam quando aliquis non sequitur voluntatem suam in aliquo facto, quòd licitè posset facere, consilium sequitur in illo casu, puta si benefaciat inimicis suis, quando non tenetur, vel si offensam remittat, cuius iustè posset exigere vindictam, & etiã omnia consilia particularia ad illa tria generalia, & perfecta reducuntur. 2. 2. q. 108. a. 4. in corp. [3. contra gentes c. 130.

Quaritur an prædicta tria consilia sint omnibus expedientia.

10 Respondeo dicendum, quòd prædidicta consilia quantũ est de se sunt omnibus expedientia, sed ex indispositione aliquorum contingit, quòd alicui expedientia nõ sint, quia eorũ affectus ad hęc non inclinatur, & ideo Dominus consilia Euãgelica proponẽs sẽper facit mentionem de idoneitate hominum ad obseruãtiam consiliorum, dans enim consilium perpetuæ paupertatis Matthei 19. pręmittit, si vis perfectus esse, & postea subdit, vade, & vende omnia, quæ habes; similiter dans consilium perpetuæ castitatis, cũ dixit, sunt eunuhi, qui castrauerunt se ipsos propter Regnũ Cęlorum statim subdit, qui potest capere capiat, & similiter Apostolus prim. æ ad Corinth. 7. præmisso consilio Virginitatis dicit, porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis inijciam. 2. 2. q. 108. a. 4. ad 1.

Quaritur quando sit malum consilium.

11 Respondeo dicendum, quòd non est bonum consilium siue aliquis malum finẽ in consiliando præstituat, siue etiam ad bonum finem malas vias adinueniat, sicut etiam in speculatiuis non est bona ratiocinatio, siue aliquis falsum concludat, siue etiam concludat verum ex falsis dictis, quia non vtitur conuenienti medio. 2. 2. q. 51. a. 1. ad 1.

Quaritur quot, & quæ requirantur ad bonum consilium.

12 Respondeo dicendum, quòd ad bonitatem consilij, quòd electionem præcedit, vt in 6. Eth. dicitur, tria exiguntur, vnum scilicet quod consilians præstituat sibi debitum finem, quia si aliquis ad malum finem consequendum multas efficaces vias inueniat, non dicitur bonus consiliator, secundo quòd ad finem bonum consequendum adinueniat bonum, per quòd finem consequatur. vnde si quis bonum finem consequi intendat per malam actionem, non est bonus consiliator, quia vt ipse dicit, sortitur finem inconuenienti modo eo, quod illud, quòd ad finem ordinat, non est proportionatum fini illi, sicut si aliquis veram conclusionem per medium impertinens concluderet; tertio requiritur, vt adinueniat vtrumque in tempore conuenienti, ne sit præceps in festinando, vel etiam inutilis in tardando: sed hoc vltimum pertinet ad bonitatem consilij secundum quod consilium in ratione inquirente, & inueniente est, alia vero ex parte rei, & consiliatoris. 2. sent. d. 40. a. 2. in corp.

Quaritur an consilia humana sint certa, & an consilium sit donum.

13 Respondeo dicendum, quòd quia operabilia humana contingentia sunt, & possunt deficere ne ad finem intentum perducant, ideo certitudinem consilij attingere non est humanum, sed Diuinũ, cuius est per certitudinem euentus cõtingentium pręuidere, & ideo oportet, quòd

ad hanc

adhanc certitudinem mens eleuetur supra humanum modum instinctu Spiritus Sancti, qui enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, Romanorum 8. Et ideo cõsilium est donum. 3.sent.distinct.34.qu.2. art. 4.quæstiunc.1.in corp.

CONSVETVDO.

1 *Consuetudo est altera natura.*

2 *Consuetudo habet vim legis, legem abolet, & leges interpretatur.*

3 *Quando lex vincat consuetudinem, et econuerso.*

4 *Plus valet consensus multitudinis liberæ ad aliquid agendum, quàm auctoritas Principis.*

Singulæ personæ non possunt condere leges; sed multitudo libera potest.

Consuetudo multitudinis non liberæ obtinet vim legis, licet non possit ipsa cõdere legẽ.

5 *Quæ sunt de iure positiuo possunt aboleri per dissuetudinem.*

Quæ sunt de iure naturali, vel Diuino nulla dissuetudine possunt aboleri.

6 *Consuetudo non præiudicat legi naturali quo ad prima præcepta eius.*

7 *Magis standum est consuetudini Ecclesiæ, quàm auctoritati cuiuslibet Doctoris.*

Quæritur quid sit consuetudo.

1 RESpondeo dicendum, quòd consuetudo est quasi altera natura. p.2.q.32.a.2.ad 3.

Quæritur an consuetudo possit obtinere vim legis.

2 Respondeo dicendum, quòd omnis lex proficiscitur à ratione, & volũtate legislatoris, lex quidem Diuina, & naturalis à rationabili Dei voluntate, lex autem humana à voluntate hominis ratione regulata, sicut autem ratio, & voluntas hominis manifestatur verbo in rebus agendis, ita etiam manifestatur facto; hoc.n. vnusquisque eligere videtur, vt bonum, quòd opere implet; manifestum est autẽ, quod verbo humano potest, & mutari lex, & etiam exponi in quantũ manifestat interiorem motum, & conceptũ rationis humanæ, vnde etiã, & ꝑ actus maximè multiplicatos, qui consuetudinẽ efficiunt mutari potest lex, & exponi, & etiã aliquid causari, ꝙ legis virtutẽ obtineat, in quantum scilicet per exteriores actus multiplicatur interior volũtatis motus, & rationis & conceptus efficacissimè declaratur, cũ enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio prouenire, & secundum hoc consuetudo. & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix p.2.q.97.a.3.in corp.

Quæritur quando lex vincat consuetudinem, & econuerso.

3 Respondeo dicendum, ꝙ leges humanę in aliquibus casibus deficiũt. vnde possibile est quandoq; præter legẽ agere, in casu, scilicet, in quo deficit lex, & tamẽ actus nõ erit malus, & cũ talis actus multiplicatur ꝓpter aliquã mutationẽ hominũ, tunc manifestatur ꝑ consuetudinẽ, ꝙ lex vlterius non est vtilis, sicut etiam manifestaretur si lex contraria verbo promulgaretur; si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quã prima lex vtilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinẽ vincit, nisi fortè propter hoc solum inutilis lex videatur, quia non est possibile secundum consuetudinẽ patriæ, quę est vnà de conditionibus legis, difficile etenim est consuetudinem multitudinis remouere. p.2.q.97. a.3.ad 2.

Quæritur an consuetudo multitudinis vim legis habeat, & cuius multudinis.

4 Respondeo dicendum, ꝙ multitudo, in qua

in qua consuetudo introducitur duplicis conditionis esse potest, si .n. sit libera multitudo, quæ possit sibi legē facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid obseruandum, quod consuetudo manifestat, quàm auctoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis. vnde licet singulæ personę non possent condere legem, tamen totus populus condere legem potest. Si vero multitudo nō habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à superiori potestate positā remouendi, tamen ipsa consuetudo in tali multitudine præualens obtinet vim legis, in quātum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legē imponere, ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit. p.2. q.97.a.3.ad 3.

Quæritur quę possint per dissuetudinē aboleri.

5 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt de iure positiuo per dissuetudinem abolentur, ea vero, quæ sunt à iure naturali, vel de iure Diuino nulla dissuetudine aboleri possunt, nulla enim dissuetudine fieri potest, vt sit licitum furari, vel Mechari. quodlibeto 2.a.8. in corp. [.p.2, q.72.a.3.ad.1.

Quæritur an consuetudo possit præiudicare legi naturali.

6 Respondeo dicendum, quòd consuetudo non præiudicat legi naturæ quantū ad prima præcepta ipsius, quæ sunt quasi communes animi conceptiones in speculatiuis, sed ea, quæ ex istis trahuntur, vt conclusiones, consuetudo auget, vt Tullius dicit in 2. Reth. & similiter minuit. 4. sent d.33.q.1.a.1.ad 1.

Quæritur an sit magis standum consuetudine Ecclesiæ, quam auctoritati Doctorum.

7 Respondeo dicendum, quòd maximā habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ sēper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa Doctrina Catholicorum Doctorū ab Ecclesia auctoritatem habet. vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quā auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque Doctoris, 2.2. quæst. 10. artic.12. in corp. [quodlibeto 2, artic.7. in corp.

CONTEMPTVS.

1 *Quid sit peccare ex contemptu.*

Frequentia ad peccandum disponit ad contemptum.

2 *Contemptus potest pensari ex parte contemnentis, & ex parte rei contemptæ.*

Ex parte contemnentis non potest fieri comparatio inter duo genera peccatorum ex parte rei contemptæ grauissimum peccatum est, quo contemnitur Deus in se ipso: deinde peccatum, quo contemnetur Deus in sacracramento Eucharistiæ. Tertiò peccatum, quo contemnitur Deus in suis membris: quartò peccatum, quo contemnitur Deus in suis præceptis.

Contemnere Deum in suis præceptis est cōmune omni peccato mortali.

3 *Contemptus Dei solum facit peccatum mortale.*

4 *Peccata procedentia ex contemptu actuali Dei sunt grauiora illis, qui sunt ex contemptu consequenter.*

Quæritur quid sit contemptus, & peccare ex contemptu.

1 Respondeo dicendum, quòd tunc cōmittit aliquis, vel transgreditur ex contēptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam, quando autem econuerso propter aliquam particularem causam, concupi-

cupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel Regulę, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteretur, sicut, & Augustinus dicit in libr. de natura, & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiæ: frequentia tamen peccati dispositionē inducit ad contemptum secundum illud Prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. 2. 2. q. 186 a. 9. ad 3.

Quæritur an vnum peccatum procedens ex contemptu sit grauius altero.

2 Respondeo dicendum, quòd contemptus ex duplici parte mensurari potest, vnò modo ex parte contemnentis, & sic non potest fieri comparatio vnius generis peccati ad aliud genus, sed vnius particularis peccati ad aliud; quia contingit in vnò veniali peccato ex genere esse maiorem contemptum actualem, quam in vnò grauissimo peccato mortali ex genere, alio modo ex parte eius, quòd contemnitur, & sic est talis ordo peccatorum, quòd illud, in quo ipse Deus in se ipso etiam contemnitur, est peccatum grauissimum, sicut peccatum infidelitatis, & blasphemiæ; & post hoc illud peccatum, in quo contemnitur Deus in sacramento, & inter alia precipuè in sacramento Eucharestiæ, in quo essentialiter Christus Deus, & homo continetur, non tamen contemptus iste est circa Christum, vt est Deus, & homo, sed prout est in sacramento; & post peccatum illud, in quo cōtemnitur Deus in membris suis; & post peccatum, in quo contemnitur Deus in pręceptis suis, quod commune est omni peccato mortali. 4. senten. distinct. nona art. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an omnis contemptus faciat peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd nòn quilibet contemptus facit peccatum mortale, sed contemptus Dei solum, & per hunc solum homo auertitur à Deo, per quantamcunque autem deliberationem in peccatum veniale consentiat, non contemnit Deū, nisi fortè æstimaret peccatū illud esse contrarium pręcepto Diuino. q. 15. de verit. a. 5. ad 2.

Quæritur an peccata procedentia ex actuali contemptu sint grauiora illis, quæ sunt ex contemptu tantum consequenter.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut meritum præcipuè consistit penes Charitatem, ita demeritum pręcipuè consistit penes contemptum Dei, vnde secundum quòd aliquis Deum per actum peccati magis contemnit, secundum hoc maiorē reatum incurrit, & ideò illa peccata, quæ in actuali contemptu consistunt sunt grauiora illis, in quibus non est contemptus, nisi ex cōsequenti, & quasi interpretatiuè, sicut accidit in fruitione creaturæ, per quam aliquis delectationi intendit, ex cuius intentione à præceptis Dei discedit; & fit per consequens præcipientem contemnit. 4. sent. d. 9. a. 3 quæst. 3. in corp.

CONTENTIO.

1 *Quid sit contentio.*

Contentio, vt dicit impugnationem veritatis cum inordinato modo est peccatum mortale.

Contentio vt est impugnatio falsitatis cum debito modo est laudabilis.

Contentio, vt est impugnatio falsitatis cum indebito modo est peccatum veniale.

Si tamen ex illo modo generetur scandalum, erit mortale.

2 *Contentio est filia inanis gloriæ.*

3 *Contentio*

3 *Contentio habet affinitatem cum inuidia, superbia & inani gloria.*

4 *Quis dicatur contendere in iudicio, vel disputationem cum peccato mortali.*

Quis dicatur contendere in iudicio, vel disputatione cum peccato veniali.

Quæritur an contentio sit peccatum mortale.

1 REspondeo dicendum, quòd contendere est contra aliquem tendere. vnde sicut discordia contrarietatẽ quan dam importat in voluntate, ita cõtentio contrarietatem quamdam importat in locutione, & propter hoc etiam cũ oratio alicuius per contraria se diffundit, vocatur contentio, quæ ponitur vnus color Rethoricus à Tullio, qui dicit contentio est, cum ex contrarijs rebus oratio efficitur, hoc pacto habet assentatio, idest adulatio iucunda principia, eadem exitus amarissimos affert. contrarietas autem locutionis potest attendi dupliciter, vnò modo quantũ ad intentionẽ cõtẽdentis, alio modo quantùm ad modum; in intentione quidem considerandum est vtrum aliquis contrarietur veritati, quòd est vituperabile, vel falsitati, quod est laudabile; in modo autem considerandum est, vtrum talis modus contrariandi conueniat & personis, & negotijs, quia hoc est laudabile. vnde Tullius dicit in 2. Reth. quod contentio est oratio alicuius ad cõfirmandum, & confutandum accomodata, vel excedat conuenientiam personarum, & negotiorum, & sic contentio est vituperabilis. Si ergo accipiatur contẽtio secundum, quòd importat impugnationem veritatis & inordinatum modum sic est peccatum mortale, & hoc modo diffinit Ambrosius contentionem dicens, contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris; si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, sic contentio est laudabilis, si autem accipiatur contentio secundũ quod importat inpugnationẽ non falsitatis cum inordinato modo sic potest esse peccatũ veniale, nisi fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quòd ex hoc generetur scandalum aliorum. vnde Apostolus cum dixisset secundæ ad Timoth 2. noli verbis contendere, subdit ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. 2.2.q.38.a.1.in corp [lect.2. super cap. 2. secundæ ad Timotheum.

Quæritur, an contentio sit filia inanis gloriæ.

2 Respondeo dicendum, quòd discordia est filia inanis gloriæ, eo quòd discordantium vterque in sensu proprio stat, & vnus alteri non acquiescit, proprium autem superbiæ est & inanis gloriæ propriã excellentiam quærere, sicut autem discordantes aliqui sunt ex hoc, quòd stant in corde in proprijs, ita cõtendẽtes sunt aliqui ex hoc, quod vnusquisque verbo id, ꝙ sibi videtur defendit, & ideo eadẽ ratione ponitur contentio filia inanis gloriæ, sicut, & discordiæ 2.2.q.38.a.2.in corp.

Quæritur cum quibus vitijs contentio habeat affinitatem.

3 Respondeo dicendum, quòd contentio, sicut, & discordia habet affinitatem cum inuidia, quantùm ad recessum eius, à quo aliquis discordat, vel ex quo contendit, sed quantum ad id, in quo sistit ille, qui contendit, habet conuenientiam cum superbia, & inani gloria, in quantum scilicet in proprio sensu statur. 2.2. quæst. 38.a.2.ad 1.

Quæritur quando contentio in iudicio, & disputatione sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd secundũ completam rationem contentionis prout est peccatum mortale, ille in iudicio contendit, qui impugnat veritatem iustitiæ, & in

& in diſputatione contendit, qui intendit impugnare veritatem Doctrinæ, & ſecundum hoc catholici non contendunt contra hæreticos, ſed potius è cõuerſo: ſi autem accipiatur contentio in iudicio, vel diſputatione ſecundum imperfectam rationem, ſcilicet ſecundum, quòd importat quandam acrimoniam locutionis, ſic non ſemper eſt peccatum mortale. 2.2.q. 38. a.1.ad 3.

CONTRAPASSVM.

Contrapaſſum importat æqualem recompenſationem paſſionis ad actionem præcedentem.

Propriiſſimè reperitur in actionibus, & paſſionibus iniurioſis.

Secundario contrapaſsũ dicitur, quãdo quis, qui damnũ intulit alicui, in re ſua damnificatur

Tertio contrapaſſum dicitur in voluntarijs cõmutationibus, in quibus vtriusq; eſt actio, & paſſio.

In his omnibus debet fieri recompenſatio ſecũdum æqualitatem, puta paſſio recompenſata debet eſſe æqualis actioni.

Quomodo iſta æqualitas recompenſationis attendatur.

In diſtributiua Iuſtitia non reperitur contrapaſſum.

Quæritur quid ſit contrapaſſum; & in quibus inueniatur.

RESpondeo dicendum, quòd hoc, quòd dicitur Contrapaſsũ importat æqualem recompenſationem paſſionis, ad actionem præcedentem, quod quidẽ propriiſſimè dicitur in paſſionibus, & actionibus iniurioſis, quibus aliquis perſonam proximi lædit, puta ſi percutit, quòd repercutiatur, & hoc quidem iuſtum determinatur in lege exodi 21. reddet animam pro anima, oculum pro oculo &c. & quia etiã auferre rem alterius eſt quoddam iniuſtum facere, ideo ſecundario etiam in his dicitur contrapaſſum, prout ſcilicet aliquis, qui damnum intulit, in re ſua etiam ipſe damnificetur, & hoc etiam iuſtum damnum continetur in lege exodi 21. ſi quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues, pro vno boue reſtituet, & quattuor oues pro vna oue: tertio vero transfertur nomen contrapaſſi ad voluntarias commutationes, in quibus vtriuſq; eſt actio, & paſſio, ſed voluntarium diminuit de ratione paſſionis: In omnibus autem his debet fieri ſecundum rationem iuſtitiæ commutatiuæ recompenſatio ſecundum æqualitatem, vt ſcilicet paſſio recompenſata ſit æqualis actioni. non autem ſemper eſſet æqualis, ſi idem ſpecie aliquis pateretur, quod facit, nam primo quidem cum aliquis iniurioſè lædit alterius perſonam maiorem, maior eſt actio, quam paſſio eiuſdem ſpeciei, quam ipſe pateretur, & ideo ille, qui percutit Principem, nõ ſolum repercutitur, ſed multo grauius punitur: ſimiliter etiam cum quis aliquẽ in voluntarium in re ſua damnificat, maior eſt actio, quam eſſet paſſio, ſi ſibi ſola res illa aufferretur, quia ipſe, qui damnificauit alium in re ſua, nihil damnificaretur, & ideo punitur in hoc, quòd multiplicius reſtituat, quia etiam non ſolum damnificauit perſonam priuatam, ſed Rempublicam eius tutelæ ſecuritatem infringẽdo: ſimiliter etiã nec in cõmutationibus voluntarijs eſſet ſemper æqualis paſſio, ſi quis daret rem ſuã, accipiens rẽ alterius, quia fortè res alterius eſt multo maior, quam ſua, & ideo oportet ſecundum quãdam proportionatam commenſurationẽ adæquare actionem paſſioni in commutationibus, ad quòd inuẽta ſunt numiſmata, & ſic contrapaſsũ eſt commutatiuũ iuſtũ: in diſtributiua aũt iuſtitia locũ nõ habet, quia in diſtributiua iuſtitia nõ attenditur æqualitas ſecundũ proportionẽ rei ad rẽ, vel paſſionis ad actionẽ, vnde dicitur contrapaſſum, ſed ſecundũ proportionalitatẽ rerum ad perſonas. 2.2.q.61. a.4. in corp.

Contritio.
Cap. I.

1 *Contritio vnde dicatur.*
Contritio est dolor de peccatis cum proposito confitendi.
Contritio est dolor voluntarius, semper pro peccato puniens.
Contritio secundũ Isidorũ est compunctio, et humiltas mentis non lacrimis veniens de recordatione peccati, & timore iudicij.
Contritio ex D. Augustino est dolor remittens peccatum.
Contritio ex D. Gregorio est humiltas spiritus anihilans peccatũ inter spẽ, et timorẽ
2 *Attritio non potest fieri contritio.*
3 *Attritio importat displicentiam imperfectam de peccatis; contritio vero perfectã.*
4 *Contritio vt est actus Virtutis pœnitentiæ essentialiter est displicentia mali, vt displicentia dicit actum voluntatis.*
Contritio vt est actus Virtutis, non est dolor sensitiuus sed effectus eius.
Dolor sensitiuus importatur in contritione, vt est pars pœnitentiæ Sacramenti.
5 *Contritio vt dicit displicentiã volũtatis de malo, vt offensa Dei est, non potest esse nimia.*
Contritio vt importat dolorem sensitiuum potest esse nimia.
6 *Si contritio sumatur vt correspondet singulis peccatis, sic debet esse maior dolor, vt est in appetitu intellectiuo, & sensitiuo, de vno peccato, quam de alio.*
Si contritio sumatur vt est de omnibus peccatis simul sic habitualiter est maior dolor de vno peccato, quam de alio.
7 *Contritus debet potius pati pœnam quamcunque, quam peccare.*
Contritus non tenetur descendere ad hanc, vel illam pœnam.
8 *Contritio secundum se considerata fuit in omni lege eodem modo.*
Contritio vt dicit ordinem ad alias pœnitentiæ partes non fuit eodem modo semper.
9 *Dolor de peccato in habente gratiam est contritio.*
10 *Contritioni est annexũ propositũ cõfitẽdi.*
Homo tenetur habere propositum confitendi, quando tenetur ad confitendum.
Homo tenetur saltẽ conteri in articulo mortis, quando peccata occurrunt memoriæ, quando vult celebrare, si non adsit confessoris copia.
11 *Quanto magis in actu displicentiæ de peccato se exercet homo, tanto est melius, dummodo non impediatur ab actibus aliarum Virtutum suo tempore.*
Dolor talis debet moderatus esse, & moderatè durare.
12 *In contritione venialium non est propositũ annexum vitandi venialia.*
Includit tamen displicentiam peccati præteriti, & infirmitatis, qua inclinatur ad peccatum veniale.
13 *Dolor de amissione Virtutis non est essentialiter contritio, sed eius principium.*

Quæritur quid sit contritio.

1 RESpondeo dicendum, quòd initiũ omnis peccati est superbia, per quã homo sensui suo inhærens à mandatis Diuinis recedit, & ideo oportet, quòd illud, quod destruit peccatũ, hominẽ à sẽsu discedere faciat, ille autẽ, qui in sensu suo perseuerat, rigidus, & durus per similitudinem vocatur, vnde & frangi aliquis dicitur, quãdo à sensu suo diuellitur, sed inter fractionẽ, & comminutionẽ, siue cotritionẽ in rebus materialibus, vnde hæc nomina ad spiritualia transferuntur, hoc interest, vt dicitur in 4. meteorũ, quod frãgi dicuntur aliqua, quãdo in magnas partes diuidũtur, sed diminui, vel conteri, quãdo ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat, & quia ad dimissionem peccati requiritur, quod homo totaliter affectum peccati dimittat, per quẽ quãdã continuitatem, & soliditatẽ in sensu suo habeat, ideo actus ille, quo peccatũ remittitur,

titur, contritio dicitur per similitudinẽ, in qua quidẽ cõtritione plura possunt cõsiderari, scilicet ipsa substantia actus, modus agendi, principium, & effectus; & secundum hoc de contritione inueniuntur diuersæ diffinitiones traditę, quantũ enim ad ipsam substantiam actus datur diffinitio talis, contritio est dolor de peccatis assumptis cum proposito confitẽdi, & satisfaciendi, & quia actus contritionis est actus Virtutis, & est pars pænitentiæ Sacramenti, ideo manifestatur in prædicta diffinitione in quantum est actus virtutis, & per hoc, quòd ponitur genus ipsius, scilicet dolor, & obiectũ in hoc, quod dicit, pro peccatis, & electio, quæ requiritur ad actum Virtutis in hoc, quod dicit, assumptus; sed inquantum est pars Sacramenti per hoc, quòd tãgitur ordo ipsius ad alias partes, cum dicit, cum proposito confitendi &c. Alia etiam diffinitio inuenitur, quæ diffinit contritionem secundũ quòd est actus Virtutis tantum, sed additur ad prædictam diffinitionem differentia contrahens ipsum ad specialem Virtutem, scilicet pænitentiam, dicit enim quòd pęnitentia est dolor voluntarius semper pro peccato puniens, quod dolet commisisse; in hoc enim quòd additur, punitio, ad specialem Virtutem contrahitur, alia autem diffinitio inuenitur Isidori, quæ talis est: Contritio est compunctio, & humilitas mẽtis cum lacrymis veniens de recordatione peccati, & timore iudicij, & hæc quidem tangit rationem nominis in hoc, quòd dicit, humilitas mentis, quia sicut per superbiam aliquis in sensu suo rigidus dicitur, ita per hoc, quod à sensu suo contritus recedit, humiliatur, tangit etiam modum exteriorem in hoc, quod dicit, cum lacrymis, & Principiũ contritionis in hoc, quòd dicit, veniens de recordatione &c. Alia sumitur ex verbis Augustini, quæ tangit effectum contritionis, scilicet contritio est dolor remittens peccatum; & alia sumitur ex verbis Gregorij, quæ talis est. Contritio est humilitas spiritus anichilãs peccatum inter spem, & timorem, & hæc tangit rationem nominis in hoc, quòd dicit, quòd contritio est humilitas spiritus, & effectus eius in hoc, quòd dicit, anihilãs peccatum, & originem in hoc, quòd dicit, inter spem, & timorem, nec solum ponit causam principalem, quæ est timor, sed etiam secundariam, quæ est spes, sine qua timor desperationem facere posset. 4. sẽt. d. 17. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. in corp. [4. contragentes. cap. 72.

Quæritur an Attritio possit fieri contritio.

2 Respondeo dicendũ, quòd super hoc est duplex opinio, quidam enim dicunt, quod attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata, sed hoc vt videtur, nõ potest esse, quia quamuis habitus fidei informis fiat formatus, nunquã tamen actus fidei informis fit actus fidei formatę, quia actus ille informis transit, & non manet veniente Charitate; attritio autẽ, & contritio non dicunt habitum, sed actum tantum, habitus enim Virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum Charitatem consequãtur, vnde antequam gratia infundatur, nõ est habitus, à quo actus cõtritionis postea elicitur, & sic nullo modo attritio potest fieri contritio, & hoc alia opinio dicit. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur quid sit attritio, & in quo differat à contritione.

3 Respondeo dicendum, quòd attritio non dicit accessum ad perfectam contritionẽ, vnde in corporalibus dicitur attrita, quæ aliquo modo sunt comminuta, sed non perfecte, sed contritio dicitur quãdo omnes partes tritę sũt simul per diuisionẽ ad minima, & ideo significat attritio ĩ spiritualibus quãdã displicentiã de peccatis commissis, sed non perfectã, cõtritio autẽ perfectã. 4. sẽt. d. 17. q. 2. a. 1. quæsti. 2. ad 3.

Quaritur qui dolor sit contritio.

4 Respondeo dicendum, quòd in contritione est duplex dolor de peccatis, vnus in parte sensitiua, qui est passio, & hic non est essentialiter contritio, prout est actus Virtutis, sed magis effectus ipsius, sicut enim pœnitentiæ Virtus exteriorem pœnam suo corpori infligit ad recompensandam offensam, quæ in Deum commissa est officio membrorum, & ita etiam, & ipsi concupiscibili pœnā infert doloris prædicti, quia ipsa etiam ad peccatum cooperabatur, sed tamē hic dolor potest pertinere ad contritionē, inquantum est pars Sacramenti, quia Sacramenta non solū in interioribus actibus, sed etiā in exterioribus, & in rebus sensibilibus nata sūt esse; alius dolor est in voluntate, qui nihil aliud est, quā displicentia alicuius mali secundum, quòd affectus voluntatis nominatur per nomina passionum, & sic contritio est dolor per essentiam, & est actus Virtutis pœnitentiæ. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 1. quęst. 2. ad 1.

Quaritur an dolor importatus per contritionē potest esse nimius.

5 Respondeo dicendum, quòd cōtritio ex parte doloris, qui est in ratione, scilicet displicentię, quo peccatū displicet inquātum est offensa Dei, nō potest esse nimia, sicut nec amor Charitatis, quo intēso talis displicentia intēditur, potest esse nimius, sed quantum ad dolorē sensibilem potest esse nimia, sicut etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia; in his enim omnibus debet accipi pro mensura conseruatio subiecti, & bonę habitudinis sufficiētis ad ea, quæ agenda incumbunt, & propter hoc dicitur Romanorū 12. rationabile obsequiū vestrū. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 3. quęst. 2. in corp. [q. 1. in corp. [super Psalm. 37.

Quaritur an debeat esse maior dolor de vno peccato quam de alio.

6 Respondeo dicendū, quòd de contritione dupliciter possumus loqui, vno modo secundū, quòd sigillatim singulis peccatis respondet, & sic quantū ad dolorem superioris affectus requiritur, quòd de maiori peccato quis doleat magis, quia ratio doloris est maior in vno, quā in alio, scilicet offensa Dei, ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur, similiter etiam cum maiori culpæ maior pęna debeatur, etiam dolor sensitiuæ partis secundum, quòd pro peccato ex electione assumitur, pœna peccati debet esse maior de maiori peccato; secundum autē, quòd ex impressione superioris appetitus innascitur in inferiori attenditur quantitas doloris secundum dispositionem partis ad recipiendam impressionem à superiori, & non secundum quantitatem peccati; alio modo potest accipi contritio secundum, quòd est simul de omnibus, sicut in actu iustificationis, & hæc quidem contritio, vel ex singulorum cōsideratione peccatorum procedit, & sic quamuis sit actus vnus, tamen distinctio peccatorum manet Virtute in ipso, vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexū, & sic etiā habitualiter est magis de vno, quā de alio. 4. sēt. d. 17. q. 2. a. 3. quęst 3. in corp. [a. 5. quæstiū 3. ad 2. [d. 21. in exposit. litteræ.

Quaritur an contritus debeat magis subire quamcunque pœnam, quam peccare.

7 Respondeo dicendum, quòd contritus tenetur in generali velle pati magis quācunq; pœnā, quā peccare, & hoc ideo, quia contritio nō potest esse sine Charitate, per quā omnia dimittuntur peccata; ex Charitate enim plus homo diligit Deum, quā seipsū, peccare autē est facere cōtra Deū, puniri aūt est aliquod pati contra seipsū, vnde Charitas hoc requirit, vt quālibet pęnā homo contritus preelegat culpæ, sed in speciali descendere ad hanc pœnā, vel ad illā nō tenetur, quin immo stultè faceret, si quis seipsum, vel aliū sollicitaret super

huiusmodi

huiusmodi particularibus pœnis; manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus mouent in particulari considerata, quam in cõmuni, ita terribilia plus terrent si in particulari considerentur, & aliqui sunt, qui minori tentatione non cadunt, qui forte maiori caderent, sicut aliquis audiens adulterium non incitatur ad libidinem, sed si per considerationem descẽdit ad singulas illecebras magis moueretur; & similiter aliquis non refugeret pati mortem pro Christo, sed si descenderet ad considerandum singulas pœnas magis retraheretur, & ideo descendere in talibus ad singula est inducere hominem in tentationem, & præbere occasionem peccandi. quodlibeto. 1. a. 9. in corp.

Quæritur an contritio fuerit in omni lege eodem modo.

8 Respondeo dicendum, quod contritio secundum, quod in se consideratur fuit semper eodẽ modo in qualibet lege; sicut enim futurum peccatum semper oportet vitare, ita semper & de commisso dolere; sed secũdum, quod importat ordinem ad alias pœnitentiæ partes non semper fuit eodem modo, eo quod aliæ partes eodem modo non semper fuerunt, vnde nõ oportet, quod semper eodem modo fuerit propositum confitendi, & satisfaciendi, quod in diffinitione cõtritionis ponitur. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 4.

Quæritur an omnis dolor in habente gratiam sit contritio.

9 Respondeo dicendũ, quod omnis dolor de peccato in habente gratiã est contritio. q. 28. de verit. a. 8. in corp.

Quæritur quando homo teneatur habere propositum confitendi, & conterendi.

10 Respondeo dicendum, quod cum propositum confitẽdi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis adhoc propositũ, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt, cũ præcipuè in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere, sicut cum teneatur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 4. in corp. [q 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 7. & 8. [quodlibeto 4. a. 10. in corp.

Quæritur an cõtritio debeat durare, et quomodo.

11 Respondeo dicendum, quod hæc est conditio in actibus Virtutum inuenta, quod non potest in eis accipi superfluũ, & diminutum, vt in 2. eth. probatur, vnde cũ contritio quantum ad id, quod est displicentia quædam in appetitu rationis, sit actus pœnitentiæ Virtutis, nunquam ibi potest esse superfluum, sicut nec quantum ad intentionem, ita nec quantum ad durationem, nisi secundum, quod actus vnius Virtutis impedit actum alterius Virtutis magis necessarium pro tempore illo, vnde quando magis homo continuè in actu huius displicentiæ esse potest, tanto melius est, dummodo actibus aliarum Virtutum vacet suo tempore secundum, quod oportet; sed passiones possũt habere superfluũ, & diminutum, & quantum ad intentionẽ, & quantum ad durationem, & ideo sicut passio doloris, quam voluntas assumit, debet esse moderatè intensa, ita debet moderatè durare, ne si nimis duret, homo in desperationem, & pusillanimitatẽ, & huiusmodi vitia labatur. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 4 quæstiunc. 2. & 1. in corp. [3. p. q 84. a. 8. in corp.

Quæritur an in contritione venialium includatur propositum non peccandi.

12 Respondeo dicendum, quod quia peccata mortalia sunt in potestate nostra, vt vitentur non solum singula, sed

etiam omnia; venialia autem, & si singula vitari possint, non tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit, & ideo in contritione de venialibus non exigitur propositum non peccãdi venialiter, sicut in contritione de mortali exigebatur, sed quod displiceat ei, & peccatum præteritum, & infirmitas, qua ad peccatum veniale inclinatur, quamuis ab eo omnino immunis esse non possit. 4.sent.d.16.q.2.a.2.quæstiunc.2.ad 2. [3.p.q.87.a.1.ad 1.

Quæritur an dolor de amissione Virtutis sit contritio.

13 Respondeo dicendum, quod ille dolor, quo quis dolet de amissione Virtutis per peccatum non est essentialiter ipsa contritio, sed est principiũ eius, sicut cũ aliquis mouetur ad dolendum de aliquo propter malum, quod inde cõsecutus est 4.sent.d.17.q.2.a.2.quæstiunc.1.ad 2.

De quibus sit Contritio. Cap. II.

1 *Contritio non potest esse de malo pœnæ.*

2 *Cõtritio propriè nõ est de peccato originali*

Potest tamen de eo esse displicentia quadã, & dolor.

3 *Contritio est de peccato actuali.*

4 *Contritio est de peccato præterito, non autem de futuro propriè.*

De peccato futuro est cautio.

5 *Contritio non est de alienis peccatis.*

6 *Quod nam sit principium, & terminus contritionis.*

Contritio quo ad principium est de singulis peccatis memoriæ occurrentibus.

Contritio quo ad terminum sufficit, quod sit vna de omnibus peccatis.

7 *Peccatum dicitur oblitum dupliciter, scilicet totaliter, vel in parte.*

Homo tenetur cogitare ad inueniendũ peccatum in specie, quod iam habet in genere; quia tenetur conteri de singulis peccatis mortalibus.

Si non potest inuenire peccatum in specie, doleat de peccato sicut habet illud in notitia, & doleat de obliuione.

Si peccatum sit omnino oblitum conteratur homo in generali de omni offensa Dei.

Cum peccatum memoriæ occurrit, tenetur homo de illo conteri.

8 *Peccatum veniale quomodò non dimittatur sine contritione.*

Contritio sumitur tripliciter, scilicet actu, habitu, & medio modo.

Ad remissionem peccati venialis non sufficit contritio habitualis.

Ad remissionem peccati venialis non requiritur contritio actualis.

Ad remissionem peccati venialis sufficit cõtritio medio modo.

9 *Contritio est causa remissionis peccatorũ, & vt est actus Virtutis, & vt est pars Sacramenti pœnitentiæ.*

Contritio vt pars Sacramenti est causa instrumentalis remissionis peccatorum.

Contritio vt actus Virtutis est causa materialis remissionis peccatorum.

10 *Contritio in virtute Charitatis delet culpam, & pœnam.*

11 *Dolor quantumcunq; paruus, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.*

12 *Actus contritionis Virtute gratiæ corrumpit habitum vitij generatum.*

13 *Per contritionem ante confessionem, & satisfactionem aperitur Paradisus.*

Non tamen obstaculum reatus est totaliter remotum ante confessionem, & satisfactionem.

14 *Intentio contritionis potest dupliciter attendi & vtroq; modo potest esse tanta, quod delebit culpam, & pœnam.*

15 *Gaudium, quod pœnitẽs habet de dolore, nõ minuit sed auget displicicentiam.*

16 *Contritio quod gaudium impediat, et quod non impediat.*

Qua-

Quæritur an de malo pœnæ possit esse contritio.

1 Respondeo dicendum, quod contritio importat, vt dictum est, alicuius; & duri, & integri comminutionem, hęc autem integritas, & duritia inuenitur in malo culpæ, quia voluntas, quæ ipsius est causa in eo, qui malè agit, in suis terminis stat, nec præcepto legis cædit, & ideo huius mali displicentia contritio per similitudinem dicitur. hæc autem similitudo non potest adaptari ad malũ pœnæ, quia pœna simpliciter diminutionem dicit, & ideo de malis pœnæ potest esse dolor, sed non contritio. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an contritio sit de peccato originali.

2 Respondeo dicendum, quod quia cõtritio, vt dictum est, est dolor respiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiem, ideo de illis solis peccatis esse potest, quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proueniunt; & quia peccatum originale non nostra voluntate inductum est, sed ex vitiatæ naturæ origine contractũ, ideo de ipso nõ potest esse contritio propriè loquendo, sed displicentia potest esse de eo, vel dolor. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an contritio sit de peccato actuali.

3 Respondeo dicendum, quod omnis actualis culpa ex hoc contingit, quod voluntas nostra legi Dei non cedit, vel eam transgrediendo, vel omittendo, vel preter eam agendo; & quia durum est, quod habet potẽtiam, vt non facile patiatur, ideo in omni actuali peccato duritia quædam est voluntatis; & propter hoc, si debeat peccatum curari, opportet quod per contritionem comminuentem remittatur. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an contritio sit tantum de peccato præterito, an etiam de futuro.

4 Respondeo dicendum, quod contritio secundum suam speciem respicit tantum peccatum præteritum, sed ex consequenti respicit futurum, secundum quod habet aliquid de actu prudentiæ adiunctum, & non tãtum in illud futurum ratione propriæ speciei mouetur; & propter hoc ille, qui conteritur, dolet de peccato præterito, & cauet futurum, sed non dicitur esse contritus de peccato futuro, sed magis cautio, quæ est pars prudentiæ contritioni adiuncta. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an contritio sit de alienis peccatis.

5 Respondeo dicẽdum, quod quia illud idem conteritur, quod prius durum, & integrum fuit, patet quod contritio fit in eodem, in quo peccati duritia præcessit; & sic de alienis peccatis non est contritio 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 5. in corp.

Quæritur an contritio sit de singulis peccatis.

6 Respondeo dicendum, quod contritio potest dupliciter cõsiderari, scilicet quãtum ad sui principium, & quantũ ad terminum, & dico principium contritionis cogitationem, qua quis cogitat de peccato, & dolet, etsi non dolore contritionis, saltem dolore attritionis; terminus autẽ contritionis est, quando dolor ille iã gratia informatur; quantum ergo ad principiũ contritionis oportet, quod sit de singulis peccatis, quæ quis in memoria habet, sed quantum ad terminum sufficit, quod sit vna communis de omnibus, tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentium. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 6. in corp. [d. 21. in expositione litteræ [d. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 5. ad 3.

Quaritur an de peccato oblito teneatur quis conteri.

7 Respondeo dicendũ, quod quia obliuio de aliquo potest esse dupliciter, aut ita q totaliter ex memoria exciderit, & tunc nõ potest aliquis inquirere illud, aut ita quod partim à memoria exciderit, & partim maneat, sicut cum recolo me aliquid audiuisse in generali, sed nescio quid in speciali, & tunc requiro in memoriam ad recognoscendum; & secundum hoc ẽt aliquod peccatum potest esse oblitum dupliciter, aut ita quod in generali in memoria maneat, sed non in speciali, & tunc debet homo recogitare ad inueniendum peccatum, quia de quolibet mortali peccato homo tenetur specialiter conteri, si autem inuenire non possit, sufficit de eo conteri secundum, quod in notitia tenetur, & debet homo non solum de peccato, sed de obliuione eius dolere, quæ ex negligentia contingit; si autem peccatum omnino à memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excusatur à debito, & sufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit; sed quando impotẽtia tollitur, sicut cum ad memoriã peccatum reuocatur, tũc tenetur homo specialiter conteri, sicut etiam de paupere, qui non potest soluere, quod debet, excusatur, & tamen tenetur cum primo potuerit. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiun. 3. ad 2. [q. 28. de verit. a. 5. ad 3.

Quaritur an contritio requiratur ad venialis peccati remissionem.

8 Respondeo dicendum, quod peccatũ veniale non dimittitur, quamdiu voluntas manet in illo, ipsam autem recedere voluntatem ab eo, quod prius volebat, est displicere ei, quod voluit, talis autem displicentia dolor contritionis dicitur, quãdo est gratia informata, & ideo peccatum veniale sine contritione non dimittitur: sed sciendũ, quod contritio potest accipi triplicitẽr, vel actu, vel habitu, vel medio modo; habitu quidem contritio existens nõ sufficit ad peccati venialis dimissionẽ, quia tunc quicunq; haberet pænitentiæ Virtutis habitum, cuius actus est quęlibet contritio, consecutus esset peccati venialis dimissionem, & sic peccatum veniale cum gratia esse non posset; nec iterum requiritur, quod semper sit actualis contritio, quia sequeretur, quod peccatũ, quod quis in memoria, vel in cognitione nõ habet, remitti non posset; & ideo dicendũ, quod requiritur contritio medio modo, qua scilicet etsi actu peccatũ non displiceat explicitè, displicet tamen inplicitè, quia ex virtute actus, quẽ agit, sequeretur in displicẽtia explicita peccati venialis, si cogitationẽ illud ferretur 4 sent. d. 16. a. 2 quæstiun. 2. in corp. [3. p. q. 87. a. 1. in corp.

Quaritur an contritio, vt est actus Virtutis, et vt pars Sacramenti pænitentiæ causet remissionem peccatorum, & quomodo.

9 Respondeo dicendum, quod cõtritio potest dupliciter considerari, vel inquantum est pars Sacramenti, vel inquantum est actus Virtutis, & vtroq; modo est causa remissionis peccati, sed diuersimodè, quia inquantum est pars Sacramenti primo operatur ad remissionem peccati instrumẽtaliter, sicut & de alijs Sacramẽtis patet; inquantũ aũt est actus Virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati eo quod dispositio, est quasi necessitas ad iustificationem, dispositio autem reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio, quæ disponit materiam ad recipiendum, secus autem est de dispositione agentis ad agendum, quia illa reducitur ad genus causæ efficientis. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 5. quæstiunc. 1. in corp.

Quaritur quomodo contritio, quæ est finita possit delere culpam, quæ est infinita.

10 Respondeo dicendũ, quod dolor contritionis

tritionis quamuis sit finitus quantum ad intentionem sicut etiam & pœna peccato mortali debita finita est, habet tamen infinitam Virtutem ex Charitate, qua informatur, & secundum hoc potest valere ad deletionẽ culpæ, & pœnæ. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 5. quæstiunc. 2. ad 3. quæstiunc. 3. ad 1. & d. 1x. q. 1. a. 4. quæstiunc. 1. ad 1.

Quaritur an qualibet contritio quantumcunque parua deleat omnem pœnam.

11 Respondeo dicendum, quod cõtritio vt sæpè dictum est, habet duplicem dolorem, vnum rationis, qui est displicentia peccati commissi & potest esse adeo paruus, quod non sufficiet ad rationem contritionis, vt si minus displiceret ei peccatum, quam debeat displicere separatio à fine, sicut etiã amor potest esse ita remissus, quod non sufficiet ad rationem Charitatis; alium dolorem habet in sensu, & paruitas huius non impedit rationẽ contritionis, quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adiungitur, & iterum non est in potestate nostra. Sic ergo dicendum, quod quantumcunque paruus sit dolor, dummodo ad cõtritionis rationẽ sufficiat omnẽ culpã delet. 4. sẽt. d. 17. q. 2. a. 5. quæst. 3. ĩ corp.

Quaritur an vnus actus contritionis corrumpat habitum vitij, & cuius Virtutis.

12 Respondeo dicendum, quod licet per actum vnum simpliciter non corrumpatur habitus aquisitus, tamen actus contritionis habet, quod corrumpat habitum vitij generatum, ex Virtute gratiæ; vnde in eo, cui habuit habitum in temperantiæ, cum conteritur, non remanet cũ Virtute temperantiæ infusa habitus intemperantiæ in ratione habitus, sed in via corruptionis quasi dispositio quædam, dispositio autẽ non cõtrariatur habitui perfecto. q. vnica de Virtutib' in cõmuni. a. 10. ad 16.

Quaritur an contritio ante confessionem, & satisfactionem deleat omnem pœnam.

13 Respondeo dicendum, quòd ante votum confessionis Paradisus clausus erat peccanti mortaliter, quamuis postea per contritionem votum confessionis importantem apertus sit, etiam ante confessionẽ actualiter factam, non tamen obstaculum reatus est totaliter remotum ante confessionem, & satisfactionem. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 5. quæstiunc. 3. ad 2.

Quaritur an contritio possit tantum intendi, quod deleat culpam, & pœnam.

14 Respondeo dicendum, quòd intentio contritionis potest attendi dupliciter vno modo ex parte charitatis, quæ displicentiam causat, & sic contingit tãtum intendi charitatem in actu, quod contritio inde sequens merebitur non solũ culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pena; alio modo ex parte doloris sensibilis, quam voluntas in contritione excitat, & quia illa pœna etiam quædam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionẽ pœnæ, & culpæ, 4. sent. d. 17. q. 2. a. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Quaritur an gaudium, quod quis habet de dolore, minuat displicentiam.

15 Respondeo dicendum, quòd gaudiũ illud, quod de dolore pœnitens habet, non minuit displicentiam, quia ei non contrariatur, sed auget secundum, quòd omnis operatio augetur per propriã delectationẽ, vt dicitur in 10. Eth. Sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam melius addiscit, & similiter qui gaudet de disciplina vehementius displicentiam habet, sed benè potest esse, quod illud gaudium temperet dolorem, ex ratione in partem sensitiuam resultante. 4. sen. d. 17. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. ad 3.

Qua-

Quaritur, quod gaudium impediatur per dolorem contritionis.

16 Respondeo dicendum, quod gaudium sæculi impeditur per dolorem contritionis, non autē gaudium, quod de Deo est, quia habet ipsum dolorem pro materia. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 4. quæstiunc. 2. ad. 1.

CONTVMAX.

1 *Contumax quis dicatur.*
Excomunicatio non fertur nisi contra contumaces.
2 *Contumax excomunicari potest lite non contestata.*

Quaritur an solum contra contumaces excomunicatio ferenda sit, & in quo consistat contumacia.

1 Respondeo dicendum, quod quia excomunicatio est grauissima pœnarum, pænæ autem medicinæ sunt secundum phylosophum. 2. eth. cap. 3. Sapientis autem medici est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis, ideo excomunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iuditij sine licentia recedendo, vel determinationi non parcēdo: tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excomunicari debet à iudice iam non habente, quid contra ipsum faciat amplius. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Quaritur an contumax possit excomunicari lite non contestata.

2 Respondeo dicendum, quod denuntiatione facta contumax potest excomunicari lite non contestata. 4. sent. d. 41. a. 5. quæstiunc. 3. in corp.

CONTVMELIA.

1 *Contumelia importat dehonorationem alicuius.*
Contumelia consistit in verbis.
Contumelia impropriè consistit in factis.
2 *Verba quomodo sint damnificatiua honoris.*
3 *Differentia inter contumeliam, conuitiū, & improperium.*
Conuitium est repræsentare defectus culpæ, & pœnæ.
Improperium est repræsentare defectum minorationis, & indigentiæ alicuius.
4 *Differentia inter susurrores, detractores, et contumeliosos.*
5 *Contumelia nascitur ex ira.*
6 *Superbia disponit ad contumeliam.*
7 *Contumelia nascitur ex stultitia, & quomodo.*
8 *Contumelia magis pertinet ad iram, quam ad odium.*
9 *Iracundus faciliter prorumpit in contumeliam.*
10 *Contumelia formaliter est peccatū mortale.*
Contumelia materialiter est peccatū veniale.
Contumelia dicta alicui causa correctionis aliquando est sine peccato, aliquando cum peccato veniali; aliquando cum mortali.
11 *Dicere conuitium leue causa ioci non est peccatum aliquando.*
Aliquando potest esse cum peccato.
12 *Quando contumelia sit peccatum veniale.*
13 *Causa correctionis licet contumeliā inferre.*
14 *Habenda est patientia in his, quæ contra nos dicuntur.*
Præcepta patientiæ in præparatione animi debent esse.
Tenetur homo habere animum paratum ad sustinendas contumelias, si fuerit expediens.
Necesse est aliquando repellere contumeliā, propter bonum contumeliam inferentis, & propter bonum multorum.
15 *Prouidere debentes saluti aliorum tenentur repellere infamiam, & si hoc non faciunt, peccant.*

Alij

Alij possunt sustinere infamiam.
Omnes tenentur infamiam repellere subtrahendo occasionem.
Non omnes tenētur infamiam repellere linguas detrahentium concupiscendo.
16 *Quomodo sit reprimēda audacia conuitiātis*
17 *Quando sit laudabile tacere in contumelijs, & quando illicitum.*

Quæritur an contumelia consistat in verbis.

1 REspondeo dicendum, quod contumelia importat dehonorationem alicuius, quod quidem contingit dupliciter; cum enim honor aliquam excellentiam consequatur, vno modo aliquis alium de honorat, cum priuat eum excellentia propterquam habebat honorem, quod quidem fit per peccata factorum; alio modo cum aliquis id, quod est cōtra honorem alicuius deducit in notitiā eius, & aliorum, & hoc propriè pertinet ad cōtumeliam, quod quidem fit per aliqua signa, sed sicut Augustinus dicit in 2. de Doctrina Christiana, omnia signa Verbis comparata paucissima sunt, verba enim inter homines obtinuerunt principatum signandi quæcunq; animo concipiuntur, & ideo contumelia propriè loquendo in verbis consistit, vnde Isidorus dicit in lib. etimologiarum, quod contumeliosus dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis iniuriæ, tamen quia etiam per facta aliqua significatur aliquid, quæ in hoc, quod significant, habent vim verborum significantium, inde est, quod contumelia extenso nomine etiam in factis dicitur, vnde Romanorum primo super illud contumeliosos, superbos dicit glosa, quod contumeliosi sunt, qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferunt. 2.2.q. 72. a. 1. in corp.

Quæritur quomodo verba possint inferre nocumentum honori alicuius.

2 Respondeo dicendum, quod verba secundum sui essentiam, idest in quantum sunt quidam soni audibiles nullum nocumentum alteri inferunt, nisi fortè grauādo auditum, puta cum aliquis nimis altè loquitur; inquantum vero sunt signa representantia aliquid in notitia aliorū, sic possunt damna multa inferre, interquæ vnum est, quod homo damnificatur quantum ad detrimentum honoris sui, vel reuerentiæ sibi ab alijs exhibendæ, & ideo maior est contumelia, si aliquis alicui defectū suum dicat coram multis; & tamen si sibi soli dicat, potest esse contumelia inquantum ipse, qui loquitur iniustè contra reuerentiam audientis agit. 2.2.q.72. a. 1. ad 1.

Quæritur in quo differunt contumelia, conuitium, improperium.

3 Respondeo dicendum, quod conuitiū, & improperium consistunt in verbis, sicut & contumelia, quia per omnia hæc representatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris ipsius, huiusmodi autem defectus est triplex, scilicet defectus culpæ, qui representatur per verba contumeliosa, & defectus generaliter culpæ, & pœnæ, qui representatur per conuitium, quia vitium consueuit dici non solū animæ, sed etiam corporis, vnde si quis alicui iniuriosè dicat eum esse cæcum, conuitium quidem dicit, sed non contumeliam; si quis autem dicat alteri, quod sit fur, non solum conuitium, sed etiam contumeliam infert; quandoq; vero represētat aliquis alicui defectum minorationis, siue indigentiæ, qui etiam derogat honori consequenti quamcunq; excellentiam, & hoc fit per verbum improperij, quod propriè est, quando aliquis iniuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti, vnde dicitur Eccl. 20. exigua dabit, & multa improperabit, quandoque tamen vnum istorū pro alio ponitur. 2.2.q.72. a. 1. ad 3.

Quæ-

Quaritur quæ sit differentia inter contumeliosos, susurrones, & detractores.

4 Respondeo dicendum, quod susurrones sunt, qui occultè susurrant in auribus hominum ad seminandum inter eos discordias. Eccl. 18. susurro, & bilinguis maledictus in populo, multos enim turbauit pacem habentes; detractores sunt, qui detrahũt famæ alicuius occultè, idest eo ignorante male dicentes de eo Eccl. 10. si mordeat serpens in silentio nihil eo minus habet, qui occultè detrahit; contumeliosi sunt, qui scilicet mala in faciem inferunt. Eccl. &. cap. 1. ad Romanos.

Quaritur à quo nascatur contumelia.

5 Respondeo dicendũ, quod Gregorius 31. moralium dicit, quod ex ira oriuntur contumeliæ, cum enim vnum peccatum possit ex diuersis oriri, ex illo tamen dicitur principalius habere originem, ex quo frequentius procedere consueuit propter propinquitatem ad finem ipsius; contumelia autem magnam habet propinquitatem ad finem iræ, qui est vindicta nulla enim vindicta est irato magis in própru quam inferre contumeliam alteri, & ideo contumelia maximè oritur ex ira. 2.2. q. 72.a.4.in corp. [q.158.a.7.in corp.

Quaritur an superbia disponat ad contumeliam.

6 Respondeo dicendum, quod contumelia non ordinatur ad finem superbiæ, qui est celsitudo, & ideo non directè contumelia oritur ex superbia; disponit tamẽ superbia ad contumeliam, in quantũ illi, qui se superiores existimant facilius alios contemnunt, & iniurias eis irrogant, facilius enim irascuntur, vt potè reputantes indignum quidquid contra eorum voluntatem agitur, 2.2.q.72.a.4.ad 1.

Quaritur an contumelia oriatur ex stultitia, & quomodo.

7 Respondeo dicendum, quod secundũ phylosophum in 7. eth. ira non perfectè audit rationem, & sic iratus patitur rationis defectum, in quo conuenit cum stultitia, & propter hoc ex stultitia oritur contumelia secundum affinitatem, quam habet cum ira. 2. 2. q. 72. a. 4. ad 2.

Quaritur an contumelia pertineat magis ad iram, quam ad odium.

8 Respondeo dicendum, quod secundũ phylosophum in 2. Reth. iratus intendit manifestam offensam, quod non curat odiens, & ideo contumelia, quæ importat manifestam iniuriam, magis pertinet ad iram, quam ad odium. 2 2.q.72.a. 4.ad 3.

Quaritur quisnam facilè prorumpat in verba contumeliosa.

9 Respondeo dicendum, quod iracundus ex hoc, quod appetit vindictam, in verba contumeliosa prorumpit. p.3. q. 72. a.7.in corp.

Quaritur an contumelia, seu conuitium sit peccatum mortale.

10 Respondeo dicendum, quod sicut supradictum est, verba inquantum sunt soni quidam non sunt in nocumentum aliorũ, sed inquantum significant aliquid quæ quidem significatio ex interiori affectu procedit, & ideo in peccatis verborum maximè considerandum videtur ex quo affectu aliquis verba proferat, cum ergo conuitium, seu contumelia de sui ratione importet quandam dehonorationem, si intentio proferentis adhoc feratur, vt aliquis per verba, quæ profert, honorem alterius auferat, hoc propriè, & per se est dicere conuitium, vel contumeliã, & hoc

est

est peccatum mortale non minus, quam furtum, vel rapina, non enim homo minus amat suum honorem, quam rem possessã; si vero aliquis verbum conuitij, vel contumeliæ alteri dixerit non tamen animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi, non dicit conuitium, vel contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter, inquantum scilicet dicit id, quòd potest esse conuitium, vel contumelia, vnde hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absq; omni peccato, in quo tamen necessaria est discretio, vt moderatè homo talibus verbis vtatur, quia potest esse ita graue conuitium, quòd per incautelam prolatũ aufferret honorem eius, contra quem profertur, & tunc posset homo peccare mortaliter, etiam si non intenderet dehonorationem alterius, sicut etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens grauiter lædat, culpa non caret. 2. 2. q. 72. a. 2. in corp. [Ecc. 5. cap. 15. primæ ad Corinthius.

Quæritur quando conuitium sit, vel non sit cum peccato.

11 Respondeo dicendum, quòd ad Eutropelum pertinet dicere aliquod leue conuitium non ad dehonorationem, vel ad contristationem eius, in quem dicitur, sed magis causa delectationis, & ioci, & hoc potest esse sine peccato, si debitæ circumstantiæ obseruentur; si vero aliquis non reformidet contristare eum, in quem profertur huiusmodi iocosum conuitiũ, dummodo alijs risum excitet, hoc est vitiosum. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 1.

Quæritur quando conuitium, seu contumelia sit peccatum veniale.

12 Respondeo dicendum, quòd cum peccatum conuitij, vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, potest contingere, quòd sit peccatum veniale, si sit leue conuitium, non multum hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi leuitate, vel ex leui ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi, puta cum aliquis intendit aliquem per huiusmodi verbũ leuiter contristare. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 3.

Quæritur an liceat dicere aliquod verbum conuitiosum causa correctionis.

13 Respondeo dicendum, quòd sicut licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiam, & causa disciplinæ potest aliquis alteri, quẽ debet corrigere, verbum aliquod conuitiosum dicere, & hoc modo Dominus discipulos vocauit stultos; & Apostolus Galatas insensatos, tamen sicut dicit Augustinus in lib. sermone Domini in monte, raro, & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ, in quibus non nobis, sed vt Domino inseruiatur, instemus. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 2.

Quæritur an aliquis debeat cumtumelias sibi illatas sustinere.

14 Respondeo dicendum, quòd sicut patientia necessaria est in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur; præcepta autem patientiæ in his, quæ contra nos fiunt sunt in præparatione animi habenda, sicut Augustinus in lib. de serm. Domini in monte exponit illud præceptum Domini, si quis percusserit te in vna maxilla, præbe ei, & aliam, vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit, non tamen semper tenetur facere actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepisset alapam dixit, quid me cædis? vt

vt habetur Ioannis 18.& ideo etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum, tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit, quandoq; tamen oportet, vt contumeliam illatam repellamus maximè propter duo, primo quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet secundum illud prouerb. 27. responde stulto iuxta stultitiam suã, ne sibi sapiens videatur, alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas, vnde Gregorius dicit super Ezech. hom. nona, hi, quorum vita in exemplo immitationis est posita, debent, si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes benè viuere contemnant. 2.2.q. 72.a.3.in corp. & q.73. a. 4. ad 1. opusculo 19.cap.16.

Quæritur an aliquis peccet infamiam non repellendo.

15 Respondeo dicendum, quòd vtrumque scilicet, & contemptus famæ, & appetitus potest esse laudabile, & vitiosum, fama enim non est necessaria homini propter seipsum, sed propter proximum ædificandum; appetere ergo famam propter proximum, Charitatis est, appetere vero propter seipsum, ad inanem gloriam pertinet; e conuerso contemptus famæ ratione sui ipsius, humilitatis est, ratione vero proximi, ignauia est, & crudelitas; illi ergo, quibus incumbit ex officio, vel statu perfectionis aliorum saluti prouidere, peccant, nisi infamiam propriam iuxta posse repellant; alij vero, quibus magis custodia suæ propriæ salutis imminet, possunt suæ humilitati prouidentes famã, vel infamiam contemnere; sed cum infamia dupliciter repellatur, scilicet occasionem subtrahendo, & linguas detrahentium compescendo, primo nodo omnes tenentur infamiam vitare, alias sine scandalo actiuo transiri non posset, quod semper peccatum est, sed secundo modo non tenentur, nisi quatenus debet aliquis saluti proximorum prouidere. quodlibeto 10.a.13.in corp.

Quæritur quomodo sit reprimenda audacia contumeliantis.

16 Respondeo dicendum, quòd audaciam conuitiãtis contumeliosi debet aliquis moderatè reprimere, scilicet propter officium Charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris, vnde dicitur prouerb. 26. ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris. 2.2 q.72.a.3.ad 1.

Quæritur quando sit laudabile tacere in contumelijs.

17 Respondeo dicendũ, quòd si aliquis hoc animo taceret, vt tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret, hoc pertinet ad vindictã, sed si aliquis taceat volens dare locum iræ, hoc est laudabile, vnde dicitur Eccl. 8. non litiges cum homine linguato, & non struas in ignẽ illius ligna. 2.2.q 72.a.3.ad 3.

CONVERSVS.

Conuersi tonduntur, & quare.
Conuersi non raduntur, & quare.

Quæritur quare conuersi tondentur, & non radantur.

Respondeo dicendum, quòd Nazarei profitebantur perfectionẽ quandã in depositione comæ signantes temporalium contemptum, quamuis non in modũ

coronæ

coronæ deponerent, sed omnino totum, quia nondum erat tempus regalis, & perfecti Sacerdotij: & similiter etiam Conuersi tondentur propter renuntiationem temporalium; sed non raduntur quia nõ occupantur Diuinis mysterijs, in quibus Diuina oporteat eos mente contemplari. 4.sent.d.24.q.3.a.1.quæstiunc.1.ad 2.

CORPORALIA.

1 *Corporalia debent esse de panno lineo, & quare.*

2 *Quid significent ea, quæ fiunt in lineo candidando.*

Quæritur cuius materiæ debeat esse corporale.

1 Respondeo dicendum, quòd corporale fit de panno lineo, quo corpus Christi fuit inuolutum, vnde in epistola Syluestri Papæ de Consecrat. d. 1.legitur. Consulto omnium statuimus, vt sacrificium Altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato, sicut Corpus Christi in sindone linea, & munda sepultum fuit; competit etiã pannus lineus propter sui munditiam ad significandam conscientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur ad significãdam Christi Passionem. 3.p.q.83.a.3.ad 7. topusculo 58.cap.15.

Quæritur quid significent ea, quæ fiunt in lineo candidando.

2 Respondeo dicẽdum, quod in tribus, quæ perducunt corporale lineum ad candorem intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationem; primo enim lauatur, secũdo torquetur, tertio exsiccatur; si quis ad suscipiendum Dominum benè mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrimarum emundari, secundo per opera pœnitentiæ torqueri, tertio per feruorem amoris Dei à carnalium desideriorum humore siccari. opusc.58. c.15.

CORRECTIO FRATERNA.

De necessitate Correctionis Fraternæ. Cap. I.

1 *Correctio Fraterna quid sit.*

Tria sunt facienda proximo ab eo, qui illius curam habet, & quæ.

Dupliciter peccans reducitur ad viam rectitudinis, scilicet per timorem, & odium turpis, secundo per timorem, & odium tristis.

Secundus modus solum Prælatis competit.

Primus modus alijs à Prælatis conuenit.

Secundus modus non est adbibendus etiam à Prælatis, nisi quando primus locum non habet.

2 *Correctio Fraterna, quæ est ad emendationẽ delinquentis est actus Charitatis.*

Correctio, quæ est remedium peccati delinquentis, vt est in malum aliorum, est actus iustitiæ.

3 *Correctio Fraterna est in præcepto.*

Præcepta negatiua obligant semper, & ad semper.

Præcepta affirmatiua obligant semper, sed non ad semper, sed pro loco, & tempore.

Correctio Fraterna est in præcepto affirmatiuo.

Correctio Fraterna cadit sub præcepto, vt est necessaria ad Fratris emendationem.

Correctio Fraterna debet fieri pro loco, & tẽpore.

4 *Præceptum correctionis reducitur ad præceptum quartum decalogi.*

5 *Omissio correctionis Fraternæ aliquando fit meritoriè, aliquando cum mortali peccato, aliquando cum peccato veniali.*

6 *Correctio pertinens ad Prælatos non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur.*

Correctio non habens coactionem, sed simplicem ad monitionem debet dimitti si timetur peius de Fratre correcto.

Quaeritur quid sit correctio Fraterna.

1 RESpondeo dicendum, quòd correctio Fraterna est admonitio Fratris ad emendationem delictorum Fraterna Charitate procedens; adhoc enim, quod homo rectè gradiatur in via salutis, tria sunt ei impendenda ab eo, qui ipsius curam gerit, primo vt in finem rectũ ordinetur, & quantũ adhoc superior inferiorẽ sibi commissum dicitur dirigere; secundo vt ei cautelam adhibeat, ne à via ad finẽ ducente discedat, & quantum adhoc dicitur eum regere, tertio vt si contingat eũ discedere, quod ad viam rectam reducat, & quantum adhoc dicitur ipsum corrigere, quandoq; quidem, vt rectitudo iustitiæ fiat ab eo, quando scilicet ille, qui deliquerat, emendatur ex cura sibi inpensa; quandoq; autem vt rectitudo iustitiæ de eo fiat per pænas inflictas, etiam si ille non corrigatur ex parte sua, sed aliquis à via rectitudinis discedens dupliciter potest ad viam rectitudinis reduci secundum phylosophum in 10. eth. vno modo per timorem turpis, aut odium ipsius, vt cum quis turpitudinem peccati abominatur, aut confusionem exinde consequentem, alio modo per timorem, & odium tristis, sicut cum quis propter pænas illatas pro peccatis, vel quas timet inferri, resilit à peccato, & quia iste secundus modus est cum quadam violentia, ideo correptio dicitur quasi vsq; ad rectitudinem perducens, sed primus modus propriè dicitur correptio, illa enim rapi dicuntur, quæ subito auferuntur, vnde etiã sillaba corripi dicitur, quæ raptim, & quasi subito pronunciatur, & propter hoc quando homo ex hoc solum, quod ei turpitudo peccati ostenditur, & ad meliora quis eum hortatur, ipse per se ad viam rectitudinis reuertitur, corripi dicitur, ex quo patet, quod secundus modus solis Prælatis competit quorum verba vim coactiuam habent per inflictionem pænarum, sed primus modus Prælationis ordinem non requirit, quamuis etiam Prælationis ordo ipsum requirat quia secundus modus adhiberi non debet, nisi vbi primus locum non habet etiam in Prælatis, & ideo correptio quando præter ordinem Prælationis fit, vocatur Fraterna, quæ in prædicta assignatione notificatur per tria, quæ ibi ponuntur, scilicet actus ipse, cum dicit, Admonitio Fratris, Finis cum dicit, de emendatione delictorum, principium cum dicit, Fraterna Charitate procedẽs. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 1. in corp. & ad 6. [2. 2. q. 33. a. 1. 3. 6. in corp.

Quaeritur cuius Virtutis actus sit correctio Fraterna.

2 Respondeo dicendum, quòd correptio delinquentis est quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicuius, peccatum autem alicuius dupliciter considerari potest, vno quidem modo inquantum est nociuũ ei, qui peccat, alio modo inquantum vergit in nocumentum aliorum, qui ex eius peccato læduntur, vel scandalizantur, & etiam inquantũ est nocumentum boni communis, cuius iustitia per peccatum hominis perturbatur. Duplex ergo est correctio delinquentis, vna quidem quæ adhibet remedium peccato inquantum est quoddam malum ipsius peccantis, & ista est propriè Fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquẽtis, remouere autem malum alicuius, eiusdem rationis est sicut bonum eius procurare, procurare autem fratris bonum pertinet ad Charitatem, per quam volumus, & operamur bonum amico, vnde etiam correctio Fraterna est actus Charitatis, quia per eã repellimus malum fratris, scilicet peccatum, cuius

remotio magis pertinet ad Charitatem, quam etiam remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti, quanto contrarium bonum Virtutis magis est affine Charitati, quam bonum corporis, vel exteriorum rerum; vnde correctio Fraterna est actus Charitatis potius, quã curatio infirmitatis corporalis, vel subuentio, qua excluditur exterior egestas: alia vero correctio est, quæ adhibet remedium peccati delinquentis secundum quòd est in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum communis boni, & talis correctio est actus Virtutis iustitiç, cuius est conseruare rectitudinẽ iustitiæ vnius ad alterum. 2.2.q.33.a.1.in corp.

Quæritur an correctio Fraterna cadat sub præcepto, & quando.

3 Respondeo dicendũ, quòd correctio Fraterna cadit sub præcepto, sed considerandum est, quòd sicut præcepta negatiua legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmatiua inducunt ad actus Virtutum, actus autem peccatorũ sunt secundum se mali, & nullo modo benè fieri possunt, nec aliquo tempore, aut loco, quia secundum se sunt coniuncti malo fini, vt dicitur in 2. eth. & ideo precepta negatiua obligant semper, & ad semper, sed actus Virtutum non quolibet modo fieri debent, sed obseruatis debitis circonstantijs, quæ requiruntur adhoc, quòd sint actus Virtuosi, vt scilicet fiat, vbi debet, & quando debet, & secundum quòd debet, & quia dispositio eorũ, quæ sunt ad finem attenditur secundũ rationem finis, in istis circonstantijs Virtuosi actus præcipuè attendẽda est ratio finis, quæ est bonum virtutis, si ergo sit aliqua talis omissio alicuius circonstantiæ circa Virtuosum actum, quæ totaliter tollat bonum Virtutis, hic actus contrariatur præcepto, si autem sit defectus alicuius circonstantiæ, quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfectè attingat ad rationem virtutis non est contra præceptum, vnde & phylosophus dicit in 2. eth. quòd si parum disceditur à medio, nõ est contra virtutem, sed si multum discedatur corrumpitur virtus in suo actu, correctio autem Fraterna ordinatur ad Fratris emendationem, & ideo hoc modo cadit sub præcepto secundum, quòd est necessaria ad istum finem, non autem ità quòd quolibet loco, vel tempore Frater delinquens corrigatur. 2.2.q.33.ar. 2. in corp. [4.sent.d.19.q.2.a. 2. quæstiũc.1.in corp. [de virtutibus.q.3.a.1.in corp.

Quæritur ad quod præceptum Decalogi reducatur præceptum correctionis Fraternæ.

4 Respondeo dicendum, quòd omnia præcepta, quæ pertinent ad impendendũ aliquod beneficium proximo reducuntur ad præceptum de honoratione parentũ. 2.2.q.33.a.2.ad 2.

Quæritur quando omissio correctionis Fraternæ sit meritoria, quando mortalis, & quando venialis.

5 Respondeo dicẽdum, quòd correctio Fraterna tripliciter omitti potest, vno quidem modo Meritoriè, quãdo ex Charitate aliquis correctionem omittit, dicit enim Augustinus in 1. de Ciuit. Dei. Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis malè agentibus pauit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonã vitã, & piã creditos impediant, aut aliquos infirmos præmant, atq; auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium Charitatis; alio modo prætermittitur Fraterna correctio cum peccato mortali, quando scilicet formidatur, vt ibi dicitur, iudicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio, dũ tñ hæc ita dominentur in animo, quòd Fraternæ Charitati præponantur,

& hoc videtur contingere quādo aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quòd posset eum à peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittitur: tertio modo huiusmodi omissio est peccatum veniale, quando timor, vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corrigendum delicta fratris, non tamen ita, quòd si ei constaret, quòd Fratrem posset à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem dimitteret, quibus in animo suo preponit Charitatem Fraternā, & hoc modo quandoq; viri Sancti negligunt corrigere delinquentes. 2.2.q.33.a.2.ad 3.

Quæritur an quis debeat à correctione cessare propter timorem, ne ille fiat deterior.

6 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, duplex est correctio delinquentis, vna quidē pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam, & talis correctio non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur, tùm quia si propria spontè emendari non velit, cogendus est per pœnas, vt peccata dimittat, tùm etiā quia si incorrigibilis fit, per hoc prouidetur bono communi, dùm seruatur ordo iustitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur, vnde iudex non prætermittit ferrè sententiam condemnationis in peccantem propter timorem turbationis ipsius, vel etiam amicorum eius, alia vero est correctio Fraterna, cuius finis est emendatio delinquentis, nō habens coactionem, sed simplicem admonitionem, & ideo vbi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur; est ab huiusmodi correctione desistendum, quia ea, quæ sunt ad finem debent regulari secundum quòd exigit ratio finis. 2.2.q.33.a.6.in corp.

De illis, qui possunt corrigere. Cap. II.

1 *Correctio Fraterna, quę est actus Charitatis pertinet ad quēlibet in Charitatę existētē.*
Correctio Fraterna, quæ est actus iustitiæ pertinet ad Prælatos.
2 *Ille, qui corrigit, tenet locum superioris.*
3 *Correctio, quæ est actus iustitiæ non competit subditis respectu Prælatorum.*
Correctio, quæ est actus Charitatis competit subditis respectu Prælatorum.
Subditi debent corrigere Prælatos cum reuerentia, & mansuetudine.
4 *Prælati sūt corrigēdi à subditis in occulto Quando imminet periculum fidei Prælati sunt corrigendi publicē.*
5 *Subditus dum corrigit Prælatum, quid intendere debeat.*
6 *In peccato existens indignus est, vt aliquos corrigat propter vitia.*
Peccator corrigens aliquem peccantem cum humilitate non peccat.
7 *Corripiens ex officio in peccato mortali existens peccat.*
Existens in peccato mortali corripiens aliquem Zelo Charitatis non peccat, nisi sequatur scandalum.
Subditus, & Prælatus existentes in peccato mortali etiam notorio possunt admonere delinquentem non per modum corrigentis, sed per modum rogantis.
8 *Existens in peccato veniali potest alios corrigere, nisi scandalum inde sequatur.*

Quæritur an correctio Fraterna pertineat solum ad Prælatos.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut dictū est, duplex est correctio, vna quidem quæ est actus Charitatis, quę specialiter tendit ad emendationē Fratris delinquētis per simplicē admonitionē, & talis correctio pertinet ad quemlibet Charitatē habentē, siue sit subditus,

siue

siue Prælatus: est autē alia correctio, quæ est actus iustitiæ, per quam intēditur bonum commune, quod nō solū procuratur per admonitionem Fratris, sed etiā interdum per punitionem, vt alij à peccato timentes desistant, & talis, correctio pertinet ad solos Prælatos, qui non solum habent admonere, sed etiam corrigere puniendo. 2.2.q 33.a.3. in corp.

Quæritur an corrigens teneat locū superioris.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui habet sanū rationis iudiciū, ex quo possit alterius delictū corrigere, quantū adhoc est superior habendus. 2.2.q.33.a.3. ad 2.

Quæritur an subditi possint corrigere Prælatos delinquentes.

3 Respondeo dicendū, quòd correctio, quæ est actus iustitiæ per correctionem pœnæ nō competit subditis respectu Prælati, sed correctio Fraterna, quæ est actus Charitatis pertinet ad vnumquemq; respectu cuiuslibet personæ, ad quam Charitatē debet habere, si in eo aliquid corrigibile inueniatur, actus enim ex aliquo habitu, vel potentia procedens se extendit ad omnia, quæ continentur sub obiecto illius potentiæ, vel habitus, sicut visio ad omnia, quæ continentur sub obiecto visus, sed quia actus Virtuosus debet esse moderatus debitis circonstantijs, ideo in correctione, qua subditi corrigant Prelatos debet modus congruus adhiberi, vt scilicet non cum proteruia, & duritia, sed cum mansuetudine, & reuerentia corrigātur, vnde Apostolus primæ ad Timoth. 5. seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt Patrem, & ideo Dionisius redarguit Demophylum Monachum, qui Sacerdotem irreuerenter correxerat, eum percutiens, & de Ecclesia eijciens. 2.2.q.33.a.4. in corp. [4. sent.d.19.a.2. quæstiunc.3. in corp.

Quæritur an subditi debeant corrigere Prælatos suos secretè, an publicè.

4 Respondeo dicendum, quòd in occulto admonere, & reuerenter potest ille, qui non est par, vnde Apost. ad Colos. vltimo scribit de subditis, vt Prælatum suum admoneant, cum dicit, dicite Archiepiscopo, ministerium tuum imple: sciendum tamen est, quòd vbi immineret periculum fidei, etiā publicè essent Prælati à subditis arguendi, vnde & Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminēs periculum scandali circa fidem, Petrum publicè arguit, & sicut glos. Augustini dicit ad Galat. 2. ipse Petrus exemplū maioribus præbuit, vt sicubi fortè rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam aposterioribus corrigi. 2.2. q. 33.a. 4. ad 2.

Quæritur quid intendere debeat subditus, dum corrigit Prælatum suum.

5 Respondeo dicendum, quòd cum aliquis Prælatum Charitatiuè monet, non propter hoc se maiorem existimat, sed auxilium impartitur ei, qui quāto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur, vt Aug. dicit in regula. 2.2.q.33. a. 4. ad 3.

Quæritur an peccator possit alios corrigere.

6 Respondeo dicēdum, quòd correctio delinquentis pertinet ad aliquē in quantum viget in eo rectum iuditium rationis, peccatum autem non tollit totū bonū naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto iuditio rationis, & secundū hoc potest sibi competere in subditis delictum arguere, sed tamen per peccatum præcedens impedimentum quoddā huic correctioni affertur propter tria, primo quidem quia ex peccato præcedenti indignus redditur, vt aliū corrigat, & præcipuè si maius peccatum comisit, non est

dignus, vt alium corrigat de minori peccato, vnde super illud, Math. 7. quid vides festucam &c. dicit Hieronymus, de his loquitur, qui cum mortali crimine detineantur obnoxij minora peccata Fratribus non concedunt; secundo redditur indebita correctio propter scandalũ, quòd sequitur ex correctione, si peccatũ corripiẽtis sit manifestum, quia videtur, quòd ille, qui corrigit, non corrigat ex Charitate, sed magis ad os tentationem, vnde super illud Math. 7. quomodo dicis Fratri tuo &c. exponit Chrisostomus, in quo proposito puta ex Charitate, vt saluus proximũ tuũ non, quia te ipsum ante saluares; vis ergo non alios saluare, sed per bonam doctrinam malos actus cælare, & scientiæ laudes ab hominibus quærere. tertio modo propter superbiã corripientis, inquantũ scilicet aliquis propria peccata paruipendens, se ipsũ proximo præfert in corde suo, peccata eius austera seueritate diudicans, ac si ipse esset iustus vnde Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in monte, accusare vitia, officiũ est bonorum virorũ, & beneuolorũ, quòd cum mali faciunt, alienas partes agunt, & ideò sicut Augustinus dicit in eodẽ, cogitemus cum aliquẽ repræhendere nos necessitas cogit, vtrum tale sit vitium, quòd nunquam habuimus, & tunc cogitemus, nos homines esse, & habere potuisse, vel tale, quòd aliquando habuimus, & iã non habemus, & tunc tangat memoriã communis fragilitas, vt illã correctionẽ non odium, sed misericordia præcedat; si autem inueniremus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus, & ad æqualiter conandum inuitemus; ex his ergo patet, quòd si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, nõ peccat, nec sibi nouam condemnationem acquirit, licet per hoc, vel in conscientia Fratris, vel saltem sua pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat, 2.2.q.33 a.5. in corp.

Quæritur an existens in peccato mortali peccet alios corrigendo.

7 Respondeo dicendum, quòd dupliciter aliquis corripere potest, vno modo ex officio, sicut Prælati corripiunt, & sic videtur, quòd ille, qui est in simili peccato, vel maiori, non potest alium corripere, quia quandocunq; aliquis indignè vtitur officio suo, peccat, ille autem, qui est in mortali peccato etiã occulto indignè vtitur officio Prælationis, vnde peccat corripiendo, vel quidquid aliud proprij officij exequatur, alio modo aliquis corripit ex zelo Charitatis, nõ vt Ecclesiæ minister, & tunc in correptione non potest esse peccatum, nisi ratione scandali, quòd nõ consurgit, nisi de peccato notorio, vnde siue Prælatus, siue subditus etiam in peccato notorio existens aliquem peccare viderit, potest eum admonere non per modum corripientis, sed per modum rogantis, vt exemplo suo non incitetur ad malũ 4. sẽt. d. 19. q. 2. a. 2. quæst. 2. in corp.

Quæritur an existens in peccato veniali peccet corrigendo.

8 Respondeo dicendum, quòd peccatũ veniale non reddit aliquem indignũ executione officij, sicut peccatũ mortale, nec ita natum est scandalizare, quia ab eis nullus inuenitur immunis, & ideò existẽs in peccato veniali non peccat, etiam si de eodem corripiat, nisi probabiliter ex correptione scandalum sequi videatur, & de hoc peccato scilicet veniali dicitur Ioannis primo, si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, 4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 1.

De illis, qui debent corrigi. Cap. III.

1 Prælati magis debẽt corrigere sibi subditos

2 Pec-

2 *Peccatores nō sunt quærēdi, vt corrigātur*
3 *Ad quid sit vtilis correctio.*
4 *Prædestinatis prodest correctio.*
Nulli, quamdiu viuit subtrahenda est Correctio Fraterna.

Quæritur quos Prælati magis debeāt corrigere.

1 RESpondeo dicendū, quòd in correctione Fraterna, quæ ad omnes pertinet grauior est cura Prælatorum, vt dicit Augustinus in primo de Ciuit. Dei sicut enim tēporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorum curam temporalem habent, ita etiam beneficia spiritualia puta correctionem, doctrinā, & alia huiusmodi magis debet exhibere illis, qui sunt suæ curæ spirituali cōmissi. 2.2.q.33.a.3.ad 1.

Quæritur an sint quærendi peccatores, vt corrigantur.

2 Respondeo dicendum, quòd illa beneficia, quæ non debentur certæ personæ, sed communiter omnibus proximis siue sint corporalia, siue spiritualia non oportet nos quærere, quibus impendamus, sed sufficit, quòd impendamus eis, qui nobis occurrunt, hæc enim quasi pro quadam sorte habendum est, vt Augustinus dicit in primo de Doctrina Christiana, & propter hoc dicit in lib. de verbis Domini, ꝙ admonet nos Dominus noster non negligere inuicem peccata nostra, non quærendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas, alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum contra id, quòd dicitur prouerb. 24. ne quæras impietatem in domo iusti, & non vastes requiem eius, vnde patet, quod nec Religiosos oportet exire claustrum ad corrigendum delinquentes. 2.2.q.33.a.2.ad 4.

Quæritur ad quid sit vtilis correctio Fraterna.

3 Respondeo dicendum, quòd correctio vtilis est, vt ex dolore correctionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur filius est promissionis, vt strepitu correctionis forinsecus intonante, aut flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur, & velle, vt Augustinus dicit in lib. de correptione, & gratia, ideo ergo necessaria est correctio, quia voluntas hominis requiritur adhoc, quòd à peccato abstineat, sed tamen correctio non est sufficiens sine Dei auxilio, vnde Eccl. 7. considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille dexpexerit. p.2.q.109.a.8. ad 1.

Quæritur quibus prosit correctio Fraterna.

4 Respondeo dicendū, quòd correctio, qua Fratres corrigimus effectum habet in prædestinatis, non in reprobatis, sed nulli, quamdiu viuit hic, subtrahendum est correptionis beneficium, quia nō possumus prædestinatos distinguere à reprobatis, vt Augustinus dicit in lib. de correptione, & gratia. 2.2.q.83.a.7.ad 3.

De modo faciendi correctionem Fraternam. Cap. IV.

1 *Testium inductio debet præcedere publicam denunciationem.*
2 *Frater delinquens debet corrigi semel, aut pluries secretò, quamdiù habetur spes de eius emendatione.*
Quando non est spes emendationis sūt inducendi testes, si hoc proficiat ad emendationem fratris.
Si non proficeret hoc ad emendationem, relinquenda est correctio.
3 *Propter tria sunt inducendi testes.*
4 *Si peccatū proximi iā est notū denunciandū est ei, qui habet potestatē corrigendi.*
Si nondum notum factum est, sed est in via, vt fiat notum, denunciandum est potestatem habenti corrigendi.
Si peccatū sit occultū considerandū est vtrū

probabiliter sit sperãda emendatio fratris
Quomodo cognoscendum sit, an emendatio fratris sit futura.
Si emendatio speratur, corrigatur delinquẽs, & differatur denunciatio.
Quando non sit differenda denunciatio, etiã si peccatum sit occultum.
Si non speratur emendatio, & peccatum nõ sit infectiuum alterius, nec damnificatiuũ, differatur denunciatio, sed tantum admoneatur peccans.
Si peccatum sit infectiuum aliorum, est denũciandum Prælato.
Fama vnius est negligenda, vt innocentia, et fama multitudinis conseruetur.
Si peccatum sit in damnum corporale, considerandum est, quòd damnum sit maius, an famæ, an rei corporalis, & maiori damno prouidendum est.
5 *Quando proximus potest corrigi per aliũ, non debet eius peccatum denunciari Prælato.*
Si sit melius denunciare Prælato, denuncietur ei peccatum.
In hoc casu non est denunciare Ecclesiæ, & quare.
Propter diuersas conditiones Prælatorum, & subditorum non potest in hoc dari regula generalis.
Hoc tenendum est, quòd in his seruanda est Charitas & quòd melius videtur esse, faciendum est.
Si subditus in denunciando Prælato peccatũ proximi non seruat Charitatem, peccat mortaliter.
6 *Peccata procedentia ex ignorantia, & infirmitate sunt leuiter corrigenda.*
Peccata procedentia ex malitia sunt acriter corrigenda.
7 *Præceptum factum à Prælato, vel vni, vel pluribus de reuelando peccato alterius, vt corrigat ipsum, debet intelligi sanè, & quomodo.*
Si Prælatus præcipiat contra ordinem à Christo institutum, peccat, nec subditus debet obedire ei, & si obediat, peccat.
8 *Peccata publica publicè sunt arguenda.*
Si peccata sunt occulta, corrigenda sunt secundum modum datum à Christo.
Si peccatum occultum est in damnum spirituale, vel corporale aliorum, statim est denunciandum.
Si tamen per admonitionem secretam speratur emendatio, debet denunciatio dimitti.
Si peccatum sit secretum, ita emendetur, vt fama conseruetur.
Fama conseruanda est multiplici ratione.
Conscientia præferenda est famæ.
De necessitate præcepti est, vt secreta admonitio præcedat denunciationem.

Quæritur an testium inductio debeat præcedere publicam denunciationem.

1 Respondeo dicendum, quòd quia de vno extremo, ad aliud extremum conueniẽter transitur per medium, in correctione autem Fraterna Dominus voluit, quod principium esset occultum, dùm Frater corriperet fratrem inter se, & ipsum solum, finem autem voluit esse publicum, vt scilicet Ecclesiæ denunciaretur, & ideo conuenienter in medio ponitur testium inductio, vt primo paucis indicetur peccatum fratris, qui possint prodesse, & non obesse, vt saltem sic sine multitudinis infamia emendetur. 2. 2. q. 33. a. 8. in corp.

Quæritur quomodo sit intelligendus ordo Fraternæ correctionis.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam sic intellexerunt ordinem Fraternæ correctionis esse seruandum, vt primo Frater sit in secreto corripiendus, & si audierit benè quidem, si autem non audierit, si peccatum sit omnino occultum, dicebant non esse vlterius procedendum, si autem incipit jam ad notitiam plurium deuenire aliquibus indicijs, debet vlterius procedi secundum, quòd Dominus mandat, sed

sed hoc est contra id, quòd Augustinus dicit in regula, quòd peccatum fratris nō debet occultari, ne putrescat in corde, & ideo aliter dicendum est, quòd post admonitionem secretam semel, vel pluries factam, quamdiu spes probabiliter habetur de correctione, per secretam admonitionem procedendum est, ex quo autem probabiliter iam cognoscere possumus, quòd secreta admonitio non valet, procedendum est vlterius quantumcunq; sit peccatum occultum ad testium inductionem, nisi fortè probabiliter æstimaretur, quòd hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redderetur, quia propter hoc est totaliter à correctione cessandū. 2.2.q.33.a.8.ad 1. [4. sēt. d.19.q.2.a.3.quæstiunc.1. in corp.

Quæritur quare testes inducantur.

3 Respondeo dicendum; quòd testes possunt induci propter tria, vno modo ad ostendendum, quòd hoc sit peccatum, de quo aliquis arguitur, vt Hieronymus dicit: secundo modo ad conuincendum de actu, si actus iteratur, vt Augustinus dicit in regula: tertio modo ad testificandum, quòd frater admonens fecit, quòd in se fuit, vt Chrisostomus dicit. 2.2.q.33. a. 8. ad 3.4.sent.d.19.q.2. a. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur quando sit, vel non sit differenda denunciatio.

4 Respondeo dicendum, quòd in peccatis denunciandis considerandū est, vtrū peccatum sit omnino occultum, aut ad notitiam aliorum deuenerit, aut in prompta sit, vt deueniat, si autem peccatum iā ad notitiam aliorum deuenerit, tunc debet denunciari ei, qui habet potestatem corrigendi, vt qui sunt scandalizati de culpa, ædificentur de pœna; si autem in publicum nondum deuenit, sed est in via deueniendi, tunc etiam denunciandū est, vt scandalo futuro occurratur, si autem sit omnino occultum, tunc considerandū est vtrum emendatio peccantis expectari probabiliter possit, aut non, quòd quidem facilè aduerti potuerit, si consideretur, vtrum aliquis ex electione, vel passione peccauerit, siue ex malitia, vel infirmitate, quòd idem est, quòd quidem perpendi potest ex conditione peccantis, & ex iteratione actus, quia si aliquis frequenter, & quasi in prohibitè sine fræno in aliquod peccatum lapsus est, signum est, quòd ex malitia, vel electione peccat, & non facilè emendatur, si autem semel occasione peccandi oblita in peccatum ruit, & postea tristitiam, & verecundiā de peccato ostēderit, signum est, quòd sit peccatum ex passione, vel ex infirmitate, & quòd de facili emendetur: si ergo emendatio speretur, debet admonitio præcedere, & denunciatio differri quousq; videatur quomodo emendatur peccator, nisi fortè immineret occasio similis in peccatum ruēdi, quam tamen declinare non vellet admonitus, tunc enim deberet Prælato denunciari, ne in præcipitium iret, si autem non speretur emendatio, tunc considerādum est, an illud peccatum sit infectiuum aliorum, sicut est hæresis, vel fornicatio, vel aliquid huiusmodi, aut etiam cædat in aliquod damnum alterius, sicut furtū, vel homicidium, & huiusmodi; si enim non cædat in damnum alterius, nec sit infectiuum peccatum, tunc potest denunciatio differri, quousq; videatur admonitionis effectus, præcipuè si emendationē promittit, si autem est infectiuum aliorū, debet denunciari Prælato, vt gregi suo caueat, sicut enim dicit Hieronymus, quę misericordia est parcere vni, & multos in discrimen adducere? poluitur populus ex vno peccatore, sicut ex vna oue morbida vniuersus Grex; semper enim bonum multorum debet præferri bono vnius, vnde etiam fama vnius negligi debet, vt

innocentia, vel fama multitudinis cõseruetur; si autem vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum famæ illius, & illi damno, quòd præponderat, obuiandũ magis. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2. [quodlibeto 11. a. 12. 13. in corp.

Quæritur an statim, cum quis scit fratrem suũ peccasse, debeat denunciare Prælato.

5 Respondeo dicendum, quòd in his distinguendum est de conditionibus subditi, & Prælati, nam si ego scio, quòd frater per me corrigetur, tunc nõ debeo hoc denunciare Prælato, si autẽ videtur, quòd melius fiat per Prælatum, & Prælatos nihilominus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium aduersus illum subditum, tunc licitè potest hoc denunciare sibi, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei, sicut Prælato, sed sicut personæ proficiẽti ad correctionem proximi, & emendã; sed quia propter conditiones diuersas Prælatorum, & subditorum non potest in hoc dari generale iudicium, quia aliquando Prælatus, vel mouetur ad odium aduersus subditũ, vel subditus non benè ferret verba Prælati, ideo tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus istis semper seruanda est Charitas, & quòd melius, & magis expedire videtur, & si hoc intendat, scilicet emendam proximi, seruet quantum potest, bonum Charitatis, tunc denunciando nõ peccat, si vero denunciet cuicunq; personæ hoc ex malitia, & vt proximus confundatur, vel deprimatur, tunc denuncians, siue accusans peccat mortaliter: quodlibeto. 11. a. 13. in corp. [quodlibeto. 1. a. 16. ad 1.

Quæritur an correctio quantum ad admonitionem secretam debeat esse dura.

6 Respondeo dicendum, quòd secundũ Gregorium in pastorali, nonnulla peccata sunt leuiter corrigenda, nam cum non malitia, sed ignorantia sola, vel infirmitate delinquitur, necesse est, vt magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur, nonnulla autem sunt vehementur increpanda, vt cum culpa ab actore non agnoscitur, quanti sit ponderis, ab increpãtis ore sentiatur, & cum quis sibi malum, quòd perpetrauit leuigat, hoc cõtra se grauiter ex corripientis asperitate pertimescat, & quamuis ille loquatur de correptione, quæ Prælatis competit, tamẽ etiam in correptione, quæ ab alijs fit, hoc etiam est obseruandum, quamuis Fraterna correptio semper magis debeat ad leuitatem accedere, quia non ex auctoritate officij, sed ex Charitatis affectu exhibetur. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur quomodo intelligenda sint præcepta Prælatorum, qui volunt sibi reuelari peccatum corrigendum.

7 Respondeo dicendum, quòd quando Prælatus præcipit, vt sibi dicatur, quodquis sciuerit corrigendum, intelligendũ est præceptum sanè, saluo ordine Fraternæ correctionis, siue præceptum fiat communiter ad omnes, siue ad aliquem specialiter, sed si Prælatus expræssè præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens, vnde non esset ei obediendũ, quia Prælatus non est iudex iudiciorum occultorum, sed solus Deus, vnde non habet potestatem pręcipiendi aliquid super occultis, nisi inquantum per aliqua indicia manifestantur, puta per infamiam, vel per aliquas suspitiones, in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo, sicut & iudex sæcularis, vel Ecclesiasticus potest exigere iuramentũ de veritate dicẽda. 2. 2. q. 33. a. 7. ad 5. [quodlibet. 1. a. 16

Quæ-

Quaritur an de necessitate pracepti secreta admonitio debeat pracedere denunciationem?

8 Respondeo dicendum, quòd circa publicam denunciationem peccatorum distinguendum est, aut enim peccata sunt publica, aut sunt oculta; si quidem sunt publica, non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, sed etiam alijs, in quorum notitiam deuenit, vt non scandalizentur, & ideo talia peccata sunt publicè arguenda secundum illud Apostoli primæ ad Timoth. 5. peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant, quòd intelligitur de peccatis publicis, vt Augustinus dicit in lib. de verbis Domini; si vero sint peccata occulta, sic videtur habere locũ, quòd Dominus dicit, si peccauerit in te frater tuus, quando enim te offendit publicè coram alijs, iam non solum in te peccat; sed etiam in alios, quos turbat, sed quia etiam in occultis peccatis potest parari proximorum offensa, ideo adhuc videtur distinguendum esse, quædã enim peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentũ proximorũ, vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occultè tractet, quomodo Ciuitas tradatur hostibus, vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat; & quia ille, qui sic occultè peccat, non solũ in se peccat, sed etiã in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, vt huiusmodi nocumentum impediatur, nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire, quædam vero peccata sunt, quæ solum sunt in malum peccantis, & eius, in quem peccatur, vel quia à peccante solum læditur, vel saltem ex sola notitia, & tunc ad hoc solum tenẽdum est, vt fratri peccanti subueniatur, & sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest sine alicuius membri abscisione; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, vt vita totius conseruetur, ita etiam ille, qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emẽdare fratrem quantũ ad conscientiã, vt fama eius conseruetur, quæ quidem est vtilis, primo quidem & ipsi peccanti non solum in temporalibus, in quibus quantũ ad multa homo patitur detrimentũ amissa fama, sed etiã quantum ad spiritualia, quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur, vnde quando se infamatos conspiciunt, irrefrenatè peccant, vnde Hieronymus dicit, corripiendus est seorsum frater, ne si semel pudorem, vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato; secundo debet conseruari fama fratris peccantis, tum quia vno infamato alij infamantur secundum illud Augustini in epistola ad plebem Hipponensẽ. cum de aliquibus, qui Sanctũ nomen profitentur aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur, tum etiam quia ex peccato vnius publicato, alij prouocantur ad peccandum. Sed quia consciẽtia præferenda est famæ voluit Dominus, vt saltem cum dispendio famæ fratris conscientia per publicam denunciationẽ à peccato liberetur, vnde patet, quòd potest esse de necessitate præcepti, quòd secreta admonitio publicam denunciationem præcedat. 2. 2. q 33. a. 7. in corp. & ad 3. [4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2.

CREDERE.

1 *Quid sit credere.*
2 *Credere est actus intellectus.*
Quid sit credere Deum, Deo, & in Deum.
3 *Necesse est homini credere aliqua supra rationem.*
4 *Necesse est homini credere aliqua, quę possunt probari propter tria.*
5 *Homo tenetur credere explicitè articulus fidei, qui sunt prima credibilia.*
Alia credibilia tenetur homo credere implicitè, vel in præparatione animi.

Quando

Quando homo teneatur credere explicitè etiã ista credibilia.

6 *Superiores homines tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere.*

7 *Mysterium incarnationis oportuit omni tempore fuisse creditum apud omnes, sed diuersimodè.*

In statu legis gratiæ omnes tam maiores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi.

Subtilitates circa articulos incarnationis tenentur aliqui magis, vel minus explicitè credere secundum, quòd conuenit eorum officio, & statui.

8 *Mysterium incarnationis non potest explicitè credi absq; fide Trinitatis.*

In statu gratiæ omnes tenentur credere explicitè mysterium Trinitatis.

9 *Semper fuit necessarium omnibus credere de Deo quia est, & quia remunerator est.*

10 *Dupliciter possunt explicari articuli fidei primo quo ad eorum substantiam, secundo quo ad ea, quæ in ipsis implicitè continentur.*

Explicare articulos fidei primo modo tenentur omnes, qui habent officium docẽdi fidẽ siue ex gradu, siue ex reuelatione, siue ex ministerio.

Explicare articulos fidei secundo modo non tenetur aliquis totaliter.

11 *Deum esse est primum credibile.*

12 *Non peccat cogitans de articulis fidei, & de bonitate Dei, si non moueatur actu fidei, & Charitatis in eum.*

13 *Simplices non sunt interrogandi de subtilitatibus fidei.*

Debent interrogari de illis, quando ab hæreticis sunt deprauati.

In hoc casu, si non sunt pertinaces, & ex simplicitate deficiant, non eis imputatur.

14 *Actus fidei potest esse meritorius.*

15 *Ratio humana præcedens voluntatem diminuit meritum fidei.*

Ratio humana sequens voluntatem non excludit meritum, sed est signum maioris meriti.

16 *Non credentes sunt peiores Dæmonibus, & quomodo.*

Quæritur quid sit credere.

1 RESpondeo dicendum, quòd credere est cum assensu cogitare. 2.2.q.2.a.1.in corp.

Quæritur quid sit credere Deum, Deo, in Deũ.

2 Respondeo dicendum, quòd cum credere ad intellectum pertineat, prout est à voluntate motus ad assentiendum, potest obiectum fidei accipi, vel ex parte ipsius intellectus, vel ex parte ipsius voluntatis intellectum mouentis, si quidem ex parte intellectus, sic in subiecto fidei duo possunt cõsiderari, quorum vnum est materiale obiectum fidei, & sic ponitur actus fidei credere Deo, quia nihil proponitur nobis ad credẽdum, nisi secundum, quòd ad Deum pertinet; aliud autem est formalis ratio obiecti, quòd est sicut mediũ, propter quòd tali credibili assentitur, & sic proponitur actus fidei credere Deum, quia formale obiectum fidei est veritas prima, cui inhæret homo, vt propter eam creditis assentiat; si vero consideretur tertio modo obiectum fidei secundum, quòd intellectus est motus à voluntate, sic ponitur actus fidei credere in Deum, veritas enim prima ad voluntatem refertur secundum, quòd habet rationem finis. 2. 2. q. 2. a. 2. in corp.

Quæritur an necesse sit homini credere aliqua supra rationem.

3 Respondeo dicendum, quòd perfectio rationalis creaturæ non solum consistit in eo, quòd ei competit secundum suam naturam, sed in eo etiam, quòd ei attribuitur ex quadam supernaturali Dei visione, ad quam quidem visionem homo per-

pertingere non potest, nisi per modum addiscentis à Deo Doctore secundum illud Ioannis 6. omnis, qui audit à Patre,& didicit,venit ad me; huius autem disciplinæ fit homo particeps non statim, sed successiuè secundum modum suæ naturæ, omnis autē talis addiscens oportet, quòd credat adhoc, quòd ad perfectam scientiam perueniat,sicut etiam phylosophus dicit, quòd oportet addiscentem credere, vnde adhoc,quòd homo perueniat ad perfectam rationem Beatitudinis præexigitur, quòd credat Deo, tanquam discipulus Doctori docenti. 2. 2. q. 2. a. 3. in corp.

Quæritur an sit necessarium credere aliqua, quæ probari possunt.

4 Respondeo dicendum, quòd necessarium est homini accipere per modū fidei non solum ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt,& hoc propter tria, primo quidē vt citius homo ad Veritatis Diuinæ cognitionem perueniat,scientia enim, ad quam pertinet probare Deum esse,& alia huiusmodi de Deo,vltimo hominibus addiscenda proponitur præsuppositis multis alijs scientijs,& sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perueniret; secundo vt cognitio Dei sit communior, multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinē ingenij, vel propter alias occupationes, & necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscēdi, qui omnino à Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis Diuina per modum fidei; tertio modo propter certitudinem, ratio enim humana in rebus Diuinis est multum deficiens, cuius signum est, quia phylosophi de rebus humanis naturali inuestigatione perscrutātes in multis errauerunt, & sibi ipsis contraria senserunt,vt ergo esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo oportuit, quòd Diuina eis per modum fidei traderentur,quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest. 2. 2. q. 2. a. 4. in corp.

Quæritur quid homo teneatur credere explicitè, & implicitè.

5 Respondeo dicendū, quòd fidei obiectum per se est id, per quòd homo beatus efficitur, per accidens autem, aut secundariò se habent ad obiectū Virtutis omnia, quæ in Sacra scriptura Diuinitus tradita continentur, sicut quòd Abraā habuit duos filios; quòd Dauid fuit filius Isai, & alia huiusmodi, quantum ergo ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenetur habere fidem; quantum autē ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere, sed solum implicitè, vel in præparatione animi, inquantum paratus est credere quidquid Diuina scriptura continet,sed tunc solum huiusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in Doctrina fidei contineri. 2. 2. q. 2. a. 5. in corp. [3. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. & 2. in corp.

Quæritur an maiores homines teneantur habere maiorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere.

6 Respondeo dicendum, quòd explicatio credendorum fit per reuelationem Diuinam, credibilia, enim naturalem rationem excedunt, reuelatio autem Diuina ordine quodam ad inferiores peruenit per superiores, sicut ad homines per Angelos,& ad inferiores Angelus per superiores, vt patet per Dionisium in cælesti Hierarchia,& ideo pari ratione explicatio fidei oportet, quòd perueniat ad inferiores homines per maiores, & ideo sicut superiores Angeli, qui inferiores illumināt, habent pleniorem notitiam de

rebus

rebus Diuinis, quam inferiores, vt dicit Dionisius 12. cap. cælestis Hierarchię, ita etiam superiores homines, ad quos pertinet alios credere, tenētur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere. 2.2.q.2. a. 6. in corp. [3. sent.d.25.q.2.a.1. quæstiunc.3.in corp.

Quæritur an necesse sit misterium incarnationis credere explicitè.

7 Respondeo dicendum, quòd misteriū incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diuersimodè tamen secundum diuersitatem temporum, & personarum, nā ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione secundum, quòd ordinabatur ad consumationem gloriæ, non autem secundū quòd ordinabatur ad liberationem à peccato per Passionem, & resurrectionem, quia homo non fuit præscius peccati futuri, videtur autem incarnationis Christi præscius fuisse per hoc quòd dixit propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ, vt habetur Genesis 2. & hoc Apostolus ad Ephesios. 5. dicit Sacramentum magnum esse in Christo, & Ecclesia, quòd quidem Sacramentū nō est credibile primum hominem ignorasse: post peccatum autem fuit explicitè creditum misteriū incarnationis Christi non solum quantum ad incarnationē, sed etiam quantum ad Passionem, & resurrectionem, quibus humanum genus à peccato, & morte liberatur, aliter enim non præfigurassent Christi Passionem quibusdam sacrificijs, & ante legem, & sub lege, quorum quidem sacrificiorū significatum explicitè maiores cognoscebant, minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea diuinitus esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionē, & sicut supradictū est, ea, quæ ad misteria Christi pertinent tanto difficilius cognouerūt, quanto Christo remotiores fuerunt, & tanto facilius cognouerunt, quanto Christo propinquiores fuerunt: post tempus autem gratiæ reuelatæ, tàm maiores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de misterijs Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ cōmuniter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, sicut sunt articuli incarnationis; alios autem subtiles considerationes circa incarnationis articulos tenētur aliqui magis, vel minus explicitè credere secundū, quòd conuenit statui, & officio vniuscuiusq; 2. 2. q. 2. a. 7. in corp.

Quæritur an sit necesse credere explicitè misterium Trinitatis.

8 Respondeo dicendum, quòd misteriū incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis, quia in misterio incarnationis Christi hoc continetur, quòd filius Dei carnem assumpserit, quòd per gratiam Spiritus sancti mundum renouauerit, & iterum quòd de Spiritu sancto cōceptus fuerit, & ideo eodem modo, quo misterium incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à maioribus, implicitè autem, & quasi obumbratè à minoribus, ita etiam, & Misteriū Trinitatis, & ideo etiam post tempus gratiæ diuulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum misterium Trinitatis, & omnes, qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per inuocationem Trinitatis secundum illud Mathei vltimò euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 2.2.q.2.a.4. in corp.

Quæritur an fuerit necessarium semper omnibus credere Deum esse & eum esse remuneratorem.

9 Respondeo dicendum, quòd explicitè

credere

Credere de Deo quia est, & quia inquirentibus se remunerator est, omni tempore, & quo ad omnes necessarium fuit, non tamen est sufficiens omni tempore, & quo ad omnes. 2.2.q.2.a.8.ad 1. [3. sent. d.25.q.2.a.2.quæstiunc.4. ad 1. [4. sent. d.6.q.2.a.2.quæstiunc.1. in corp. [q. 14. de verit.a.11.in corp.

Quæritur an omnes teneantur scire explicare articulos fidei.

10 Respondeo dicendum, quòd explicare articulos fidei contingit dupliciter, vno modo quantum ad ipsorum articulorum substantiam, secundum quòd ipsos articulos distinctè scit, alio modo quãtum ad ea, quæ in articulis continentur implicitè, quod quidem contingit, dum homo scit ea, quæ ex articulis cõsequuntur, & vim veritatis ipsorum articulorũ, per quam possunt deffendi ab omni impugnatione: ad primã quidẽ explicationem totalem tenentur omnes, qui habent officiũ docendi fidẽ, siue ex gradu dignitatis, sicut Sacerdos, siue ex reuelatione sicut prophetæ, siue ex ministerio sicut Doctores, & Prædicatores, non autẽ alij, quibus nõ incumbit officiũ docendi fidẽ, quia cum ipsi non habeant nisi seipsos regulare, sufficit eis illos articulos cognoscere, per quos possint propriam intentionem dirigere in finem vltimum; ad secundam autem explicationem articulorũ non tenetur aliquis totaliter, vt sciat omnia explicare, quæ in articulis de salute continentur, quia hoc non potest esse, nisi in Patria, vbi ipsa articulorum veritas plenè videbitur. 3.sent.d.25.q.2.a.1. quæstiunc.3.in corp.

Quæritur quod nam sit primum credibile.

11 Respondeo dicendum, quod Deum esse est primũ, & principale inter omnia credibilia. 2.2.q.16.a.1.in corp.

Quæritur an peccet cogitans de articulis fidei, & de Bonitate Dei, si actu non credat, & amet Deum.

12 Respondeo dicendum, quod nõ peccat quicunq; cogitans articulos fidei nõ mouetur actu fidei, & quicunq; cogitans Dei bonitatem non mouetur actu Charitatis, quia aliquando speculatiuè tantũ potest aliquis considerare, vt in disputationibus accidit, & tamen non mouetur aliquo actu voluntatis ad id, quod speculatur. opusculo 9. quæst.89.

Quæritur an simplices sint interrogandi de subtilitatibus fidei.

13 Respondeo dicendum, quod simplices non sunt examinandi de subtilitatibus fidei, nisi quando habetur suspicio, quod sint ab hæreticis deprauati, qui in his, quę ad subtilitatẽ fidei pertinent, solent fidem simplicium deprauare, si tamẽ inueniũtur nõ pertinaciter peruersę Doctrinæ adhærere, si in talibus ex simplicitate deficiant, non eis imputatur. 2.2.q.2. a.6.ad 2.

Quæritur an actus fidei possit esse meritorius.

14 Respondeo dicendũ, quod quia actus nostri sunt meritorij, inquantũ procedũt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiã, vnde omnis actus humanus, qui subijcitur libero arbitrio, si sit relatus in Deũ, potest meritorius esse, ipsum autem credere est actus intellectus assentientis veritati Diuinæ ex imperio voluntatis motæ à Deo per gratiam, & sic subiacet libero arbitrio in ordine ad Deum, vnde actus fidei potest esse meritorius. 2.2.q.2. a.9.in corp.

Quæritur an ratio humana minuat meritum.

15 Respondeo dicendum, quod sicut dictum est actus fidei potest esse meritorius inquan-

inquantum ſubiacet voluntati non ſolum quantum ad vſum, ſed etiam quãtum ad aſſenſum, ratio autẽ humana inducta ad ea, quæ ſunt fidei, dupliciter ſe poteſt habere ad voluntatem credentis, vno quidẽ modo ſicut præcedens, puta cum aliquis, aut non haberet voluntatem, aut non haberet promptam voluntatem ad credendum, niſi ratio humana induceretur, & ſic ratio humana inducta diminuit meritum fidei, ſicut etiam paſſio præcedens electionem in Virtutibus moralibus diminuit laudẽ virtuoſi actus, ſicut enim homo actus moralium Virtutum debet exercere propter iuditium rationis, non propter paſſionem, ita credere debet homo ea, quæ ſunt fidei, non propter rationem humanam, ſed propter auctoritatẽ Diuinam: alio modo ratio humana poteſt ſe habere ad voluntatem credentis conſequenter, cum enim homo habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam, & ſuper eam excogitat, & amplectitur, ſi quas rationes adhoc inuenire poteſt, & quantum adhoc ratio humana non excludit meritũ fidei, ſed eſt ſignum maioris meriti, ſic etiam paſſio conſequens in Virtutibus moralibus eſt ſignum promptioris voluntatis, & hoc ſignificatur Ioannis 4. vbi Samaritani ad mulierem, per quam ratio humana figuratur, dixerunt, iam non propter tuã loquelam credimus. 2. 2. q. 2. a. 10. in corp.

Quæritur an non credentes ſint peiores Dæmonibus, & quomodo.

16 Reſpondeo dicendum, quòd illi, qui non credunt, peiores ſunt, quã Dæmones, cum Dęmones credant, & contremiſcant & peiores ſunt ex ſpecie operis, ſed non quantum ad affectum, nam Dæmonibus diſplicet hoc, quòd credunt, nec etiam eſt tanta nequitia voluntatis in homine, qui non credit, quanta in Dæmone, qui odit, quòd credit. Ecc. 2. c. 5. ad Galatas.

CRIMEN.

1 *Triplex modus procedendi in criminibus, ſcilicet per denunciationem, per inquiſitionem, per accuſationem.*

Denunciationem debet præcedere correctio Fraterna.

Inquiſitionem debet præcedere infamia.

Accuſationem præcedit inſcriptio qua accuſans ſe obligat ad pœnam talionis.

In inquiſitione, & accuſatione intenditur pœna peccantis.

Quando proceditur per accuſationem, & inquiſitionem Prælatus poteſt precepto veritatem exigere, & ſubditi tenentur obedire.

Si procedatur per viam ſimplicis denunciationis, non tenetur ſubditus obedire Prælato præcipienti reuelare peccatum ſecretum Fratris non ſeruato ordine correctionis Fraternæ.

Peccaret ſubditus, ſi reuelaret peccatũ Prælato præcipienti.

Peccat etiam Prælatus hoc præcipiens.

2 *Quis ſit criminator, & in quo differat à detractore, & ſuſurrone.*

Quæritur quot modis poſſit procedi in criminibus, & quid in illis obſeruandum ſit.

1 Reſpondeo dicendũ, quòd in criminibus triplex eſt modus procedendi, vnus per denunciationem, alius per inquiſitionem, alius per accuſationẽ; In via ergo denunciationis intenditur correctio delinquentis, & ideo ſecundum præceptum Domini Mathei 18. debet præcedere Fraterna correctio, vt ſcilicet corripias eum inter te, & ipſum ſolum, quòd ſi non audierit, coram duobus, vel tribus teſtibus, & vltimo dicatur Eccleſiæ; Charitatis enim eſt, vt aliquis pareat Fratri, quantum poteſt, vnde prius debet niti, vt corrigat conſcientiam Fratris ſeruata forma ſolitariè admonendo, & poſt modum coram duobus, vel tribus, tandẽ negli-

negligenda est fama, vt emendetur conscientia,& dicendum est Ecclesiæ,in quo etiam processu consulitur conscientiæ, nam peccator, si à principio videret se publicatum, amitteret verecundiam, & obstinatior fieret ad peccandum. In inquisitione vero debet præcedere infamia. In accusatione vero debet præcedere inscriptio per quam ipse obligat se ad talionem. In inquisitione, & accusatione intenditur pæna peccantis propter multitudinis bonum; si ergo appareat accusator,qui se obliget ad talionem,potest Prælatus præcepto veritatis confessionem exigere, sicut & Iudex Ecclesiasticus iuramentum; & similiter si præcedat infamia potest Prælatus præcepto veritatem exquirere,& subditi tenentur obedire: si autem procedatur per viam simplicis denunciationis, non tenetur Religiosus Prælato præcipienti culpam Fratris reuelare, nisi præcedente monitione cum videat in correctum; immo magis peccaret,si ad præceptum Prælati reuelaret, quia plus tenetur obedire Euangelio, quam Prælato,& multo magis Prælatus peccaret, si subditum induceret ad peruertẽdum ordinem Euangelij. quodlibeto.1.a.16.

Quæritur in quo differat Criminator à detractore, & susurrone.

2 Respondeo dicendum, quòd criminator differt à susurrone & à detractore, quia criminator est, qui publicè crimina alijs imponit, vel accusando, vel conuitiando, quod non pertinet ad detractorem,& susurronem.2.2.q.74.a.1.ad 2.

CRVDELITAS.

1 *Crudelitas vnde dicatur.*
2 *Crudelitas importat excessum in puniendo. Saui, & feri qui dicantur.*
3 *Crudelitas opponitur directè Clementiæ.*
4 *Austeritas animi pertinet ad crudelitatem.*
5 *Crudelitas differt à sæuitia, & feritate.*

Quæritur vnde dicatur crudelitas.

1 Respondeo dicendum, quòd nomen crudelitatis à cruditate sumptum esse videtur, sicut autem ea, quæ sunt cocta, & digesta solent habere suauem,& dulcem saporem,ita illa,quę sunt cruda, habent horribilem, & asperum, 2.2.q.159.a.1.in corp.

Quæritur quid sit crudelitas.

2 Respondeo dicendum, quòd crudelitas importat excessum in puniendo,vnde dicit Seneca in 2. de clementia, quòd crudeles vocantur,qui puniendi causam habent,modum tamen non habent, qui autem in pænis hominum propter se delectantur etiam sine causa possunt dici sæui, vel feri, quasi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligit hominem. 2.2.q.157.a.1.ad 3.

Quæritur cui virtuti opponatur Crudelitas.

3 Respondeo dicendum, quòd directè crudelitas Clementiæ opponitur.2.2.q.159.a.1.in corp.

Quæritur an ad crudelitatem pertineat austeritas animi.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut ipsa dulcedo affectus, ex qua homo adhoc inclinatur, vt diminuat pænas pertinet ad Clementiam, ita superexcessus pænarum quantum ad austeritatem animi, per quam aliquis fit promptus ad pænas augendas, pertinet ad crudelitatem. 2.2.q.159.a.1.ad 1.

Quaritur in quo differat crudelitas à sauitia, & feritate.

5 Respondeo dicendum, quòd nomen sæuitiæ,& feritatis à similitudine ferarum accipitur, quæ etiam dicuntur sæuę, huiusmodi enim animalia nocent hominibus, vt ex eorum corporibus pascantur non ex aliqua iustitiæ causa, cuius consideratio pertinet ad solam rationem, & ideò propriè loquendo feritas, vel sæuitia dicitur secundum quam aliquis in pœnis inferendis non considerat aliquã culpam eius, qui punitur, sed solum hoc, quòd delectatur in hominum cruciatu,& sic patet, quòd continetur sub bestialitate, nam talis delectatio non est humana, sed bestialis proueniens, vel ex mala consuetudine, vel corruptione naturæ, sicut & aliæ huiusmodi bestiales affectiones, sed crudelitas non solum attendit culpã in eo, qui punitur, sed excedit modum in puniendo, & ideo crudelitas differt à sæuitia, siue feritate, sicut malitia humana à Bestialitate, vt dicitur 7.eth.2.2. q.159.a.2.in corp.

CVLPA.

1 *Ratio culpa in quo consistat.*
2 *Culpa mortalis tollit gratiam.*
Quadam culpa est contra rationem.
Quędam contra naturam.
Quędam culpa est crimen.
Quędam culpa est Blasphemia.
3 *Culpa propter se est vitanda, non ratione penę.*
4 *Per culpam mortalem perfectè est separatio à Deo.*
Per peccatum veniale imperfectè.
Remissio culpę per quid fiat.
5 *Per Baptismum, & martirium fit totalis remissio culpę, & penę.*

Quęritur in quo consistat ratio culpę.

1 Respondeo dicendum, quòd ratio culpæ consistit in voluntaria recessione à Deo. 2.2.q 34.a. 2. in corp.

Quaritur quid sit culpa mortalis, & quotuplex sit genus culparum.

2 Respondeo dicendum, quòd culpa mortalis est, quæ gratiam tollit; per quã est vita animæ, & sic omnis culpa mortalis est contra gratiam, sed quędã est contra rationem, vt periurium, quædam etiã contra naturam, vt sodomia, quędam autem est crimen, quæ est digna accusatione in iuditio, quędam autem est blasphemia, quæ est impositio alicuius falsi in Deum, vel ei subtrahendo, quòd inest, vel attribuendo, quod nõ inest. 4. sent. d.14. in expositione litteræ.

Quaritur an culpa sit propter se vitanda.

3 Respondeo dicendum, quòd culpa est propter se vitanda etiam si nulla pœna sequeretur, vnde virtuosus plus culpam, quam pœnam fugit, ad quem oportet mensurare actus aliorum hominum, vt phylosophus in 3.eth.dicit.2.sent. d. 37. a.2.ad 4.

Quaritur per quid fiat remissio culpa.

4 Respondeo dicendum, quòd remissio culpæ fit per coniunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter separat culpa, sed hęc separatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per peccatum veniale, nam per peccatũ mortale mens omnino à Deo auertitur, vt potè contra Charitatem agens, per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur, 3.p.q.87.a.1.in corp.

Quæritur per quid fiat totalis remissio culpæ & pœnæ.

5 Respondeo dicendum; quòd nullus peruenit ad vitam æternam nisi absolutus ab omni culpa, & reatu pœnæ, quæ quidem vniuersalis absolutio fit in perceptione Baptismi, & in martyrio, propter quod dicitur, quòd in martyrio omnia Sacramenta Baptismi complentur, scilicet quantum ad plenam liberationẽ à culpa, & pœna. 3.p.q.68.a.2.ad 2.

CVLTVS.

1 *Quid sit cultus Dei.*
2 *Eusebia & Theosebia debetur Deo.*
3 *Cultus Diuinus ad tria ordinatur.*
4 *Eucharistia, Ordo, & Baptismus pertinent ad cultum Dei.*
5 *Cultus Dei est duplex scilicet interior, & exterior.*
Cultus Dei exterior ordinatur ad interiorem.
In quo consistat cultus interior Dei.
Cultus exterior diuersimodè reperitur in diuersis statibus.
6 *Ad quid præcipuè ordinatur cultus exterior Dei.*
7 *Cultus Dei exterior præcipitur in tertio præcepto Decalogi.*
8 *A cultu Dei interiori impediuntur homines per peccata.*
A cultu exteriori impediebantur olim per quasdam corporales immundicias.
9 *Cultus exterior perniciosus quis sit.*
Duobus modis contingit esse perniciosum cultum Dei exteriorem, scilicet ex parte rei significatæ, & ex parte colentis.
10 *Secundum quantitatem absolutam non potest esse aliquod superfluum in cultu Diuino.*
Quod nam sit superfluum in cultu Diuino exteriori secundum quantitatem proportionis.

Quæritur quid sit cultus Dei.

1 RESpondeo dicendum, quòd omnis cultus Dei est quædam fidei protestatio. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 1. ad 4.

Quæritur qui cultus debeatur Deo.

2 Respondeo dicẽdum, quòd quia specialis honor debetur Deo tanquam primo omnium principio, etiam specialis ratio cultus ei debetur, quæ Græco nomine vocatur Eusebia, vel Theosebia, vt patet per Augustinum 10. de Ciuit. Dei. 2.2 q.81 a.1. ad 4.

Quæritur ad quid ordinetur cultus Diuinus.

3 Respondeo dicendum, quòd ordinatur primo Diuinus cultus ad reuerentiã Deo exhibendam; secundo ordinatur ad hoc, quòd homo instruatur à Deo, quem colit; tertio ordinatur Diuinus cultus ad quandam directionem humanorũ actuũ secundum instituta Dei, qui colitur. 2.2. q.92.a.2.in corp.

Quæritur quomodo aliqua Sacramenta pertineant ad cultum Dei.

4 Respondeo dicẽdum, quòd pertinet aliquod Sacramentum ad Diuinum cultũ tripliciter, vno modo per modũ ipsius actionis, alio modo per modum agentis, tertio modo per modum recipientis; per modum quidem ipsius actionis pertinet ad Diuinum cultum Eucharistia, in qua principaliter Diuinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiæ Sacrificiũ: ad agẽtes in Sacrificijs pertinet Sacramentum Ordinis, quia per hoc Sacramentũ deputãtur homines ad Sacramẽta alijs tradẽda; sed ad recipientes pertinet Sacramẽtũ Baptismi, quia per ipsũ homo accipit potestatẽ recipiendi alia Ecclesiæ Sacramẽta, vnde Baptismus dicitur esse Ianua omnium Sacramentorum. 3.p.q.63.a.6. in corp.

Quaritur quotuplex sit cultus Dei.

5 Respondeo dicendum, quòd est duplex cultus Dei, interior, & exterior, cum enim homo sit compositus ex anima, & corpore, vtrumq; debet applicari ad colendum Deum, vt scilicet anima colat interiori cultu, & corpus exteriori, vnde dicitur in Psalm. 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ, & sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum; consistit autem interior cultus in hoc, quod anima côiungatur Deo per intellectũ, & affectũ, & ideo secundũ quòd diuersimodè intellectus, & affectus colentis Deo rectè coniungitur, secundũ hoc diuersimodè exteriores actus hominis ad cultũ Dei applicãtur; in statu enim futurę Beatitudinis intellectus humanus ipsam Diuinã veritatem in se ipsa intuebitur, & ideo exterior cultus non cõsistet in aliqua figura, sed solũ in laude Dei, quę procedit ex interiori cognitione, & affectione secundũ illud Isaiæ 51. gaudiũ, & lætitia inueniẽtur in ea, gratiarũ actio, & vox laudis: in statu autẽ præsẽtis vitæ nõ possumus Diuinam veritatẽ in se ipsa intueri, sed oportet, quod radius Diuinę veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris, sicut Dionisius dicit primo cap. cęlestis Hierarchiæ, diuersimodè tñ secundũ diuersum statum cognitionis humanæ, in veteri etenim lege neq; ipsa Diuina veritas in se ipsa manifesta erat, neq; ẽt adhuc propalata erat via adhoc perueniẽdi, sicut Apostolus dicit ad heb. 7. & ideo oportebat exteriorẽ cultũ veteris legis non solũ esse figuratiuum futuræ veritatis manifestandę in Patria, sed etiã esse figuratiuũ Christi, qui est via ducens ad illã Patriæ veritatẽ; sed in statu nouæ legis hæc via iam est reuelata, vnde hanc pręfigurari nõ oportet, sicut futuram, sed commemorari oportet per modũ præteriti, vel præsentis, sed solũ oportet præfigurari futurã veritatẽ gloriæ nondũ reuelatam, & hoc est, quod Apostolus dicit ad heb. 10. vmbrã habet lex futurorũ bonorũ, nõ ipsã imaginẽ rerũ, vmbra .n. minus est, quã imago, tanquam imago pertineat ad nouã legẽ, vmbra vero ad veterẽ. p. 2. q. 91. a. 2. in corp. & q. 102. a. 5. ad 4.

Quaritur ad quid pracipuè ordinetur cultus Dei exterior.

6 Respondeo dicẽdum, quòd totus exterior cultus Dei adhoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reuerentia habeant. p. 2. q. 102. a. 4. in corp.

Quaritur quo pracepto Decalogi pracipiatur exterior Dei cultus.

7 Respondeo dicendũ, quòd quia præcepta Decalogi sunt quasi quædã prima, & cõmunia legis principia, ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo cõmunis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi. 2. 2. q. 122. a. 4. in corp.

Quaritur per quid homines impediantur à cultu Dei.

8 Respondeo dicendum, quòd à cultu spirituali impediuntur homines per peccata, quibus homines pollui dicebantur, sicut per idolatriã, & homicidiũ, per adulteria, & incestus, & ab istis pollucionibus purificabantur homines per aliqua sacrificia, vel cõmuniter oblata pro tota multitudine, vel etiã pro peccatis singulorũ, non quod sacrificia illa carnalia haberẽt ex se ipsis virtutem expiandi peccatum, sed quia significabant expiationem peccatorum futuram per Christum, cuius participes erant etiam antiqui protestãtes fidem Redemptoris in figuris sacrificiorum, à cultu vero exteriori impediebantur homines per quasdam immunditias corporales, p. 2. q. 102. a. 5. ad 4.

Quaritur an in cultu Dei exteriori possit esse aliquid pernitiosum.

9 Respondeo dicẽdum, quòd sicut Augustinus dicit in libro contra mendaciũ; Mendaciũ maximè perniciosũ est, quod fit in his, quæ ad Christianam Religionẽ pertinent, est autem mendacium, cũ aliquis exterius significat contrarium veritati, sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto, & in tali significatione facti consistit exterior Religionis cultus, & ideo si per cultũ exteriorem aliquid falsum significatur, erit cultus perniciosus, hoc autẽ contingit dupliciter, vno quidem modo ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultus, & hoc modo tempore nouæ legis peractis iam misterijs perniciosum est vti cæremonijs veteris legis, quibus Christi misteria figurabãtur futura; sicut etiam perniciosum esset, si quis non confiteretur Christũ esse passum; alio modo potest cõtingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu cõmuni, qui per ministros exhibetur in persona toti' Ecclesię, sicut .n. falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quę nõ essent ei cõmissa ita vitiũ falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum Diuina auctoritate ab Ecclesia constitutum, vnde Ambrosius dicit, indignus est, qui aliter celebrat misterium, quã Christus tradidit, & propter hoc etiam glosa dicit ad Coloss. 2. quòd superstitio est, quãdo traditioni humanę Religionis nomen applicatur. 2.2.q.93.a.1.in corp.

Quaritur an in cultu Dei possit esse aliquid superfluum.

10 Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur superfluum dupliciter, vno modo secundum absolutam quantitatem, & secundum hoc nõ potest esse aliquid superfluum in Diuino cultu, quia nihil potest homo facere, quod nõ sit minus eo, quod Deo debet, alio modo potest esse aliquid superfluum secundũ quantitatẽ proportionis, quia scilicet nõ est fini proportionatum, finis autẽ Diuini cultus est, vt homo Deo det gloriã, & ei se subijciat mente, & corpore, & ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quòd mens hominis Deo subijciatur, & etiã corpus per moderatã refrænationem concupiscentiarũ secundum Dei, & Ecclesiæ ordinationẽ, & consuetudinem eorũ, quibus homo conuiuit, nõ est superfluũ in Diuino cultu; si autẽ aliquid fit, quod quantum est de se non pertinet ad Dei gloriã, neq; adhoc quòd mens hominis feratur in Deũ, aut quòd carnis concupiscentiæ moderatè refrænantur, aut etiã si pręter Dei, & Ecclesię institutionẽ, vel contra consuetudinẽ cõmunem, quæ secundũ Augustinũ pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluũ, & superstitiosum, quia in exterioribus solũ consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet, vnde Augustinus in libro de vera Religione inducit, quod dicitur Lucæ 17. regnum Dei intra vos est, loquitur cõtra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt. 2.2. q.93.a.2. in corp.

CVPIDITAS.

1 *Quę sit cupiditas mortalis, et quę venialis*
2 *Quando res proximi cõcupiscitur sine ratione, est peccatum mortale.*
Quando res proximi concupiscitur rationabiliter, est peccatum veniale.
3 *Cupiditas vt est speciale peccatum, est radix omnium malorum.*
Quomodo cupiditas Diuitiarum sit radix omnium peccatorum.

Quaritur quotuplex sit cupiditas, & qua sit mortalis, & qua venialis.

1 Respondeo dicendũ, quòd duplex est cupiditas, vna quidẽ, qua finis in creaturis constituitur, & hæc mortificat totaliter Charitatem, cum sit veneniũ

ipsius, vt Augustinus dicit, & hæc facit, quòd Deus minus ametur, scilicet quàm debet amari ex Charitate, non quidem Charitatem diminuendo, sed eam totaliter tollendo, & sic intelligendum est, quod dicitur, minus te amat, qui tecum aliquid amat, subdit enim, quod nõ propter te amat, quod nõ contingit in peccato veniali, sed solũ in mortali; quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etsi non actu; est autẽ alia cupiditas venialis peccati, quæ semper diminuitur per Charitatem, sed tamen talis cupiditas Charitatẽ diminuere non potest. 2.2.q.24.a.10.ad 2.

Quæritur quando cupiditas sit mortalis, & venialis.

2 Respondeo dicendum, quòd cupiditas tunc est peccatum mortale, quando sine ratione concupiscitur res proximi; sed quando rationabiliter veniale. opusculo 4. cap. 24.

Quæritur an cupiditas sit radix omnium peccatorum.

3 Respondeo dicendum, quòd secundũ quosdã cupiditas tripliciter dicitur vno modo prout est appetitus inordinatus diuitiarum, & sic est speciale peccatum, alio modo secundùm quòd significat inordinatum appetitum cuiuscunq; boni temporalis, & sic est genus omnis peccati nam in omni peccato est inordinata conuersio ad cõmutabile bonum; tertio modo sumitur, prout significat quandam inclinationem naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinatè appetẽda, & sic dicunt cupiditatẽ esse radicem omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quæ ex terra trahit alimentum, sic enim ex amore rerum temporalium omne peccatum procedit, & hæc quidẽ quãuis vera sint, non tamen videntur esse secundum intentionem Apostoli, qui dixit cupiditatem esse radicem omnium peccatorũ, manifestè enim ibi loquitur contra eos, qui cum velint diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli eo quòd radix omnium malorum est cupiditas, vnde manifestum est, quod loquitur de cupiditate secundum quòd est appetitus inordinatus diuitiarum, & secundum hoc dicendum est, quod cupiditas secundum quòd est speciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quæ alimẽtum præstat toti arbori, videmus enim, quod per diuitias homo acquirit facultatẽ perpetrandi quodcunq; peccatum, & adhibendi desiderium cuiuscunq; peccati, eo quòd ad habenda quæcunq; temporalia bona potest homo per pecuniã iuuari secundum quòd dicitur Eccl. 10. pecuniæ obediunt omnia, & secundum hoc patet, quod cupiditas Diuitiarum est radix omnium peccatorũ. p. 2. q. 84. a. 1. in corp. [q. 82. a. 4. ad 3. [p. 2. q. 24 a. 10. ad 2. [q. 119. a. 2. ad 1. [2. sent. d. 5. q. 1. a. 3. ad 1. [d. 22. q. 1. a. 1. ad 5. [d. 42. q. 2. a. 3. ad 1. [q. 8. de malo a. 1. ad 1. [q. 13. a. 1. in corp. [Ecc. 4. cap. 11. primæ ad Corinthias. [Ecc. 2. cap. 6. primæ ad Timotheum.

CVRA ANIMARVM.

1 *Prælatus dicitur simpliciter habere curã alterius.*

Vnusquisq; secũdũ quid habet curã alterius

2 *Diaconus quomodo possit habere curam animarum.*

3 *Tria sunt faciẽda ab habẽte curã animarũ; vt subditi in viã salutis reducãtur, et quę*

4 *Diaconi, & Presbyteri habentes curã animarum non sunt in statu perfectionis, nec ratione ordinis, nec ratione curæ.*

Habentes curam animarum possunt eã relinquere, et transire ad Religionem absq; licentia Episcopi.

Archidiaconus absq; licẽtia Episcopi potest relinquere Archidiaconatũ, et Parochiã.

Episcopi sine auctoritate Papæ non possunt relinquere Episcopatum.

Non omnes Prælati, sed tantum Episcopi sunt in statu perfectionis.

Quæritur quot modis contingat habere curam animarum.

1 Respondeo dicendum, quòd curam alicuius aliquis simpliciter habere potest, & secundum quid; simpliciter quidem curam alicuius habet, cuius dispositioni totum regimen vitæ ipsius subditur, quia prouidentia, & cura respiciunt ordinem ad finem, ad quem homo per totam vitam suam intendat, & sic curã alterius nõ habet aliquis nisi Prælatus, qui habet propter hoc super subditũ imperium; sed secundũ quid quantum ad aliquid, vt ad subueniendũ in aliquo particulari casu quilibet habet curã alterius, quia vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo. Eccl. 17. & secundum Apostolum primæ Corinth. 11. per se inuicem sollicita sunt membra. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæritur quomodo Diaconus possit habere curam animarum.

2 Respondeo dicendum, quòd Diaconus potest habere curam animarũ quantum ad ea, quæ iurisdictionis sunt, sed nõ quantum ad ea, quæ sunt ordinis. 4. sent. d. 13. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. ad 2.

Quæritur quot, & quæ sint facienda ab eo, qui curam alterius habet.

3 Respondeo dicendum, quòd adhoc, quòd homo rectè gradiatur in via salutis tria sunt ei impendenda, ab eo, qui ipsius curam gerit, primo vt in finem rectũ ordinetur, & quantum adhoc dicitur superior inferiorem sibi cõmissum dirigere: secundo vt in cautelã adhibeat, ne à via ad finem ducente discedat, & quantum adhoc dicitur eum regere: tertio, vt si contingat eum discedere, quòd ad viam rectam reducat, & quantum adhoc dicitur ipsum corrigere, quandoq; quidem, vt rectitudo iustitiæ fiat ab eo, quãdo scilicet ille, qui deliquerat emendatur ex cura sibi impensa, quandoq; autem, vt rectitudo iustitiæ de eo fiat per pœnas inflictas, etiam si ille non corrigatur ex parte sua. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 1. in corp.

Quæritur an curam animarum habentes, & Prælati omnes sint in statu perfectionis.

4 Respondeo dicendum, quòd in Præsbiteris, & Diaconibus curam habentibus animarum duo possunt considerari, scilicet ordo, & cura, ordo autem ipse ordinatur ad quędam actum in Diuinis officijs, per hoc autem, quòd aliqui suscipiũt Sacrum ordinem accipiunt potestatem quosdam Sacros actus perficiendi, non autem obligantur ex hoc ipso ad ea, quæ sũt perfectionis, nisi quatenus apud occidentalem Ecclesiam in susceptione Sacri ordinis emittitur continentię votũ, quòd est vnum eorum, quæ ad perfectionem pertinent, vnde patet, quòd ex hoc, quòd aliquis accipit Sacrum ordinem non ponitur simpliciter in statu perfectionis, quamuis interior perfectio adhoc requiratur, quòd aliquis dignè huiusmodi actus excerceat; similiter etiam nec ex parte curæ, quam suscipiunt, ponuntur in statu perfectionis, non enim obligantur ex hoc ipso vinculo perpetuo voti adhoc quòd curam animarum retineant, sed possunt eam deserere, vel transeundo ad Religionem etiam absque licentia Episcopi, vt habetur in Decretis 19. q. 2. & etiam cum licentia Episcopi, potest aliquis Archidiaconus Archidiaconatum, vel Parochiam dimittere, & simplicẽ præbendã accipere sine cura, quòd nullo modo liceret, si esset in statu perfectionis, nemo enim manũ mittẽs ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei, vt dicit Lucæ quinto Episcopi autẽ

quia sunt in statu perfectionis non nisi auctoritate Summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt Episcopalem curam deserere,& ex certis causis, vnde manifestum est, quod non omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi. 2. 2. q. 184.a.6.in corp.

CVRIOSITAS.

1 *Circa intellectiuam cognitionē multiplex est vitium curiositatis.*

2 *Scire secundum se,& addiscere nunquam est malum.*

Per accidens potest esse malum in vtroque.

Contingit esse malum, vel ex parte cognoscibilis, vel ex parte cognoscentis.

Cognoscens peccat dupliciter, primo quando per studium scientiæ impeditur ab executione officij, ad quòd tenetur; secundo quando propter delectationem scientiæ alicuius despicit quòd venereri debebat.

Ex parte cognoscibilis est peccatum, quando cognoscibile de facili inclinat ad malum, & quando cognoscibile est supra potentiam cognoscentis,& quando nullius in se est vtilitatis.

Aliquod est curiosum, & inutile vni quod non erit curiosum & inutile alteri.

3 *Studium phylosophiæ de se est bonum, & laudabile.*

Quando studium phylosophiæ sit illicitum.

4 *Circa sensibilia cognoscenda dupliciter contingit errare, vel non ordinando cognitionem ad vtilia, vel ordinando eam ad aliqua nociua.*

Cognitio sensitiua aliquando est virtuosa studiositas.

5 *Prospicere facta aliorum bono animo laudabile est.*

Prospicere facta aliorum malo animo vitiosum est.

6 *Curiositas est circa cognitionem omnium sensuum.*

7 *Inspectio spectaculorū aliquādo est illicita*

Quæritur an circa intellectiuam cognitionem possit esse curiositas.

1 RЕspondeo dicendum, quòd aliter est iudicandum de ipsa cognitione veritatis, & aliter de appetitu, & studio veritatis cognoscēdæ, ipsa enim veritatis cognitio per se loquendo bona est, potest autem per accidens esse mala ratione scilicet alicuius consequētis, vel inquantum scilicet aliquis de cognitione veritatis superbit secundum illud primæ ad Corinth. 8. scientia inflat, vel inquātum homo vtitur cognitione veritatis ad peccandum; sed ipse appetitus, vel studium cognoscendæ veritatis potest habere rectitudinem, vel peruersitatē, vno quidem modo prout aliquis tendit suo studio in cognitionem veritatis, prout per accidens iungitur ei malū, sicut illi, qui student ad scientiam veritatis, vt inde superbiant, vnde Augustinus dicit in lib. de moribus Eccles. sunt, qui desertis virtutibus,& nescientes quid sit Deus,& quāta sit maiestas semper eodemmet modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus curiosissimè, intentissimèque perquirant; vnde tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo sæpè disputant, sibimet habitare videantur, similiter etiam illi, qui student adinuenire aliquid ad peccandū, vitiosum studium habent secundū illud Hieremiæ nono, docuerunt linguā suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt; alio modo potest esse vitium ex ipsa inordinatione appetitus,& studij ad discendam veritatem, & hoc quadrupliciter, vno modo inquantum per studiū minus vtile trahuntur à studio, quòd eis re ex necessitate incūbit, vnde Hieronymus dicit, Sacerdotes dimissis Euāgelijs, & prophetas videmus comedias legere, vel amatoria bucolicorum versuum verba cantare, alio modo inquantum studet

aliquis

aliquis addiscere ab eo, à quo non licet, sicut patet de his, qui aliqua futura à Dæmonibus perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas, vnde Augustinus dicit in lib. de vera Religione, nescio an phylosophi impedirentur à fide vitio curiositatis in percunctandis Dæmonibus: tertiò quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas nō referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei, vnde Augustinus dicit in lib. de vera Religione, quòd in consideratione creaturarum non est vana, & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus; quarto modo inquantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprij ingenij facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur, vnde dicitur Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, & postea sequitur, multos enim supplantauit suspectio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum. 2.2. q. 167. ar. 1. in corp.

Quæritur an in scientia humanorum sit aliquid noxiæ curiositatis.

2 Respondeo dicendum, quòd scire quantum in se est nunquam malum est, & per consequens, nec addiscere, quia cuius generatio est mala, ipsum est malum, sed per accidens contingit esse malum in sciendo, vel addiscendo, siue considerando; hoc autem accidens potest accidere, vel ex parte cognoscibilis, vel ex parte cognoscentis; ex parte cognoscentis est duplex accidens, vnum est, quando propter occupationem in studio alicuius sciētiæ impeditur ab executione officij, ad quod tenetur, sicut si iudex propter studium Geometriæ desisteret à causis expediendis, vel Sacerdos à confessionibus audiendis, quando eas audire tenetur, aliud est, quando propter delectationem in aliqua scientia veniret in contemptū alicuius, quod reuereri oportet, sicut de Hieronymo accidit, quia tantum delectabatur in ornatu verborū Tullij, quòd dissipiebat ei incultus sermo prophetarum vt ipse dicit, sicut etiā accidit illis, qui tantum inhærent rationibus humanis, quòd à fide discedunt, & eam impugnant: ex parte vero cognoscibilis est triplex accidens, vnum est quādo cognoscibile de facili ad malum inclinat, & præterea in se paruæ vtilitatis est, & propter hoc prohibitæ sunt scientiæ magicæ, ne homo in exercitium earum labatur; aliud est quando cognoscibile est supra potentiam cognoscentis; tertium est, quando in se nullius vtilitatis est, sicut facta contingentia hominum, vnde & curiosi dicuntur, qui sunt scrutatores conscientiarum proximi. In omnibus autem istis tribus contingit, quòd illud, quod est vni curiosum, non est curiosum alteri, quia aliquid est supra vnius intellectum, quod non est supra intellectum alterius, aliquid etiam est vtile vni, quod non est vtile alteri, aliquid etiam facilè in peccatum præcipitat vnum, quod non præcipitat alterum. 3. sent. d. 35. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an studium phylosophiæ sit licitum.

3 Respondeo dicendum, quòd studium phylosophiæ secundum se est licitum, & laudabile propter veritatem, quam phylosophi perceperunt Deo illis reuelante, vt dicitur ad Rom. 1. sed quia quidam phylosophia ab vtūtur ad fidei impugnationem, ideo Apostolus dicit ad Colos. 2. videte, ne quis vos decipiat per phylosophiam, & inanem scientiam secundū traditionem hominum, & non secundum Christum, & Dionisius dicit in epistola ad Policarpum de quibusdam phylosophis, quòd Diuinis non sanctè contra Di-

quia sunt in statu perfectionis non nisi auctoritate Summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt Episcopalem curam deserere, & ex certis causis, vnde manifestum est, quod non omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi. 2. 2. q. 184. a. 6. in corp.

CVRIOSITAS.

1 *Circa intellectiuam cognitionẽ m*
est vitium curiositatis.
2 *Scire secundum se, & addiscer*
est malum.
Per accidens potest esse mal
Contingit esse malum, vel [illegible] a-
scibilis, vel ex parte co [illegible] illa
Cognoscens peccat dupli [illegible] ata in-
per studium scienti [illegible] anus he-
cutione officij, ad a [illegible] n cognitio
quando propter [illegible] uid noxium,
alicuius despic [illegible] ordinatur ad cō-
Ex parte cognosc [illegible] s inquisitio eorũ,
cognoscibile [illegible] ordinatur ad detra-
& quando [illegible] em cognitioni sensi-
tiam cog [illegible] dinatè propter neces-
se est v [illegible] ndæ naturæ, vel propter
Aliquod [illegible] endę veritatis, est virtuo-
non [illegible] irca sensibilem cognitio-
3 *Stud* [illegible] 7. a. 2. in corp.
l

Q [illegible] *sit licitũ inquirere facta aliorũ.*

4

[illegible] pondeo dicendum, quòd prospi- [illegible] a aliorũ, vel inquirere bono ani- [illegible] vel ad vtilitatem propriã, vt scilicet [illegible] ex bonis operibus proximi prouo- [illegible] ad melius, vel etiam ad vtilitatem [illegible], vt scilicet corrigatur, si quid ab eo agitur vitiosè secundum regulam Charitatis, & debitum officij, est laudabile secundum illud ad heb. 10. considerate vos inuicem in prouocationem Charitatis, & bonorum operum, sed quòd aliquis intẽdat ad consideranda vitia proximorum

Quæri [illegible] ndũ, vel detrahendũ, vel saltẽ
[illegible] inquietandũ est vitiosum; vnde
[illegible] prouerb. 24. ne insidieris, quærens
1 [illegible] tem in domo iusti, neque vastes
[illegible] eius. 2. 2. q. 167. a. 2. ad 3.

[illegible] r an quid ordinetur inquisitio factorũ proximi.

[illegible] spondeo dicendum, sicut verbo. De- o.

[illegible] r an circa omnes sensus sit curiositas

Respondeo dicẽdum, quòd circa delectationem cognitionis omniũ sensuum est curiositas, & vocatur concupiscentia oculorum, quia oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principales; vnde omnia sensibilia videri dicuntur, vt Augustinus dicit in 10. lib. confessionum, & sicut Augustinus ibidẽ subdit ex hoc euidentius discernitur quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sẽsus, quid voluptas pulcra, suauia, canora, sapida, lerica sutatur; curiositas autem etiam his contraria tẽtandi causa non ad subeundam molestiã, sed experiendi, noscendiq; libidinẽ. 2. 2. q. 167. a. 2. ad 1.

Quæritur quomodo inspectio spectaculorum reddatur vitiosa.

7 Respondeo dicẽdum, quòd inspectio spectaculorum vitiosa redditur inquantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel emdelitatis per ea, quæ ibi repræsentãtur; vnde Chrisostomus dicit, quòd adulteras inuerecundas cõstituunt tales inspectiones. 2. 2. q. 167. art. 2. ad 2.

CVSTODIRE.

In die prosperitatis se debet homo custodire à diuitijs in tribus, & quibus.

Homo

Homo debet se custodire in nocte aduersitatis tria considerando, & quæ.

[Qu]æritur quomodo se debeat homo custodire [i]n prosperitatibus, & aduersitatibus.

[Res]pondeo dicendum, quòd homo [debe]t se custodire in die prosperi[tati]s, primo ne eas eligat con[tra] [...]m vilitatem, philip. 3. quæ [...]a, hæc arbitratus sum [...]o in eis confidat con[...]tatem Eccl. 2. vidi [...]; tertio ne de eis [...]ndo earum imminẽ[...]m Eccl. 11. in die bonorũ [...]is malorũ; item debet se [...] in nocte aduersitatis, primo cõ[siderand]o percutientis affectũ prouerb. 3. [disc]iplinã Patris fili mi ne abijcias, ne de[fi]cias, cũ ab eo coriperis; secundo considerando percussi Christi exemplũ heb. 12 recogitate eũ, qui talẽ sustinuit à peccatoribus aduersũ semetipsũ contradictionẽ; tertio considerando percussionis fructũ 2. Corinth. 4. id enim, quòd in præsẽti est momentaneũ, & luce tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitatẽ æternam gloriæ pondus operatur in nobis. super cap. 21. Isaiæ.

DAMNVM.

De illis, qui tenentur restituere damna. Cap. I.

1 *Dare occasionẽ damni alicui est illicitum.*
2 *Nouem genera personarum tenentur restituere damna.*
Iubens, consentiens, participans, nõ obstans, is, ad quem fit recursus semper tenentur ad restitutionem.
Alij non obligant, nisi in certis casibus, & quibus.
Quando principalis restituit, alij non tenentur ad restitutionem.

Quæritur an sit illicitum dare alicui occasionem damni.

1 Espondeo dicendum, quòd dare alicui occasionẽ periculi, vel damno sẽper est illicitũ. 2. 2. q. 77. a. 7. in corp.

Quæritur quid nam sint, qui teneantur ad restitutionem.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam versus dantur de illis, qui tenentur ad restitutionem tales.

Iussio, consilium, consensus, Palpo, recursus; Participans, mutus non obstans, non manifestans.

Sed tantum quinq; istorum sunt, quę ad restitutionem semper obligant, quorum primum est iussio, quando aliquis iubet aliquem deprædari, alias Tyranni nõ tenerentur ad restitutionem; secundum est consensus ad rapinam perpetrandam in eo, sine quo rapina fieri non poterat; tertium est recursus, quando scilicet aliquis receptator latronum est, & eis patrociniũ præstat; quantum est participatio, quando aliquis latroni se sociat ad spoliandũ, & partem spoliarum accipit: quintũ est non obstans, cum scilicet ex officio obstare tenetur, vt Principes terræ, qui iustitiã seruare debent, si non obstant, cũ obstare possint, ad restitutionem tenẽtur; in alijs autem causis enumeratis non obligatur semper quis ad restitutionẽ, nisi incertis casibus, quãdo probabiliter credit, quòd consiliũ suũ fuit efficax, & quòd alias iniusta ablatio cõmissa non fuisset; similiter etiã non omnis Palpo, idest adulator ad restitutionẽ tenetur, sed ille, qui adulãdo ad aufferendũ incitat dicens, hoc signum strenuitatis esse; similiter ẽt mutus dicitur, qui ex officio reclamare tenetur, & nõ reclamat, nec tunc semper tenetur ad restitutionem, nisi operetur, vt fiat iniusta oblatio, sed debet reducere cũ, q obstulit vt

Quaritur in quo differat crudelitas à sæuitia, & feritate.

5 Respondeo dicendum, quòd nomen sæuitiæ, & feritatis à similitudine ferarum accipitur, quæ etiam dicuntur sæuę, huiusmodi enim animalia nocent hominibus, vt ex eorum corporibus pascantur non ex aliqua iustitiæ causa, cuius consideratio pertinet ad solam rationem, & ideò propriè loquendo feritas, vel sæuitia dicitur secundum quam aliquis in pænis inferendis non considerat aliquã culpam eius, qui punitur, sed solum hoc, quòd delectatur in hominum cruciatu, & sic patet, quòd continetur sub bestialitate, nàm talis delectatio non est humana, sed bestialis prouueniens, vel ex mala consuetudine, vel corruptione naturæ, sicut & aliæ hujusmodi bestiales affectiones, sed crudelitas non solum attendit culpã in eo, qui punitur, sed excedit modum in puniendo, & ideo crudelitas differt à sæuitia, siue feritate, sicut malitia humana à Bestialitate, vt dicitur 7. eth. 2. 2. q. 159. a. 2. in corp.

CVLPA.

1 *Ratio culpæ in quo consistat.*
2 *Culpa mortalis tollit gratiam.*
Quadam culpa est contra rationem.
Quędam contra naturam.
Quędam culpa est crimen.
Quędam culpa est Blasphemia.
3 *Culpa propter se est vitanda, non ratione pænę.*
4 *Per culpam mortalem perfectè est separatio à Deo.*
Per peccatum veniale imperfectè.
Remissio culpę per quid fiat.
5 *Per Baptismum, & martirium fit totalis remissio culpę, & pænę.*

Quęritur in quo consistat ratio culpę.

1 Respondeo dicendum, quòd ratio culpæ consistit in voluntaria recessione à Deo. 2. 2. q 34. a. 2. in corp.

Quæritur quid sit culpa mortalis, & quotuplex sit genus culparum.

2 Respondeo dicendum, quòd culpa mortalis est, quæ gratiam tollit; per quã est vita animæ, & sic omnis culpa mortalis est contra gratiam, sed quędã est contra rationem, vt periurium, quædam etiã contra naturam, vt sodomia, quędam autem est crimen, quæ est digna accusatione in iuditio, quędam autem est blasphemia, quæ est impositio alicuius falsi in Deum, vel ei subtrahendo, quòd inest, vel attribuendo, quod nõ inest. 4. sent. d. 14. in expositione litteræ.

Quæritur an culpa sit propter se vitanda.

3 Respondeo dicendum, quòd culpa est propter se vitanda etiam si nulla pæna sequeretur, vnde virtuosus plus culpam, quam pænam fugit, ad quem oportet mensurare actus aliorum hominum, vt phylosophus in 3. eth. dicit. 2. sent. d. 37. a. 2. ad 4.

Quæritur per quid fiat remissio culpæ.

4 Respondeo dicendum, quòd remissio culpæ fit per coniunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter separat culpa, sed hęc separatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per peccatum veniale, nam per peccatũ mortale mens omnino à Deo auertitur, vt potè contra Charitatem agens, per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur. 3. p. q. 87. a. 1. in corp.

Quæ-

Quaritur per quid fiat totalis remissio culpa, & pœna.

5 Respondeo dicendum, quòd nullus peruenit ad vitam æternam nisi absolutus ab omni culpa, & reatu pœnæ, quæ quidem vniuersalis absolutio fit in perceptione Baptismi, & in martyrio, propter quod dicitur, quòd in martyrio omnia Sacramenta Baptismi complentur, scilicet quantum ad plenam liberationē à culpa, & pœna. 3.p.q.68.a.2.ad 2.

CVLTVS.

1 *Quid sit cultus Dei.*
2 *Eusebia & Theosebia debetur Deo.*
3 *Cultus Diuinus ad tria ordinatur.*
4 *Eucharistia, Ordo, & Baptismus pertinent ad cultum Dei.*
5 *Cultus Dei est duplex scilicet interior, & exterior.*
Cultus Dei exterior ordinatur ad interiorem.
In quo consistat cultus interior Dei.
Cultus exterior diuersimodè reperitur in diuersis statibus.
6 *Ad quid præcipuè ordinatur cultus exterior Dei.*
7 *Cultus Dei exterior præcipitur in tertio præcepto Decalogi.*
8 *A cultu Dei interiori impediuntur homines per peccata.*
A cultu exteriori impediebantur olim per quasdam corporales immundicias.
9 *Cultus exterior perniciosus quis sit.*
Duobus modis contingit esse perniciosum cultum Dei exteriorem, scilicet ex parte rei significatæ, & ex parte colentis.
10 *Secundum quantitatem absolutam non potest esse aliquod superfluum in cultu Diuino.*
Quod nam sit superfluum in cultu Diuino exteriori secundum quantitatem proportionis.

Quaritur quid sit cultus Dei.

1 Respondeo dicendum, quòd omnis cultus Dei est quædam fidei protestatio. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 1. ad 4.

Quaritur qui cultus debeatur Deo.

2 Respondeo dicēdum, quòd quia specialis honor debetur Deo tanquam primo omnium principio, etiam specialis ratio cultus ei debetur, quæ Græco nomine vocatur Eusebia, vel Theosebia, vt patet per Augustinum 10. de Ciuit. Dei, 2.2. q.81. a.1. ad 4.

Quaritur ad quid ordinetur cultus Diuinus.

3 Respondeo dicendum, quòd ordinatur primo Diuinus cultus ad reuerentiā Deo exhibendam; secundo ordinatur ad hoc, quòd homo instruatur à Deo, quem colit; tertio ordinatur Diuinus cultus ad quandam directionem humanorū actuū secundum instituta Dei, qui colitur. 2.2. q.92. a.2. in corp.

Quaritur quomodo aliqua Sacramenta pertineant ad cultum Dei.

4 Respondeo dicēdum, quòd pertinet aliquod Sacramentum ad Diuinum cultū tripliciter, vno modo per modū ipsius actionis, alio modo per modum agentis, tertio modo per modum recipientis; per modum quidem ipsius actionis pertinet ad Diuinum cultum Eucharistia, in qua principaliter Diuinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiæ Sacrificiū: ad agētes in Sacrificijs pertinet Sacramentum Ordinis, quia per hoc Sacramentū deputātur homines ad Sacramēta alijs tradēda; sed ad recipientes pertinet Sacramētū Baptismi, quia per ipsū homo accipit potestatē recipiendi alia Ecclesiæ Sacramēta, vnde Baptismus dicitur esse Ianua omnium Sacramentorum. 3.p.q.63.a.6. in corp.

Quæritur quotuplex sit cultus Dei.

5 Respondeo dicendum, quòd est duplex cultus Dei, interior, & exterior, cum enim homo sit compositus ex anima, & corpore, vtrumq; debet applicari ad colendum Deum, vt scilicet anima colat interiori cultu, & corpus exteriori, vnde dicitur in Psalm. 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ, & sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum; consistit autem interior cultus in hoc, quod anima cõiungatur Deo per intellectũ, & affectũ, & ideo secundũ quòd diuersimodè intellectus, & affectus colentis Deo rectè coniungitur, secundũ hoc diuersimodè exteriores actus hominis ad cultũ Dei applicãtur; in statu enim futurę Beatitudinis intellectus humanus ipsam Diuinã veritatem in se ipsa intuebitur, & ideo exterior cultus non cõsistet in aliqua figura, sed solũ in laude Dei, quę procedit ex interiori cognitione, & affectione secundũ illud Isaiæ 51. gaudiũ, & lætitia inueniẽtur in ea, gratiarũ actio, & vox laudis: in statu autẽ præsẽtis vitæ nõ possumus Diuinam veritatẽ in se ipsa intueri, sed oportet, quod radius Diuinę veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris, sicut Dionisius dicit primo cap. cęlestis Hierarchiæ, diuersimodè tñ secundũ diuersum statum cognitionis humanæ, in veteri etenim lege neq; ipsa Diuina veritas in se ipsa manifesta erat, neq; ẽt adhuc propalata erat via adhoc perueniẽdi, sicut Apostolus dicit ad heb. 7. & ideo oportebat exteriorẽ cultũ veteris legis non solũ esse figuratiuum futuræ veritatis manifestandę in Patria, sed etiã esse figuratiuũ Christi, qui est via ducens ad illã Patriæ veritatẽ; sed in statu nouæ legis hæc via iam est reuelata, vnde hanc pręfigurari nõ oportet, sicut futuram, sed commemorari oportet per modũ præteriti, vel præsentis, sed solũ oportet præfigurari futurã veritatẽ gloriæ nondũ reuelatam, & hoc est, quod Apostolus dicit ad heb. 10. vmbrã habet lex futurorũ bonorũ, nõ ipsã imaginẽ rerũ, vmbra .n. minus est, quã imago, tanquam imago pertineat ad nouã legẽ, vmbra vero ad veterẽ. p. 2. q. 91. a. 2. in corp. [q. 102. a. 5. ad 4.

Quæritur ad quid præcipuè ordinetur cultus Dei exterior.

6 Respondeo dicẽdum, quòd totus exterior cultus Dei adhoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reuerentia habeant. p. 2. q. 102. a. 4. in corp.

Quæritur quo præcepto Decalogi præcipiatur exterior Dei cultus.

7 Respondeo dicendũ, quòd quia præcepta Decalogi sunt quasi quædã prima, & cõmunia legis principia, ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo cõmunis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi. 2. 2. q. 122. a. 4. in corp.

Quæritur per quid homines impediantur à cultu Dei.

8 Respondeo dicendum, quòd à cultu spirituali impediuntur homines per peccata, quibus homines pollui dicebantur, sicut per idolatriã, & homicidiũ, per adulteria, & incestus, & ab istis pollucionibus purificabantur homines per aliqua sacrificia, vel cõmuniter oblata pro tota multitudine, vel etiã pro peccatis singulorũ, non quod sacrificia illa carnalia haberẽt ex se ipsis virtutem expiandi peccatum, sed quia significabant expiationem peccatorum futuram per Christum, cujus participes erant etiam antiqui protestãtes fidem Redemptoris in figuris sacrificiorum, à cultu vero exteriori impediebantur homines per quasdam immunditias corporales, p. 2. q. 102. a. 5. ad 4.

Quæ-

Quaritur an in cultu Dei exteriori possit esse aliquid pernitiosum.

9 Respondeo dicēdum, quòd sicut Augustinus dicit in libro contra mendaciū, Mendaciū maximè perniciosū est, quod fit in his, quæ ad Christianam Religionē pertinent, est autem mendacium, cū aliquis exterius significat contrarium veritati, sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto, & in tali significatione facti consistit exterior Religionis cultus, & ideo si per cultū exteriorem aliquid falsum significatur, erit cultus perniciosus, hoc autē contingit dupliciter, vno quidem modo ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultus, & hoc modo tempore nouæ legis peractis iam misterijs perniciosum est vti cæremonijs veteris legis, quibus Christi misteria figurabātur futura, sicut etiam perniciosum esset, si quis non confiteretur Christū esse passum; alio modo potest cōtingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu cōmuni, qui per ministros exhibetur in persona toti' Ecclesię, sicut .n. falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quę nō essent ei cōmissa ita vitiū falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum Diuina auctoritate ab Ecclesia constitutum, vnde Ambrosius dicit, indignus est, qui aliter celebrat misterium, quā Christus tradidit, & propter hoc etiam glosa dicit ad Colosſ. 2. quòd superstitio est, quādo traditioni humanę Religionis nomen applicatur. 2.2.q.93.a.1.in corp.

Quaritur an in cultu Dei possit esse aliquid superfluum.

10 Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur superfluum dupliciter, vno modo secundum absolutam quantitatem; & secundum hoc nō potest esse aliquid superfluum in Diuino cultu, quia nihil potest homo facere, quod nō sit minus eo, quod Deo debet, alio modo potest esse aliquid superfluum secundū quantitatē proportionis, quia scilicet nō est fini proportionatum, finis autē Diuini cultus est, vt homo Deo det gloriā, & ei se subijciat mente, & corpore, & ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quòd mens hominis Deo subijciatur, & etiā corpus per moderatā refrænationem concupiscentiarū secundum Dei, & Ecclesiæ ordinationē, & consuetudinem eorū, quibus homo conuiuit, nō est superfluū in Diuino cultu; si autē aliquid fit, quod quantum est de se non pertinet ad Dei gloriā, neq; adhoc quòd mens hominis feratur in Deū, aut quòd carnis concupiscentiæ moderatè refrænantur, aut etiā si pręter Dei, & Ecclesię institutionē, vel contra consuetudinē cōmunem, quæ secundū Augustinū pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluū, & superstitiosum, quia in exterioribus solū consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet, vnde Augustinus in libro de vera Religione inducit, quod dicitur Lucæ 17. regnum Dei intra uos est, loquitur cōtra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt. 2.2. q.93.a.2. in corp.

CVPIDITAS.

1 *Quę sit cupiditas mortalis, et quę venialis*

2 *Quando res proximi cōcupiscitur sine ratione, est peccatum mortale.*

Quando res proximi concupiscitur rationabiliter, est peccatum veniale.

3 *Cupiditas vt est speciale peccatum, est radix omnium malorum.*

Quomodo cupiditas Diuitiarum sit radix omnium peccatorum.

Quaritur quotuplex sit cupiditas, & qua sit mortalis, & qua venialis.

1 RESpondeo dicendū, quòd duplex est cupiditas, vna quidē, qua finis in creaturis constituitur, & hæc mortificat totaliter Charitatem, cum sit venenū

ipsius, vt Augustinus dicit, & hæc facit, quòd Deus minus ametur, scilicet quàm debet amari ex Charitate, non quidem Charitatem diminuendo, sed eam totaliter tollendo, & sic intelligendum est, quod dicitur, minus te amat, qui tecum aliquid amat, subdit enim, quod nō propter te amat, quod nō contingit in peccato veniali, sed solū in mortali; quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etsi non actu; est autē alia cupiditas venialis peccati, quæ semper diminuitur per Charitatem, sed tamen talis cupiditas Charitatē diminuere non potest. 2.2.q.24.a.10. ad 2.

Quæritur quando cupiditas sit mortalis, & venialis.

2 Respondeo dicendum, quòd cupiditas tunc est peccatum mortale, quando sine ratione concupiscitur res proximi, sed quando rationabiliter veniale. opusculo 4. cap. 24.

Quæritur an cupiditas sit radix omnium peccatorum.

3 Respondeo dicendum, quòd secundū quosdā cupiditas tripliciter dicitur vno modo prout est appetitus inordinatus diuitiarum, & sic est speciale peccatum, alio modo secundum quòd significat inordinatum appetitum cuiuscunq; boni temporalis, & sic est genus omnis peccati nam in omni peccato est inordinata conuersio ad cōmutabile bonum; tertio modo sumitur, prout significat quandam inclinationem naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinatè appetēda, & sic dicunt cupiditatē esse radicem omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quæ ex terra trahit alimentum, sic enim ex amore rerum temporalium omne peccatum procedit, & hæc quidē quāuis vera sint, non tamen videntur esse secundum intentionem Apostoli, qui dixit cupiditatem esse radicem omnium peccatorū, manifestè enim ibi loquitur contra eos, qui cum velint diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli eo quòd radix omnium malorum est cupiditas, vnde manifestum est, quod loquitur de cupiditate secundum quòd est appetitus inordinatus diuitiarum, & secundum hoc dicendum est, quod cupiditas secundum quòd est speciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quæ alimētum præstat toti arbori, videmus enim, quod per diuitias homo acquirit facultatē perpetrandi quodcunq; peccatum, & adhibendi desiderium cuiuscunq; peccati, eo quòd ad habenda quæcunq; temporalia bona potest homo per pecuniā iuuari secundum quòd dicitur Eccl. 10. pecuniæ obediunt omnia, & secundum hoc patet, quod cupiditas Diuitiarum est radix omnium peccatorū. p. 2.q.84.a.1. in corp. [q.82.a.4.ad 3.[p.2.q.24 a.10. ad 2. [q. 119.a.2.ad 1.[2.sent.d.5.q.1.a.3.ad 1.[d. 22.q.1.a.1.ad 5.[d.42.q.2.a.3.ad 1. [q.8. de malo a.1.ad 1.[q.13.a.1.in corp.[Ecc. 4.cap.11.primæ ad Corinthias. [Ecc. 2. cap.6.primæ ad Timotheum.

CVRA ANIMARVM.

1 *Prælatus dicitur simpliciter habere curā alterius.*

Vnusquisq; secūdū quid habet curā alterius

2 *Diaconus quomodo possit habere curam animarum.*

3 *Tria sunt faciēda ab habēte curā animarū; vt subditi in viā salutis reducātur, et quę*

4 *Diaconi, & Presbyteri habentes curā animarum non sunt in statu perfectionis, nec ratione ordinis, nec ratione curæ.*

Habentes curam animarum possunt tā relinquere, et transire ad Religionem absq; licentia Episcopi.

Archidiaconus absq; licētia Episcopi potest relinquere Archidiaconatū, et Parochiā.

Episcopi sine auctoritate Papæ non possunt relinquere Episcopatum.

Non

Non omnes Prælati, sed tantum Episcopi sunt in statu perfectionis.

Quæritur quot modis contingat habere curam animarum.

1 Respondeo dicendum, quòd curam alicuius aliquis simpliciter habere potest,& secundum quid; simpliciter quidem curam alicuius habet, cuius dispositioni totum regimen vitæ ipsius subditur, quia prouidentia, & cura respiciunt ordinem ad finem, ad quem homo per totam vitam suam intendat,& sic curã alterius nõ habet aliquis nisi Prælatus, qui habet propter hoc super subditũ imperium; sed secundũ quid quantum ad aliquid, vt ad subueniendũ in aliquo particulari casu quilibet habet curã alterius, quia vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo. Eccl. 17.& secundum Apostolum primæ Corinth. 11. per se inuicem sollicita sunt membra. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæritur quomodo Diaconus possit habere curam animarum.

2 Respondeo dicendum, quòd Diaconus potest habere curam animarũ quantum ad ea, quæ iurisdictionis sunt, sed nõ quantum ad ea, quæ sunt ordinis. 4. sent. d. 13. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. ad 2.

Quæritur quot, & quæ sint facienda ab eo, qui curam alterius habet.

3 Respondeo dicendum, quòd adhoc, quòd homo rectè gradiatur in via salutis tria sunt ei impendenda, ab eo, qui ipsius curam gerit, primo vt in finem rectũ ordinetur,& quantum adhoc dicitur superior inferiorem sibi cõmissum dirigere: secundo vt in cautelã adhibeat, ne à via ad finem ducente discedat, & quantum adhoc dicitur eum regere: tertio, vt si contingat eum discedere, quòd ad viam rectam reducat, & quantum adhoc dicitur ipsum corrigere, quandoq; quidem, vt rectitudo iustitiæ fiat ab eo, quãdo scilicet ille, qui deliquerat emendatur ex cura sibi impensa, quandoq; autem, vt rectitudo iustitiæ de eo fiat per pęnas inflictas, etiam si ille non corrigatur ex parte sua. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 1. in corp.

Quæritur an curam animarum habentes, & Prælati omnes sint in statu perfectionis.

4 Respondeo dicendum, quòd in Præsbiteris,& Diaconibus curam habentibus animarum duo possunt considerari, scilicet ordo,& cura, ordo autem ipse ordinatur ad quędam actum in Diuinis officijs, per hoc autem, quòd aliqui suscipiũt Sacrum ordinem accipiunt potestatem quosdam Sacros actus perficiendi, non autem obligantur ex hoc ipso ad ea, quæ sũt perfectionis, nisi quatenus apud occidentalem Ecclesiam in susceptione Sacri ordinis emittitur continentię votũ, quòd est vnum eorum, quæ ad perfectionem pertinent, vnde patet, quòd ex hoc, quòd aliquis accipit Sacrum ordinem non ponitur simpliciter in statu perfectionis, quamuis interior perfectio adhoc requiratur, quòd aliquis dignè huiusmodi actus exerceat; similiter etiam nec ex parte curæ, quam suscipiunt, ponuntur in statu perfectionis, non enim obligantur ex hoc ipso vinculo perpetuo voti adhoc quòd curam animarum retineant, sed possunt eam deserere, vel transeundo ad Religionem etiam absque licentia Episcopi, vt habetur in Decretis 19. q. 2. & etiam cum licentia Episcopi, potest aliquis Archidiaconus Archidiaconatum, vel Parochiam dimittere, & simplicẽ præbendã accipere sine cura, quòd nullo modo liceret, si esset in statu perfectionis, nemo enim manũ mittẽs ad aratrum,& respiciens retro, aptus est regno Dei, vt dicit Lucæ quinto Episcopi autẽ quia,

quia sunt in statu perfectionis non nisi auctoritate Summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt Episcopalem curam deserere,& ex certis causis, vnde manifestum est, quod non omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi. 2. 2. q. 184. a. 6. in corp.

CVRIOSITAS.

1 *Circa intellectiuam cognitionẽ multiplex est vitium curiositatis.*

2 *Scire secundum se, & addiscere nunquam est malum.*

Per accidens potest esse malum in vtroque.

Contingit esse malum, vel ex parte cognoscibilis, vel ex parte cognoscentis.

Cognoscens peccat dupliciter, primo quando per studium scientiæ impeditur ab executione officij, ad quòd tenetur; secundo quando propter delectationem scientiæ alicuius despicit quòd revereri debebat.

Ex parte cognoscibilis est peccatum, quando cognoscibile de facili inclinat ad malum, & quando cognoscibile est supra potentiam cognoscentis, & quando nullius in se est vtilitatis.

Aliquod est curiosum, & inutile vni quod non erit curiosum & inutile alteri.

3 *Studium phylosophiæ de se est bonum, & laudabile.*

Quando studium phylosophiæ sit illicitum.

4 *Circa sensibilia cognoscenda dupliciter contingit errare, vel non ordinando cognitionem ad vtilia, vel ordinando eam ad aliqua nociua.*

Cognitio sensitiua aliquando est virtuosa studiositas.

5 *Prospicere facta aliorum bono animo laudabile est.*

Prospicere facta aliorum malo animo vitiosum est.

6 *Curiositas est circa cognitionem omnium sensuum.*

7 *Inspectio spectaculorũ aliquãdo est illicita*

Quæritur an circa intellectiuam cognitionem possit esse curiositas.

1 RESpondeo dicendum, quòd aliter est iudicandum de ipsa cognitione veritatis, & aliter de appetitu, & studio veritatis cognoscẽdæ, ipsa enim veritatis cognitio per se loquendo bona est, potest autem per accidens esse mala ratione scilicet alicuius consequẽtis, vel inquantum scilicet aliquis de cognitione veritatis superbit secundum illud primæ ad Corinth. 8. scientia inflat, vel inquãtum homo vtitur cognitione veritatis ad peccandum; sed ipse appetitus, vel studium cognoscendæ veritatis potest habere rectitudinem, vel peruersitatẽ, vno quidem modo prout aliquis tendit suo studio in cognitionem veritatis, prout per accidens iungitur ei malũ, sicut illi, qui student ad scientiam veritatis, vt inde superbiant, vnde Augustinus dicit in lib. de moribus Eccles. sunt, qui desertis virtutibus,& nescientes, quid sit Deus,& quãta sit maestas semper eodemmet modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus curiosissimè, intentissimèque perquirant; vnde tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo sæpè disputant, sibimet habitare videantur, similiter etiam illi, qui student adinuenire aliquid ad peccandũ, vitiosum studium habent secundũ illud Hieremiæ nono, docuerunt linguã suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt; alio modo potest esse vitium ex ipsa inordinatione appetitus, & studij ad discendam veritatem, & hoc quadrupliciter, vno modo inquantum per studiũ minus vtile trahuntur à studio, quòd eis re ex necessitate incũbit, vnde Hieronymus dicit, Sacerdotes dimissis Euãgelijs, & prophetas videmus comedias legere, vel amatoria bucolicorum versuum verba cantare, alio modo inquantum studet

aliquis

aliquis addiscere ab eo, à quo non licet, sicut patet de his, qui aliqua futura à Dæmonibus perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas, vnde Augustinus dicit in lib. de vera Religione. nescio an phylosophi impedirentur à fide vitio curiositatis in percunctandis Dæmonibus: tertiò quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas nō referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei, vnde Augustinus dicit in lib. de vera Religione, quòd in consideratione creaturarum non est vana, & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus; quarto modo inquantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprij ingenij facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur, vnde dicitur Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, & postea sequitur, multos enim supplantauit suspectio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum. 2.2. q. 167. ar. 1. in corp.

Quæritur an in scientia humanorum sit aliquid noxiæ curiositatis.

2 Respondeo dicendum, quòd scire quantum in se est nunquam malum est, & per consequens, nec addiscere, quia cuius generatio est mala, ipsum est malum, sed per accidens contingit esse malum in sciendo, vel addiscendo, siue considerando; hoc autem accidens potest accidere, vel ex parte cognoscibilis, vel ex parte cognoscentis; ex parte cognoscentis est duplex accidens, vnum est, quando propter occupationem in studio alicuius sciētiæ impeditur ab executione officij, ad quod tenetur, sicut si iudex propter studium Geometriæ desisteret à causis expediendis, vel Sacerdos à confessionibus audiendis, quando eas audire tenetur, aliud est, quando propter delectationem in aliqua scientia veniret in contemptū alicuius, quod reuereri oportet, sicut de Hieronymo accidit, quia tantum delectabatur in ornatu verborū Tullij, quòd dissipiebat ei incultus sermo prophetarum vt ipse dicit, sicut etiā accidit illis, qui tantum inhærent rationibus humanis, quod à fide discedunt, & eam impugnant: ex parte vero cognoscibilis est triplex accidens, vnum est quādo cognoscibile de facili ad malum inclinat, & præterea in se paruæ vtilitatis est, & propter hoc prohibitæ sunt scientiæ magicæ, ne homo in exercitium earum labatur; aliud est quando cognoscibile est supra potentiam cognoscentis; tertium est, quando in se nullius vtilitatis est, sicut facta contingentia hominum, vnde & curiosi dicuntur, qui sunt scrutatores conscientiarum proximi. In omnibus autem istis tribus contingit, quòd illud, quod est vni curiosum, non est curiosum alteri, quia aliquid est supra vnius intellectum, quod non est supra intellectum alterius, aliquid etiam est vtile vni, quod non est vtile alteri, aliquid etiam facilè in peccatum præcipitat vnum, quod non præcipitat alterum. 3. sent. d. 35. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an studium phylosophiæ sit licitum?

3 Respondeo dicendum, quòd studium phylosophiæ secundum se est licitum, & laudabile propter veritatem, quam phylosophi perceperunt Deo illis reuelante, vt dicitur ad Rom. 1. sed quia quidam phylosophia abvtūtur ad fidei impugnationem, ideo Apostolus dicit ad Colos. 2. videte, ne quis vos decipiat per phylosophiam, & inanem scientiam secundū traditionem hominum, & non secundum Christum, & Dionisius dicit in epistola ad Policarpum de quibusdam phylosophis, quòd Diuinis non sanctè contra Di-

uina vtuntur per sapientiam Dei tentantes expellere Diuinã venerationem. 2.2. q.167.a.1.ad 3.

Quæritur an vitium curiositatis sit circa sensitiuam cognitionem.

4 Respondeo dicendum, quòd apponere studium circa sensibilia cognoscenda dupliciter potest esse vitiosum, vno modo inquantum cognitio sensitiua non ordinatur in aliquod vtile, sed potius auertit hominem ab vtili consideratione; vnde Augustinus dicit in 10. Confessionum currentem post leporem non inspecto cũ in circo fit, at vero in agro si casu transeam auertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atq; ad se conuertit illa venatio, & nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea, cito admoneas, vanus hebesco: alio modo inquantum cognitio sensitiua ordinatur ad aliquid noxium, sicut inspectio mulieris ordinatur ad cõcupiscendum, & diligens inquisitio eorũ, quæ ab alijs fiunt, ordinatur ad detrahendum, si quis autem cognitioni sensibilium intendit ordinatè propter necessitatem sustendandæ naturæ, vel propter studium intelligendę veritatis, est virtuosa studiositas circa sensibilem cognitionem. 2.2.q.167.a.2.in corp.

Quæritur an sit licitũ inquirere facta aliorũ.

5 Respondeo dicendum, quòd prospicere facta aliorũ, vel inquirere bono animo, vel ad vtilitatem propriã, vt scilicet homo ex bonis operibus proximi prouocetur ad melius, vel etiam ad vtilitatem illius, vt scilicet corrigatur, si quid ab eo agitur vitiosè secundum regulam Charitatis, & debitum officij, est laudabile secundum illud ad heb. 10. considerate vos inuicem in prouocationem Charitatis, & bonorum operum, sed quòd aliquis intẽdat ad considerãda vitia proximorum ad despiciendũ, vel detrahendũ, vel saltẽ inutiliter inquietandũ est vitiosum; vnde dicitur prouerb. 24. ne insidieris, quærens impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius. 2. 2. q. 167. a. 2. ad 3.

Quaritur an quid ordinetur inquisitio factorũ proximi.

Respondeo dicendum, sicut verbo. Detractio.

Quaritur an circa omnes sensus sit curiositas

6 Respondeo dicẽdum, quòd circa delectationem cognitionis omniũ sensuum est curiositas, & vocatur concupiscentia oculorum, quia oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principales; vnde omnia sensibilia videri dicuntur, vt Augustinus dicit in 10. lib. confessionum, & sicut Augustinus ibidẽ subdit ex hoc euidentius discernitur quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sẽsus, quid voluptas pulcra, suauia, canora, sapida, lerica sutatur; curiositas autem etiam his contraria tẽtandi causa non ad subeundam molestiã, sed experiendi, noscendiq; libidinẽ. 2.2. q. 167. a. 2. ad 1.

Quaritur quomodo inspectio spectaculorum reddatur vitiosa.

7 Respondeo dicẽdum, quòd inspectio spectaculorum vitiosa redditur inquantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel emdelitatis per ea, quæ ibi repręsentãtur; vnde Chrisostomus dicit, quòd adulteras inuerecundas cõstituunt tales inspectiones. 2. 2. q. 167. art. 2. ad 2.

CVSTODIRE.

In die prosperitatis se debet homo custodire à diuitijs in tribus, & quibus.

Homo

Homo debet se custodire in nocte aduersitatis tria considerando,& quæ.

Quæritur quomodo se debeat homo custodire in prosperitatibus,& aduersitatibus.

RESpondeo dicendum, quòd homo debet se custodire in die prosperitatis à diuitijs, primo ne eas eligat considerando earum vilitatem, philip.3. quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum detrimenta; secundo in eis confidat considerando earum vanitatem Eccl. 2. vidi in omnibus vanitatem; tertio ne de eis superbiat considerando earum imminẽtem aduersitatem Eccl. 11. in die bonorũ ne immemor sis malorũ; item debet se custodire in nocte aduersitatis, primo cõsiderãdo percutientis affectũ prouerb. 3. disciplinã Patris fili mi ne abijcias, ne deficias, cũ ab eo coriperis; secundo considerando percussi Christi exemplũ heb. 12 recogitate eũ, qui talẽ sustinuit à peccatoribus aduersũ semetipsũ contradictionẽ; tertio considerando percussionis fructũ 2. Corinth. 4. id enim, quòd in præsẽti est momentaneũ, & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitatẽ æternam gloriæ pondus operatur in nobis. super cap. 21. Isaiæ.

DAMNVM.

De illis, qui tenentur restituere damna. Cap. I.

1 *Dare occasionẽ damni alicui est illicitum.*
2 *Nouem genera personarum tenentur restituere damna.*

Iubens, consentiens, participans, nõ obstans, is, ad quem fit recursus semper tenentur ad restitutionem.

Alij non obligant, nisi in certis casibus,& quibus.

Quando principalis restituit, alij non tenentur ad restitutionem.

Quæritur an sit illicitum dare alicui occasionem damni.

1 Espondeo dicendum, quòd dare alicui occasionẽ periculi, vel damno sẽper est illicitũ. 2 2. q. 77. a. 7. in corp.

Quæritur quid nam sint, qui teneantur ad restitutionem.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam versus dantur de illis, qui tenentur ad restitutionem tales.

Iussio, consilium, consensus, Palpo, recursus; Participans, mutus non obstans, non manifestans.

Sed tantum quinq; istorum sunt, quę ad restitutionem semper obligant, quorum primum est iussio, quando aliquis iubet aliquem deprædari, alias Tyranni nõ tenerentur ad restitutionem; secundum est consensus ad rapinam perpetrandam in eo, sine quo rapina fieri non poterat; tertium est recursus, quando scilicet aliquis receptator latronum est, & eis patrociniũ præstat; quartum est participatio, quando aliquis latroni se sociat ad spoliandũ, & partem spoliarum accipit: quintũ est non obstans, cum scilicet ex officio obstare tenetur, vt Principes terræ, qui iustitiã seruare debent, si non obstant, cũ obstare possint, ad restitutionem tenẽtur; in alijs autem causis enumeratis non obligatur semper quis ad restitutionẽ, nisi incertis casibus, quãdo probabiliter credit, quòd consiliũ suũ fuit efficax, & quòd alias iniusta ablatio cõmissa non fuisset; similiter etiã non omnis Palpo, idest adulator ad restitutionẽ tenetur, sed ille, qui adulãdo ad aufferendũ incitat dicens, hoc signum strenuitatis esse; similiter ẽt mutus dicitur, qui ex officio reclamare tenetur, & nõ reclamat, nec tunc semper tenetur ad restitutionem, nisi operetur, vt fiat iniusta oblatio, sed debet reducere cũ, q obstulit vt

vt reddat; similiter etiam non omnis,qui non manifestat tenetur ad restitutionē, sed ille qui pro latrocinio celat,& particeps est lucri, in omnibus autem his, si principalis restituit, alij de obligantur à debito restitutionis.4.sent.d.15.q.1.a.5. quæstiunc.3.in corp. [2.2. q.62. ar.7. in corp.

Quorum Damnorum facienda est restitutio. Cap. II.

1 *In damnis circa bona fortunæ est facienda restitutio.*

In Damno circa Virginitatem, vel circa membra abscisa &c.facienda est restitutio secundum arbitrium boni viri.

2 *Damnificans aliquem in agro seminato nō tenetur restituere totum fructum, qui possit prouenire ex illo agro.*

Te etur in hoc casu restituere tantum, quātum ager ille seminatus valeret consideratis causis,quæ possunt seminū fructus impedire.

Non reddens debitum suo tempore non tenetur restituere quantum lucrari potuisset, sed lucrum, secundum æstimationem lucri,quod consueuit euenire consideratis labore,& infortunijs &c.

3 *Impediens aliquem, ne consequatur præbendam malo animo, tenetur ad restitutionem damni secundum arbitrium boni viri.*

Impediens aliquem,ne consequatur præbēdam bono animo non tenetur ad restitutionem damni.

4 *Manifestans malitiam alicuius ei, qui habet corrigere &c. seruato ordine Charitatis non tenetur ad restitutionem famæ illius.*

Manifestans malitiam alicuius malo animo tenetur ad restitutionem famæ.

Modus restituendi famam alterius.

Quæritur de quibus damnis restitutio sit facienda.

1 Respondeo dicendum,quòd restitutio principaliter inuenta est in damnis,quæ inferuntur in rebus fortunę, quæ restitui possunt; in ablatione autem Virginitatis, vel abscisione membri alicuius, quæ non possunt ad simile bonum restitui, debet fieri restitutio,qualis possibilis est, scilicet ad arbitrium bonorū. 4.sent.d.15.q.1.a.5.quæstiunc.2. ad 2.

Quæritur an damnificans aliquem in seminibus teneatur ad restitutionem totius fructus.

2 Respondeo dicendum,quòd ille, qui suffodit semina non tenetur ad tantum, quantum agri fructus valituri erant, sed quantum ager sic seminatus valere consueuit,quia multis de causis potest impediri agrorum fructus; & similiter dicendum est de eo,cui debitum non restituitur suo tempore,quia non tenetur restituere tantum,quantum lucrari potuisset, sed secundum æstimationem lucri, quod accidere consueuit pensato labore, & infortunijs etiam, quæ in lucro accidere aliàs possent, quia lucrum non causatur tantum ex pecunia, sed ex industria, & labore. 4. sent. d. 15. q.1.a.5. quæstiunc. 2. ad 4. [2.2.q.62.a.4.ad 2.

Quæritur an ille, qui damnificat aliquem impediendo ne consequatur præbendam, teneatur ad restitutionem.

3 Respondeo dicendum,quòd ille, qui impedit aliquem, ne præbendam consequatur,si hoc faciat, quia indignus est, vel vt de alio melius prouideatur, non iniustè facit, vnde non tenetur ad restitutionem; si autem animo lædendi ipsū, tenetur ad restitutionem non quidē tanti,quantum valebat præbenda, quia ipse

eam

eam non bene erat consecutus, sed pensatis conditionibus vtriusq; secundum arbitrium bonorum. 4. sent. d.15.q. 1. a. 5. quæstiunc.2.ad 3.

Quæritur an damnificantes famam alicuius teneantur ad restitutionem.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui malitiam alicuius manifestat ei, qui habet corrigere, vel etiam si sit incorrigibilis in conspectu Ecclesiæ, vt confessus à peccato desistat, vel saltē vt alij ab eius consortio correptiuo discedant seruato ordine Charitatis Fraternæ non iniustè famam aufert, vnde non tenetur ad famæ restitutionem, si autem intentione diffamandi hoc fuerit, iniustè aufert, etiam si verum sit, quod dicit, & tunc tenetur ad famæ restitutionem, vel dicendo se falsum dixisse, si falsum dixit, vel quocunq; alio modo non mentiendo, si verum dixit, sine hoc tamen, quòd se verum dixisse dicat, quia nō debet alterius famam cum mendacio restituere. 4. sent. d.15.q.1. a. 5. quæstiunc. 2.ad 1.

DEBITVM CONIVGALE.

1 *Vir & vxor sunt aequales secundum quātitatem, non secundum proportionem.*

Vir, & vxor sunt æquales in petendo, & reddendo debitum.

2 *Vir tenetur vxori reddere debitum in his, quæ pertinent ad generationem prolis.*

Salua tamen personæ incolumitate.

3 *Vxor non tenetur reddere debitum viro non petenti.*

Vxor non ita tenetur reddere debitum viro non petenti, sicut vir vxori.

4 *Vir tenetur reddere debitum vxori nō petenti expressè, sed per signa.*

5 *Si aliquis reddat se impotentem ad debitum soluendum ex causa ex matrimonio secuta, mulier non habet amplius ius petendi.*

Si ex aliqua alia causa licita reddant se impotentem mulier non potest, nec debet exigere debitum.

Si causa non est licita, tunc peccat vir, & peccatum vxoris.

Si propter hoc labatur in fornicationem aliquo modo sibi imputatur.

6 *Vxor tenetur reddere debitū viro leproso.*

Vxor non tenetur cohabitare cum viro leproso.

7 *Vxor non potest petere debitum viro, quādo tenetur seruire Domino alicui.*

Præter hoc non potest Dominus prohibere, quin debitum reddat.

8 *Non licet accedere ad vxorem menstruatā*

Si menstruum sit innaturale, licet viro ad eam accedere.

Si menstruum sit naturale, non licet viro ad eam accedere.

Non licet vxori menstruatæ petere debitū.

9 *Si vir petat ab vxore menstruata debitum sciens eam esse menstruatam, debet vxor auertere eum precibus, & monitis, non tamen efficaciter.*

Si vir ignorat vxorem esse menstruatam, et petat, debet vxor occasionem prætendere, ne debitum reddat, nisi timeatur periculum in viro.

Si vir insTet petere debitum, debet vxor menstruata reddere.

Non est tutum, quòd vxor indicet viro suā passionem.

10 *Vir debet reddere debitum vxori, de qua leuiter dubitat, an sit serua.*

Ex boc non generabitur ei aliquod præiudicium.

Vir non tenetur reddere debitum, de qua vehementer dubitat, vel cognoscit, quòd sit serua, etiam præcipiente Ecclesia.

11 *Si vxor dubitet de vita sui primi mariti ex aliqua certa causa non debet, nec exigere nec petere debitum.*

Si causa sit probabilis, debet reddere, sed nō exigere.

Si causa sit leuis, potest petere, & reddere.

12 *Vnus coniugum non potest vouere continentiam*

nentiam sine consensu alterius.

Si alter coniugum voueat continentiam, peccat nec debet seruare votum.

Talis debet agere pænitentiam de voto malè facto.

13 *Vnus coniugum probabilius est, quod non potest vouere absq; consensu alterius de non petendo debitum.*

14 *Vir non debet vxorem auertere, ne debitũ petat, nisi ex causa rationabili.*

Existente causa rationabili cum magna instantia non debet eam auertere.

15 *Tempus reddendi debitum non est solum quando petitur, sed etiam quando timetur periculum.*

16 *Non licet petere debitum in diebus, in quibus vacandum est spiritualibus.*

17 *Petens debitum in die festo non peccat mortaliter.*

Grauius peccat petens debitum in die festo causa delectationis.

18 *Dictum quoddam D. Gregorij exponitur circa hoc.*

19 *Vir, & vxor tenentur reddere debitum quocunq; tempore, & quacunq; hora salua debita honestate.*

20 *Post redditum debitum coniuges sequenti die possunt communicare se, & communionem dimittere absq; peccato.*

21 *Mulier non tenetur reddere debitum viro ante tempus professo.*

In hoc casu non potest mulier nubere.

Quæritur an vir & vxor sint æquales in actu matrimonij.

1 RESpondeo dicendum, quòd quia duplex est æqualitas scilicet quãtitatis, & proportionis, æqualitas quidem quantitatis est, quæ attenditur inter duas quantitates eiusdem mensuræ sicut bicubiti ad bicubitum; sed æqualitas proportionis est, quę attenditur inter duas proportiones eiusdem speciei, sicut dupli ad duplum: loquendo ergo de prima æqualitate, vir, & vxor nõ sunt æquales in matrimonio neq; quantum ad actũ coniugalem, in quo id, quod nobilius est, viro debetur, neq; quantum ad domus dispensationem, in qua vxor regitur, & vir regit, sed quantum ad secundã æqualitatem sunt æquales in vtroq; quia sicut tenetur vir vxori in actu coniugali, & dispensatione domus ad id, quod viri est, ita vxor viro ad id, quod vxoris est, & secundum hoc dicitur, quod sunt æquales in reddendo, & petendo debitum. 4. sent. d. 32. a. 3. in corp. [d. 36. a. 3. ad 3. [Ecc. 1. cap. 7. primæ ad Corinthios.

Quæritur an alter coniugum teneatur alteri ad reddendum debitum ex necessitate præcepti.

2 Respondeo dicẽdum, quòd quia matrimonium est principaliter institutum in officium naturæ, ideo in actu eius considerandus est motus naturæ, secundum quem nutritiua non ministrat generatiuæ nisi id, quod superfluit ad conseruationem indiuidui, quia hic est ordo naturalis, vt prius aliquid in se ipso perficiatur, & postmodũ alteri de perfectione sua communicet. hoc etiam ordo Charitatis habet, quæ naturam perficit, & ideo cum vxor in viro potestatem nõ habeat, nisi quantum ad generationem virtutũ, non autem quantum ad ea, quæ sunt ad conseruationem indiuidui ordinata, vir tenetur vxori reddere debitũ in his, quæ ad generationem prolis spectant salua tamen prius incolumitate personæ. 4. sent. d. 32. a. 1. in corp. & ad 2.

Quæritur an vxor teneatur reddere debitum viro non petenti expreßè.

3 Respondeo dicendum, quòd vir, quia nobiliorem partem habet in actu coniugali, naturaliter habet, quod non ita erubescat petere debitum sicut vxor, & inde est, quod vxor non ita tenetur reddere debitum

debitum non petenti viro, ficut vir vxori. 4. fent. d. 32. a. 3. ad 2.

Quaritur an vir teneatur reddere debitum vxori non petenti expreßè.

4 Refpondeo dicendum, quòd petere debitũ eft dupliciter vno modo expreffe, vt quando verbis inuicem petunt, alio modo eft petitio debiti interpretata, quando fcilicet vir percipit per aliqua figna, quod vxor vellet fibi debitum reddi, fed propter verecundiam tacet, & ita etiam fi non exprefsè verbis debitum petat, tamen tenetur vir reddere, quando expreffa figna in vxore apparent voluntatem debiti reddendi. 4. fent. d. 32. a. 2. quæftiunc. 1. in corp.

Quaritur an peccet quis reddens se impotentẽ ad debitum reddendum.

5 Refpondeo dicẽdum, quòd fi aliquis redditur impotens ad debitum foluendũ ex caufa ex matrimonio confecuta, puta cum prius debitum redditur, & eft impotens ad debitum foluẽdum, vlterius mulier non habet ius plus petendi, & in petendo vlterius fe magis meretricem, quã coniugem exhibet; fi autem reddatur impotens ex altera caufa, fi illa eft licita, fic iterum non tenetur, nec poteft mulier exigere; fi non eft, tunc peccat, & peccatum vxoris, fi in fornicationem propter hoc labatur, aliquo modo fibi imputatur & ideo debet, quantum poteft operã dare, vt vxor contineat. 4. fent. d. 32. art. 1. ad 3.

Quaritur an vxor teneatur reddere debitum viro leproso.

6 Refpondeo dicendum, quòd lepra foluit fponfalia, fed non matrimonium, vnde vxor etiã viro leprofo tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare, quia non ita cito inficitur ex coitu, ficut ex frequẽti cohabitatione, & quamuis proles generetur infirma, tamẽ melius eft ei, fic effe, quam pænitus non effe. 4. fent. d. 32. a. 1. ad 3. [d. 36. a. 1. ad 6. [Ecc. 3. cap. 7. primæ ad Corinthios.

Quaritur an vxor possit petere debitum, quando vir eius alicui Domino seruire debet.

7 Refpondeo dicẽdum, quòd ficut mulier accipit poteftatem in corpore viri faluo hoc, in quo vir tenetur corpori fuo, ita etiam faluo hoc, in quo alij Domino tenentur, & ideo ficut vxor nõ poteft petere debitum à viro contra falutem corporis fui, ita nec ad impediendũ hoc, in quo Domino tenetur, fed præter hoc non poteft Dominus prohibere, quin debitũ reddat. 4. fent. d. 32. a. 4. ad 4.

Quaritur an liceat mulieri menstruata petere debitum.

8 Refpondeo dicendũ, quòd accedere ad menftruatam in lege prohibitum erat duplici ratione, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum, quod in prole ex huiufmodi commixtione frequenter fequebatur, & quo ad primum præceptum erat ceremoniale, fed quantum ad fecundum erat morale, quia cum matrimonium fit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus eft omnis matrimonij vfus, quo bonum prolis impenditur, & ideo hoc præceptum obligat etiam in noua lege propter fecũdam rationem, & fi non propter primam; fluxus tamen menftruorum poteft effe naturalis, & innaturalis; naturalis quidẽ quando fcilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando funt fanæ, innaturalis autem quando inordinatè, & quafi continuè ex aliqua infirmitate fluxum fanguinis patiuntur; in fluxu ergo menftruorum innaturalium non eft prohi-

prohibitum ad mulierem menstruatam accedere in lege noua, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest, tum quia talis fluxus est perpetuus, & diuturnus; vnde oporteret, quod vir perpetuò abstineret, sed quando naturaliter mulier paciatur fluxum menstruorum potest concipere, & iterum talis fluxus non durat, nisi ad modicum tempus, vnde prohibitum est ad talem accedere, & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere. 4. sent. d. 32. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an mulier menstruata debeat reddere debitum.

9 Respondeo dicendũ, quòd circa hoc dixerunt quidam, quod mulier mẽstruata sicut non debet petere debitum; ita nec reddere, sicut enim non tenetur reddere, si haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret, ita non tenetur reddere ad vitãdum periculum prolis; sed ista opinio videtur derogare matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris quantum ad matrimonialẽ actum; nec est simile de infirmitate corporis prolis, & periculo proprij corporis, quia si mulier infirmatur, certissimũ est, quod ex carnali actu periculum ei imminet, nõ autem ita certum est de prole, quæ fortè nulla sequetur, & ideo alij dicunt, quod mulieri menstruatæ nunquam licet petere debitum, si tamen vir eius petat, aut petit scienter, tunc debet eum auertere precibus, & monitis, tamen non ita efficaciter, vt possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas, si ad id prorsus credatur, aut ignoranter, & mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur, tamen finaliter si vir non desistit à petitione, debet debitum reddere poscenti; passionem vero suam nõ est tutum indicare, ne fortè vir ex hoc ad eam abominationem cõcipiat, nisi de viri prudẽtia præsumatur. 4. sent. d. 32. a. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur quid facere debeat vir in reddendo debitum, quando dubitat an sit vxor serua.

10 Respondeo dicendum, quòd si antequã sit detecta seruitus vxoris, de qua dubitatur, petat debitũ, si leui suspitione moueatur debet reddere debitum, nec ex hoc ei aliquod præiudicium generatur, si autem ex causa probabili dubitet, vel vehementer præsumat, aut certè cognoscat, non debet ei debitum reddere Ecclesia præcipiente, quia vel sibi præiuditium faceret, si eam vxoris affectu cognosceret, vel alias fornicaretur. 4. sent. d. 36. in exposit. litteræ.

Quæritur quid facere debeat vxor circa debitum, quando est certa, vel dubitat, vel suspicatur de vita prioris mariti.

11 Respondeo dicendum, quod si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa, quæ etiam certitudinem facere possit, non debet, nec reddere, nec exigere debitum, si autem causa illa facit probabilem dubitationem debet reddere, sed non exigere, si autem sit leuis suspicio, potest vtrumq; licitè facere, quia debet illam causam potius obijcere, quam secundum hoc conscientiã formare. 4. sent. d. 39. in exposit. litteræ.

Quæritur an vir, & vxor possint votum emittere contra debitum matrimonij sine mutuo consensu.

12 Respondeo dicendum, quòd vouere volũtatis est, vt etiam ipsum nomen ostẽdit, vnde de illis tãtum bonis potest esse votum, quæ nostræ subiacent voluntati, qualia

qualia non sunt ea, in quibus vnus alteri tenetur, & ideo in talibus non potest aliquis votum emittere sine consensu eius, cui tenetur, vnde cum coniuges sibi inuicem teneantur in redditione debiti, vt dictum est, per quòd continentia impeditur, non potest vnus absq; consensu alterius continentiam vouere, & si vouerit, peccat, nec debet seruare votũ, sed agere pænitentiam de malo voto facto. 4. sent. d. 32. a. 4. in corp.

Quaritur an vnus possit sine consensu alterius vouere de non petendo debitum.

13 Respondeo dicendum, quòd circa hoc est duplex opinio, quidam enim dicunt, quod vnus absq; consensu alterius potest vouere, quod non petat debitum, non autem quod non reddat, quia in primo est vterq; sui iuris, sed non in secundo; sed quia si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret vnum semper confusionem debiti petendi subire, ideo alij probabilius dicunt, quod neutrum potest vnus absq; consensu alterius vouere. 4. sent. d. 32. a. 4. ad 3.

Quaritur an vir possit auertere vxorem, ne petat debitum.

14 Respondeo dicendum, quòd nõ debet vir vxorem auertere, ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam, & tunc non debet cum magna instantia auerti propter pericula imminentia. 4. sent. d. 32. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4.

Quaritur quando sit tempus reddendi debitũ.

15 Respondeo dicẽdum, quòd tempus determinatum solutionis debiti non est solum quando petitur, sed quando timetur ex aliquibus signis periculũ, ad quòd vitandum ordinatur debiti redditio, nisi tunc reddatur. 4. sent. d. 32. a. 2. quæstiũc. 1. ad 1.

Quaritur an temporibus Sacris debeat aliquis impediri, quin debitum petat.

16 Respondeo dicendum, quòd actus matrimonialis quamuis culpa careat, tamen quia rationẽ deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia, & ideo in diebus, in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum non licet petere debitum. 4. sẽt. d. 32. a. 5. quæstiunc. 1. in corp. [quæstiũc. 2. ad 2.

Quaritur an qui petit debitum tempore festiuo, peccet mortaliter.

17 Respondeo dicendum, quòd petere debitum in die festiuo non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati, vnde non potest in infinitum aggrauare, & ideo non peccat mortaliter vxor, vel vir, si in die festo petat, sed tamen grauius est peccatum, si sola delectationis causa petatur, quam si propter timorem, quo quis sibi timet de lubrico carnis sibi debitum petat. 4. sent. d. 32. a. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Quaritur quomodo debeat intelligi id, quod Gregorius dicit in 1. dialogorum, quod mulier, quę in nocte cognita est à viro mane ad processionẽ veniens à Diabolo est arrepta.

18 Respondeo dicendũ, quod non fuit punita mulier illa propter hoc, quod debitum reddidit, sed quia postmodum se temerè ad Diuina ingessit cõtra consciẽtiam. 4. sent. d. 32. a. 5. quæstiunc. 2. ad 1.

Quaritur an debitum debeat reddi tempore festiuo.

19 Respondeo dicendum, quòd cum mulier

mulier habeat potestatem in corpore viri quantum ad actum generationis spectat,& è conuerso,tenetur vnus alteri debitum reddere quocunq; tempore, & quacunq; hora salua debita honestate, quæ in talibus exigitur, quia non oportet,quòd statim in publico debitum reddat.4.sent.d.32.a.5.quæstiunc.3.in corp. [Eccl.1.cap.7.primæ ad Corinthias.

Quæritur an soluens debitum possit sequenti die communicare se.

20 Respondeo dicendum,quòd ille,qui præceptum implens debitum soluit,redditur ineptus ad Diuina officia exequenda,non quòd ille actus sit peccatum, sed ratione carnalitatis illius actus,vnde isti sunt suo iudicio relinquendi,quia possūt ex deuotione dimittere ; & sumere Corpus Christi absq; peccato.4.sent.d.32.a.2. ad 1. [3.p.q.80.a.7.ad 2.

Quæritur an vxor teneatur reddere debitum viro ante tempus professo.

21 Respondeo dicendum,quòd de professione emissa ante tempus determinatum à iure est idem iudicium, quod de voto simplici,vnde sicut post votum simplex viri mulier ei reddere debitum non tenetur,tamen ipsa non haberet potestatem nubere,ita & hic. 4.sent.d.27.q.1.a.3.quæstiunc.3.ad 3.

DECIMAE.

De necessitate solutionis Decimarum. Cap. I.

1 *Decimæ non sunt Sacramenta.*
2 *Præceptum de Decimis soluendis partim est de iure naturali, partim ex institutione Ecclesiæ.*
Ecclesia potest determinare aliam partem esse soluendam consideratis opportunitatibus temporum, & negotiorum.
3 *Præceptum de solutione Decimarum est datum à Christo Matthei 10. & à Diuo Paulo primæ ad Corinth. 9.*
Determinatio certæ partis reseruatur Ecclesiæ.
4 *Nulla consuetudo contraria soluit hominem ab obligatione soluendi decimas.*
Semper tenentur homines soluere decimas si Ecclesia exigat contraria consuetudine non obstante.
Vbi non est consuetudo, & Ecclesia non petit,non peccat quis non soluēdo decimas.
Rectores Ecclesiarum non benè faciunt exigendo decimas in locis, vbi non est consuetudo.

Quæritur an Decimæ sint Sacramenta.

1 Respondeo dicēdum, quòd oblationes,& decimæ erant tàm in lege naturæ, quàm in lege Moysi ordinatæ non solum in subsidium ministrorum,& pauperum,sed etiam in figuram, & ideo erant Sacramenta,nunc autē non remanserunt inquantum sunt figuralia, & ideo non sunt Sacramenta. 3. p. q.65. a. 1. ad 7.

Quæritur an homines teneantur dare decimas de necessitate præcepti.

2 Respondeo dicendum,quòd Decimę in veteri lege dabantur ad sustentationē ministrorum Dei,vnde dicitur Malachiæ 3. inferte omnem decimationem in horreum meum,sit cibus in domo mea,vnde præceptum de solutione decimarum partim quidem erat morale inditum naturali ratione,partim autem erat iudiciale ex Diuina institutione robur habens, quod enim eis, qui Diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius populus necessaria victus ministraret ratio naturalis dictat, sicut & his, qui communi vtilitati

vtilitati inuigilant, scilicet Principibus, & militibus,& alijs huiusmodi stipendia victus debentur à populo; vndè & Apostolus hoc probat primæ ad Corinthios 9. per humanas cõsuetudines dicens, quis militat suis stipendijs vnquam? aut quis plantat vineam,& de fructibus eius non edit? sed determinatio certæ partis exhibendæ ministris Diuini cultus non est de iure naturali, sed est introducta institutione Diuina secundum conditionem illius populi, vti lex dabatur, qui cum in duodecim tribus esset diuisus, duodecima tribus scilicet leuitica, quæ tota erat ministerijs Diuinis mancipata, possessiones nõ habebat; vndè conuenienter institutũ est, vt reliquæ vndecim tribus decimã partem suorum prouentuũ leuitis darent, vt honorabilius viuerẽt,& quia etiã aliqui per negligentiã erant transgressores futuri; vndè quantum ad determinationẽ decimæ partis erat iudiciale, sicut & alia multa specialiter in illo populo instituta erant ad æqualitatem inter homines ad inuicem conseruandã secundũ populi illius conditionem, quę iudicialia præcepta dicuntur, licet ex consequenti aliquid significarent in futurum, sicut & omnia eorum facta secundũ illud primæ ad Corinthios 10. omnia in figuram contingebant illis, in quo conueniebant cum cæremonialibus præceptis, quę principaliter instituta erant ad significandũ aliquid futurum; vndè, & pręceptum de decimis soluẽdis significat aliquid in futurum, qui enim decimam dat, quæ est perfectionis signũ eo quòd denarius est quodammodo numerus perfectus quasi primus limes numerorum, vltra quem numerum non procedunt, sed reiterantur ab vno, nouem sibi partibus reseruatis, protestatur quasi in quodam signo ad se pertinere imperfectionem; perfectionẽ vero, quæ erat futura, per Christum esse expectandam à Deo, nec tamen propter hoc est cæremoniale præceptum, sed iudiciale, vt dictum est; est autẽ hæc differentia inter cæremonialia, & iudicialia legis præcepta, quod cęremonialia illicitũ est obseruare tempore legis nouæ; iudicialia verò etsi non obligent tẽpore gratiæ, tamen possunt obseruari absq; peccato,& ad eorũ obseruantiam aliqui obligantur, si statuãtur auctoritate eorũ, quorum est condere legem, sicut præceptum iudiciale veteris legis est, quod qui furatus fuerit ouem, reddat quattuor oues, vt legitur Exodi 22. quòd si ab aliquo rege statuatur, tenẽtur eius subditi obseruare, ità etiã determinatio decimæ partis soluendæ est auctoritate Ecclesiæ tempore nouæ legis instituta secundũ quandã humanitatẽ, vt scilicet non minus populus nouæ legis ministris noui testamẽti exhiberet, quam populus veteris testamenti exhibebat, cũ autẽ populus nouæ legis ad maiora obligetur secundũ illud Matthęi 5. nisi abundauerit iustitia vestra plusquã scribarũ, & Phariseorũ non intrabitis in regnũ cælorũ,& cum ministri noui testamẽti sint maioris dignitatis, quã ministri veteris testamenti; vt probat Apostolus secundę ad Corinth. 2. si ergo patet, quod ad solutionẽ decimarũ homines tenentur partim quidẽ ex iure naturali, partim ex institutione Ecclesiæ, quę tamen pensatis opportunitatibus temporũ; & personarũ posset aliã partẽ determinare soluendã, 2.2.q.87.a.1. in corp. [Ecc. 1.c.7. ad hæbr.

Quęritur à quo sit datum pręceptum de solutione Decimarum.

3 Respondeo dicendum, quòd præceptũ de solutione Decimarũ quantũ ad id, quod erat morale, datũ est in Euangelio à Domino vbi dixit Matthæi 10. Dignus est operarius mercede sua, & etiam ab Apostolo, vt patet primæ ad Corinth 9. sed determinatio certæ partis est reseruata ordinationi Ecclesiæ, 2.2.q.87. a. 1. ad 2. & quodlibeto 2. a. 8.

Quæritur an propter consuetudinem contrariã aliqui de obligentur à iure soluẽdi decimas.

4 Respondeo dicendũ, quòd nulla consuetudo contraria soluit hominẽ ab obligatione reddendi decimas; quia hæc obligatio fundatur supra ius Diuinũ, & supra ius naturale, vndè semper tenẽtur homines reddere decimas, si Ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine nõ obstãte, & in terris, in quibus est consuetudo, quod decimę soluantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas, vndè peccaret, qui non redderet; sed in terris, in quibus non est consuetudo cõmunis, quòd decimæ dentur, & Ecclesia non petit, videtur Ecclesia remittere, dũ dissimulat, & ideo homines in terris illis non peccant decimas non dando; durum enim esset dicere, quod omnes homines Italię, & Orientaliũ partium damnarentur, qui decimas nõ soluunt, & huiusmodi argumentũ possumus ab Apostolo accipere, cui cũ deberẽtur necessaria victus ab his, quibus prędicabat, tñ nõ accipiebat, nec tamẽ peccabant, qui ei non dabant, alioquin malè cum eis egisset nõ accipiendo præsertim cum ipse dicat actorũ 20. non enim subterfugi quo minus anunciarẽ vobis omne consilium Dei, & ideò Apostolus nõ exigebat, quod sibi debebatur, ne daretur aliquod offendiculũ Euãgelio, vt ipse ibi dicit; vndè nõ benefacerent Rectores Ecclesiarum, si in terris illis decimas exigerent, in quibus nõ est consuetudo dari, si probabiliter crederent, quod ex hoc scãdalũ nasceretur. quodlibeto 2. a. 8. ĩ corp.

De quibus sint soluendæ Decimæ. Cap. II.

1 *De omnibus possessis ab homine sunt soluẽdæ Decimæ.*

2 *Decimæ sũt soluẽdæ de his, quæ quis acquirit ex mercatura, militia secundũ cõsuetudinem tamen Patriæ, & ministrorum indigentiam.*

3 *De furto ablatis non debent esse Decimæ.*

Decimæ debent dari de fructibus agrorum ex vsura emptorum.

Decimæ sunt soluendæ de lucro ex meretricio, & histrionatu prouenienti.

Ecclesia tamen non debet eas accipere, quãdiu sunt in peccato.

4 *Non tenetur quis soluere decimas pro ablatis, nisi sua culpa fuissent ablata.*

Ecclesia potest exigere decimas de frumento vendito non decimato, & à venditore, & ab emptore.

Si tamen vnus soluit, alius non tenetur.

Antequàm decimæ soluantur debent subtrahi tributa, & mercedes operariorum.

Decimæ sunt soluẽdæ ex integris fructibus.

5 *De minutis rebus decimæ non sunt soluẽdæ, nisi in contrarium sit consuetudo.*

6 *Clerici tenentur soluere decimas de proprijs prædijs Ecclesiæ Parochiali.*

Prædia Ecclesiæ non sunt subiecta solutioni Decimarum.

Quæritur de quibus sint soluendæ Decimę.

1 Respondeo dicendum, quòd de vna quaq; re præcipuè est iudicandũ secundũ eius radicẽ, radix autem solutionis decimarũ est debitũ, quo seminantibus spiritualia debẽtur carnalia secundũ illud Apostoli primæ ad Corinth. 3. si nos vobis spiritualia seminauimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus, super hoc enim debitum fundauit Ecclesia determinationẽ solutionis decimarum; omnia autem quæcunq; homo possidet, sub carnalibus continentur, & ideo de omnibus possessis decimæ sunt soluendæ. 2. 2. q. 87. a. 2. in corp.

Quæritur an decimæ sint soluendę de his, quę aquirit proprio labore.

2 Respondeo dicendum, quòd quia populus nouæ legis est vbiq; per mundum diffusus, quorum plurimi possessiones nõ habent,

habent, sed de aliquibus negocijs viuunt, qui nihil conferrent ad subsidium ministrorum Dei, si de eorum negocijs decimas non soluerent; ministris etiam nouę legis accessus interdicitur, ne se ingerant negocijs lucratiuis secundum illud secūdæ ad Timotheum 2. nemo militans Deo implicat se sæcularibus negocijs, & ideo in noua lege tenentur homines ad decimas personales, quæ scilicet soluuntur de his, quæ aliquis acquirit ex proprio actu, puta de mercationibus, vel de militia secundū cōsuetudinē patrię, & indigentiā ministrorū; vndè Augustinus dicit, & habetur. 16. q. 1. c. Decimæ. De militia, de negocio, & artificio redde decimas. 2. 2. q. 87. a. 2. ad 1.

Quęritur an decimę sint soluendę de malè acquisitis.

3 Respondeo dicēdum, quòd quia aliqua malè acquirūtur dupliciter, vno modo quia ipsa aquisitio est iniusta, puta quia acquirūtur per rapinā, aut furtum, aut vsurā, & hęc homo tenetur restituere, nō autē de eis decimas dare, tū si aliquis ager sit emptus de vsura, de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex vsura, sed ex Dei munere, quædam verò dicuntur malè acquisita, quia acquirūtur ex turpi causa, sicut de meretricio, & histrionatu, & alijs huiusmodi, quæ non tenentur restituere; vndè de talibus tenentur decimas dare secundum modum aliarum personaliū decimarum, tamen Ecclesia non debet eas recipere quamdiu sunt in peccato, ne videatur eorum peccatis cōmunicare, sed postquā pęnituerint, possūt ab eis de illis recipi decimæ. 2. 2. q. 87. a. 2. ad 2.

Quæritur an pro furto ablatis, & de venditis non decimatis, et de his, quę debent in tributum, & in mercedem operariorum dari, teneatur homo dare decimas.

4 Respondeo dicendum, quòd de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille, à quo aufferuntur, decimas soluere nō tenetur, antequā recuperet, nisi fortè propter culpā, vel negligētiā suā damnū incurrerit, quia ex hoc Ecclesia non debet damnificari; si verò vendat triticū nō decimatū potest Ecclesia decimas exigere, & ab emptore, quia habet rē Ecclesiæ debitā, & à venditore, quia quantū est de se Ecclesiā defraudauit, vno tamen soluēte, alius nō tenetur: debentur autem decimę de fructibus terræ inquantum proueniunt ex Diuino munere, & ideo decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxiæ mercedi operariorū; & ideò non debent prius deduci tributa, & precium operariorum, quam soluantur decimæ, sed ante omnia debent decimæ solui ex integris fructibus. 2. 2. q. 87. a. 2. ad 4.

Quęritur an decimæ sint soluendę de minutis rebus.

5 Respondeo dicēdum, quòd de minutis rebus sicut sunt herbæ, quæ nascuntur in horto, & alia huiusmodi non tenentur homines decimas dare, nisi fortè propter consuetudinem Patriæ. 2. 2. q. 87. a. 2. ad 3.

Quæritur de quibus bonis teneantur Clerici decimas soluere.

6 Respondeo dicendum, quòd Clerici de proprijs prædijs tenentur soluere decimas Parochiali Ecclesiæ, sicut & alij, etiā si ipsi sint eiusdem Ecclesiæ Clerici, quia aliud est habere aliquid vt propriū, aliud vt cōmune, prædia vero Ecclesię nō sunt ad decimas soluendas obligata, etiā si sint infra terminos alterius Parochiæ. 2. 2. q. 87. a. 4. ad 1.

Dę illis qui tenētur ad Decimas soluendas. Cap. III.

1 *Clerici de bonis Ecclesiæ nō tenentur soluere decimas.*

Clerici de bonis paternis, & acquisitis tenentur soluere decimas.

2 *Religiosi habētes curā animarū nō tenētur soluere decimas, possūt tamē eas recipere.*

Religiosi alij debent decimas soluere.

Habent tamen isti multas immunitates ab Apostolica Sede.

3 *Pauper tenetur soluere decimas Sacerdoti etiam diuiti.*

4 *A quibus terris Ecclesia non debeat exigere decimas.*

5 *Illi non tenentur soluere decimas, qui non habent consuetudinem, vel aliam causam non soluendi eas.*

Isti non sunt in statu damnationis, nisi fortè habeant animum obstinatum de non soluendo decimas, si ab eis peterentur.

Quæritur an Clerici teneantur ad soluendas decimas.

1 RESpondeo dicendū, quòd Clericis inquātū sunt ministri Altaris spiritualia populo seminātes decimę à fidelibus debētur; vndè tales Clerici, inquātū Clerici sunt, idest inquantū habēt Ecclesiasticas possessiones, decimas soluere nō tenētur, ex alia vero causa, scilicet ꝓpter hoc, q̄ possident ꝓprio iure, vel successione parentū, vel ex emptione, vel quocūq; huiusmodi modo, sunt ad decimas soluēdas obligati. 2.2.q.87.a.4. in corp.

Quærit an Religiosi teneātur decimas soluere.

2 Respondeo dicendū, quòd Religiosi, qui sunt Clerici, si habeant curā animarū spiritualia populo dispensantes nō tenētur decimas dare, sed possunt eas recipere: de alijs vero Religiosis, etiam si sint Clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio, ipsi enim tenentur de iure communi decimas dare; habent tamen aliquam immunitatem secundum diuersas concessiones eis à Sede Apostolica factas. 2.2.q.87.a.4.ad 2.

Quæritur an pauper teneatur decimas soluere Sacerdoti Diuiti.

3 Respondeo dicendum, quòd cum Sacerdotibus decimæ debeantur, tùm de iure naturali, tùm de iure Diuino, tùm et ex statuto Ecclesiæ, quamuis Sacerdos sit Diues, nihilominus pauper tenetur ei decimas soluere. quodlibeto.6.a.10. ĩ corp. [2.2.q.87.a.4.ad 4.

Quæritur à quibus terris Ecclesia non exigat decimas.

4 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia abstinet à decimis exigendis in terris, in quibus non est consuetum decimas soluere. 2.2.q.43.a.8.ad 5.

Quæritur an possint exigi decimæ in locis, vbi est consuetudo, vel alia causa eas nō soluēdi.

5 Respondeo dicēdum, quòd laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt, vbi sine scandalo requiri nō possent propter dissuetudinē, vel propter aliquā aliā causam, nec tamen sunt in statu damnationis, qui non soluunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit, nisi fortè propter obstinationem animi habentes voluntatem non soluendi etiam si ab eis peterētur. 2.2 q.87.a.1.ad 5.[quodlibeto. 2.a.8.in corp. [quodlibeto 6.a.10. ad 2. [2.2.q.43.a.8.ad 5.

Quibus sint soluendæ Decimæ. Cap. IIII.

1 *In decimis duo considerantur, scilicet ius percipiendi decimas, & res ipsa.*

Ius percipiendi decimas solis Clericis competit.

Res ipsæ possunt etiam ad laicos peruenire.

2 *Decimæ non sunt superflua Clericis, quãuis habeant possessiones Ecclesiasticas, oblationes, primicias.*

3 *Summo Pontifici exigenti sunt soluendæ decimæ à Clericis.*

4 *Decimæ personales, quibus debeantur.*

Decimæ

Decimæ prædiales quibus solui debeant.
Pastor qui diuersis temporibus in duabus Eccl siis gregem pascit, cui soluere debeat decimas
5 *Decimæ ab Ecclesia possunt dari laico in feudũ, et Religiosi in subuẽtionẽ pauperũ*
6 *Ius exigendi decimas non potest dari laicis sed tantum Clericis.*
Aliquãdo est cõcessus fruct' decimarũ laicis
Ex auctoritate Episcopi potest redimi fructus decimarum à laicis.
Vna Ecclesia non potest emere ab alia ius percipiendi decimas.

Quæritur an decimæ sint Clericis soluendę.

1 RESpondeo dicendum, quòd circa decimas duo sunt consideranda, scilicet illum ius accipiendi decimas, & ipsæ res, quæ nomine decimæ dãtur; ius autem accipiendi decimas spirituale est, consequitur enim illud debitum, quo ministris Altaris debẽtur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia, quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum; & ideo eis solum competit hoc ius habere: res autẽ, quæ nomine decimarũ dantur, corporales sunt; vnde possunt in vsũ quorumlibet cædere, & sic possunt etiam ad laicos peruenire. 2.2.q. 83.a.3.in corp.

Quęritur an decimę sint Clericis superflue.

2 Respondeo dicendum, quòd in noua lege decimæ dantur Clericis non solum propter sui sustentationẽ, sed etiam vt ex eis subueniant pauperibus; & ideo non superfluunt, sed adhuc necessariæ sunt possessiones Ecclesiasticæ, & oblationes, & primitiæ simul cum decimis. 2.2.q.83. a.3.ad 1. [quodlibeto.6.a.10. ad 1.

Quęritur an Clerici teneantur dare decimas Summo Pontifici eas petenti.

3 Respondeo dicendum, quòd teneatur Clerici Summo Pontifici decimam dare; si exigeret: naturalis enim ratio dictat, quòd illis, qui habent curam animarum, de communi multitudinis statu prouideatur, vnde possint exequi ea, quę pertinent ad communem salutem. 2.2.q.87.a. 4. ad 3.

Quęritur quibus sint soluendę diuersę decimę.

4 Respondeo dicendum, quòd decimæ personales debentur Ecclesiæ, in cuius Parochia non habitat, Decimæ verò prædiales rationabiliter magis vidẽtur pertinere ad Ecclesiã, in cuius terminis prædia sita sunt; tamen cura determinat, quòd in hoc seruetur cõsuetudo diu obtenta. Pastor autem, qui diuersis temporibus in duabus Parochijs gregẽ pascit, debet proportionabiliter vtriq; Ecclesiæ Decimas soluere, & quia ex pascuis fructus gregis proueniunt, magis debetur decima gregis Ecclesiæ, in cuius territorio grex pascitur, quàm illi, in cuius territorio ouile locatur. 2. 2. q. 87.a.3.ad 2.

Quęritur an decimę possint dari in feudum.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut res Decimæ nomine acceptas potest Ecclesia alicui laico tradere, ita etiam potest ei concedere, vt dandas decimas ipsi accipiant, iure accipiendi ministris Ecclesiæ reseruato, siue pro necessitate Ecclesiæ, sicut quibusdam militibus decimæ debentur in feudum per Ecclesiam concessæ, siue etiam ad subuentionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum eleemosinæ; quibusdam tamen Religiosis competit habere decimas ex eo, quòd habent curam animarum. 2.2.q. 87.a.3.ad 3. [q. 100.a.4.ad 3.

Quaeritur an decimae possint vendi, & emi.

6 Respondeo dicendum, quòd ius percipiendi decimas sequitur spirituale officium, quia debetur ministris Ecclesiae, nec laici possunt habere huiusmodi ius, quamuis aliquando ad tempus fructus decimarum laicis concessus sit propter aliquam Ecclesiae necessitatem, & tunc hoc modo, quo laicis dari potest, ab eis redimi potest ex auctoritate Episcopi; tamen vna Ecclesia non potest ab alia emere ius percipiendi decimas. 4. sent. d. 25. q. 3. a. 2. quaestiunc. 3. ad 4.

DEFFENDERE.

1 *Licet homini se deffendere contra iniurias*
2 *In aliquo casu potest vnus occidere alium se deffendendo absq; peccato.*

Quaeritur an liceat se deffendere.

1 Respondeo dicendum, quòd est specialis inclinatio naturae ad remouendum nocumêta; vnde & animalibus datur vis irascibilis separatim à vi concupiscibili: repellit autem homo nocumenta per hoc, quòd se deffendit contrà iniurias, ne ei inferantur. 2. 2. q. 108. a. 2. in corp.

Quaeritur an occidens aliquem se deffendendo fiat irregularis.

2 Respondeo dicendum quòd ille, qui se deffendendo in aliquo casu, nõ peccat homicidium committendo, 4. sent. d. 25. q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. ad 3.

DEGRADATIO.

1 *Potestas consecrandi non amittitur per degradationem.*
2 *Canon quidam circa hoc exponitur.*
3 *Degradatis aufferetur executio potestatis Sacerdotalis.*

Quaeritur an per degradationem aufferatur potestas consecrandi.

1 Respondeo dicendum, quòd potestas consecrandi non amittitur per degradationem 3. p. q. 82. art. 8. in corp.

Quaeritur quomodo intelligatur Canon. 1. q. 1. ca. quidam, vbi habetur, quod degradatus non habet potestatem consecrandi, licet habeat potestatem Baptizandi.

2 Respondeo dicendum, quod non loquitur assertiuè, sed inquisitiuè, sicut ex circonstantia litterae haberi potest. 3. p. q. 82. a. 8. ad 1.

Quaeritur quid aufferatur degradatis.

3 Respondeo dicendum, quòd degradatis auffertur executio Sacerdotalis potestatis, quasi in perpetuum condemnatis. 3. p. q. 82. a. 8. ad 3.

DELECTATIO MOROSA.

1 *Quid sit mora.*
Quid sit delectatio morosa.
Quae delectatio morosa sit peccatum veniale, & quae mortale.
2 *Delectatio morosa est tantum peccatum mortale in his, quae ex suo genere sunt peccata mortalia.*
Si circa peccata mortalia sit delectatio non morosa, est peccatum veniale.
3 *Consensus in delectationem prohibetur illo praecepto, Non concupisces.*
4 *Duplex delectatio, scilicet carnalis, & spiritualis.*
Delectatio carnalis est, quae in sensu completur.
Delectatio spiritualis est, quae completur in apprehensione animae.
5 *Delectatio spiritualis non est refrenanda nisi*

nisi per accidens.

6 *Ligamen rationis in actu coniugali propter delectationem licet non habeat malitiam moralem, prouenit tamen ex malitia primi parentis.*

7 *Vitiosum est vti venereis, & cibis propter delectationem solam.*

8 *Luxuriosus praefert delectationes alijs rebus.*

9 *Non valentes gaudere spiritualibus delectationibus, transferunt se ad carnales.*

10 *Abstinere à delectationibus pro aliquo tempore, vt postea eis magis fruantur, malum est.*

Quaeritur an delectatic morosa sit peccatum mortale.

1 REspondeo dicendum, quòd delectatio inferioris rationis nihil aliud est, quam complacentia voluntatis in eo, quod apprehenditur conueniens per inferiorem rationem, haec autem delectatio si statim, vt mentem attigerit, auctoritate viri expellatur, veniale peccatum est, hoc enim contingit quando talis complacentia sequitur subitam rationis apprehẽsionem, si vero diu teneatur, peccatum mortale est, haec autẽ diuturnitas non est ex quantitate temporis iudicanda, sed magis ex deliberatione rationis; si enim post deliberationem rationis inferioris adhuc delectatio illa placeat, morosa delectatio dicetur, & tunc erit in delectationem consensus, & tunc peccatum mortale est, vt magister dicit, quamuis quidam in hoc magistro contradicant, sed opinio magistri valdè probabilior est, & securior, quod sic patet, quaedam enim operationes sunt, quę ex suo genere peccata mortalia sunt, vt fornicatio, furtum, & huiusmodi; quod autem aliquod horum peccatorum mortale non sit, non potest esse, nisi per accidens, inquantum scilicet, eius subiectum peccati mortalis capax nõ est, vt quando est in sensualitate tantum; phylosophus autem vult in 10. eth. quod idẽ iudiciũ est de operatione, & delectatione, vnde si operatio est per se bona, & delectatio est per se bona, & è contrario, quòd ergo delectatio consequens per operationẽ, quae est per se peccatum mortale, nõ sit mortalis, hoc non est nisi per accidens, scilicet ex defectu subiecti; vnde quandocũq; mala delectatio, vel operatio reducitur ad hoc, in quo potest esse perfecta ratio peccati, vel virtutis, de necessitate incipit esse peccatum mortale, perfecta autẽ ratio virtutis, vel peccati mortalis non potest esse sine electione rationis consiliantis, & deliberantis: & ideo quidquid fornicationis ante hoc inuenitur, per accidens peccatum mortale non est, vbi autem adhoc peruenitur, statim peccatũ mortale esse incipit; vnde etiam si vsus exteriorum membrorum delectatio eorum esset sine voluntate tali, peccatum non esset, sicut B. Lucia dixit, si inuitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam, sed consensus adueniens actui exteriori facit peccatũ mortale; similiter appetitus sensualitatis, & delectatio consequens appetitum antè consensum rationis deliberatae, peccatũ mortale non est, sed post consensum rationis deliberantis peccatum mortale incurritur. 2. sent. d. 24. q. 3. a. 4. in corp. & ad 2. [q. 15. de verit. a. 4. in corp. [p. 2. q. 74. a. 6. ad 3.

Quaeritur an omnis delectatio morosa sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quod delectatio morosa non dicitur esse peccatum mortale, nisi in his, quae ex suo genere sunt peccata mortalia; in quibus si delectatio non morosa sit peccatum veniale, est ex imperfectione actus. p. 2. q. 88. ar. 5. ad 2.

Quaritur quo pracepto prohibeatur consensus in delectationem.

3 Respondeo dicendum, quòd consensus in delectationem prohibetur precepto illo non concupisces: nō enim sine causa de actu interiori, & exteriori concupiscentiæ diuersa præcepta dantur in lege, nihilominus tamen si in nullo præcepto speciali prohiberetur, ex hoc ipso, quod fornicatio prohibetur prohibētur omnia consequentia, quæ ad idem genus pertinent. q. 15. de verit. a. 4. ad 9. [2. sent. d. 24 q. 3. a. 4. ad 4.

Quaritur quotuplex sit genus delectationum.

4 Respondeo dicendum, quòd delectationum quædam sunt carnales, & quædā spirituales, carnales quidē delectationes dicuntur, quæ in sensu carnis complētur, sicut delectationes ciborū, & venereorū; delectationes verò spirituales dicuntur, quæ complentur in sola animæ apprahēsione. 2. 2. q. 118. a. 6. in corp. [q. 123. a. 8. in corp.

Quaritur an delectationes spirituales sint refrenanda.

5 Respondeo dicendum, quòd delectationes spirituales per se loquēdo sunt secundū rationē; vnde non sunt refrenādæ, nisi per accidens, inquantum scilicet vna delectatio spiritualis retrahit ab alia potiori, & magis debita. 2. 2. q. 141. a. 4. ad 4

Quęritur an ligamen rationis in actu coniugali propter delectationē habeat malitiam.

6 Respondeo dicendum, quòd ligamētum rationis ex delectatione in actu coniugali etsi non habeat malitiam moralē, quia non est peccatum mortale, nec veniale, prouenit tamen ex quadam morali malitia, scilicet ex peccato primi parentis, nam hoc in statu innocentię nōn erat. p. 2. q. 34. a. 1. ad 1. [q. 15. de malo. ar. 2. ad 17. [Ecc. cap. 4. primæ ad Thessalonicenses.

Quaritur an sit illicitum vti venereis, et cibis propter solam delectationem.

7 Respondeo dicendum, quòd inordinatum, & vitiosum est, si quis cibis, & venereis vtatur propter solam delectationē & non propter necessitatem sustentandi corporis, vel prolis educandæ, & hoc rationabiliter: nam delectationes, quæ sunt in præmissis actionibus, non sunt fines actionum, sed magis è conuerso: natura enim adhoc ordinauit delectationes in istis actibus, ne animalia propter laborē ab istis actibus necessarijs naturę desisterent, quod contingeret, nisi delectatione prouocarentur: est ergo ordo præposterus, & indecens, si operationes propter solas delectationes exerceantur. 4. contrahentes cap. 83.

Quęritur quid pręferat luxuriosus alijs rebus

8 Respondeo dicēdum, quòd luxuriosus cum suis verbis præfert delectationes, quas appetit, quibuscunq; alijs rebus. 2. 2. q. 153. a. 5. ad 3.

Quaritur quid faciant non valentes gaudere spiritualibus delectationibus.

9 Respondeo dicendum, quòd illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transferunt se ad corporales secundum phylosophum 10. ethicorū. 2. 2. q. 35. a. 4. ad 2.

Quaritur an sit licitum abstinere aliquando à delectationibus, vt postea eis magis fruātur.

10 Respondeo dicendum, quòd est cōtra temperantiæ rationem, vt aliquis à dele-

delectationibus nunc abstineat, vt post modum eis frui magis possit. 4. contra hentes cap. 83.

DELEGATVS.

Quaritur an delegatus possit superiorem iudicare.

Respondeo dicendum, quòd inferior non potest iudicare superiorem auctoritate propria, sed tamen auctoritate superioris potest, sicut patet in iudicibus delegatis. 4. sét. d. 47. q. 1. a. 2. quęst. 2. ad 5

DENVNCIATIO.

1 *In criminibus procedi potest tribus modis scilicet per inquisitionem, per accusationem, per denunciationem.*
Accusationem pracedere debet inscriptio.
Inquisitionem pracedit clamosa insinuatio.
Denunciationē pracedit correctio Fraterna
2 *Denuncians non obligat se ad probandum.*
Denuncians non punitur, si non probet.
In denunciatione nō est necessaria inscriptio

Quaritur quot modis possit procedi in criminibus.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut Decretalis dicit, tribus modis in criminibus procedi potest, primò per inquisitionem, quā debet præcedere clamosa insinuatio, quæ locum accusationis tenet; secundò per accusationem, quam debet præcedere inscriptio: tertiò per denunciationē, quā debet pręcedere Fraterna correptio. 4. sent. d. 35. q. 1. a. 3. ad 6.

Quaritur quomodo sit facienda denunciatio.

2 Respondeo dicendum, quòd denunciator non obligat se ad probandum; vnde nec punitur, si probare nequiuerit, & propter hoc in denunciatione non est necessaria scriptura, sed sufficit, si aliquis verbo denunciet Ecclesiæ, quæ ex officio suo procedet ad Fratris emendacionem. 2. 2. 68. a. 2. ad 3.

DEPOSITVM.

1 *In cuius vtilitatem sit depositum.*
2 *Depositum dupliciter perdi potest.*
Quando perditur depositum ex causa ineuitabili &c. depositarius non tenetur ad restitutionem.
Tenetur tamen iurare ad expurgandum suspitionem fraudis.
Quando depositum est perditum ex causa euitabili, reddere tenetur depositarius.
3 *Si depositarius amittit depositum ex sua culpa, tenetur restituere.*
4 *Qui surripit rem suam apud alium depositatam, peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij.*
5 *Quare deposita sint reddenda.*
6 *Impugnatori Patriæ nō est reddēdū depositū*
7 *In quibus casibus non sit restituendum depositum.*

Quaritur in cuius vtilitatem fiat depositum.

1 Respondeo dicendum, quòd depositum traditur in vtilitatem deponentis. p. 2. q. 105. a. 2. ad 5. [2. 2. q. 62. a. 6. in corp.

Quaritur an depositarius teneatur restituere depositum deperditum.

2 Respondeo dicendum, quòd depositum perdi potest dupliciter, vno modo ex causa ineuitabili, vel naturali, puta si esset mortuum, vel debilitatum animal depositum, vel extrinseca, puta si esset captum ab hostibus, vel esset comestum à Bestia, in quo tamen casu tenebatur deferre ad dominum animalis id, quod de animali occiso supererat, in alijs supradictis casibus nihil reddere

reddere tenetur, sed solum ad expurgandam suspitionem fraudis tenetur iuramentum præstare; alio modo potest perdi ex causa euitabili puta per furtum, & tunc propter negligentiam custodis reddere tenetur. p. 2. q. 105. a. 2. ad 5.

Quæritur in quo casu depositarius teneatur restituere depositum.

3 Respondeo dicendum, quòd ille, qui accipit in depositum, in nullo tenetur ratione acceptionis, quin immò accipiendo impendit obsequium, tenetur autem ratione rei, & propter hoc si ei subtrahuntur res absq; sua culpa, non tenetur ad restitutionem; secus autem esset, si cũ magna sua culpa rem depositam amitteret. 2. 2. q. 62. a. 6. in corp.

Quæritur an ille, qui rem suam alteri depositatam surripit, peccet, & ad quid teneatur.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui furtim accipit rem suam apud alium expositam, grauat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium, vnde manifestum est, quod peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 3. & a. 3. ad 3.

Quęritur quare deposita sint reddenda.

5 Respondeo dicendum, quòd lex instituit, quod deposita reddantur, quia hoc vt in pluribus iustum est. 2. 2. q. 120. a. 1. in corp.

Quęritur an impugnatori Patrię sit reddendũ depositum.

6 Respondeo dicendum, quòd impugnatori Patrię non est depositum reddẽdum. 2. 2. q. 51. a. 4. in corp.

Quęritur in quibus casibus Depositum non sit reddendum.

7 Respondeo dicendum, quòd est aliquis casus, in quo depositum non est reddendum, ne homo peruersam voluntatẽ habens malè eo vtatur, vt puta si furiosus, vel hostis Reipublicæ arma deposita reposcat. 2. 2. q. 57. a. 2. ad 1. [q. 120. ar. 1. in corp.

DERISIO.

1 *Per conuitium intenditur depressio honoris conuitiati.*
Per detractionẽ intenditur diminutio famę
Per susurrationem intenditur amissio amicitiæ.
Per derisionem intenditur confusio alterius
Peccatum derisionis distinguitur à conuitio, detractione, & susurratione.
2 *Derisio fit ore, & cachinnis, subsanatio fit naso rugato.*
Derisio & subsanatio conueniunt in fine.
Derisio, & subsanatio differunt à cõtumelia
3 *Derisio communicat in materia cum detractione, & contumelia, differt in fine.*
4 *Derisio est speciale peccatum.*
5 *Derisio quando sit peccatum veniale, & mortale.*
Derisio est grauius peccatum contumelia.
Deridere Deum est grauissimum peccatum.
Deridere Parentes secundum tenet locum.
Deridere iustos tertium tenet locum.
6 *Quando Derisio sit, vel non sit grauius peccatum contumelia, & detractione.*
7 *Recidiuans in peccatum, & simulans dicuntur deridere Deum modaliter.*

Quæritur an Derisio distinguatur à susurratione, & conuitio.

1 Respondeo dicendum, quòd quia peccata verborũ præcipuè pensanda sunt secundum intentionem proferentis, & ideo secundum diuersa, quæ quis

quis intendit contra alium loquens, huiusmodi peccata distinguuntur, sicut autem aliquis conuitiando intendit conuitiati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam, ita etiam irridendo aliquis intendit, quòd ille, qui irridetur, erubescat, & quia hic finis est distinctus ab alijs, ideò etiam peccatum derisionis distinguitur à premissis peccatis. 2.2.q.75.a.1. in corp.

Quaeritur an derisio distinguatur à subsannatione.

2 Respondeo dicendum, quòd subsanatio, & irrisio conueniunt in fine, sed differunt in modo, quia irrisio fit ore, idest verbo, & cachinnis, subsanatio autē naso rugato, vt dicit glosa super illud psalm. 2. qui habitat in cælis irridebit eos: talis autem differentia non diuersificat speciem, vtrumq; tamen differt à cōtumelia; sicut erubescentia à dehonoratione: est enim erubescentia timor dehonorationis, sicut Damascenus dicit. 2. 2. q. 75. a. 1. ad 1.

Quaeritur in quo conueniant, & in quo differant derisio, & detractio.

3 Respondeo dicendum, quòd de opere virtuoso aliquis apud alios, & reuerētiam meretur, & famam, & apud se ipsū bonæ conscientiæ gloriam secundum illud 2 ad Corinth. primo gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ: vnde è conuerso de actu turpi, idest vitioso apud alios quidē tollitur hominis honor, & fama, & adhoc contumeliosus, & detractor turpia de alio dicunt, apud se ipsum autem per turpia, quæ dicuntur aliquis perdit conscientiæ gloriam per quandam confusionem, & erubescentiā, & adhoc turpia dicit derisor, & sic patet, quod derisor communicat cum prędictis vitijs in materia, differt autem in fine. 2.2.q. 75. a. 1. ad 2.

Quaeritur an derisio sit speciale peccatum?

4 Respondeo dicendum, quòd quia securitas conscientiæ, & quies illius magnū bonum est secundum illud prouerb. 15. secura mens quasi iuge conuiuiū, & ideò qui conscientiam alicuius inquietat cōfundendo ipsum, aliquod speciale nocumentum ei infert; vnde derisio est peccatum speciale. 2. 2. q. 75. a. 1. ad 3.

Quaeritur an derisio sit peccatum mortale?

5 Respondeo dicendum, quòd quia irrisio non fit nisi de aliquo malo, vel defectu, malum autem si sit magnum non pro ludo accipitur, sed seriosè; vnde si in ludum, vel risum vertatur, ex quo irrisionis, vel illusionis nomen sumitur, hoc est, quia accipitur, vt paruum: potest autem aliquod malum accipi, vt paruum dupliciter, vno modo secundum se, alio modo ratione personæ, cum autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel in risum ponit, quia secundum se paruum malum est, est veniale, & leue peccatum secundum suum genus; cum autem accipitur quasi paruum ratione personæ, sicut defectus puerorum, & stultorum parum ponderare solemus, sic aliquem illudere, vel irridere, est eum omnino paruipendere, & eum tam vilē æstimare, vt de eius malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum, & sic derisio est peccatum mortale, & grauius, quam contumelia, quæ similiter est in manifesto, quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè, illusor autem in ludum, & ita videtur esse maior contemptus, & dehonoratio; & secūdum hoc illusio est graue peccatum, & tanto grauius, quanto maior reuerentia debetur personæ, quæ illuditur; vnde grauissimum

mum est irridere Deum, & ea, quæ Dei sunt secundum illud Isaiæ 37. cui exprobasti? & quem blasphemasti, & super quē exaltasti vocem tuam? & postea subditur, ad Sanctum Israel; deindè secundū locum tenet irrisio parentum; vnde dicitur prouerb. 30. oculum, qui subsanat Patrem, & despicit partum matris suę, effodiant eum corui de torrentibus, & commedant eum filij Aquilæ: deinde iustorum derisio grauis est, quia honor est virtutis præmium, & cōtra hoc dicitur Tob. 12. deridetur iusti simplicitas, quæ quidē derisio valdè nociua est, quia per hoc homines à benè agendo impediuntur secūdum illud Gregorij, qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferę ex probationis euellunt. 2. 2. q 75. a. 2. in corp.

Quæritur quomodo derisio sit grauius peccatum contumelia.

6 Respondeo dicendum, quòd derisio secundum suam rationem leuius aliquid est, quam detractio, vel contumelia, quia non importat contemplum, sed ludum, quandoq; tamen habet maiorem contemptum, quàm contumelia, vt supra dictum est, & tunc est graue peccatum. 2. 2. q. 75. a. 2. ad 3.

Quæritur an recidiuans, vel simulans derideat Deum.

7 Respondeo dicendum, quòd ille, qui recidiuat in peccatum, de quo pænituit, & ille, qui simulat, non expressè Deum irridet, sed quasi interpratatiuè, inquantum scilicet ad modum deridentis se habet; nec venialiter peccando aliquis simpliciter recidiuat, vel simulat, sed dispositiuè, vel interpratatiuè. 2. 2. q. 75. a. 2. ad 2.

DESPERATIO.

1 *Desperatio quid importet.*

2 *Quædam peccata principaliter importans auersionem à Deo, & ex consequenti cōuersionem ad bonum commutabile.*

Quædam peccata important primo conuersionē ad bonū commutabile, & ex consequenti auersionem à Deo.

Desperatio importat principaliter auersionem à Deo.

3 *Desperatio est peccatum.*

4 *Peccata opposita virtutibus Theologicis sunt grauiora alijs.*

Inter peccata mortalia illud est grauius, quod habet per se auersionem à Deo.

Virtutibus Theologicis opponuntur infidelitas, desperatio & odium Dei.

Infidelitas, & odium Dei secundùm se sunt grauiora peccata desperatione.

Desperatio est contra Deum secundum quòd eius bonum participatur à nobis.

Desperatio est periculosior ex parte nostra, quam odium Dei, & infidelitas.

Desperare est descendere ad infernum.

5 *Desperatio potest esse ex infidelitate.*

6 *Desperatio contingit ex timore Dei, & horrore peccatorum propriorum.*

7 *Desperatio oritur specialiter ex accidia, aliquando oritur ex luxuria.*

8 *Desperatio est causa luxuriæ per accidēs.*

9 *Desperatio in damnatis est pars damnationis eorum, non autem peccatum.*

Quæritur quid sit desperatio.

1 Respondeo dicendum, quòd desperatio non importat solam priuationem spei, sed importat quendā recessum à re desiderata propter ęstimatam impossibilitatem adipiscendi; vndè desperatio præsupponit desideriū, sicut & spes, de eo enim, quod sub desiderio nostro non cadit, neq; spem, neq; desperationem habemus, & propter hoc etiam vtrumq; eorum est de bono, quod sub deside-

desiderio cadit. p. 2. q. 40. ar. 4. ad 3. & in corp.

Quæritur quid principaliter importet desperatio.

2 Respondeo dicendum, quòd in quolibet peccato mortali est quodammodo auersio à bono incommutabili, & cōuersio ad bonum commutabile, sed aliter, & aliter, nam principaliter consistunt in auersione à bono incommutabili peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, vt odium Dei, desperatio, & infidelitas, quia virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto, ex consequenti autē important conuersionem ad bonū commutabile, inquantum anima deserens Deum, consequenter necesse est, quod ad alia conuertatur; peccata vero alia principaliter consistunt in conuersione ad commutabile bonum, & ex consequenti vero in auersione ab incommutabile bono, non enim, qui fornicatur intendit à Deo recedere, sed carnale delectatione frui, ex quo sequitur, quod à Deo recedat. 2. 2. q. 20. a. 1. ad 1.

Quæritur an desperatio sit peccatum?

3 Respondeo dicendum, quòd quia circa Deum vera existimatio intellectus est, quod ex ipso prouenit hominum salus, & venia peccatoribus datur secundum illud Ezechi. 18. nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, falsa autem opinio est, quod peccatori pænitenti veniam deneget, vel quòd peccatores ad se non conuertat per gratiam iustificantem, & ideo sicut motus spei, qui conformiter se habet ad existimationem verum est laudabilis, & virtuosus, ita oppositus motus desperationis, qui se habet conformiter existimationi falsæ de Deo, est vitiosus, & peccatum. 2. 2. q. 20. a. 1. in corp.

Quæritur an desperatio sit grauissimum peccatorum.

4 Respondeo dicendum, quòd peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis sunt secundum suum genus grauiora peccatis alijs, cum enim virtutes Theologicæ habeant Deum pro obiecto, peccata eis opposita important directè, & principaliter auersionē à Deo, in quolibet autē peccato mortali principalis ratio mali, & grauitas est ex hoc, quòd auertit se à Deo, si enim posset esse conuersio ad bonum commutabile sine auersione à Deo, quamuis esset inordinata, non esset peccatū mortale, & illud, quod primo, & per se habet auersionē à Deo, est grauissimū peccatū inter peccata mortalia; virtutibus autē Theologicis opponuntur infidelitas, desperatio, & odium Dei, inter odiū, & infidelitas, si desperationi cōparētur, inuenientur secundū se quidē, idest secundum rationem propriæ speciei grauiora, infidelitas enim prouenit ex hoc, quod homo ipsam Dei veritatē non credit, odiū vero Dei prouenit ex hoc, quod voluntas hominis ipsi Diuinæ Bonitati contrariatur, desperatio autem ex hoc, quod homo non sperat Bonitatē Dei participare; ex quo patet, quod infidelitas, & odium Dei sunt contra Deum secundum quòd in se est, desperatio autē secundum quòd eius bonum participatur à nobis; vndè maius peccatum est secundum se loquendo non credere Dei veritatē, vel odire Deum, quàm nō sperare consequi gloriam ab ipso; sed si comparetur desperatio ad alia duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est periculosior, quia per spem reuocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda, & ideo sublata spe irrefrenatè homines labuntur in vitia, & à bonis operibus retrahuntur; vndè super illud prouerb. 24. si desperaueris lapsus in die angustiæ, minuetur fortitudo sua, dicit glosa,

glosa, nihil est execrabilius desperatione; quàm qui habet, & in generalibus huius vitæ laboribus, &(quod peius est), in fidei certamine constantiam perdit, & Isidorus dicit in lib. de summo bono, perpetrare flagitium aliquod mors animæ est, sed desperare est descēdere in infernum. 2.2.q.20.a.3.in corp.

Quæritur an Desperatio possit esse sinè infidelitate.

5 Respondeo dicendum, quòd aliquis retinendo in vniuersali veram æstimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest pati motū desperationis, quòd scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperādum de venia corrupta æstimatione eius circa particulare, & per hunc modū potest esse desperatio sine infidelitate, sicut & alia peccata mortalia. 2.2 q.20.a.2.in corp.

Quæritur vnde contingat Desperatio.

6 Respondeo dicēdum, quòd ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorū contingit desperatio, inquantùm his bonis aliquis malè vtitur, occasionem ab eis accipiens desperandi. 2. 2. q. 20. a. 1. ad 2.

Quæritur an Desperatio oriatur ex accidia.

7 Respondeo dicendū, quòd quia obiectum spei est bonum arduum possibile adipisci vel per se, vel per alium, dupliciter potest in aliquo spes deficere de Beatitudine obtinenda, vno modo quia non reputat eam, vt bonum arduum, alio modo quia non reputat eam, vt possibilem adipisci vel per se, vel per accidens, adhoc autem quòd bona spiritualia nō sapiant nobis quasi bona, vel non videātur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc, quòd affectus noster est instans amori delectationum corporaliū, inter quas præcipuè sunt delectationes venereæ: nam ex affectu harum delectationum contingit, quod homo fastidit bona spiritualia, & non sperat ea, quasi quædam bona ardūa, & secundum hoc desperatio causatur ex luxuria, adhoc autem quòd aliquod bonum arduum nō æstimet, vt possibile sibi adipisci per se, vel per alium, perducitur ex nimia deiectione, quæ quādo in affectu hominis dominatur videtur ei, quod nūquam possit ad aliquod bonum releuari, & quia accidia est tristitia quædam deiectiua spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex accidia generatur, hoc autem est proprium obiectum spei, scilicet quòd sit possibile, nam bonum, & arduum etiam ad alias passiones pertinent; vndè specialius oritur ex accidia, potest tamen oriri ex luxuria ratione iam dicta. 2.2.q. 20. a. 4. in corp.

Quæritur quomodo desperatio sit causa luxuriæ.

8 Respondeo dicendum, quòd desperatio est causa luxuriæ per accidēs, sicut remouens spē futuræ Beatitudinis, propterquam à luxuria aliquis desistit. q. 15. de malo a. 4 ad 3.

Quæritur an desperatio in damnatis sit culpa, an pœna.

9 Respondeo dicendum, quòd damnati non sunt in statu sperandi propter impossibilitatem reditus ad Beatitudinem; & ideo quòd non sperant, non imputatur eis ad culpam, sed est pars damnationis ipsorum; sicut etiam in statu viæ si quis desperaret de eo, quod non est natus adipisci, vel quod non est debitum adipisci, non esset peccatum, puta si medicus desperet de curatione alicuius infirmi, vel si aliquis desperet se fortè Diuitias adep-

adepturum. 2. 2. q. 20. a. 1. ad 3.

Grauitas peccati per accidens attenditur, ex parte peccantis.

DETRACTIO.

De Detractione. Cap. I.

1 *Detractio est denigratio alienæ famæ per verba.*

Per contumeliam læditur honor alterius manifestè; per detractionem autem læditur fama alterius occulto.

Detractio differt à contumelia, & in modo, & in fine.

2 *Verba Detractoris dicuntur occulta per comparationem ad illum, de quo dicũtur.*

Dicens malũ de aliquo absente vni tantùm corrumpit famam eius in parte.

3 *Diminutio famæ fit dupliciter, scilicet directè, & indirectè.*

Diminutio famæ directè fit quattuor modis

Quid sit diminuere famam indirectè.

4 *Peccata verborum sunt ex intentione proferentis iudicanda.*

Quid sit detrahere famæ per se.

Detractio per se, & formaliter est peccatũ mortale.

Proferens verba, per quæ læditur fama alicuius propter bonum aliquod, & seruatis debitis circunstantijs, non peccat.

Proferens verba læsiua famæ ex leuitate animi peccat venialiter.

Proferens verba huiusmodi ex animi leuitate, per quæ notabiliter lædatur fama alicuius, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem famæ ablatæ.

5 *Reuelare peccatum alicuius occultum denunciãdo, vel accusando nõ est detrahere*

6 *Dictum D. Augustini circa hoc exponitur*

7 *Inter peccata, quæ committuntur in proximum grauius est homicidium, deindè adulterium, postea detractio.*

Detractio est maius peccatum furto.

Detractio est minus peccatum homicidio, & adulterio.

8 *Detrahere Christo est blasphemia.*

9 *Detractor est occasionaliter homicida.*

10 *Detractio est filia inuidiæ.*

11 *Detractio oritur ex odio.*

12 *Detractio contrariatur adulationi; non tamen directè quantum ad finem.*

13 *Inquisitio factorum alicuius ordinatur ad detrahendum.*

Quæritur quid sit detractio.

1 RESpondeo dicendum, quòd detractio est denigratio alienæ famæ per occulta verba, sicut enim facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifestè quidem sicut in rapina, vel quacunq; violentia illata, occultè autem sicut in furto, & dolosa percussione, ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit, vno modo in manifestò, & hoc fit per contumeliam, vt supra dictum est, alio modo occultè, & hoc fit per detractionem, ex hoc autem ꝙ aliquis manifestè verba cõtra aliũ profert, videtur eũ paruipendere; vndè ex hoc ipso dehonoratur, & ideo contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur, sed si verba contra aliquem profert in occultò, videtur eum vereri magis, quam paruipendere; vndè non directè infert detrimentũ honori, sed famæ, inquantum huiusmodi verba occultè proferens quantum in ipso est eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, cõtra quem loquitur, hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, vt eius verbis credatur; vndè patet, quod detractio differt à contumelia dupliciter, vno modo quantum ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur, detractor autẽ occultè, alio modo quantum ad finem intentum, siue quantum ad nocumentum illatam, quia scilicet contumeliosus derogat honori

honori, detractor famæ. 2. 2. q. 73. ar. 1. in corp.

Quomodo verba detractionis sint occulta.

2 Respondeo dicendum, quòd verba detractionis dicuntur occulta non simpliciter, sed per comparationem ad eũ, de quo dicitur, quia eo absente, & ignorante dicuntur, sed contumeliosus in faciem contra hominem loquitur; vndè si aliquis de alio malè loquatur corã multis eo absente, detractio est, si autem eo solo præsente, contumelia est, quamuis etiã si vni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius non in toto, sed in parte. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 2.

Quæritur quot modis dicatur aliquis detrahere.

3 Respondeo dicendum, quòd aliquis dicitur detrahere non quia diminuat de veritate, sed quia diminuit famam eius, quod quidem fit quandoq; directè, quãdoq; indirectè; directè quidem quadrupliciter, vno modo quando falsum imponit alteri; secundò quando peccatum adauget suis verbis; tertiò quando occultum reuelat; quartò quando id, quod est bonum, dicit mala intentione factum: indirectè autem, vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuẽdo. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 3.

Quęritur an detractio sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est peccata verbarum maximè sunt ex intentione dicentis dijudicanda, detractio autem secundum suam rationem ordinatur ad denigrandum famam alicuius; vndè ille per se loquendo detrahit, qui adhoc de aliquo obloquitur eo absente, vt eius famam denigret: auferre autem alicui famam valdè graue est, quia inter res temporales videtur fama esse preciosior, per cuius defectum impeditur homo à multis benè agendis, propter quòd dicitur Eccl. 41. curam habeo de bono nomine, hoc enim magis permanebit sibi, quam mille thesauri magni, & preciosi; & ideo detractio per se loquendo est peccatum mortale, contingit tamen quandoq; quod aliquis dicit verba aliqua, per quæ diminuitur fama alicuius non hoc intendens, sed aliquid aliud, hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per per accidens, & si quidem verba, per quæ famam alterius diminuitur proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium debitis circonstantijs obseruatis non est peccatum, nec potest dici detractio; si autem proferat ex animi leuitate, vel propter causam aliquam non necessariam, nõ est peccatum mortale, nisi fortè verbum, quod dicitur sit adeò graue, quod notabiliter famam alicuius lędat, & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis, & tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cuiuslibet rei subtractæ. 2. 2. q. 73. a. 2. in corp.

Quæritur in quibus casibus reuelare peccatum occultum non sit detrahere.

5 Respondeo dicendum, quòd reuelare peccatum occultũ alicuius propter eius emendacionem denunciãdo, vel propter bonum iustitiæ publicæ accusando non est detrahere. 2. 2. q. 73. a. 2. ad 1.

Quæritur quomodo intelligatur dictũ D. Augustini in homilia de igne purgatorij, qui inter peccata minuta ponit, quãdo cũ omni falsitate, vel temeritate maledicimus.

6 Respondeo dicẽdum, quòd loquitur in casu

casu illo, quo aliquis dicit aliquod leue malum de alio non ex intentione nocendi, sed ex animi leuitate, vel ex lapsu linguæ. 2.2.q.73.a.2.ad 3.

Quæritur an detractio sit grauius peccatum omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur.

7 Respondeo dicendum, quòd peccata quæ committuntur in proximũ sunt pensanda per se quidem secundùm nocumenta, quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ, tantò autem est maius nocumentum, quantò maius bonum demitur, cum autem sit triplex bonum hominis, scilicet bonum animæ, quod est maximum, non potest alicui ab alio tolli, nisi occasionaliter, puta per malam persuasionem, quæ necessitatem non infert, sed alia duo bona, scilicet corporis, & exteriorum rerũ possunt ab alio violenter auferri, sed quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum, grauiora sũt peccata, quibus infertur nocumentũ corpori, quàm ea, quibus infertur nocumẽtum exterioribus rebus; vndè inter cætera peccata, quæ committuntur in proximum, homicidium grauius est, per quòd tollitur vita proximi iam actu existens, consequenter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam, consequenter autem sunt exteriora bona, inter quæ fama prẹeminet diuitijs, eo quòd propinquior est spiritualibus bonis; vndè dicitur prouerb. 22 melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, & ideo detractio secundùm suum genus est maius peccatum, quàm furtum, minus tamen quàm homicidium, vel adulterium: potest tamen esse alius ordo propter circunstantias aggrauantes, vel diminuentes, per accidens autem grauitas peccati attenditur ex parte peccantis, qui grauius peccat, si ex deliberatione peccet, quàm si peccet ex infirmitate, vel in cautela, & secundùm hoc peccata locutionis habent aliquam leuitatem, inquantùm de facili ex lapsu linguæ proueniunt absq; magna præmeditatione. 2.2.q.73. a. 3. in corp.

Quæritur quòd peccatũ sit detrahere Christo?

8 Respondeo dicendum, quòd illi, qui detrahunt Christo impedientes fidem membrorum ipsius derogant Diuinitati eius, cui fides innititur; vndè non est simplex detractio, sed blasphemia. 2.2.q. 73.a. 3. ad 1.

Quæritur quomodo detractor sit homicida?

9 Respondeo dicendum, quòd detractor occasionaliter est homicida, inquãtùm scilicet per sua verba dat alteri occasionem, vt proximum odiat, vel contemnat, propter quòd in Epistola Clemẽtis dicitur, Detractores esse homicidas; scilicet occasionaliter, quia qui odit fratrem suum homicida est, vt dicitur primæ Ioannis. 3. 2.2.q.73.a.3.ad 2.

Quæritur cuius vitij filia sit detractio?

10 Respondeo dicendum, quòd detractio, quæ est in occulto non est filia iræ, sicut contumelia, sed magis inuidiæ, quæ nititur qualitercunq; minuere gloriam proximi. 2.2.q.73.a.3.ad 3.

Quæritur à quo oriatur detractio?

11 Respondeo dicendum, quòd susurratio, & detractio, & exultatio in aduersis oriuntur ex odio, inquantùm diminuit omne bonũ, & procurat omne malum sui inimici, hæc ex inuidia proueniunt secũdùm solam rationem remouendi excellentiam. q.10.de malo a.3 ad 3.

Quæritur an detractio, & adulatio contrarientur, & in quo.

12 Respondeo dicendũ, quòd sicut detractio est malũ, ita & adulatio, quæ contrariatur ei quantũ ad ea, quæ dicuntur, non autẽ directè quantum ad finem, quia adulator quærit delectationem eius, cui adulatur: detractur autem nõ quęrit eius contristationem; cum aliquando occultè detrahat, sed magis quærit eius infamiã. 2.2.q.115.a.1.ad 3.

Quæritur ad quid ordinetur inquisitio alienorum factorum.

13 Respondeo dicendũ, quòd diligens inquisitio eorũ, quę ab alijs fiunt, ordinatur ad detrahẽdũ. 2.2.q.167.a.2. in corp.

Quæritur quomodo sit restituenda fama.

Respondeo dicendum, sicut verbo Restitutio.

De Audiente Detractorem. Cap. II.

1 *Audiens detractorem, & non ei resistens peccat.*

2 *Audiens detractorẽ, si ei placeat detractio ex odio, non minus peccat, quã detrahens Aliquando magis peccat audiens detrahẽtem quam detrahens.*

Audiens detrahentẽ, non tamẽ ei placet detractio, & non resistit ex timore, vel negligentia, vel verecundia, minus peccat, quam detrahens, & vt in pluribus peccat venialiter.

Ille cui ex officio incumbit detrahẽtem corrigere, si audiat ipsum peccat mortaliter

Peccat etiã mortaliter audiens detrahentem propter periculũ, quod audiẽs nouit cõsequi, vel propter radicẽ, quia timor humanus quãdoq; potest esse peccatũ mortale.

3 *Audiens detractorem debet ei resistere arguendo ipsum de peccato, vel ostendendo tristitiam in vultu.*

Quæritur an peccet audiens detractorem non resistendo ei.

1 Respondeo dicendum, quòd non est arbitris alicuius, quod patiatur detrimentum famæ alterius; & ideo in culpam ei vertitur, si non resistit, cum possit resistere eadem ratione, qua tenetur aliquis subleuare asinum alterius jacentem sub onere, vt præcipitur Deut. 22. 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1.

Quæritur an audiens detrahentem magis, vel minus peccet, quam detrahens.

2 Respondeo dicendũ, quòd secundùm Apostolum ad Romanos primo digni sunt morte non solum, qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt: quòd quidem contingit dupliciter, vno modo directè quando scilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum: alio modo indirectè, scilicet quando non resistit, cum resistere possit, & hoc contingit quandoq; non quia peccatum placet, sed propter aliquem humanum timorem. dicendum est ergo, quod si aliquis detractiones audiat absq; resistentia, videtur detractori consentire; vndè fit particeps peccati eius, & si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium eius, cui detrahitur, non minus peccat, quàm detrahens, & quandoq; magis; vndè Bernardus dicit, detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim, si verò non placet ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem peccat quidem, sed multo minus, quàm detrahens, & ple-

plerumq; venialiter; quandoq; etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentē corrigere, vel propter aliquod periculum, quod audiens nouit consequens, vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale. 2. 2. quæst.73.a. 4. in corp.

Quæritur quomodo sit resistendum Detractori.

3 Respondeo dicendum, quòd nō semper aliquis debet resistere detractori arguendo eum de falsitate, & maximè si sciat, verum esse, quod dicitur, sed debet cum verbis redarguere de hoc, quod peccat fratri detrahendo, vel saltē ostendere, quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei, quia vt dicitur prouerb. 25. ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. 2. 2. q. 73. a. 4. ad 2.

DEVOTIO.

1 *Dicitur Deuotio à deuouendo.*
2 *Quid sit Deuotio.*
Deuotio est specialis actus.
3 *Deuotio est actus Religionis.*
4 *Deuotio ad Sanctos terminatur in Deum.*
5 *Qua ratione in deuotio sit peccatum.*
6 *Deuotio abundat in mulieribus, & simplicibus.*
7 *Crebæ orationes sunt necessariæ ad Deuotionem.*
8 *Deuotio principaliter consistit circa ea, quæ sunt Diuinitatis.*
Quæ pertinent ad Christi humanitatem nos maximè excitant ad deuotionem.
9 *Causa principalis deuotionis est Deus.*
Causa extrinseca deuotionis ex parte nostra est meditatio
Per meditationem homo concipit, quod se tradit Diuino obsequio.
Ad hoc nos incitant duo, scilicet consideratio D. Bonitatis, quæ excitat dilectionem Dei, quæ est proxima causa deuotionis, & consideratio proprij defectus.
10 *Quæ excitent, & quæ impediāt deuotionē.*
11 *Scientia, et huiusmodi impediunt deuotionem occasionaliter.*

Quæritur vnde dicatur Deuotio.

1 RESpondeo dicēdum, quòd Deuotio à deuouēdo nominatur, opusculo 17. cap. 13.

Quæritur an Deuotio *sit specialis actus.*

2 Respondeo dicēdum, quòd quia Deuotio dicitur à deuouendo; vndè deuoti dicuntur, qui se ipsos quodammodo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdunt, propter quòd, & olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui se ipsos idolis deuouebāt in montem pro sui salute exercitus, sicut de duobus Decijs Titus Liuius narrat; vndè Deuotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam promptè tradēdi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; vndè exodi 35. dicitur, quod multitudo filiorū Israel obtulit mente promptissima, atq; deuota primitias Domino; manifestū est autē, quod voluntas promptè faciendi, quod ad Dei seruitium pertinet, est quidā specialis actus; vndè Deuotio est specialis actus voluntatis. 2. 2. q. 82. a. 1. in corp.

Quæritur cuius virtutis sit actus Deuotio.

3 Respondeo dicēdum, quòd Deuotio est actus Religionis. 2. 2. q. 82. a. 2. in corp.

Quæritur in quem terminetur Deuotio *in Sanctis.*

4 Respondeo dicendum, quòd Deuotio, quę habetur ad Sanctos Dei mortuos, vel

vel viuos non terminatur ad ipsos; sed transit in Deum, inquantùm scilicet in ministris Dei Deum veneramur. 2. 2. q. 82.a.2.ad 3.

Quæritur quomodo indeuotio sit peccatum?

5 Respondeo dicendum, quòd Deuotio hominis est à Deo, sed secundũ quòd homo potest se disponere ad Deuotionẽ habendam, vel etiam deuotionem impedire, secundùm hæc in deuotio est peccatum. q. 11. de malo a. 1. ad 7.

Quæritur in quibus abundet Deuotio?

6 Respondeo dicendum, quòd in simplicibus, & mulieribus Deuotio abundat elationẽ comprimẽdo. 2. 2. q. 82. a. 3. ad 3.

Quæritur quid sit necessarium ad deuotionem.

7 Respondeo dicendum, quòd mens semel ad deuotionẽ excitata facilius postmodum ad deuotionem pristinam reuocatur, propter quòd Augustinus in lib. de orando Deum dicit esse necessarias crebras orationes, ne concepta deuotio totaliter extinguatur. 2. 2. q. 171. a. 2. ad 2.

Quæritur quænam maximè excitent Deuotionem?

8 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt Diuinitatis sunt secundùm se maximè excitantia dilectionem, & per consequens deuotionem, quia Deus est super omnia diligendus, sed ex debilitate mẽtis humanæ est, quod sicut indiget manuductione ad cognitionem Diuinorũ, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quæ præcipuum est humanitas Christi, secundùm quòd in præfatione dicitur, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur; & ideo ea, quæ pertinent ad Christi humanitatem per modũ cuiusdam manuductionis maximè deuotionem excitant, cũ tamen Deuotio principaliter, circa ea, quæ sunt Diuinitatis, consistat. 2. 2. q. 82. a. 3. ad 2.

Quæritur an contemplatio, siue meditatio sit causa deuotionis.

9 Respondeo dicendum, quòd causa deuotionis extrinseca, & principalis Deus est, de quo dicit Ambrosius super Lucam, quod Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, Religiosum facit, & si voluisset, Samaritanos ex indeuotis Deuotos fecisset: causa autem extrinseca ex parte nostra oportet, quod sit meditatio, seu contemplatio: dictum est enim, quod Deuotio est quidam voluntatis actus adhoc, quòd homo propter se tradat ad Diuinum obsequium, omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit; eo quòd bonum intellectum est obiectum voluntatis; vndè, & Augustinus dicit in lib. de Trinitate, quòd voluntas oritur ex intelligentia, & ideo necesse est, quod meditatio sit deuotionis causa, inquantùm scilicet homo per meditationem concipit, quòd se tradet Diuino obsequio: ad quod quidem inducit duplex consideratio, vna quidem, quæ est ex parte Diuinæ Bonitatis, & Beneficiorum ipsius secundùm psalm. 72. mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam: & hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima deuotionis causa; alia verò est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, vt Deo innitatur secundùm illud psalm. 120. leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram: & hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ne

Deo

Deo se subijciat, dum suæ virtuti innititur. 2.2.q 82.a.3. in corp.

Quæritur quænam impediant Deuotionem.

Respondeo dicendum, quòd consideratio eorũ, quæ nata sunt dilectionẽ Dei excitare, deuotionem causant, cõsideratio verò quorumcunq; adhoc non pertinentium, sed ab eis mentem distrahentiũ impedit deuotionem. 2.2.q.82.a.3. ad 1.

Quæritur an scientia, & huiusmodi Deuotionem impediat.

11 Respondeo dicendũ, quòd scientia, & quid aliud ad magnitudinẽ pertinet, occasio est, quod homo confideret de se ipso, & ideo non totaliter se Deo tradat, & inde est, quod huiusmodi quandoque occasionaliter Deuotionem impediunt. 2.2.q.82.a.3.ad 3.

DIACONVS.

1 *Sexus virilis est de necessitate præcepti, & Sacramenti ordinis.*

Quæ olim dicebatur Diaconissa, et Præsbitera

2 *Diaconi dicuntur ministri.*

Ad Diaconum spectat ministrare in collatione Sacramentorum maioribus.

3 *Ad Diaconos spectat prædicare Euangelium per modum Catechizantis.*

Exponere Euangelium propriè pertinet ad Episcopum.

4 *Diaconus non est proprius minister Baptismi, nec alterius Sacramenti.*

Diaconus est minister aliquorum Sacramẽtalium.

Munia Diaconi quæ sint.

5 *Olim inferiora ministeria committebantur Diaconis propter penuriam ministrorũ.*

6 *Quare Diaconi dicantur purgare.*

7 *Ad Diaconum spectabat dispensare Sanguinem Christi, non autem corpus.*

In necessitate poterat, et Corpus Christi dispensare iubẽte Episcopo, vel Sacerdote.

Quæritur an sexus virilis sit de necessitate Diaconatus.

1 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quod sexus virilis est de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramẽti, quia etiam in Decretis fit mentio de Diaconissa, & Præsbytera, sed Diaconissa dicitur, quę in aliquo actu Diaconi participat, sicut quæ legit homiliam in Ecclesia; Præsbytera autem dicitur vidua, quia Præsbyter idẽ est, quod senior. 4.sent.d.25.q.2.a.1.quęstiunc.1.in corp.

Quæritur quid pertineat ad Diaconum.

2 Respondeo dicendum, quòd dicuntur Diaconi quasi ministri, quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio prębere, sed adhibere ministeriũ alijs maioribus in Sacramentorũ exhibitione, & sic ad Diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere Sacramentum Baptismi, sed in collacione huius Sacramenti, & aliorum assistere, & ministrare maioribus; vndè Isidorus dicit, ad Diaconum pertinet assistere, & ministrare Sacerdotibus in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo scilicet, in Chrismate, in Patena, & Calice. 3.p.q.67.a.1. in corp. [q. 71.a.8.in corp.

Quæritur an ad Diaconum pertineat prædicare.

3 Respondeo dicendum, quòd ad Diaconum pertinet recitare Euangelium in Ecclesia, & prædicare ipsũ per modũ Cathechizantis; vndè, & Dionisius dicit, quod Diaconi habẽt officiũ super immũdos, inter quos ponit catecumenos, sed dicere,

idest exponere Euangeliũ pertinet propriè ad Episcopũ, cuius actus est pficere secundum Dionisium 5. cap. Eccl. Hierarchiæ; perficere autem idem est, quod docere; vndè non sequitur, quòd ad Diaconos pertineat officium prædicandi. 3. p. q. 67. a. 1. ad 1.

Quæritur quorum sit minister Diaconus.

4 Respondeo dicendum, quòd cum potestas Sacerdotalis ordinis sit supra potestatem Diaconi, Sacerdos habet vim purgatiuam cum illuminatiua, sed Diaconus habet purgatiuam tantùm sine illuminatiua: & quia in omnibus Sacramẽtis nouæ legis est illuminatio gratiæ cum purgatione, ideo non est Diaconus proprius minister Baptismi, nec alicuius Sacramenti, sed aliquorum Sacramentaliũ, sicut exorcismi, & expulsionis immundorum à Diuinis, vt cũ dicit, si quis Iudeus est, abscedat; vel eruditionis eorum, quæ ignorant qualiter se habere debeant ad Diuina, vt cum dicit, flectamus genua, & humiliate vos ad benedictionẽ; vel aliud huiusmodi, 4. sent. d. 5. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur quare olim inferiora ministeria Diaconis committebantur.

5 Respondeo dicendum, quòd in primitiua Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, vt patet per Dionisium 3. cap. Eccl. Hierarchiæ, vbi dicit, ministrorum alij stant ad portas templi clausas, alij aliud quid proprij ordinis operantur, alij cum Sacerdotibus proponunt super Altare Sacrum panem, & benedictionis Calicem; nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicitè in vna Diaconi potestate; sed postea ampliatus est cultus Diuinus, & Ecclesia, quod implicitè habebat in vno ordine, explicitè tradidit in diuersis. 4. sent. d. 24. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 2.

Quæritur quare Diaconi dicantur purgare.

6 Respondeo dicendum, quòd dicuntur Diaconi purgare inquantùm, vel immundos eijciunt à cætu fidelium, vel eos Sacris admonitionibus disponunt ad Sacramentorum receptionem. 3. p. q. 64. a. 1. ad 1.

Quæritur an ad Diaconum pertineat dispensatio sanguinis Christi.

7 Respondeo dicendum, quòd Diaconus quasi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de eius officio, vt scilicet dispenset sanguinem, non autẽ corpus, nisi in necessitate iubente Episcopo, vel Præsbytero, primò quidem quia sanguis Christi continetur in vase; vndè nõ oportet, quod tangatur à dispensante, sicut tangitur Corpus Christi; secundò quia sanguis designat redemptionem à Christo in populum deriuatam; vndè, & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum; & quia Diaconi sunt inter Sacerdotem, & populum, magis conuenit Diaconibus dispensatio sanguinis, quàm dispensatio Corporis. 3. p. q. 82. a. 3. ad 2. & 4. sent. d. 13. q. 1. a. 3. questiunc. 2. in corp.

Quæritur an Diaconi possint habere curam animarum.

Respondeo dicendum sicut verbo. Cura animarum. q. 2.

DIGNITAS.

1 *Cultus exhibitus personis in dignitate cõstitutis in ordine ad bonum commune pertinet ad pietatem.*

Cultus exhibitus personis in dignitate constitutis in ordine ad eorum vtilitatem, & gloriam

gloriam pertinet ad obseruantiam.

2 *Personis in dignitate constitutis debetur bonor ratione excellentiæ, sicut ratione officij debetur cultus.*

3 *Personis in dignitate constitutis debetur bonor, timor, obedientia, tributa ratione diuersorum.*

4 *Ex debito legali debetur bonor, & cultus à subditis suo Prælato.*

Ex debito morali debetur cultus, & bonor personis in dignitate constitutis, etiam à non subditis.

5 *Dignitas Pontificalis excedit omnes alias dignitates.*

Quaritur ad quam virtutem pertineat bonor exbibitus personis in dignitate constitutis.

1 RESpondeo dicendum, quòd personis in dignitate constitutis potest aliquid exhiberi dupliciter vno modo in ordine ad bonũ commune, puta cum aliquis eis seruit in administratione Reipublicæ, & hoc iam non pertinet ad obseruantiam, sed ad pietatem, quæ cultum exhibet non solum Patri, sed etiam Patriæ; alio modo exhibetur aliquid personis in dignitate constitutis pertinens specialiter ad personalem eorum vtilitatem, & gloriã, & hoc propriè pertinet ad obseruantiam secundum quòd à pietate distinguetur. 2.2. q. 102. ar. 3. in corp.

Quaritur an constitutis in dignitate debeatur bonor, & cultus.

2 Respondeo dicẽdum, quòd in eo, qui est in dignitate constitutus, primò consideratur excellentia status cum quadam potestate in subdito; secundò ipsum gubernationis officium, ratione excellentiæ debetur ei honor, qui est quædam recognitio excellentiæ alicuius, ratione autẽ officij gubernationis debetur ei cultus, qui in quodam obsequio consistit, dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, & vicem beneficijs eorum pro suo modo rependit. 2. 2. q. 102. a. 2. in corp.

Quaritur ratione quorum debeatur bonor, timor, obedientia, tributum in dignitate constitutis.

3 Respondeo dicendum, quòd excellẽtiæ eorum, qui sunt in dignitate constituti debetur honor ratione sublimioris gradus; timor autem ratione potestatis, quam habent ad coercendum; officio vero gubernationis ipsorum debetur obedientia, per quam subditi mouentur ad imperium præsidentium; & tributa, quæ sunt quædam stipendia laboris ipsorum. 2. 2. q. 102. a. 2. ad 3.

Quaritur an sit debitum omnibus bonorem exbibere in dignitate constitutis.

4 Respondeo dicẽdum, quòd cum duplex sit debitum, vnum quidem legale, ad quòd reddẽdum homo lege compellitur, & sic debet homo honorem, & cultũ his, qui sunt in dignitate constituti Prælationem super ipsum habentes; aliud autem est debitum morale, quod ex quadam honestate debetur, & hoc modo debemus cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiam si nõ simus eis subiecti. 2. 2. q. 102. a. 2. ad 2.

Quaritur quænam Dignitas excedat omnes alias dignitates.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut illa, quæ pertinent ad Dei cultum excedũt temporalia, ita Dignitas Pontificalis excedit omnes alias dignitates. Eccl. 1. cap. 5. ad hæbreos.

DISCORDIA.

1 *Discordia non est idem quòd rixa.*

Discordia consistit in disiunctione motuum voluntatis.
2 *Discordia concordiæ opponitur.*
Discordia est peccatum vt contrariatur cõcordiæ.
Concordia tollitur dupliciter per discordiã, scilicet per se, & per accidens.
Discordia formalis, & per se est peccatum mortale, & quæ sit.
Primi motus discordiæ sunt peccata venialia.
Discordia per accidens non est peccatum, & quæ sit.
Discordia per accidens, quæ est cum errore circa necessaria ad salutem, vel cum pertinacia est peccatum.
3 *Facere discordiam, per quam tollatur bona concordia, est graue peccatum.*
Facere discordiam, per quam tollatur mala concordia, est laudabile.
4 *Discordia est filia inanis gloriæ.*
5 *Quomodo discordia causetur ex inuidia.*
6 *Per discordiam res delabuntur, & quare.*

Quæritur an discordia sit idem quod Rixa.

1 Respondeo dicendum, quòd Rixa non est idem, quod discordia: nam rixa consistit in exteriori agere, sed discordia consistit in disiunctione motuum voluntatis. 2.2.q.37.ar. 2. ad 1. [q. nona de malo a.3. in corp.

Quæritur an discordia sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd discordia concordiæ opponitur concordia autem ex Charitate causatur, inquantum scilicet Charitas multorum corda coniungit in aliquod vnum, quod est principaliter quidem bonum Diuinum, secundariò autem bonum proximi, discordia igitur eadem ratione est peccatum inquantum huiusmodi concordiæ contrariatur; sed sciendum, quod hæc concordia per discordiam tollitur dupliciter, vno quidem modo per se, alio verò modo per accidens; per se quidem in humanis actibus, & motibus dicitur esse id, quod est secundum intentionem; vndè per se discordat aliquis proximo, quando sciẽter, & ex intentione dissentit à bono Diuino, & à proximi bono, in quo debet consentire, & hoc est peccatum mortale ex suo genere propter contrarietatem ad Charitatem, licet primi motus huius discordiæ propter imperfectionem actus sint peccata venialia; per accidens autem in humanis actibus consideratur ex hoc, quod aliquid est præter inteņtionẽ; vndè cum intentio aliquorum est ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem proximi, sed vnus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem, discordia tunc est per accidens contra bonum Diuinũ, vel proximi, & talis discordia non est peccatum, nec repugnat Charitati, nisi huiusmodi discordia sit vel cum errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur, cum etiam concordia, quæ est Charitatis effectus, est vnio voluntatum, non vnio opinionum: ex quo patet, quod discordia quandoq; est ex peccato vnius tantum, puta cum vnus vult bonum, cui alius scienter resistit, quandoq; autem est cum peccato vtriusq; puta cum vterq; dissentit à bono alterius, & vterq; diligit bonum proprium. 2.2.q 37.a.1. in corp.

Quæritur an facere discordiam aliquando sit laudabile.

3 Respondeo dicẽdum, quòd sicut voluntas hominis adhærens Deo est quædam regula recta, à qua peccatum est discordare, ita etiam voluntas hominis Deo contraria, est quædam peruersa regula, à qua bonum est discordare; facere ergo discordiam, per quam tollitur bona concordia, quam Christus facit, est graue

graue peccatum; vndè dicitur prouerb. 6. sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, & hoc septimum ponit eum, qui seminat inter fratres discordias, sed causare discordiam, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile: & hoc modo laudabile fuit, quod Paulus posuit dissensionem inter eos, qui erant concordes in malo: nam & dominus de se dicit Matthæi. 10. non veni pacē mittere, sed gladiū. 2.2.q.3.a.1. ad secundū.

Quæritur an discordia sit filia inanis gloriæ.

4 Respondeo dicendum, quòd discordia importat quandam disgregationem voluntatum, inquantùm scilicet voluntas vnius stat in vno, & voluntas alicuius alterius stat in altero, quòd autem volūtas alicuius in proprio sistat, prouenit ex hoc, quod aliquis ea, quæ sunt sua præfert his, quæ sunt aliorum, quod cum inordinatè fit, pertinet ad superbiam, & inanem gloriam; & ideo discordia, per quam vnusquisq; sequitur quòd suum est, & recedit ab eo, quod est alterius, ponitur filia inanis gloriæ. 2.2.q.37.ar.2. in corp.

Quæritur quomodo discordia causetur ex inuidia.

5 Respondeo dicendū, quòd in discordia consideratur, vt terminus à quo recessus à voluntate alterius, & quartum adhoc causatur ex inuidia. 2.2.quæst. 37. ar. 2. ad 2.

Quæritur quod bonum oriatur ex concordia, & quod malum ex discordia.

6 Respondeo dicendum, quòd concordia paruę res crescunt, & per discordiam maximè dilabūntur, quia virtus quanto magis est vnita, tanto est fortior, & per separationem diminuitur, vt dicitur in libro de causis. 2.2.q.37.a.2. ad 3.

DISPENSATIO.

De Dispensatione in communi. Cap. I.

1 *Quare inuenta sit dispensatio.*
2 *Quid sit dispensatio.*
3 *In Dispensatione quid debeat intendi.*
4 *In Dispensatione non est acceptio personarum.*
5 *Quomodo intelligatur dispensatio in lege humana.*

Quæritur quare sit adinuenta dispensatio?

1 Respondeo dicendum, quòd quia in particularibus non potest inueniri ratio, quæ omnibus cōpetat æqualiter propter eorum diuersitatem; ideo quod vniuersaliter statutum est, rationabiliter consideratis istis, quæ in pluribus accidunt, potest etiam per dispensationem rationabiliter remoueri in aliquo casu determinatio. 4. sent. d. 27. quæst. 3. ar. 3. ad 4.

Quæritur quid sit dispensatio.

2 Respondeo dicendum, quòd iuristæ dicunt, quòd dispensatio est communis iuris relaxatio. 4. sent. d. 44. q. 1. a. 3. quæstiunc. 4. ad 1.

Quæritur quid debeat intendi in dispēsatione?

3 Respondeo dicendum, quòd quando cum aliquo dispensatur, vt legem communem non seruet, non debet fieri in præiuditium boni communis, sed ex intentione, vt ab bonum commune proficiat. p. 2. q. 97. a. 4. ad 1.

Quæ-

Quæritur an in dispensatione legis sit personarum acceptio.

4 Respondeo dicendum, quòd non est acceptio personarum, si non seruentur æqualia in personis inæqualibus; vndè quando conditio alicuius personę requirit rationabiliter, vt in ea aliquid specialiter obseruetur, non est personarum acceptio, si sibi aliqua specialis gratia fiat. p. 2. q. 97. a. 4. ad 2.

Quęritur quomodo intelligatur dispensatio in lege humana.

5 Respondeo dicendum, quòd cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit, vt legi humanæ non obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatum Diuinum, sed fit, vt hoc, quod erat lex, nõ sit in hoc casu. 2. 2. q. 88. a. 10. ad 2.

In quibus possit fieri dispensatio. Cap. II.

1 *In lege naturali non potest fieri dispensatio quo ad præcepta communia.*
In lege naturali potest fieri dispensatio quo ad alia præcepta.
In lege Diuina solus Deus potest dispensare, & cui ipse commiserit.
2 *Quando in præceptis sit facienda dispensatio.*
Pręcepta data pro conseruatione boni communis, & ordine iustitiæ &c. sunt indispensabilia.
Præcepta ordinata ad supradicta sunt dispensabilia in aliquibus casibus.
Præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia.
3 *Inseparabilitas matrimonij non potest dispensari.*
4 *Nunquàm licuit alicui habere plures vxores sine dispensatione.*
5 *Cum personis excellentibus faciliter debet fieri dispensatio circa matrimonium contrahendum.*

Quæritur an in lege naturali, & Diuina possit dispensari.

1 Respondeo dicendum, quòd lex naturalis in quantùm continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, dispensationem recipere nõ potest, in alijs verò præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium quandoq; per hominem dispensatur, puta quòd mutuum non reddatur proditori Patriæ, vel aliquid huiusmodi: ad legem autem Diuinam ita se habet quilibet homo, sicut persona priuata ad legẽ publicam, cui subijcitur; vndè sicut in lege humana publica non potest dispensare nisi ille, à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse comiserit, ita in præceptis iuris Diuini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret. p. 2. q. 97. a. 4. ad 3.

Quæritur an præcepta Decalogi sint dispensabilia.

2 Respondeo dicendum, quòd in præceptis debet fieri dispensatio quando accurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis obseruaretur, contrariaretur intentioni legislatoris; intentio autẽ legislatoris cuiuslibet ordinatur primò quidem, & principaliter ad bonum commune, secundò autem ad ordinem iustitiæ, & virtutis, secundùm quem bonum commune conseruatur, & ad ipsum peruenitur; si quæ ergo præcepta dantur, quæ contineant ipsam conseruationem boni communis, vel ipsum ordinem iustitiæ, & virtutis, huiusmodi præcepta cõtinent intentionem legislatoris; & ideo indispensabilia sunt, puta si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod

quod nullus destrueret Rempublicam, neq; proderet Ciuitatem hostibus, siue quòd nullus faceret aliquid iniustè, vel malè, huiusmodi præcepta essent indispensabilia; sed si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinantur aliqui speciales modi, in talibus præceptis dispensatio posset fieri, inquantùm per amissionem huiusmodi præceptorum in aliquibus casibus non fieret præiuditium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris, puta si ad conseruationem Reipublicæ statueretur in aliqua Ciuitate, quòd de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam Ciuitatis obsessæ, posset cũ aliquibus dispensare propter aliquã maiorem vtilitatem. Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei. nam præcepta primæ Tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum cõmune, & finale, quod Deus est; præcepta autem secundæ Tabulę continent ordinẽ iustitiæ inter homines obseruandę, vt scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum, secundum hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta Decalogi; & ideo præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia. p. 2. q. 100. ar. 8. in corp.

Quæritur an possit dispensari in matrimonio iam facto.

3 Respondeo dicendum, quòd inseparabilitas quamuis sit de secunda intentione matrimonij, prout est in officium naturæ, tamen est de prima intentione ipsius, prout est Sacramentum Ecclesiæ, & ideo ex quo institutum est, vt sit Ecclesiæ Sacramentum, manente tali institutione non potest sub dispensatione cadere. 4. sent. d. 33. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 1. ad 3.

Quæritur an aliquando fuerit licitum habere plures vxores sine dispensatione.

4 Respondeo dicendum, quòd in Decretali quadã de Diuortijs dicitur, quòd nunquã licuit aliqui habere plures vxores sine dispensatione per Diuinam inspirationem habitam: nec tamen talis dispensatio datur contra rationes, quas Deus naturę inseruit, sed præter eas: quia rationes illæ non sunt ordinatæ ad semper, sed in pluribus esse, sicut etiam non est contra naturam, quando aliqua accidunt in rebus naturalibus miraculosè præter ea, quæ vt frequenter solent euenire. 4. sent. d. 33. q. 1. a. 2. ad secundum.

Quæritur cum quibus personis faciliter possit dispensari in matrimoniu.

5 Respondeo dicendum, quòd dispensatio matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fædus pacis firmandum, quod quidem magis est necessarium communi vtilitati circa personas excellentes; & ideo cum eius facilius dispensatur absq; peccato acceptionis personarum. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 2.

De illis, qui possunt dispensare. Cap. III.

1 *Qui regit multitudinem potest dispensare in lege humana, si adsit causa.*

Sine causa dispensare, est infidelis, aut imprudentis.

2 *Papa potest dispensare in omnibus, quæ sunt iuris humani, siue positiuo.*

Papa non potest dispensare in his, quæ sũt iuris naturalis vel Diuini.

Ius Diuinum continetur in lege veteri, & noua.

3 *Papa potest dispensare in his, quæ sunt instituta ab Apostolis.*

4 *Papa potest dispensare, quod Sacerdos cõsecret*

secret non indutus versibus Sacris.

5 *Papa potest dispensare in irregularitate Bigamiæ totaliter.*

Episcopus potest dispensare in irregularitate Bigamiæ quo ad minores ordines.

Etiam quo ad maiores in illis, qui volunt ingredi Religionem.

6 *Decretalis quædam circa hoc exponitur.*

7 *In quo casu inferior possit dispensare in præcepto superioris.*

8 *Deus non potest dispensare, quòd homo nō subdatur ordini suæ iustitiæ &c.*

9 *Præcepta decalogi in quo sensu possint dispensari à Deo, & ab homine.*

Quæritur an Rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare.

1 RESpondeo dicendum, quòd dispensatio propriè importat cōmensurationem alicuius communis ad singula; vndè etiam gubernator familiæ dicitur dispensator inquantùm vnicuiq; de familia cum pondere, & mensura distribuit, & operationes, & necessaria vitæ: sic igitur, & in quacunq; multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune preceptum sit à singulis adimplendum: contingit autem quandoq; quòd aliquod præceptum, quod est ad commodū multitudinis, vt in pluribus, non est conueniens huic personæ, vel in hoc casu; quia vel p hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum: periculosum autem esset, vt hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi fortè propter euidēs, & subitum periculum; & ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur, vt scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, vt preceptum legis non seruetur; si autē absq; hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens; infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoraret, propter quòd Dominus dicit Lucæ 12. quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? p. 2. q. 97. a. 4. in corp.

Quæritur in quibus Papa possit dispensare.

2 Respondeo dicēdum, quòd Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet quòd quæcunq; sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos sūt dispensabilia à Papa; hæc enim sunt, quæ dicuntur esse iuris humani, vel iuris positiui: circa ea verò, quæ sunt iuris Diuini, vel iuris naturalis, dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione Diuina; ius autem Diuinum est, quod pertinet ad legem nouam, vel veterem; sed hæc differentia est inter vtrāq; legem, quia lex vetus determinabat multa tàm in præceptis cæremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quàm etiam in præceptis iudicialibus pertinentibus ad iustitiam inter homines conseruandam, sed lex noua, quæ est lex libertatis, huiusmodi determinationes non habet, sed est contenta præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis Gratiæ; vndè, & dicitur lex fidei, & lex Gratiæ propter determinationem articulorum fidei, & efficaciam Sacramētorum; cætera verò, quæ pertinent ad determinationem humanorum iudiciorum, vel ad determinationē Diuini cultus liberè permisit Christus, quæ est nouæ legis lator, Prælatis Ecclesiæ, & Principibus Christiani populi determināda; vndè huiusmodi determinationes pertinent ad ius humanum, in quo Papa potest dispensare, in solis verò his, quæ sunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis nouæ legis dispensare non potest,

test,hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem. quodlibeto 4. a. 13. in corp.

Queritur an Papa possit dispensare in his, quę sunt instituta ab Apostolis.

3 Respondeo dicendum, quòd Papa non potest dispensare quantùm ad ea, quæ sunt de iure naturali,& quantùm ad ea,quæ sunt de necessitate Sacramentorum,& fidei:sed in alijs,quę sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatē statuendi,& destruendi,quam tunc habuit, potest per eum,qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari.4.sent.d.27.q.3.a.3.ad 2.

Queritur an Papa possit dispensare, quod Sacerdos consecret non indutus vestibus Sacris.

4 Respondeo dicendum, quòd Papa potest dispensare,quòd aliquis Sacerdos non indutus vestibus Sacris consecret Corpus Christi;& eadē ratio est de omnibus alijs huiusmodi,quæ ex institutione humana processerunt. quodlibeto 4. a. 13. in corp.

Queritur an Papa, & Episcopus possint dispensare in Bigamię irregularitate.

5 Respondeo dicendum, quòd Bigamię non est adiuncta irregularitas de iure naturali,sed de iure positiuo; nec iterum est de essentialibus ordinis, quòd aliquis non sit Bigamus, quòd patet ex hoc,quod si aliquis Bigamus ad ordines accedat, caracterem recipit, & ideo Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter, sed Episcopus quantum ad minores ordines; & quidam dicūt,quod etiam quantùm ad maiores in illis, qui volunt Deo in Religione seruire propter vitandum Religiosorum discursum, 4. sent. d. 27. q. 3. ar. 3. in corp.

Queritur quomodo intelligatur Decretalis de Bigamia, qua dicitur cum Clericis, qui inquantùm in ipsis fuit, secundas mulieres sibi coniunxerunt matrimonialiter, tanquàm cum Bigamis non licet dispensare.

6 Respondeo dicendum, quòd ostenditur eadem esse difficultas dispensandi in illis, qui de facto cum pluribus contraxerunt,ac si de iure contraxissent, non quòd subtrahatur simpliciter potestas Papæ in talibus. 4. sent. d.27.q.3.ar. 3. ad 1.

Queritur in quo casu inferior possit dispensare in pręcepto superioris.

7 Respondeo dicendum, quòd inferior potest dispensare in pręcepto superioris, quando dispensatio sibi à superiore relinquitur.4.sent.d.15.q.3.a.2. quæstiunc. 1. ad 3.

Queritur an Deus possit dispensare, quod homo non subdatur ordini suę Iustitię &c.

8 Respondeo dicendum, quòd Deus negaret se ipsum,si ordinem suæ Iustitiæ aufferret,cum ipse sit ipsa sua iustitia; & ideò in hoc Deus dispensare non potest; vt homini liceat non ordinatè se habere ad Deum, vel non subdi ordini iustitiæ eius etiam in his,secundùm quę homines ad inuicē ordinantur.p.2.q.100.a.8.ad 2.

Queritur quomodo Deus iusserit Abrahæ occisionem filij; Iudæis vt surriperent bona ægiptiorum; & Oseę vt sumeret fornicariam.

9 Respondeo dicendum, quòd occisio hominis prohibetur in Decalogo secundū quòd habet rationē indebiti,sic enim præ

præceptũ continet ipsam rationem iustitiæ; lex autem humana hoc concedere nõ potest, ꝙ licitè homo indebitè occidatur; sed malefactores occidi, vel hostes Reipublicæ hoc nõ est indebitũ; vndè hoc nõ contrariatur pręcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidiũ, ꝙ pręcepto Decalogi prohibetur, vt Aug. dicit in 1. de libero arbitrio; & similiter si alicui auferatur, quod suum erat, si debitum est, quod ipsum amittat, hoc non est furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibetur: & ideo quando filij Israel præcepto Dei tulerunt ægiptiorum spolia non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter, & Abraham cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis, ipse enim est, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus iustis, & iniustis peccato primi parentis, cuius sententiæ si homo sit executor auctoritate Diuina, non erit homicida, sicut nec Deus; & similiter etiam Oseæ accedens ad vxorem fornicariam, vel mulierem adulterum non est mæchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum Diuinum, qui est auctor institutionis matrimonij: sic igitur præcepta ipsa Decalogi quantùm ad rationem iustitiæ, quam cõtinent, immutabilia sunt, sed quantũ ad aliquam determinationem per applicationẽ ad singulares actus, vt scilicet hoc, vel illud sit homicidiũ, furtum, vel adulterium, aut non, hoc quidem est mutabile, quandoq; sola auctoritate Diuina, in his scilicet, quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in alijs huiusmodi; quandoq; etiam auctoritate humana, sicut in his, quæ sunt commissa hominum iurisdictioni, quantùm enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autẽ quantum ad omnia. p. 2. q. 100. a. 8. ad 3.

De dispensatione votorum, et iuramentorum. Cap. IIII.

1 *In dispensatione, & commutatione votorum requiritur auctoritas Prælati.*

Dispensatio votorum debet fieri in honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ.

2 *Potest dispensari in voto temporalis continẽtiæ, sicut in alijs votis temporalibus.*

Non potest dispensari in voto continentiæ solemnizato per professionem.

3 *Religiosus factus Episcopus non dispensatur à voto castitatis, nec paupertatis, nec obedientiæ.*

4 *In dispensatione debet esse causa.*

Peccat Prælatus dispensans sine causa.

Non potest quis, sui ipsius iudicio stare; sed Prælati in cognoscenda causa.

In quibus casibus possit quis stare iudicio proprio.

5 *Papa potest dispensare in omnibus votis dispensabilibus.*

Prælati inferiores in quibus votis dispensare possint.

Votum continentiæ, et peregrinationis terræ Sanctæ reseruantur Papæ.

Quæritur an dispensatio votorum debeat esse in honorem Dei, vel vtilitatem Ecclesię.

1 Respondeo dicendum, quòd Prælatus in Ecclesia gerit vicẽ Dei; & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur Prælati auctoritas, quæ in pſona Dei determinat quid sit Deo acceptum secundùm illud secundæ ad Corinthios 2. nam, & ego quæ donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, & signanter dicit, propter vos, quia omnis dispensatio petita à Prelato debet fieri ad honorem Christi, in cuius persona despensat, vel ad vtilitatẽ Ecclesiæ, quæ est eius corpus. 2. 2. q. 88. a. 12. in corp.

Quæ-

Quæritur an in voto temporalis continentiæ possit fieri dispensatio.

2 Respondeo dicendum, quòd in voto temporalis continentiæ dispensari potest, sicut & in voto temporalis orationis, vel temporalis abstinentiæ; sed quòd in voto continentiæ per professioné solemnizato non possit dispensari, hoc non est inquantum actus castitatis, sed inquantū incipit ad latriam pertinere per professionem Religionis. 2.2.q.88.a.11. ad 2.

Quæritur an Religiosus factus Episcopus dispensetur in votis Religionis.

3 Respondeo dicendum, quòd Religiosus, qui fit Episcopus sicut non absoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispésator cōmunium bonorum Ecclesiæ, similiter etiā non absoluitur à voto obedientię, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat, sicut nec Abbas monasterij, qui tamen non est obedientiæ voto absolutus. 2.2.q.88.a.11.ad 4. [4.sent.d. 38.q.1.a.4.quæstiunc.1.ad 5.

Quæritur an Prælatus dispensaris sine causa peccet.

4 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quod ideo Prælati possunt in votis pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur cōditionaliter voluntas Prælati superioris, sicut in voluntate subditorum, puta serui, vel filij intelligitur conditio, si placuerit Patri, vel Domino, vel si non renitantur: & sic subditus absq; omni remorsu conscientiæ posset votū prætermittere, quandocunq; sibi à Prælato diceretur: sed prædicta positio falso innititur, quia cum Potestas Prælati spiritualis, qui non est Dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non in destructionem, vt patet secūdæ ad Corinth. 10. sicut Prælatus non potest imperare ea, quæ secundùm se Deo displicent, scilicet peccata, ita nō potest prohibere ea, quæ secundùm se Deo placent, scilicet virtutis opera; & ideo absolutè potest homo vouere ea: ad Prælatum tamen pertinet dijudicare, quid sit magis virtuosum, & Deo magis acceptū; & ideo in manifestis dispensatio Prælati non excusaret à culpa, puta si Prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu Religionis nulla apparenti causa obstante: si autem esset causa apparens, per quam saltem in dubium verteretur, posset stare iudicio Prælati dispensantis, vel commutantis, nō tamen iudicio proprio; quia ipse non gerit vicem Dei, nisi fortè in casu, in quo id, quod vouit, esset manifestè illicitum, & non posset opportunè ad superiorem recurrere. 2.2. q.88. a.12. ad 2.

Quæritur in quibus votis possint dispensare Papa, & inferiores Prælati.

5 Respondeo dicēdū, quòd quia Summus Pontifex gerit plenariè vicé Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispésandi in omnibus dispésabilibus votis: alijs autem inferioribus Prælatis committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigēt frequenti dispensatione, vt habeant de facili homines, ad quem recurrant, sicut sunt vota peregrinationum, & ieiuniorū, & aliorum huiusmodi; vota verò maiora, puta continentiæ, & peregrinationis terræ Sanctæ reseruantur Summo Pontifici. 2.2.q 88.a.12.ad 3. [4.sent. d. 38. q. 1.a.4.quæstiunc.2.in corp.

Quæritur an possit fieri dispensatio in voto continentię solemnizato.

Respondeo dicendum sicut verbo. Votum, vbi plura de hac materia inuenies.

Quæ-

Quaritur an possit fieri dispensatio in iuramento.

Respondeo dicendum sicut verbo iuramentum.

Quaritur quomodo sit intelligenda dispensatio in iuramento.

Respondeo dicendum sicut verbo iuramentum.

Quaritur qui nam possint dispensare in iuramento.

Respondeo dicendum sicut verbo iuramentum.

Quaritur an ille, cui fit iuramentum, possit dispensare in eo.

Respondeo dicendum sicut verbo iuramentum.

DISPVTATIO.

1 *Disputans de fide tanquàm de ea dubitans peccat, & est infidelis.*

Disputare de fide ad confutandum errores, vel ad exercitium est laudabile.

Disputare de fide coram sapientibus nullũ periculum est.

Necessarium est disputare de fide coram simplicibus sollicitatis ab infidelibus, si tamen tunc adsint aliqui sapientes valentes confutare errores.

Periculosum est disputare de fide coram simplicibus non sollicitatis ab infidelib.

2 *In scholis potest disputari an anima rationalis sit extra duce secluso tamen scandalo.*

Existente scandalo disputans protestetur disputationem esse ad quarendam veritatem, non propter dubium.

3 *Non est disputandum cum illis, qui nihil credere volunt.*

Cum quibus est disputandum?

4 *Ad fidei confirmationem oportet disputare cum infidelibus defendendo fidem, & conuincendo errantes.*

5 *Disputatio inordinata prohibetur à D. Paulo.*

6 *In disputatione ordinata ad tollendũ errores vtendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus disputamus.*

In disputatione cum Iudeis, Manicheis, schismaticis, quibus auctoritatibus vti debeamus.

In disputatione ordinata ad instruendũ vti debemus rationibus.

Quaritur an liceat disputare de fide publicè cum infidelibus.

1 RESpondeo dicendum, quòd in disputatione fidei duo sunt cõsideranda, vnum quidem ex parte disputantis, aliud autem ex parte audientium: ex parte quidem disputantis est considerãda intentio, si enim disputet tanquã de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intẽdens, procul dubio peccat tãquàm dubius in fide, & infidelis, si autem disputet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium laudabile est: ex parte verò audientium considerandum est, vtrum illi, qui disputationem audiunt, sint instructi, & firmi in fide, aut simplices, & in fide titubantes; & quidem coram sapientibus in fide firmis nullum periculum est disputare de fide; sed circa simplices est distinguendum, quia aut sunt sollicitati, siue pulsati ab infidelibus, puta Iudeis, vel hæreticis, siue paganis nitentibus corrumpere in eis fidem, aut omnino non sunt solicitati super hoc, sicut in terris, in quibus non sunt infideles; in primò casu necessarium est publicè disputare de fide, dummodo inueniãtur aliqui ad hoc sufficientes, & idonei, qui errores confutare possint,

possint, per hoc enim simplices in fide confirmabuntur, & tollitur infidelibus decipiendi facultas, & ipsa taciturnitas eorum, qui resistere deberent peruertentibus fidei puritatem, esset erroris confirmatio; vnde Gregorius in 2. Pastoralium, sicut incauta locutio in errorē protrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit: in secundò verò casu periculosum est publicè disputare de fide coram simplicibus, quorū fides ex hoc est firmior, quia nihil diuersum audierent ab eo, quod credunt; & ideo non expedit eis, vt verba infidelium audiant disputantium contra fidem. 2.2.q.10.a.7.in corp. [Ecc. 2. c. 2. secundæ ad Timotheum.

Quæritur an in scholis possit disputari, an anima Christi & omnes aliæ animæ rationales sint ex traduce.

2 Respondeo dicendū, quòd non video cur hoc non liceat, nisi fortè in casu, si ex hoc apud aliquos scandalū oriretur, sicut aliquando contingit, quòd aliqui simplices audiētes de his, quæ sunt fidei disputari in scholis, credunt ea ratione de his disputari, quasi dubitetur de fidei veritate, sed in tali casu posset disputans ad hanc opinionē amputandam protestari quòd disputaret nō propter disputationem de veritate, sed propter inquirendā veritatis rationem. opusculo 11.a.22.

Quæritur cum quibus sit disputandum.

3 Respondeo dicendum, quòd non est disputādum cum illis, qui nihil in Sacramento Eucharestiæ, & in alijs, quæ sunt fidei volūt credere, nisi hoc quòd per naturalem rationem probari potest, sed benè cum illis est disputādum, qui ex principijs fidei disputant, & qui ex principijs naturalibus non volunt probare, quæ sūt fidei, sed sustinere, quia quæ sunt fidei, quamuis sint supra rationem, non tamen sunt cōtra rationem, alias Deus esset sibi contrarius, si alia posuisset in ratione, quā rei veritas habet. 4. sent. d. 11. in exposit litteræ.

Quæritur quo fine sit aliquando disputandum cum infidelibus.

4 Respondeo dicendum, quòd oportet ad fidei confirmationē aliquando cū infidelibus disputare, quandoq; quidē defendendo fidē secundùm illud primę Petri 3. parati semper ad satisfactionē omni poscenti vos rationem de ea, quæ est in vobis spe, & fide, quandoq; autē ad conuincendos errantes secundùm illud ad Titum primo, vt sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. 2.2.q.10.a.7.ad 3.

Quæritur quæ disputatio oriatur?

5 Respondeo dicendū, quòd Apostolus prohibet disputationē inordinatam, quæ magis fit contentione verborum, quàm firmitate sententiarū. 2.2.q.10.a. 7. ad 1.

Quæritur an magister determinans quæstiones Theologicas magis vti debeat auctoritatibus, quam rationibus.

6 Respondeo dicendum, quòd quilibet actus exequendus est secundū quòd conuenit ad suū finē, disputatio autē ad duplicē finē potest ordinari, quædam enim disputatio ordinatur ad remouendū dubitationē, an ita sit, & in tali disputatione Theologica maximè vtendū est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur, puta si cū Iudeis disputetur, oportet inducere auctoritates veteris testamēti; si cū manicheis, qui vetus testamētū respuūt, oportet vti solū auctoritatibus noui testamēti; si autē cū schismaticis, q recipiūt vet', & nouū testamētū, nō

autem Doctrinā Sanctorū nostrorū, sicut sunt Græci, oportet cum eis disputare ex auctoritatibus noui, vel veteris testaméti, & illorum doctorū, quos sibi recipiunt; si autem nullam auctoritatem recipiunt, oportet ad eos conuincendos ad rationes naturales confugerę: quædam verò disputatio est magistralis in scholis nō ad remouendum errorem, sed ad instruendū auditores, vt inducantur ad intellectum veritatis, quàm intendit, & tunc oportet rationibus inniti inuestigantibus veritatis radicem, & facientibus scire quomodo sit verum, quòd dicitur, alioquin si nudis auctoritatibus magister quæstionum determinet, certificabitur quidem auditor, quòd ita est, sed nihil scientiæ, vel intellectus acquiret, & vacuus abscedet. quodlibeto 4. a. 18. [primo contra hentes cap. 2.

DISSENSIO.

1 *Paci opponitur dissensio.*
Concordia, quę dissensio opponatur.
2 *Primum malum multitudinis est dissensio, & ab eo cætera oriuntur.*

Quæritur cui opponatur dissensio.

1 RESpondeo dicendum, quòd paci opponitur duplex dissensio, scilicet dissensio hominis ad se ipsū, & dissensio hominis ad alterum: concordiæ autem opponitur hæc sola secunda dissensio. 2.2.q.29.a.1.ad 3.

Quæritur an dissensio sit primum malum multitudinis.

2 Respondeo dicendum, quòd primùm malum est dissensio; vndè cætera oriūtur, vbi enim est dissensio, nihil rectū est: sed contra videtur esse quòd dicitur Eccl. 10 initium omnis peccati est superbia, & primæ Timothei vltimo radix omnium malorum cupiditas: dicendum est autem, quòd hæ auctoritates loquuntur quantùm ad peccata personalia singulariū hominū, quorū primùm est superbia ex parte auersionis, & cupiditas ex parte conuersionis, sed nunc loquimur de peccatis multitudinis, inter quæ primùm est dissensio, per quā soluitur rigor disciplinæ; vndè dicitur Iacobi 3 vbi est zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Ecc. cap. 11. primæ ad Corinth.

DIVINATIO.

1 *Vndè dicantur aliqui* Diuini.
2 *Quid sit Diuinatio.*
Diuinatio semper est peccatum.
3 *Diuinatio est peccatum multiplici ratione*
4 *Diuinatio est peccatum graue.*
In Diuinatione *est apostasia à fide.*
5 *Ad cognoscendos futuros euentus liberos &c. non sunt aliquę veræ artes, sed omnes sunt fallaces.*
6 *Diuinatio est species superstitionis.*
7 *Diuinatio pertinet ad curiositatem quo ad finem.*
8 *Diuinatio spectat ad cultum Dæmonum.*
9 *Diuinationum aliæ sunt cū expressa Dæmonis inuocatione; alię sine expressa.*
D*æmonis inuocatione; primi generis sunt sequentes.*
Quid sit Prestigium.
Quid sit. Diuinatio *somniorum.*
Nicromantia.
Diuinatio per Pytores.
Geomantia.
Tdromantia.
Aeromantia.
Pyromantia.
Aruspicium.
Secundi generis sunt.
Astrologia.
Augurium.
Auspicium.
Omen.
Chiromantia.

Spa-

Quæritur vndè dicantur aliqui Diuini.

RESpondeo dicendũ, quòd Diuini dicuntur, quia sibi actũ Dei vendicãt in prædictione futurorũ, & præcipuè quãtùm ad cultũ falsũ Deorũ. super c.8. Isaiæ.

Quæritur an Diuinatiò sit peccatum?

2 Respondeo dicendum, quòd nomine Diuinationis intelligitur quædam prænunciatio futurorum, futura autem dupliciter prænosci possũt, vno quidem modo in suis causis, alio modo in se ipsis; causæ autem futurorum tripliciter se habent, quædam enim producunt ex necessitate, & semper suos effectus, & huiusmodi effectus futuri per certitudinem prænosci, & prænunciari possunt ex consideratione suarum causarum, sicut Astrologi prænunciant æclipses futuras; quædam verò causæ producunt suos effectus non ex necessitate, & semper sed vt in pluribus, rarò tamen deficiunt, & per huiusmodi causas possunt prænosci effectus futuri non quidem per certitudinem, sed per quandam coniecturam, sicut astrologi per considerationem stellarum quædam prænoscere, & prænunciare possunt de pluuijs, & siccitatibus, & Medici de sanitate, vel morte; quædam verò causæ sunt, quæ si secundùm se considerentur se habent ad vtrumlibet, quod præcipuè videtur de potentijs rationalibus, quæ se habent ad opposita secundùm Phylosophum, & tales effectus, vel etiam si qui effectus, vt in paucioribus casu accidũt ex naturalibus causis per considerationem causarum prænosci non possunt, quia eorum causæ non habent inclinationem determinatã ad huiusmodi effectus; & ideo effectus huiusmodi prænosci non possunt, nisi in se ipsis considerentur, homines autem in se ipsis huiusmodi effectus considerare possunt solum dùm sunt præsentes, sicut cum homo videt sortem currere, & ambulare, sed considerare huiusmodi in se ipsis antequàm fiant, est Dei proprium, qui solus in sua æternitate videt ea, quæ futura sunt, quasi præsentia; vndè dicitur Isaiæ 41. anunciante, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij

estis vos: si quis ergo huiusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocunq; modo præsumpserit, nisi Deo reuelante, manifestè vsurpat sibi quod Dei est, & ex hoc aliqui Diuini dicuntur; vndè dicit Isidorus in lib. etimologiarum, Diuini dicti quasi Deo pleni; Diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura coniectant. Diuinatio ergo non dicitur, si quis prænunciat ea, quæ ex necessitate eueniunt, vel vt in pluribus, quæ humana ratione prænosci possunt, neq; etiam si quis futura alia contingentia Deo reuelante cognoscat, tunc enim non ipse diuinat, idest quòd Diuinum est, facit, sed magis quòd Diuinum est, suscipit; tunc autem solum dicitur diuinare, quando sibi indebito modo vsurpet prænuntiationem futurorum euentuum; hoc autem constat esse peccatum; vndè Diuinatio semper est peccatum, & propter hoc Hieronymus dicit super Matthæum, quod Diuinatio semper in malam partem accipitur. 2.2. q. 95. a. 1. in corp. [3. contra hentes cap. 154. [2. sent. d. 15. q. 1. a. 3. ad 4. [super cap. 3. Isaiæ.

Quęritur quare Diuinatio sit peccatum.

3 Respondeo dicendum, quòd prędicta Diuinatio est peccatum, tùm propter mendatium, quia afferunt incerta pro veris, tùm propter deceptionē, tùm propter vsurpationem Diuinitatis: similiter dicitur Diuinatio, si fiant consilio Dęmonum qualitercunq;: qui quidem possunt aliqua futura prædicere, vel quorum ipsi sunt causa, vel quæ ipsi sciunt per reuelationem bonorum Angelorum, vel quæ sciunt naturali cognitione in his, quę habent causas determinatas in natura, latentes tamen nobis, & notas eis; tùm propter perspicacitatem intelligentiæ; tùm propter experimentum longi temporis: & tamen semper est peccatum inquirere ab eis, & apostasia à fide, vt dicit Augustinus: & hoc propter tres rationes, primò quia quamuis vera dicant, tamen semper intētio eorum est ad fallendum; secundò quia certitudinalem cognitionem habere non possunt, nisi de his, quæ per reuelationem sciunt; tertiò quia nō possumus simul esse participes Donorum Dei, & Diaboli: & hæc inter omnes præcipua est. super cap 3. Isaiæ.

Quæritur quòd peccatum sit in tali Diuinatione.

4 Respondeo dicendū, quòd sicut grauiter peccat, qui illud, quod est Dei, creaturæ impendit per idolatriæ cultum, ita etiam grauiter peccant, qui ea, quæ à Deo expetenda sunt, auxilio Dæmonum implorant, & huiusmodi est vaticinatio de futuro; vndè dicitur Isaiæ 8. nunquid non populus à Deo suo &c. & similiter etiam alijs operibus magicis, in quibus complementum operis ex virtute Dæmonum expectatur; in his enim omnibus est apostasia à fide per pactum initum cum Dæmone, vel verbotenus, si inuocatio intersit, vel facto aliquo, etiam si sacrificia desint. 2. sent. d. 7. q. 3. ar. 2. in corp.

Quæritur an sint aliquæ veræ artes ad cognoscendos euentus futuros liberè &c.

5 Respondeo dicendum, quòd Artes quædam sunt ad prænoscendum futuros euentus, qui ex necessitate, vel frequenter proueniunt, quæ ad Diuinationem non pertinent; sed ad alios futuros euētus cognoscendos non sunt aliquæ veræ artes, seu disciplinæ, sed fallaces, & vanę ex deceptione Dęmonum introductę, vt dicit Augustinus in 21. de Ciuitate Dei. 2. 2. q. 95. a. 1. ad 2.

Quæ-

Quæritur an Diuinatio sit species superstitionis.

6 Respondeo dicendum, quòd quia superstitio importat indebitùm cultū Diuinitatis: ad cultum autem Dei pertinet aliquid dupliciter, vno modo cum aliquid Deo offertur, vel sacrificiū, vel oblatio, vel aliquid huiusmodi; alio modo cū aliquid Diuinum assumitur: & ideo ad superstitionem pertinet non solùm cum sacrificium Dęmonibus offertur per Idolatriam, sed etiam cum aliquis assumit auxilium Dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum: omnis autem Diuinatio ex operatione Dæmonū prouenit, vel quia expresse Dæmones inuocantur ad futura manifestanda, vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate, de qua vanitate dicitur in psalm. 39. non respexit in vanitates, & insanias falsas: vana autem inquisitio futurorum est, quādo aliquis futurum prænoscere tentat; vndè prænosci nō potest: manifestum est ergo, quòd Diuinatio species superstitionis est. 2. 2. q. 95. a. 2. in corp.

Quærit an Diuinatio pertineat ad curiositatē.

7 Respondeo dicendum, quòd Diuinatio pertinet ad curiositatem quātùm ad finem intentum, qui est præcognitio futurorum, sed pertinet ad superstitionem quantùm ad modum operationis. 2. 2. q. 95. a. 2. ad 1.

Quæritur an Diuinatio pertineat ad cultum Dæmonum.

8 Respondeo dicendum, quòd Diuinatio pertinet ad cultum Dæmonum inquantùm aliquis vtitur quodam pacto tacito, vel expresso cum Dæmonibus, 2. 2. q. 95. a. 2. ad 2.

Quæritur an sit determinare Diuinationis species.

9 Respondeo dicendum, quòd omnis Diuinatio vtitur ad præcognitionem futuri euentus aliquo Dæmonum consilio, vel auxilio, quod quidem, vel expresse imploratur, vel præter intentionem hominis se occulte Demon ingerit ad prænunciandum futura quædam, quæ hominibus sunt ignota, eis autem cognita per modos. Dæmones autem expresse inuocati solent futura prænunciare multipliciter: quandoq; quidem præstigiosis quibusdā apparitionibus se aspectui, & auditui hominum ingerentes ad prænunciandum futura, & hæc species vocatur Præstigium ex eo quòd oculi hominum præstiguntur, quandoq; autem per somnia, & hæc vocatur Diuinatio somniorum: quandoq; verò per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem, & hæc vocatur Nicromātia, quia vt dicit Isidorus in lib. etimologiarum, morum græcè mortuus, mantia verò Diuinatio nuncupatur, quia quibusdā præcantationibus adhibito sanguine videtur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respondere: quandoq; verò futura prænunciant per homines viuos, sicut in struptitijs patet, & hæc est Diuinatio per Pysones, & vt Isidor' dicit Pytones à Pytone Apolline sūt dicti, qui dicebatur esse auctor Diuinandi: quandoq; verò futura prænunciāt per aliquas figuras, vel signa, quę in rebus inanimatis apparēt, quę quidē si appareant in aliquo corpore terrestri puta in ligno, vel ferro, vel lapide polito vocatur Geomantia; si autem in aqua Ydromantia; si autem in actu, Aeromantia; si autem in igne, Pyromātia; si autem in visceribus animalium immolatorum in aris Dęmonum, vocatur Aruspitium; Diuinatio autem, quæ fit absq; expressa Dęmonum inuocatione in duo genera diuiditur, quorū primùm est,

quando ad prænoscendum futura aliquid consideramus in dispositionibus aliquarum rerum,& si quidē aliquis conetur futura prænoscere ex consideratione situs,& motus syderum pertineret ad Astrologos,qui & Genethliaci dicuntur propter natalium considerationes dierum ; si verò per motus,vel voces Auiū, seu quorumcunq; animalium, siue per sternutationes hominum, vel membrorū saltus,hoc pertinet generaliter ad Augurium,quod dicitur à garritu Auium; sicut Auspicium ab inspectione auium; quorum primum pertinet ad aures; secundùm ad oculos ; in auibus enim huiusmodi præcipuè considerari solent : si verò huiusmodi consideratio fiat circa verba hominum absq; intentione dicta; quæ quis retorquet ad futurū, quod vult prænoscere,hoc vocatur Omen, & sicut Valerius maximus dicit, omnium obseruatio aliquo contractu Religioni annexa est,quoniam non fortuito motu, sed Diuina prouidentia constare creditur, quæ fuit ; & Romanis deliberantibus vtrum ad alium locum migrarent forte eo tēpore Centurio quidā exclamauit, signifer statuè signū,hic optimè manebimus; quam vocem auditam pro Omine acceperunt,transeundi consilium omittētes ; si autem considerentur aliquæ dispositiones figurarum in aliquibus corporibus visui occurrentes erit alia Diuinationis species:nam ex lineamentis manus consideratis Diuinatio sumpta Chiromantia vocatur,quasi Diuinatio manus, chiros enim grecè dicitur manus:Diuinatio verò ex quibusdam signis in spatula alicuius animalis apparentibus Spatulantia vocatur. Ad secundùm verò Diuinationis genus,quod est sine expressa Dæmonum inuocatione pertinet Diuinatio,quę fit ex consideratione eorū, quæ eueniunt ex quibusdam , quæ ab hominibus seriò fiunt ad aliquid occultum inquirendum siue per protractionem peccatorum,quod pertinet ad artem Geomantiæ, siue per considerationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aqua proiecto, siue ex quibusdam schedulis scriptis, vel non scriptis occulte repositis, dū consideratur quis, quam accipiat; vel etiā ex festucis inæqualibus propositis quis maiorem,vel minorem accipiat, vel taxillorum proiectione, quis plura puncta proijciat, vel etiam dum consideratur, quid aperienti librū occurrat, quæ omnia sortium nomen habent : sic ergo patet triplex Diuinationis genus, quorum primùm est per manifestam Dæmonum inuocationem ; quod pertinet ad nicromanticos, secundùm autem est per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures ; tertium est,dum facimus aliquid , vt nobis manifestetur aliquid occultum,quod pertinet ad sortes , sub quolibet autem horum multa continentur. 2. 2. q. 95. a. 3. in corp. opusculo 25. cap. 3.

Quæritur an Diuinatio, quæ fit per inuocationem Dæmonum sit licita.

10 Respondeo dicendum, quòd omnis Diuinatio,quæ fit per inuocationes Dæmonum est illicita duplici ratione,quarū prima sumitur ex parte principij diuinationis,quod scilicet est pactum expressum cum Dæmone initum per ipsam Dęmonis inuocationem,& hoc est omnino illicitum; vndè contra quosdam dicitur Isaiæ 28. dixistis percussimus fædus cum morte, & cum inferno fecimus pactum,& adhuc grauius esset,si sacrificiū, vel reuerentia Dæmoni inuocato exhiberetur : secunda verò ratio sumitur ex parte futuri euentus,Dæmon enim , qui intendit perditionem hominum ex huiusmodi suis responsis,etiam si aliquandò vera dicat,intendit homines assuefacere adhoc,quod ei credatur , & sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti

luti humanæ nociuum; vndè Athanasius exponens illud, quod habetur Lucæ 4. increpauit illum dicens, obmutesce, dicit, quamuis vera fateretur Dæmon, compescebat tamen Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, & nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, & si vera loqui videatur, nefas enim est, vt cum adsit nobis scriptura Diuina, à Diabolo instruamur. 2.2.q.95.a.4.in corp.

Quæritur an liceat inquirere aliquid à Dæmone sponte occurrente.

11 Respondeo dicendum, quòd inquirere aliquid à Dæmone sponte occurrente quandoq; licet propter vtilitatẽ aliorum, maximè quando Diuina virtute potest compelli ad vera dicenda: Dæmonem autem inuocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso nunquam licet. 2.2.q.95.a.4.ad 1.

Quæritur quantum sit detrimentum ex inuocatione Dæmonum proueniens.

12 Respondeo dicendum, quòd nulla vtilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum per Dæmonũ inuocationem. 2.2.q.95. a.4. ad 2.

Quæritur an Diuinatio, quæ fit per astra sit illicita.

13 Respondeo dicendum, quòd Diuinationi, quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit se operatio Dæmonis, vt hominum animos implicet vanitati, aut falsitati: vana autem, aut falsa opinione vtitur, si quis ex cõsideratione stellarum futura velit præcognoscere, quæ per ea præcognosci non possunt: est ergo considerandum, quid per cælestium corporum inspectionem de futuris possit præcognosci, & de his quidem, quæ ex necessitate eueniũt manifestum est, quòd per considerationem stellarum possunt præcognosci, sicut Astrologi prænũciãt eclipses futuras. Circa præcognitionem verò futurorum euentuum ex consideratione stellarum diuersi diuersa dixerũt. Fuerunt enim, qui dicerent, quòd stellæ potius significant, quàm faciant ea, quæ ex earum consideratione prænunciãtur: sed hoc irrationabiliter dicitur: omne enim corporale signum, vel est effectus eius, cuius est signum, sicut fumus significat ignem, à quo causatur, vel procedit ab eadem causa, & sic dùm designat causam per consequens significat effectum, sicut iris quandoq; significat serenitatem inquantùm causa eius, est causa serenitatis, non potest autem dici, quod dispositiones cælestium corporum, & motus sint effectus futurorum euentuum, nec iterũ possunt reduci in aliquã superiorem causam communem, quæ sit corporalis, possunt autem reduci in vnam causam communem, quæ est prouidentia Diuina; sed alia ratione disponuntur à Diuina prouidentia motus, & situs cælestium corporum, & alia ratione euentus contingentium futurorum, quia illa disponuntur secundùm rationem necessitatis, vt semper, & eodem modo proueniant; hæc autem secundùm rationem contingentiæ, vt variabiliter contingat: vndè non potest esse, quod ex inspectione syderũ accipiatur præcognitio futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus: duplices autem effectus subtrahuntur causalitati cælestium corporum, primò quidem omnes effectus per accidens contingentes, siue in rebus humanis, siue in rebus naturalibus, quia vt probatur in 6. Metaph. ens per accidens non habet causam, & præcipuè naturalem, cuiusmodi est virtus celestium corporum, quia quòd per accidens fit, neq; est ens propriè, neq; vnũ, sicut quòd lapide cadente fiat terre-

motus, vel quòd homine fodiente sepulcrum inueniatur thesaurus, hæc enim, & huiusmodi non sunt simpliciter vnum, sed simpliciter multa; operatio autem naturæ semper terminatur ad aliquid vnum, sicut & procedit ab vno principio, quòd est forma rei naturalis; secundò autem subtrahuntur causalitati cælestiũ corporum actus liberi arbitrij, quòd est facultas voluntatis, & rationis, intellectus enim, siue ratio non est corpus, nec actus organi corporei, & per consequens, nec voluntas, quæ est in ratione, vt patet per phylosophum in 3. de anima, nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream; vndè impossibile est, quòd corpora celestia directè imprimãt, in intellectum, & voluntatem, hoc enim esset ponere intellectum non differre à sensu, quòd Aristoteles in lib. primo de anima imponit his, qui dicebant, quòd talis voluntas est in hominibus, qualem in die inducit Pater viuorum, Deorumque, scilicet sol, vel cœlum; vndè corpora cælestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij, possunt tamen adhoc dispositiuè inclinare inquantùm inprimunt in corpus humanũ, & per consequens in vires sensitiuas, quę sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus; quia tamen vires sensitiuæ obediunt rationi, vt patet per phylosophum in 3. de anima, & primò eth. nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem cælestium corporum homo potest per rationem operari: si quis ergo consideratione astrorum vtatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum procedit hoc ex falsa, & vana opinione; & sic operatio Dæmonis se immiscet; vndè erit Diuinatio superstitiosa, & illicita, si verò aliquis vtatur consideratione astrorum ad præcognoscendum futura, quæ ex cælestibus causantur corporibus, puta siccitates, & pluuias, & alia huiusmodi, non erit illicita Diuinatio, nec superstitiosa: 2. 2. q. 95. ar. 5. in corp. & opusculo 26.

Quæritur quare astrologi aliqua vera de hominibus prænunciant.

14 Respondeo dicendũ, quòd astrologi ex consideratione astrorum frequenter vera prænunciant contingit dupliciter: vno quidem modo, quia plures hominum passiones corporales sequuntur, & ideò actus eorum disponuntur, vt in pluribus secundùm inclinationem cælestium corporum, pauci autem sunt, idest soli sapientes, qui ratione huiusmodi inclinationes moderentur: & ideo astrologi in multis vera prænunciant, & præcipuè in communibus euentibus, qui dependent ex multitudine, alio modo propter Dæmones se immiscentur; vndè Augustinus in 2. super Genesim ad litteram dicit, fatendum est quando à mathematicis vera dicuntur; instinctu quodam altissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur; quòd tamen ad decipiendos homines fit spirituum immundorum operatione, qui quædam vera de temporalibus rebus none permittuntur: vndè concludit, qua propter bono Christiano, siue mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, & maximè dicentes vera, cauendi sunt, ne consortio Dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant. 2. 2. q. 95. a. 5. ad 2.

Quęritur an Diuinatio, quę fit per somnia, sit illicita.

15 Respondeo dicendum, quòd considerare oportet, quid sit verum circa pręcognitionem futurorum de somnijs: sunt autem somnia futurorũ euentuũ quandoq;

doq; quidem causa, puta cum mens alicuius solicita ex his, quæ videt in somnijs inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandũ: quandoq; verò somnia sunt signa aliquorũ futurorum euentuũ inquantùm reducuntur ad aliquam causam communẽ somnijs, & futuris euentibus; & secundùm hoc plurimum præcognitiones futurorũ in somnijs fiunt: est ergo considerãdum, quæ sit causa somniorũ, & an possit esse causa futurũ euentuum, vel ea possit cognoscere: sciendũ est ergo, quod somniorũ quidẽ quandoq; est causa interius, quandoq; exterius; interior autẽ somniorum causa est duplex, vna quidẽ animalis, inquantùm scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quę eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilando, & talis causa somniorũ non est causa futurorum euentuum; vndè huiusmodi somnia per accidens se habent ad futuros euentus, & si quandoq; simul concurrant, erit casuale; quandoq; verò causa intrinseca somniorum est corporalis, nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia conueniens tali dispositioni, sicut homini, in quo abundant frigidi humores occurrunt in somnijs, quòd sit, vel in aqua, vel niue, & propter hæc medici dicunt esse intendendum somnijs ad cognoscendum interiores dispositiones: causa autem somniorum exterior similiter est duplex, scilicet corporalis, & spiritualis; corporalis quidem inquantùm imaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti, vel ex impressione corporis cælestis, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cælestium dispositionum: spiritualis autem est, quandoq; quidem à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus reuelat in somnijs, secundùm illud numeri 12. si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, quandoq; verò operatione Dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoq; aliqua futura reuelant his, qui cum eis habent pacta illicita: sic ergo dicendum, quòd si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura secundùm quòd somnia procedũt ex reuelatione Diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca quantùm potest se virtus talis extendere, non erit illicita Diuinatio, si autem huiusmodi Diuinatio causetur ex reuelatione Dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc inuocantur, vel tacita quia huiusmodi Diuinatio extenditur, ad quod se non potest extendere, erit Diuinatio illicitas, & superstitiosa. 2.2.q.95.a.6.in corp. [2. sent. d.7. q.2.a.2.ad 6.

Quæritur an Diuinatio, quæ fit per auguria, et Omina, & alias huiusmodi obseruationes exteriorum rerum, sit illicita.

16 Respondeo dicendum, quòd motus, & garritus auium, vel quæcunq; dispositiones in huiusmodi rebus consideratæ manifestum est, quod non sunt causa futurorum euentuum; vndè ex his futura cognosci non possunt sicut ex causis, relinquitur ergo quòd si ex eis aliqua futura cognoscantur, hoc erit inquantùm sunt effectus aliquarum causarũ, quę etiã sunt causantes, vel præcognoscentes futuros euentus; causa autem operationũ Brutorum animalium est instinctus quidam, quo mouentur motu naturali, non enim habent dominiũ sui actus, hic autẽ instinctus potest ex duplici causa procedere, vno quidẽ modo ex causa corporali cũ enim Bruta animalia nõ habeant, nisi animã sensitiuam, cuius omnes potentiæ sunt actus corporaliũ organorũ subiacet eorũ anima dispositioni continentiũ corporũ, & primordialiter cælestiũ; & ideo nihil prohibet aliquas eorũ operationes

esse

esse futurorum signa, inquantùm conformantur dispositionibus corporum cælestium, & aeris continentis, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus: in hoc tamen duo considerari oportet, primùm quidem vt operationes huiusmodi non extendantur, nisi ad præcognoscenda futura; quæ causantur per motus cælestium corporum; secundò vt non extendantur, nisi ad ea, quæ aliqualiter possũt ad huiusmodi animalia pertinere: consequuntur enim per cælestia corpora cognitionem quãdam naturalem, & instinctum ad ea, quæ eorum vitæ sunt necessaria, sicut sunt immutationes, quæ fiũt per pluuias, & ventus, & alia huiusmodi; alio modo instinctus huiusmodi causantur ex causa spirituali, scilicet vel ex Deo, vt patet in columba super Christum descendente, & in coruco, qui pauit Heliam, & in Cete, qui euomuit, & eiecit Ionam, vel etiam ex Dæmonibus, qui vtuntur huiusmodi operationibus Brutorum animaliũ ad inplicandos animos hominum vanis opinionibus, & eadem ratio videtur esse de omnibus alijs huiusmodi, prætérquã de hominibus, quia verba humana, quæ accipiuntur pro Omine non subduntur dispositioni stellarum, disponuntur tamẽ secundùm Diuinam prouidentiã, & quãdoq; secundùm Dæmonum operationẽ: sic ergo dicẽdum, quod omnis huiusmodi Diuinatio, si extendatur vltra illud, ad quòd potest pertingere secundùm ordinem naturæ, vel Diuinæ prouidentiæ, est superstitiosa, & illicita. 2.2.q.95.ar.7. in corp.

Quæritur an Diuinatio sortium sit illicita.

17 Respondeo dicendum, quòd sortes propriè dicuntur, cum aliquid fit, vt eius euentu considerato aliquid occultum innotescat: & quidem si quæratur iudicio sortium, quid cui sit adhibendum, siue illud sit res possessa, siue sit honor, siue

Dignitas, seu pœna, aut actio aliq
catur sors diuisoria; si autem inq
quid agere oporteat, vocatur so
sultoria; si verò quæratur quid f
rum, vocatur sors Diuinatoria; a
tem hominum, qui requiruntur a
nõ subduntur dispositioni stellar
etiam euentus ipsorum; vndè si
intentione sortibus vtatur, quas
modi actus humani, qui requirun
sortes secundùm dispositionem
sortiantur effectum, vana, & falsa
nio, & per consequens non carens
num ingestione, ex quo talis Di
erit superstitiosa, & illicita, hac au
sa remota necesse est, quod sor
actuum expectetur euentus, vel ex
na, vel ex aliqua spirituali causa
te; & si quidem ex fortuna, quoc
habere potest solum in diuisoria
nõ videtur habere, nisi fortè viti
nitatis, sicut si aliqui nõ volentes
concorditer diuidere, velint sort
diuisionem vti, quasi fortunæ exp
quis quam partem accipiat; si
spirituali causa expectetur sorti
dicium, quandoq; quidem expect
Dæmonibus, sicut legitur Ezech. 2
Rex Babilonis stetit in biuio, in
duarum viarum, diuinationem q
commiscens sagittans interroga
la, & ea consuluit, & tamen sortes
licitæ, & secundum canones proh
quandoq; verò expectatur à Deo
dùm illud prouerb. 16. sortes mi
in signum sed à Domino tempera
talis sors secundùm se non est ma
Augustinus dicit super Lucam: pc
men in hoc quadrupliciter pecca
cidere, primò quidem si absq; vlla
sitate ad sortes recurratur, hoc e
detur ad Dei tentationem pertine
dè Ambrosius dicit super Luca
sorte eligitur humano iudicio no
prahenditur; secundò si quis e
necessitate absq; reuerẽtia Dei s
vt.

vtatur; vndè super actus Apostolorũ dicit Beda, sed si qui necessitate aliqua cópulsi Deũ putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant, hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse: tertiò si Diuina oracula ad terrena negocia conuertantur; vndè Augustinus dicit ad inquisitiones Ianuarij; his qui de paginis Euãgelicis sortes legunt, etsi optandum sit, vt potius faciant, quàm ad Dæmonia consulenda concurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negocia sæcularia, & ad vitæ huius vanitatẽ Diuina oracula velle conuertere: quartò si electionibus Ecclesiasticis, quæ spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtantur; vndè sicut Beda dicit super actus Apostolorum, Matthias ante Pentecostem ordinatus sortè quæritur, quia scilicet notanda erat plenitudo Spiritus Sancti in Ecclesia effusa; septẽ autem Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati; secus autem est in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam dispositionem ordinãtur, in quarum electione plerumq; homines sortibus vtuntur, sicut & in temporalium rerum diuisione; si verò necessitas immineat, licitum est cum debita reuerentia sortibus Diuinum iudicium implorare; vndè Augustinus dicit in epistola ad Honoratum, si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiãt, ne morte omnium deseratur Ecclesia, si hæc disceptatio aliter non potuerit terminari, quantùm mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant sortè eligendi sunt; & in primò de Doctrina Christiana dicit, si cui abũdaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari potuisset, si sibi occurrãt duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel vrgente aliqua necessitate superaret, nihil iustius faceres, quàm vt sortè eligeres, cui dandum esset, quod dari vtriq; nõ posset. 2.2. q.95.a.8.in corp. [Ecc.4.cap.1.ad ephesios [Eccl.3.cap.1. ad Colossenses [opusculo 25.cap.5.

Quæritur an iudicium ferri candentis, & aquæ feruentis sit illicitum.

18 Respondeo dicendũ, quòd iudiciũ ferri candentis, & aquæ feruẽtis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquisitionem per aliquid, quod ab homine fit, & in hoc conuenit cũ sortibus: inquantùm tamẽ expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo excedit communem sortium rationem; vndè huiusmodi iudicium illicitum redditur, tùm quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ Diuino iudicio reseruantur, tùm etiam quia huiusmodi iudicium non est auctoritate Diuina sancitum; vndè 2. quæst. 5. in decreto Stephani Papæ dicitur Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent canones, & quòd Sanctorum Patrum documento sancitũ non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum, spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, concessa sunt nostro regimini iudicare; occulta verò, & incognita illi sunt derelinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum: & eadem ratio videtur esse de lege Duellorũ, nisi quòd plus accedit ad communem rationem sortium, inquantùm non expectatur ibi miraculosus effectus, nisi quando pugiles sunt valdè impares virtute, vel arte. 2.2.q.95. a.4.ad 3.

DIVOR-

DIVORTIVM.

De Diuortio. Cap. I.

1 *Ecclesia potest facere diuortium inter aliquos, quando cognoscit errorem in matrimonio.*

2 *Ad Ecclesiam pertinet separare eos, inter quos non potest esse matrimoniū, & precipuè consanguineos, & affines.*

3 *Quando duo fratres habent duas sorores in vxores, si vnus frater repellatur à matrimonio propter cōsanguinitatem alius non separatur in foro contentioso, si non accusatur.*

Si vnus frater habet certam scientiam de impedimento, nec exigere, nec reddere debet debitum.

Si habet opinionem tantum, debet reddere, sed non exigere.

Si nec opinionem, nec scientiam, potest reddere, & exigere.

4 *In causa diuortij vir, & vxor ad paria iudicantur.*

Adulterium & viri, & vxoris est sufficiēs causa diuortij.

Adulterium vt est contra fidem matrimonialē est aequalis causa diuortij in vtroq;

Adulterium vt est contra bonum prolis est maius peccatum in vxore, quàm in viro, & consequenter maior causa est in ea.

5 *Quod bonum sequatur ex diuortio.*

Quaeritur an Ecclesia possit facere diuortium, & quomodo.

1 Respondeo dicendū, quòd quamuis Ecclesia dono, & auctoritate Diuina fulciatur, tamen inquantùm est hominum congregatio aliquid ex defectu humano in actib' eius prouenit, quod non est Diuinum; & ideo illa coniunctio, quae fit in facie Ecclesiae impedimentum ignorantis, non habet inseparabilitatem ex auctoritate Diuina, sed est contra auctoritatem Diuinam errore humano inducta, quae excusat à peccato, cū sit error facti, quamdiu manet, & propter hoc quando impedimentū ad notitiā Ecclesiae venit, debet praedictam coniunctioné separare. 4. sēt. d. 41. a. 5. quaestiūc. 1. ad 1.

Quaeritur inter quos Ecclesia intendat facere Diuortium.

2 Respondeo dicendum, quòd cū omnis concubitus praeter legitimum matrimonium sit peccatum mortale, quòd Ecclesia omnibus modis impedire conatur: ad ipsam pertinet eos, inter quos nō potest esse verum matrimonium, separare, & praecipuè consanguineos, & affines, qui sine incestu contrahere non possunt carnaliter. 4. sent. d. 41. a. 5. quaest. 1. in corp.

Quaeritur an quando duo fratres habent duas sorores in vxores, si vnus separatur propter consanguinitatem, alius separari debeat.

3 Respondeo dicendum, quòd res inter alios acta alij non praeiudicat in foro contentioso; vndè quamuis vnus frater repellatur à matrimonio vnius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat Ecclesia illud matrimoniū, quod non accusatur, sed in foro consciētiae non oportet, quòd semper obligetur adhoc alius frater ad dimittendum vxorem suam, quia frequenter tales accusationes ex maleuolentia procedunt, & per falsos testes probantur; vndè non oportet, quòd conscientiam suam informet, ex his, quae sunt circa aliud matrimoniū facta, sed distinguendum videtur in hoc, quia aut habet certam scientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem, aut neutrum; si primò modo nec exigere, nec reddere debitum debet; si secundò debet reddere, sed non exigere; si tertiò

tertio potest,& reddere,& exigere.4.sent. d.41.a.5.quæstiunc.1.ad 3.

Quæritur an vir,& vxor in causa diuortij ad paria debeant iudicari.

4 Respondeo dicendum, quòd in causa diuortij vir,& vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum, & illicitum vni, quod alteri; non tamen pariter iudicantur alia,quia causa diuortij est maior in vno, quam in alio, cum tamen in vtroq; sit causa sufficiens ad diuortium: diuortium enim est pœna adulterij inquantùm est contra matrimonij Bonum, quantùm autem ad bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur,tantùm peccat contra matrimonium adulterium vnius,sicut adulteriũ alterius, & hæc causa in vtroq;sufficit ad diuortium; sed quantùm ad bonũ prolis plus peccat adulteriũ vxoris,quã viri; & ideo maior causa diuortij est in vxore;quã in viro,& sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur,nec tñ iniustè, quia in vtroq; est causa sufficiens ad hanc pœnã,sic etiã est de duobus,qui damnantur ad mortis eiusdem pœnã,quamuis alius altero grauius peccauerit.4.sent.d.35.a.4. in corp.

Quæritur quod bonum sequatur ex diuortio in vxore.

5 Respondeo dicendum, quòd ipsa cõfusio,quã reportat de diuortio debet eã cohibere à peccato,quòd si cohibere non potest, minus malum est, quòd sola ipsa peccet, quàm quòd vir peccati eius sit particeps.4.sent.d.35.a.5.ad 2.

De causis, per quas Diuortium possit fieri. Cap. II.

1 *Odium est causa diuortij.*
Christus posuit fornicationẽ causã diuortij
Aliæ causæ extrinsecæ recẽsentur diuortij.
2 *Quare liceat dimittere vxorẽ fornicariã.*
Septem casus,in quibus non licet dimittere vxorem fornicariam.
3 *Vir potest dimittere iudicio proprio vxorem quo ad torum, statim, quod sibi constat de eius fornicatione.*
Non tenetur in hoc casu reddere debitum, nisi compellatur per Ecclesiam.
Vir non potest dimittere vxorẽ etiam quo ad cohabitationem,nisi iudicio Ecclesiæ.
Si fuit dimissa sine tali iudicio cogatur ad cohabitandum,nisi vir velit probare fornicationem vxoris.
Diuortium non potest fieri sine iudicio Ecclesiæ.
4 *Vir non tenetur dimittere vxorem fornicariam sed pœnitentem.*
Vir tenetur dimittere vxorem fornicariam, nec pœnitentem.
5 *Vir dimittens vxorem fornicariam liuore vindictæ peccat, secus autem si alio bono fine.*
6 *Quando vterq; coniugum fornicatur, non potest fieri diuortium.*
Magis peccatur contra matrimoniũ vtroq; peccante,quàm altero tantùm.
7 *Potest vir corrigere vxorem verbo, & verbere.*
Si vxor fornicaria sit parata corrigi non tenetur vir eam dimittere.
8 *Vir non potest dimittere totaliter pœnam vxori fornicariæ, nisi emendetur.*
9 *Causa diuortij est peccatũ contra naturã.*
10 *Crimina alia maiora fornicatione nõ causant diuortium.*
Infidelitas facit diuortium, si ad sit pertinatia.

Quæritur an causa diuortij sit odium vxoris.

1 RESpondeo dicendum,quòd causa permissionis repudiandi vxorem fuit vitatio vxoricidij,vt sancti cõmuniter dicũt, proxima autẽ causa homicidij est odiũ; & ideo proxima causa repudij

est

est odium, sed odiũ ex aliqua causa causatur, sicut & amor; & ideo etiam oportet alias causas repudij ponere remotas, quæ erant causa odij, dicit autem Augustinus in glos. Deut. 24. multæ erant in lege causæ dimittendi vxores, Christus solam fornicationem excepit, cæteras molestias iubet pro fide, & castitate coniugij sustineri, hæ autem causæ intelliguntur fæditates in corpore puta infirmitas, vel aliqua notabilis macula, vel in anima, sicut fornicatio, vel aliquid huiusmodi, quod in moribus inhonestatem facit: sed quidam has causas magis coarctant satis probabiliter dicentes, quòd non licebat vxorem repudiare, nisi propter aliquam causam post matrimonium superuenientem, nec propter quamlibet talem, sed propter illas solum, quæ possunt bonum prolis impedire, vel in corpore, vt sterilitas, aut lepra, vel aliquid huiusmodi, vel in anima, vt si esset malorum morum, quos filij ex conuersatione ad ipsam immitarentur, sed quædam glosa super illud Deut. 24. cum non inuenerit gratiã &c. videtur magis arctare, scilicet ad peccatum cum dicit, ibi per fæditatem peccatum intelligi, sed peccatum glosa nominat non solum in moribus animæ, sed etiam in natura corporis; sic ergo duo prima concedimus. 4. sent. d. 33. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an propter fornicationem liceat viro vxorem dimittere.

2 Respondeo dicendum, quòd Dominus dimittere vxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidẽ fregit, & in fauorem illius, qui seruauit, vt non sit astrictus ad reddendum debitum ei, qui non seruauit fidem, & propter hoc excipiuntur septem casus, in quibus non licet viro vxorem dimittere fornicãtem, in quibus vel vxor à culpa immunis est, vel vtriq; sunt æqualiter culpabiles, primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit; secundus si ipse vxorẽ prostituerit; tertius si vxor virum suũ mortuum probabiliter credens propter longam eius absentiã alteri nupserit; quartus est, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante; quintus si fuerit vi oppressa; sextus si reconciliauerit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens; septimus si matrimonio in infidelitate vtriusq; contracto vir dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim si vtriq; conuertantur, tenetur eam vir recipere. 4. sent. d. 35. ar. 1. in corp.

Quæritur an proprio iudicio possit vir vxorem fornicantem dimittere.

3 Respondeo dicendum, quòd vir potest dimittere vxorẽ dupliciter vno modo quantùm ad torum tantum, & sic potest eam dimittere, quàm citò sibi cõstat de fornicatione vxoris proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens nullum sibi præiuditium facit, alio modo quantùm ad torum, & cohabitationem, & hoc modo non potest dimitti, nisi iudicio Ecclesiæ, & si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir incontinenti fornicationem probare, hæc autem dimissio diuortium dicitur, & ideo concedendum est, quod diuortium non potest celebrari nisi iudicio Ecclesiæ. 4. sent. d. 35. a. 3. in corp.

Quæritur an vir teneatur, & præcepto vxorem fornicantem dimittere.

4 Respondeo dicẽdum, quòd dimissio vxoris fornicantis introducta est ad corrigendum vxoris crimen per talem pœnam, pœna autem corrigens non requiritur, vbi emendatio iam præcessit; & ideo si mulier

si mulier de peccato pęniteat, vir non tenetur eam dimittere, si autem non pœniteat, tenetur, ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam nō opponit. 4. sent. d. 35. a. 2. in corp.

Quæritur quando peccet, vel non peccet vir dimittendo vxorem fornicariam.

5 Respondeo dicendum, quòd vir si dimittat vxorem fornicantem liuore vindictæ peccat, si autem ad infamiam propriam cauendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium vxoris corrigendum, vel ad euitandum prolis incertitudinem; non peccat. 4. sent. d. 35. a. 1. ad 1.

Quæritur an possit fieri diuortium, quando vterq; fornicatur.

6 Respondeo dicendum, quòd diuortium ex causa fornicationis fit vno accusante alium, & quia nullus potest accusare, qui in simili crimine existit, quando vterq; fornicatur diuortium celebrare non potest, quamuis magis peccatur cōtra matrimonium vtroq; fornicante, quā altero tantùm. 4. sent. d. 35. a. 1. ad 2.

Quæritur an vir teneatur dimittere vxorem fornicantem, sed pænitentem.

7 Respondeo dicendum, quòd peccatū fornicationis in vxore potest corrigi non tantùm pœna separationis, sed etiā verbis, & verbere; & ideo si alias ad correctionem sit parata, non tenetur vir prædictam pœnam ad eius correctionem adhibere. 4. sent. d. 35. a. 2. ad 1.

Quæritur an vir possit totaliter dimittere pœnam vxori fornicanti.

8 Respondeo dicēdum, quòd vxor fornicando nō tantùm peccat in virum, sed etiam in se ipsam, & in Deum; & ideo vir non totaliter potest pœnam dimittere, nisi emendatio sequatur. 4. sent. d. 35. a. 2. ad 6.

Quæritur an per peccatum contra naturam debeat fieri diuortium.

9 Respondeo dicendum, quòd etiam propter vitium contra naturam potest prædedi ad diuortium, sed tamen non fit ita mentio de ipso, tum quia est passio innominabilis, tum quia rarius accidit, tum quia non ita causat incertitudinem prolis. 4. sent. d. 35. a. 1. ad 4.

Quæritur an propter infidelitatem possit fieri diuortium.

10 Respondeo dicendum, quòd quia fornicatio est directè contra bona matrimonij, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & significatio non seruatur, dum vnus coniugū pluribus carnem suam diuidit; & ideo alia crimina, quamuis fortè sint maiora fornicatione, non causant diuortiū, sed quia infidelitas, quæ dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra matrimonij bonum, quòd est prolis educanda ad cultū Dei, etiam ipsa facit diuortium, sed tamen aliter, quam corporalis fornicatio, quia propter vnum actum fornicationis carnalis potest procedi ad diuortiū, non autem propter vnum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinatiam ostendit, in qua infidelitas perficitur. 4. sent. d. 35. a. 1. ad 3.

De modo procedendi in causa Diuortij. Cap. III.

1 *In causa diuortij procedēdū est per testes.*
In causa diuortij idem potest esse accusator, & testis.
Consanguinei admittuntur ad testificandū, & multa

& multa alia obseruantur.

2 *Ad separationē matrimonij inter affines, & consanguineos contracti procedendū est per viam accusationis.*

3 *Vir habens suspectam vxorem de fornicatione potest eam cum testibus inuenire in actu fornicationis.*

Si de hoc facto non constat possunt esse violentę suspitiones.

4 *Pęnitentia vxoris fornicariæ debet inducere virum, ne eam accuset.*

Non potest tamen adhoc cogi.

5 *Causę repudij non scribebantur in libello in speciali, sed in generali.*

Quare scribebantur secundum Iosephum, et Augustinum.

6 *Modus quo debet fieri diuortium, quando allegatur in potentia coeundi.*

Si vir asserat carnalem copulam pręcessisse, & mulier neget standum est iuramento viri, nisi mulier velit probare uirum esse mentitum per aspectum sui corporis.

Si vir iurat falsum & uxor nō potest probare contrarium, prouidendum est sibi de iacendo scorsum.

Si vir neget carnalem copulam pręcessisse, & uxor affirmet, non est standum iuramento uiri.

7 *Quid facere debeat Ecclesia, quãdo cognouit se deceptam esse in causa diuortij per falsos testes.*

Quęritur an in causa diuortij inter affines, & consanguineos non sit procedendum per testes.

1 RESpondeo dicendum, quòd in hac causa oportet, quod per testes veritas pateflat, sicut & in alijs, tamen vt iuristæ dicunt, in hac causa multa specialia inueniũtur, scilicet quòd idem potest esse accusator, & testis, & quod nō iuratur de calumnia, cum sit quasi causa spiritualis, & quòd consanguinei admittuntur ad testificandum, & quod non obseruatur omnino ordo iudiciarius, quia tali denuntiatione, facta contumax potest excommunicari lite non contestata; & valet hoc testimonium de auditu, & post publicationem partium testes possunt induci, & hoc totum est, vt peccatū impediatur, quod in tali coniunctione esse potest. 4. sent. d. 41. ar. 5. quæstiunc. 3. in corp.

Quęritur an ad separationē matrimonij, quod est inter affines, et consanguineos contractum, procedendum sit per uiam accusationis.

2 Respondeo dicendum, quòd quia accusatio adhoc est instituta, ne aliquis sustineatur quasi innocens, qui culpam habet, sunt autem ex ignorantia facti contingit, quòd aliquis homo reputatur innocens, qui in culpa est, ita ex ignorantia alicuius circunstantiæ contingit, quòd aliquod factum reputatur licitum, quod illicitum est; & ideo sicut homo accusatur quandoq; ita, & factum ipsum accusari potest, & sic matrimonium excusatur quando propter ignorantiam impedimenti æstimatur legitimum, quod est illegitimum. 4. sent. d. 41. a. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Quaritur quomodo fornicatio uxoris possit probari.

3 Respondeo dicendum, quòd quandoq; vir vxorem suspectam habens ei insidiatur, & deprahendere eam potest cū testibus in crimine fornicationis, & sic potest ad accusationem procedere; & præterea si de facto isto non constat, possunt esse violentæ suspitiones fornicationis, quibus probatis videtur fornicatio esse probata, ut si inueniatur solus cum sola horis, & locis suspectis, & nudus cum nuda. 4. sent. d. 35. a. 3. ad 4.

Quæ-

Quæritur an quando vir videt vxorem fornicariã, pænitentẽ debeat nõ accusare illã.

4 Respondeo dicendum, quòd pænitẽtia vxoris debet inducere virũ, vt vxorẽ fornicantem non accuset, aut dimittat; sed tamen nõ potest adhoc cogi, nec potest per pænitentiã vxor eum ab accusatione repellere, quia cessante culpa, & quantùm ad actũ, & quantùm ad maculã adhuc manet aliquid de reatu; & cessãte etiam reatu quo ad Deum adhuc manet reatus quo ad pœnam humano iudicio inferendam, quia homo non videt cor, sicut Deus. 4. sent.d.35.a.6.ad 2.

Quæritur quare causæ Diuortij in libello scribebantur.

5 Respondeo dicendum, quòd causæ repudij in speciali non scribebantur in libello, sed in generali, vt ostenderetur iustum repudium: sed secundùm Iosephũ vt mulier habens libellum conscriptum de repudio alteri posset nubere, alias etiam ei traditum non fuisse; vndè secũdùm eum erat scriptura talis; Promitto tibi, quòd nunquam tecum conueniam: sed secundùm Augustinum ideo libellus scribebatur, vt mora interueniente, & cõsilio scribarum dissuadente vir à proposito repudiandi desisteret. 4. sent.d.33. q.2.a.3.quæstiunc.2.in corp.

Quæritur quomodo Diuortium fieri debeat, cũ impotentia coeundi allegatur.

6 Respondeo dicendum, quòd Diuortium hoc modo fieri debet, cum impotẽtia coeundi allegatur: si vterq; confiteatur scilicet vir, & vxor: si est euidens impedimentũ, vt in Eunuchis, possũt statim separari, si autẽ non est euidens, pręcipiẽdum est eis, vt adhuc cohabitẽt bona fide carnali copulę operã dantes: quod si vsq; ad triennium fieri nequit, tunc iurabit vterq; quòd bona fide operã dantes carnaliter coniungi non potuerunt: & vt diuortiũ nõ de facili celebretur, requiritur quòd septẽ de propinquis, qui melius de hoc possũt per signa probabilia scire veritatem, iurent, quod credant eos verum dixisse: item sciendum, quod quando vir asserit copulam carnalem pręcessisse, mulier negat, standũ est iuramento viri; nisi per aspectum corporis sui mulier probare velit virum esse mentitum: si tamẽ vir falsum iurat, & vxor contrariũ non possit probare, potest sibi prouidere de seorsũ iacendo, ne ex impetitione viri ad libidinem prouocetur, & periculũ incontinentiæ immineat: si autem vir neget carnalem copulã præcessisse, non est standũ iuramẽto eius, quamuis sit caput mulieris, si mulier affirmet: quia sic daretur facultas multis viris dimittendi vxores suas. 4.sent.d.34.in exposit.litteræ.

Quæritur quid facere debeat Ecclesia, quando cognoscit se deceptam per falsos testes in causa diuortij.

7 Respondeo dicendum, quòd cum Ecclesia non intendat priuare aliquem iure suo, si decepta per falsos testes separauerit matrimonium altera personarũ expoliata vi, iustè debet ei fieri restitutio, etiã si altera votũ emisisset Religionis; ita tamen quòd ei nõ liceret petere debitum, sed solũ reddere: quando autẽ mulier ad reintegrationẽ matrimonij agit, distinguendũ est, quia si agit petitorio, vt scilicet ei detur aliquis vir, q cũ ea cõtraxit, antequã fiat restitutio, tractabitur de exceptione ex parte mariti proposita, si autẽ agat possessorio, primo restituẽdus est sibi vir, quã exceptio prædicta tractetur, & eadẽ ratio est, si vir agat: sed excipiuntur ab vtroq; communiter quinq; casus; primus est, quando vir excipiendo proponit publicam fornicationem vxoris: secundus quando proponit gradum consanguinitatis iure Diuino prohibitum,

tamen si differatur oportet fieri restitutionem per sententiã: sed ille non tenebitur reddere debitũ, si habet conscientiã de consanguinitate prædicta: tertius si obijciatur exceptio rei iudicatę, a qua nõ est appellatũ; quartus quando est tanta sęuitia viri, quod non potest sufficiẽs cautio adhiberi, puta quòd vir persequitur vxorẽ odio capitali: quintus est, quando ille, qui agit, spoliauit aliũ sine causa. 4. sẽt. d. 41. in exposit. litterę [d. 35. a. 5. ad 3.

De obseruandis post Diuortiũ. Cap. IIII.

1 *Post diuortium vnus coniugum nõ potest alteri nubere alio viuente.*

2 *Post diuortium vxor potest vouere continentiam etiam inuito viro, si tamẽ Ecclesia non fuit decepta per falsos testes.*

Quando Ecclesia fuit decepta per falsos testes, vxor etiam post votum professionis debet restitui viro, eiq; reddere tenetur debitum, sed non potest petere.

3 *Diuortium est in fauorem viri.*

Vxor tenetur redire ad virum, si fuerit reuocata & tenetur ei reddere debitum.

Hoc tamen non potest, si emisit votum continentiæ de consensu viri.

4 *Vir si committat adulterium post diuortium non debet cogi ad recipiẽdam vxorem adulteram.*

Iudex in hoc casu debet eũ cogere, ut caueat periculo animæ eius, et scãdalo aliorum.

5 *Peccat vir adulter petens diuortium.*

Post sentẽtiã de diuortio, si vxor petat debitũ, et recõciliationẽ, vir tenetur ad vtrũq;

6 *Vir post diuortium potest sibi reconciliare vxorem emendatam.*

Vir non debet reconciliare sibi vxorem non emendatam.

7 *Mulier potest nubere alteri post mortem spiritualem viri per ingressum viri in Religionem.*

8 *Vxor debet expectare professionem viri.*

Quæritur an post diuortium vir alteri nubere possit.

1 RESpondeo dicendum, quòd nihil adueniens supra matrimonium potest ipsum dissoluere, ideo adulterium non facit, quin sit verum matrimonium, manet enim, vt dicit Augustinus inter viuentes coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum alio iunctio potest auferre, & ideo non licet vni altero viuente ad aliam copulam transire. 4. sent. d. 35. a. 5. in corp. [super cap. 7. primæ ad Corinthios.

Quęritur an vxor dimissa possit nubere alteri, vel continẽntiam vouere.

2 Respondeo dicẽdum, quòd quamuis vxor post diuortium non teneatur viro adultero ad debitum reddendum, & cohabitandum; tamen adhuc manet vinculum matrimonij ex quo adhoc tenebatur: & ideo non potest ad aliam copulam transire viro viuente: potest tamen continentiam vouere viro inuito, nisi videatur Ecclesiam deceptam fuisse per falsos testes sententiando de diuortio; quia in tali casu, etiam si votum professionis emisisset, restitueretur viro, & teneretur debitum reddere, sed non liceret ei exigere. 4. sent. d. 35. a. 5. ad 3. [d. 33. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an vxor teneatur redire ad virum, si fuerit reuocata.

3 Respondeo dicendum, quòd cum diuortium sit inductum in fauorem viri, non aufferret ei ius petendi debitum, vel reuocandi vxorem: vndè vxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit reuocata; nisi de licentia eius votum continentiæ emiserit, 4. sent. d. 35. ar. 6. ad 2.

Qua-

Quæritur an vir teneatur recipere vxorem adulteram post adulterium ab ipso factum post diuortium.

4 Respondeo dicẽdum, quòd propter adulterium, quod vir prius innocens post diuortium committit, secundùm rigoré iuris non debet cogi ad recipiendã vxorem adulteram; prius tamen secundùm æquitatem iuris Iudex ex officio suo debet eum cogere, vt caueat periculo animæ eius, & scandalo aliorum, quamuis non possit reconciliationem petere. 4. sent.d.35.a.6.ad 4.

Quęritur an vir adulter teneatur ad debitum reddendum et ad reconciliationẽ petente vxore post diuortium.

5 Respondeo dicendum, quòd si adulterium sit occultum, per hoc nõ auffertur ius excipiendi contra accusationem viri vxori adulterę, quamuis desit sibi probatio: & ideo peccat vir diuortium petens, & si post sententiã de diuortio vxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad vtrumq; 4.sent.d.35.a.6.ad 5.

Quęritur an vir possit, & debeat sibi reconciliare vxorem emendatam post diuortium.

6 Respondeo dicendum, quòd si vxor post diuortium de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare; si autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet eã ad se assumere eadẽ ratione, qua nõ licebat eã nolentẽ à peccato desistere. 4. sent. d. 35. a.6.in corp. & d.33.q.2.a.2.quæst.4.ĩ corp.

Quæritur an vxor possit nubere alteri post ingressum viri in Religionem.

7 Respondeo dicẽdum, quòd sicut corporalis mors viri hoc modo vinculũ matrimoniale soluit, vt mulier nubat, cui vult secundùm Apostoli sententiam, ita etiam post mortẽ spiritualẽ viri per Religionis ingressũ poterit, cui voluerit nubere. 4.sent.d.27.q.1.a 3.quæst.3.in corp.

Quæritur an mulier debeat expectare professionem viri.

8 Respondeo dicendum, quòd non intelligitur mortuus sæculo per Religionis ingressum quousq; professionem emiserit; & ideo vsq; ad tempus illud tenetur eum vxor sua expectare. 4.sent.d.25.q.1. a.3.quæstiunc.3.ad 2.

Quæritur an mulier possit nubere alteri post professionem viri ante tempus emissam.

Respondeo dicendum sicut verbo debitum coniugale.q.21.

DOCTOR.

1 *Docere est actus Charitatis, vel misericordię*
2 *Tria requiruntur adhoc, quod vnus alium doceat de rebus* Diuinis.
3 *Tria requiruntur vt vnus alium instruat in aliqua scientia.*
4 *Melius est docere Sacram* Doctrinã, *quàm impendere curam huius, vel illius saluti.*
Episcopi & Doctores omisso officio proprio deberent intendere saluti animarum in casu necessitatis.
5 *Qui est in peccato mortali notorio peccat, si doceat ex officio Prælationis, & ex officio magisterij.*
Qui est in peccato mortali occultę peccat, si doceat ex officio Prælationis, non autem si doceat ex officio magisterij.
6 *Quid præ oculis habere debeatur* Doctor.
7 *Qui docet falsã doctrinã tenẽt eã reuocare.*
In quibus casibus doctor teneatur prouidere damno spirituali auditorum exponendo suam doctrinam
In quo casu doctor non teneatur cessare à sua doctrina.

8 Nullus sapiẽs debet repellere doctrinã parui
9 Doctor debet docere prouectos et incipiẽtes.
10 Mulier non debet docere publicè.
Mulier potest priuatim aliquos domesticos instruere.
11 Gratia sermonis potest cõpetere mulieribus priuatim, et familiariter colloquẽdo.
Gratia sermonis colloquendo totam Ecclesiã non conceditur mulieribus.
12 Gratia sermonis subtrahitur aliquando propter culpam auditoris, & loquentis.
13 Tribus modis quis deprauat auctoritatem sacræ scripturæ.

Quæritur cuius virtutis sit actus docere.

1 RESpondeo dicendum, quòd docere est actus Charitatis, vel misericordiæ secundùm quòd ex tali habitu inclinamur ad huiusmodi exercitiũ. 4. sent. d. 49. q. 5. a. 5. quæstiunc. 1. ad 1.

Quæritur quot, & quæ requirantur, vt vnus alium doceat Res Diuinas.

2 Respondeo dicendum, quòd adhoc, quòd homo alterum instruat in rebus Diuinis, quæ sunt supra rationẽ, tria requiruntur: primò quidem quòd homo sit sortitus plenitudinẽ cognitionis Diuinorũ, vt ex hoc instruere alios possit: secũdò vt possit cõfirmare, vel probare ea, quę dicit alias nõ esset efficax eius doctrina: tertiò vt ea, quæ concipit, possit conuenienter auditoribus proferre. p. 2. q. 111. ar. 4. in corp.

Quæritur quot, & quę requirantur, vt vnus alium instruat in scientia aliqua.

3. Respondeo dicendum, quòd oportet, quòd ille, qui debet aliũ instruere in aliqua sciẽtia: primò vt principia illius sciẽtiæ sint ei certissima: secundò oportet, quod Doctor rectè se habeat circa principales conclusiones sciẽtiæ: tertiò oportet, vt etiam abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos interdũ oportet manifestare causas. p. 2. q. 111. a. 4. in corp.

Quęritur an sit melius docere Sacram Doctrinam, quam impendere particularẽ curã salutis huius, vel illius.

4 Respondeo dicendum, quòd simpliciter melius est docere Sacram Doctrinam, & magis meritorium, si bona intentione agatur, quàm impendere particularem curam saluti huius, & illius: vndè Apostolus de se dicit primæ ad Corinthios primo, non enim misit me Christus baptizare, sed euãgelizare: quamuis baptizare sit opus maximè conferens saluti animarum: & secundæ ad Timoth. 2. idẽ Apostolus commendat fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. Ipsa enim ratio demonstrat, quòd melius est erudire de pertinentibus ad salutem eos, qui & in se, & in alijs proficere possunt, quàm simplices, qui in se tantùm proficere possunt: in aliquo tamen casu necessitate imminente deberent, & Episcopi, & Doctores intermisso proprio officio particulariter intẽdere saluti animarum. quodlibeto 1. a. 14 in corp.

Quæritur an docens sacram scripturam in peccato mortali peccet mortaliter.

5 Respondeo dicendum, quòd docere sacram scripturam dupliciter contingit, vno modo ex officio Prelationis, sicut qui prædicat, docet: nõ enim licet alicui prędicare, nisi officium Prælationis habeat, vel ex auctoritate alicuius Prælationem habentis Rom. 11. quomodo prędicabũt, nisi mittãtur: alio modo ex officio magisterij, sicut Magistri Theologię docẽt: dicunt ergo quidam quòd ille, qui primo modo docet, peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio; non autem ille,

ille, qui secundò modo docet, sed hoc est falsum, quia eorum qui docent sacram scripturam est idem finis, & eorum, qui sacram scripturam ediderunt; vndè cum adhoc ordinetur scripturæ editio, vt ad vitam æternam homo perueniat, vt patet Ioannis 10. quicunq; impedit finem doctrinæ docendo, peccat, impedit autem qui sacram scripturam in peccato docet, quia ore profitetur se nosse Deū, factis autē negat, & dicendū, quòd ille, qui est in peccato notorio, peccat, siue sic, siue sic doceat, sed ille, q est in peccato occulto, peccat, si primò modo doceat, nō autē si secundo. 4. sēt. d. 19. q. 2. a. 2. quæst. 2. ad 4.

Quæritur quid cauere debeat docens.

6 Respondeo dicendum, quòd timeat, ne præter voluntatē Dei, vel auctoritatē sanctarum scripturarum, vel præter vtilitatem fratrum doceat, nec etiam quòd docendum est, taceat, opusculo 19. cap. 3.

Quæritur an si per doctrinam alicuius aliqui retrahantur à meliori bono, ille teneatur reuocare suam doctrinam.

7 Respondeo dicendum, quòd hic distinguendum videtur, si enim doctor doceat falsam doctrinam, tenetur eā modis omnibus reuocare, & maximè si ex ea spirituale damnū sequatur; si verò doceat veram doctrinā potest ex ea sequi detrimentum spirituale in auditoribus dupliciter, vno modo ex defectu ipsius qui docet, vno modo quia doctrinam subtilem, & altam proponeret rudibus, qui non essent illius doctrinæ capaces, qui ex hoc detrimentū salutis incurrerent, alio modo quia confusè, & inordinatè proponit non præferens maiora minoribus, & in his casibus tenetur Doctor, ex cuius doctrina damnum spirituale accidit, contra hoc damnum remedium ponere inquantùm potest exponendo saltem doctrinam suam; alio modo potest cōtingere ex defectu aliorum, puta si aliqui docendo aliqua erronea, inducerent homines ad aliquam Religionem, vt si dicerent, quòd quicunq; intrat talem Religionē, statim erit æqualis meriti, sicut B. Petrus, & in hoc casu nō tenetur cessare à sua doctrina, intrare enim Religionē propter errorem non est bonū; vndè sic non retrahit homines à meliori bono talis doctor, & hoc est, quod Gregori' dicit in Pastorali, sicut incauta locutio in errorē ptrahit; ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterāt, in errorem derelinquit. quodlibeto 5. a. 25. in corp.

Quæritur an sapiens debeat repellere doctrinam parui.

8 Respondeo dicendum, quòd nullus homo quantūcunq; sapiens debet à quocūq; paruo doctrinā repellere; vndè Apostolus docet primæ Corinth 14. quòd si minori aliquid reuelatū fuerit, quod tūc maiores debent tacere, & cū audire, Danielis 13. dicitur, quòd totus populus, & seniores audierūt iudiciū pueri iunioris, scilicet Danielis, cuius Spiritū Dominus suscitauit. Ecc. 3. super cap. nonū Ioannis

Quæritur quos docere debeat Doctor.

9 Respondeo dicendū, quòd Catholicę veritatis Doctor nō solū prouectos debet instruere; sed ad eū pertinet etiam incipientes erudire. in prologo primę partis.

Quæritur an mulieri debeat permitti docere.

10 Respondeo dicendum, quòd mulieri non permittitur publicè docere in Ecclesia: permittitur autem ei priuatā aliquos domestica ad monitione instruere. 3. p. q. 55. a. 1. ad 3. [q. 67. a. 4. ad 1. [Ecc. 7. cap. 14. primæ ad Corinth. [Ecc. 3. cap. 2. primæ ad Timotheum.

Quæritur an gratia sermonis competat mulieribus.

11 Respondeo dicẽdum, quòd sermone potest aliquis vti dupliciter, vno modo priuatè ad vnum, vel paucos familiariter colloquẽdo, & quantùm ad hoc gratia sermonis potest competere mulieribus; alio modo publicè alloquendo totã Ecclesiam, & hoc mulieri nõ conceditur: primo quidem, & principaliter propter conditionem fœminei sexus, qui debet esse subditus viro, vt patet Genesis 3. docere autem, & persuadere publicè in Ecclesia non pertinet ad subditos, sed ad Prælatus; magis tamen viri subditi ex commissione possunt exequi, quia non habent huiusmodi subiectionem ex naturali sexu, sicut mulieres, sed ex aliquo accidentaliter superueniente: secundò nè animi hominum alliciantur ad libidinem, dicitur enim Eccl 9. colloquium illius quasi ignis exardescit: tertiò quia, vt communiter mulieres non sunt in sapientia perfectæ, vt eis possit conuenienter publica Doctrina cõmitti. 2. 2. q. 177. a. 2. in corp.

Quæritur quibus de causis gratia sermonis subtrahatur aliquando.

12 Respondeo dicendum, quòd gratia sermonis quandoq; subtrahitur propter auditoris culpam, quandoq; autem propter culpam ipsius loquentis. 2. 2. q. 177. a. 1. ad 3.

Quæritur quot, et quibus modis deprauetur auctoritas sacræ scripturæ.

13 Respondeo dicendum, quòd tribus modis deprauat quis auctoritatem sacræ scripturæ, aliquando sicut cum dicitur de vno, & exponitur de alio, sicut si dicitur de vno iusto, & exponitur de Christo, verbi gratia, Qui potuit transgredi, & non est transgressus, Eccl. 31, item pater màior me est, hoc dicitur de Christo secundùm quòd homo; vndè si exponatur de eo secundùm quòd filius Dei, deprauatur auctoritas: secundò modo deprauat quãdo inducit quis auctoritatem ad aliquid, ad quod non est auctoritas, sicut illud prouerb. 21. & Rom. 12. si esurierit inimicus tuus, ciba illum &c. si enim aliquid facit alicui, vt ille puniatur à Deo, hoc facit contra sensum auctoritatis: tertiò modo quando illud, quod est pro se de auctoritate accipit, & aliud, quando est contra se, dimittit, quod est mos hæretici. super cap. 4. Matthæi.

DOLVS.

1 *Quid sit dolus.*
Dolus pertinet ad astutiam.
2 *Dolus abusiuè aliquando accipitur in bono, propriè tamen sumitur in malo.*
3 *Dolus reperitur in corde ore, & factis.*
4 *Dolus quomodo accipitur in foro Ecclesiæ, & conscientiæ.*

Quæritur quid sit dolus, & an pertineat ad astutiam.

1 Respondeo dicendum, quòd ad astutiam pertinet assumere vias non rectas, sed simulatas, & apparentes ad aliquem finem prosequendum, vel bonum, vel malum: assumptio autem harum viarum potest dupliciter considerari, vno quidem modo in ipsa excogitatione viarum huiusmodi, & hoc propriè pertinet ad astutiam, sicut etiam excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam: alio modo potest considerari talium viarum assumptio secundùm executionem operis, & secundùm hoc pertinet ad dolum; & ideo dolus importat quãdam executionem astutiæ, & secundùm hoc ad astutiam pertinet, 2. 2. q. 55. a. 4. in corp.

Quæ-

Quaritur an Dolus aliquando accipiatur in bonam partem.

2 Respondeo dicendũ, quòd sicut astutia propriè accipitur in malo, abusiuè autem in bono; ita etiam, & dolus, qui est astutiæ executio. 2.2.q.55.a.4.ad 1.

Quaritur an dolus sit in corde, ore, & factis.

3 Respondeo dicendum, quòd executio astutiæ ad decipiendum, primò quidem, & principaliter fit per verba, quæ præcipuum locum tenēt inter signa, quibus homo significat aliquid alteri, vt patet per Augustinum in lib. de Doctrina Christiana; & ideo dolus maximè attribuitur locutioni: contingit tamen esse dolum, & in factis secũdùm illud Psalm. 104. & dolum facerent in seruos eius: est etiam dolus in corde secundũ illud Eccl. 19. interiora eius plena sunt dolo; sed hoc est secundùm quòd aliquis dolus excogitat secundùm illud Psalmi 37. & dolus tota die meditabantur. 2. 2. q. 53. ar. 4. ad 2.

Quaritur quomodo accipiatur dolus in foro Ecclesia, & conscientia.

4 Respondeo dicendum, quòd quantũ ad forum exterius Ecclesiæ, in quo secũdùm ea, quæ apparent, iudicatũr, accipitur dolus non latens in corde, sed aliquo modo per signa exteriora expressus, vt cum se alio nomine vocat, sed non quantùm ad forum conscientiæ. 4. sent. d. 27. in exposit. litteræ.

DOMINICA DIES.

1 *Ex pracepto Ecclesia obseruantia* Dominica *succedit Sabbato.*
2 *Prohibitio operandi in die Dominico non est ita areta, sicut in Sabbato alia &c.*

Quaritur cui obseruantia successit obseruantia diei Dominicę.

1 Respondeo dicendum, quòd obseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ Sabbati nõ ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani. 2.2.q.122.a.4.ad 4.

Quęritur an probibitio operandi in die Dominico sit areta, sicut alias in die Sabbati.

2 Respondeo dicendum, quòd non est ita areta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati, sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quę in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi; & etiã in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in noua, quàm in veteri lege, quia figura pertinet ad protestationẽ veritatis, quàm nec in modico præterire oportet; opera autem secundùm se considerata immutari possunt pro loco, & tempore. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.

DOMINIVM.

1 *Tria hoc nomen Dominus includit, et quę.*
2 *Dominium introductum est iure humano.*
3 *Non debet vllo mõdo permitti, quod infideles dominentur fidelibus de nouo.*
Dominium iam existens infidelium super fideles non tollitur.
Dominium infidelium super fideles potest tolli per Ecclesiam.
In statu Ecclesia statuitur, vt seruus Iudęus factus Christianus statim sit à seruitute liberatus.
Ecclesia potest disponere de rebus Iudaorũ
Hoc statutum non est respectu infideliũ nõ subiectorum Ecclesia in temporali, licet de iure hoc possit facere.
4 *Infidelitas non tollit dominium.*

Aliquis peccans per infidelitatem potest sententialiter ius Dominij amittere, sicut & per alias causas.
Ad Ecclesiam non pertinet punire eos, qui nunquam fidem susceperunt.
Ecclesia potest punire infidelitatem eorũ, qui prius fidem susceperunt.
Statim quòd aliquis Dominus *est denũciatus excommunicatus, subditi absoluuntur à iuramento fidelitatis.*
5 *Potest subditus repellere* Dominium *violenter surreptum, nisi postmodùm fiat verus Dominus.*
Fit verus Dominus *per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris.*
6 *Quid Dominus possideat, vt suum.*

Quæritur quot, & quæ includat hoc nomen Dominus.

1 Respondeo dicendùm, quòd hoc nomen Dominus tria in suo intellectu includit, scilicet potẽtiam coercendi subditos, & ordinem ad subditos, qui cõsequitur talem potestatem, & terminationem ordinis subditorum ad Dominum. q 7. de potentia. a. 10. ad 4.

Quæritur iure sit introductum Dominium.

2 Respondeo dicẽdum, quòd dominiũ introductum est de iure gentium, quod est ius humanum. 2. 2. q. 12. a. 2. in corp.

Quæritur an infideles possint habere Prælationem, seu Dominium super fideles.

3 Respondeo dicendũ, quòd circa hoc dupliciter loqui possumus, vno modo de Dominio, vel Prælatione infidelium, super fideles de nouo instituenda, & hoc nullo modo pmitti debet, caderet enim hoc in scandalum, & in periculum fidei, de facili enim illi, qui subijciuntur aliorum iurisdictioni, immutari possunt ab eis, quibus subsunt, vt sequantur eorum imperium, nisi illi, qui subsunt, fuerint magnæ virtutis, & similiter infideles cõtemnunt fidem, si fidelium defectus cognoscant; & ideo Apostolus prohibuit, vt fideles non contendant iudicio corã Iudice infideli; & ideo nullo modo permittit Ecclesia, quod infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercunq; eis præficiantur in aliquo officio; alio modo possumus loqui de dominio, vel Prælatione iam existenti. Vbi considerandũ est, quod dominiũ, vel Prælatio introducta sunt ex iure humano, distinctio autẽ fidelium, & infideliũ est ex iure Diuino, ius autem Diuinũ, quod est ex gratia nõ tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione, ideo distinctio fideliũ, & infidelium secundùm se considerata non tollit dominium, & Prælationem supra fideles, potest tamen iustè per sentẽtiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatẽ Dei habentis tale ius Dominij, vel Prælationis tolli, quia infideles meritò suæ infidelitatis merentur potestatẽ amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei: sed hoc quidẽ Ecclesia quandoq; facit, quandoq; autẽ non facit: in illis enim infidelibus, qui etiã temporali subiectione subijciuntur Ecclesię, & membris eius, hoc ius Ecclesia statuit, vt seruus Iudęorum, cum fuerit factus Christianus, statim à seruitute liberetur nullo precio dato, si fuerit vernaculus, idest in seruiture nat', & similiter si infidelis existẽs fuerit emptus ad seruitium, si autẽ fuerit emptus ad mercatiorem, tenetur enim infra tres menses exponere ad vẽdendũ, nec in hoc iniuriã facit Ecclesia, quia cũ ipsi Iudęi sint serui Ecclesiæ, potest disponere de rebus eorũ, sicut etiam Principes sæculares multas leges ediderũt circa suos subditos in fauorem libertatis: in illis verò infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ, vel eius membris non subiacent prædictum ius Ecclesia non statuit, licet posset instituere de iure, & hoc facit ad scandalum vitandũ, sicut

ficut etiam Dominus Matthæi 15. ostendit, quod poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij, tamen mandauit tributum solui ad scandalum vitandum; ita etiam, & Paulus, cum dixisset, quòd serui Dominos suos honorarent, subiungit, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. 2. 2. q. 10. a. 10. in corp.

Quæritur an Princeps propter apostasiam à fide amittat dominium in subditos, ita quòd ei obedire non teneantur.

4 Respondeo dicendum, quòd infidelitas secundùm se ipsam non repugnat dominio, eo quòd dominium introductū est de iure gentium, quod est ius humanum, distinctio autem fidelium, & infideliū est secundùm ius Diuinum, per quòd nō tollitur ius humanum, sed aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter ius dominij amittere, sicut etiā quādoq; propter alias culpas; ad Ecclesiam autē nō pertinet punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt secundū illud Apostoli primæ ad Corinth. 5 quid mihi de his, qui foris sunt iudicare? sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & conuenienter in hoc puniūtur, quòd subditis fidelibus dominari non possunt, hoc enim vergere posset in magnā fidei corruptionem, quia homo apostata prauo corde machinatur malum, & iurgia seminat intēdens homines separare à fide; & ideo quam cito aliquis per sententiam denūciatur excōmunicatus propter apostasiā à fide, ipso facto eius subditi sūt ab soluti à Dominio ei', & iuramēto fidelitatis, quo ei tenebātur. 2. 2. q. 12. a. 2. i corp.

Quæritur an possit quis repellere dominium alicuius, qui violenter illud habuit.

5 Respondeo dicendum, quòd qui per violentiam dominium surripuit, nō efficitur verè Prælatus, vel Dominus; & ideo cū facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere, nisi fortè postmodùm Dominus verus effectus sit, vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris. 2. sent. d. 44. q. 2. a. 2. in corp.

Quæritur quid Dominus possideat, vt suum.

6 Respondeo dicendū, quòd verus Dominus id, quod possidet, vt Dominus possidet vt suum. opusculo 73. cap. 5.

Plura alia vide in verbo Princeps.

D O S.

1 *Quid sit Dos.*

2 *Dos datur sponso ad vsum.*

Proprietas, & dominium dotis pertinet ad sponsum.

3 *Dotes ordinariè dātur à parētibus puellæ.*

Aliquando tamen sponsus, vel eius Pater dat dotem, & hoc vel propter amorem ad sponsam, vel in pœnam.

4 *Dos reuertitur ad sponsam matrimonio separato.*

Quæritur quid sit Dos.

1 Respondeo dicendùm, quòd Dos propriè est quędā datio ex parte mulieris his, qui sunt ex parte viri facta pro onere matrimonij, quod sustinet vir; illud autem, quod sponsus dat sponsæ, vocatur donatio propter nuptias. 4. sent. d. 49. q. 4. a. 1. in corp.

Quæritur ad quem pertinet vsus Dotis, & dominium.

2 Respondeo dicendum, quòd Dotes, quamuis assignentur sponso in carnali matrimonio ad vsum; tamen proprietas, & dominium pertinent ad sponsā, quod patet ex hoc, quòd soluto matrimonio Dos remanet sponsæ secundùm iura. 4. sent. d. 45. q. 4. a. 1. ad 1.

Quæ-

Quæritur an sponsus det aliquando Dotem sponsæ.

3 Respondeo dicēdum, quòd quamuis Dotes à parēte puellę consueuerunt assignari; tamen quandoq; contingit, quòd sponsus, vel pater sponsi assignat dotes vice patris puellæ: quod contingit dupliciter, vel pro nimio affectu ad sponsam, sicut fuit de Sichem, qui voluit assignare Dotem, quam debebat accipere propter vehementem amorem sui filij ad puellā; vel hoc fit in pœnam sponsi, vt Virgini à se corruptæ Dotem de suo assignet, quam pater puellæ debuerat assignare, sicut dicitur exodi 22. si seduxerit quis Virginem, dormieritq; cum ea, dotabit eam, & accipiet eam in vxorem. 4. sent. d. 49. q. 4. a. 1. in corp.

Quæritur an matrimonio separato Dos reuertatur ad sponsam.

4 Respondeo dicendum, quòd inamiscibiliter Dos sponsæ conseruatur, vt ad eam matrimonio separato reuertatur. 4. sent. d. 49. q. 4. a. 1. in corp.

DVBITATIO.

1 *Duplex dubitatio scilicet infidelitatis, & admirationis.*
2 *Dubia in bonam partē sunt interprętāda.*
3 *Melius est aliquem frequenter falli habendo bonam opinionem de alio malo quàm rarius falli habendo malam opinionem de bono homine.*
4 *Quando iudicamus de rebus debemus ad hoc nisi, vt iudicemus secundū quòd sunt.*
5 *Quando iudicamus de hominibus, adhoc debemus tēdere, vt hominē iudicemus bonū.*

Quęritur quotuplex sit dubitatio.

1 RESpondeo dicendum, quòd est duplex dubitatio scilicet infidelitatis, & admirationis, seu discussionis. 3. p. q. 27. a. 4. ad 2. [q. 30. a. 4. ad 2. [Ecc. 3. cap. 11. ad hæbreos.

Quæritur quomodo sint interpratanda dubia.

2 Respondeo dicendum, quòd vbi non apparent manifesta inditia de malitia alicuius debemus eum, vt bonum habere, in meliorem partem interprætando, quod dubium est. 2. 2. q. 60. a. 4. in corp.

Quæritur an sit melius frequenter falli habendo opinionem bonam de malo homine, quā male suspicando de aliquo bono rarius falli.

3 Respondeo dicendum, quòd potest contingere, quòd ille, qui in meliorem partem interprætatur frequentius fallatur; sed melius est, quòd aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur habēs malam opinionem de aliquo bono; quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo. 2. 2. q. 60. a. 4. ad 1.

Quæritur quomodo sit iudicandum de hominibus, & de rebus.

4 Respondeo dicendum, quòd aliud est iudicare de rebus, & aliud de hominibus in iuditio enim, in quo de rebus iudicamus non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet, qualitercunq; iudicemus de ipsa; sed attenditur ibi solum bonum iudicantis, si verè iudicet, vel malum, si falso, quia verum, est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius, vt dicitur in 6. eth.: & ideo vnusquisq; debet nisi ad hoc, quòd de rebus iudicet secundùm quòd sunt: sed in iudicio, quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte eius, de quo iudicatur, qui in hoc ipso honorabilis videtur,

tur,quod bonus iudicatur,& contemptibilis,si iudicetur malus; & ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat; ipsi autem homini iudicanti falsum, iudicium,quo benè iudicat de alio,nō pertinet ad malum intellectus ipsius, sicut nec ad eius perfectionem pertinet secundùm se cognoscere veritatem singulariū contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum. 2.2.q.60.a.4. ad 2.

DVELLVM.

Quaeritur an Duellum sit licitum.

Respondeo dicendum sicut verbo Diuinatio. q.18.

DVLIA.

1 *Dulia est alia virtus à latria.*
Dulia est species obseruantiae.
Dulia quid significet.
2 *Dulia propriè non debetur nisi habenti gratiam & virtutem.*
Dulia debetur propriè habenti virtutē actu
Habenti aptitudinem ad virtutem, nisi sit obstinatus,debetur honor.
Omnibus Praelatis debetur honor.
3 *Dulia communiter sumpta continet sub se pietatem,& obseruantiam &c tanquàm species distinctas.*
Dulia propriè non habet species.
4 *Dulia debetur Deo ratione Dominij.*
5 *Creaturae irrationali non debetur aliquis honor.*
Crux Christi honoratur honore Christi.
6 *Hyperdulia est praecipua species Duliae.*
Hyperdulia cui debeatur.

Quaeritur an Dulia sit specialis virtus distincta à latria.

1 Respondeo dicendum, quòd vbi est alia ratio debiti,ibi necesse est, quod sit alia virtus, quae debitū reddat; alia autem ratione debetur seruitus Deo,& homini, sicut & alia ratione dominium competit Deo, & homini: nam Deus plenarium, & principale dominiū habet respectu totius, & cuiuslibet creaturae,quae totaliter eius subijcitur potestati,homo autem participat quamdam similitudinem Diuini Dominij secundū quòd habet particularem potestatem super aliquem hominem, vel super aliquā creaturam,& ideo Dulia, quae debitam seruitutem exhibet homini dominanti alia virtus est à latria,quae exhibet debitam seruitutem Diuino dominio, & est quaedam obseruantiae species, quia per obseruātiam honoramus quascunq; personas dignitate praecellentes: per Duliā autem propriè sumptam serui Dominos suos venerantur: Dulia enim graecè seruitus dicitur. 2.2.q.103.a.3.in corp.

Quaeritur an peccatores debeant honorari Dulia.

2 Respondeo dicendum, quòd Dulia reuerentiam,& honorem importat, quae creaturae exhiberi potest:cum autem honor, vt dicit Phylosophus non debeatur nisi rebus Diuinis, non debetur propriè, & directè nisi habenti gratiam, & virtutem,quę Diuinos facit:sed habet aliquis virtutem multipliciter,vel sicut actu virtuosus,& huic directè debetur, & propriè,& secundùm se honor, vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutē, & sic cuilibet habēti imaginem est exhibendus honor,nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad virtutem,vt in Daemonibus, vel sicut ordinatus ad inducendum, vel conseruandum virtutem,& sic debetur omnibus Praelatis,qui adhoc ordinati sunt,vt alios dirigant in virtutem. 3. sent,d,nona q.2.a.3. in corp.

Qua-

Quæritur an mali Prælati debeant honorari Dulia.

Respondeo dicendum sicut verbo Reuerentia.

Quæritur an Dulia habeat plures species.

3 Respondeo dicendum, quòd Dulia potest accipi dupliciter, vno modo communiter secundùm quòd exhibet reuerētiam cuicunq; homini ratione cuiuscúq; excellentiæ, & sic continet sub se pietatem, & obseruantiam, & quacunq; huiusmodi virtutem, quæ homini reuerentiam exhibet: & secundùm hoc habebit partes specie diuersas, alio modo potest sumi strictè, prout secundùm eam reuerentiam exhibet seruus Domino, nam Dulia seruitus dicitur, vt dictum est, & secundùm hoc nō diuiditur in diuersas species, sed est vna specierum obseruantiæ, quàm Tullius ponit eo quòd alia ratione seruus reueretur Dominum, miles Ducem, discipulus Magistrum, & sic de alijs huiusmodi. 2.2.q.103.a.4. in corp.

Quæritur qua ratione Dulia debeatur Deo.

4 Respondeo dicendum, quòd ratione creationis debetur Deo latria, Dulia vero secūdùm dominiū. 2.2.q.103.a.3. ad 1.

Quæritur an Dulia debeatur creaturæ irrationali.

5 Respondeo dicendum, quòd creaturæ irrationali in se consideratæ non debetur ab hominibus aliqua subiectio, vel honor, quin potius omnis talis creatura est naturaliter homini subiecta: quòd autem Crux Christi honoretur, hoc fit eodē honore, quo Christus honoratur, sicut purpura Regis honoratur eodē honore, quo Rex, vt Damascenus dicit. 2.2.q.104.a.4. ad 3. [3.sent.d.nona.q.2.a.3.ad 6.

Quæritur an Stiperdulia sit species Duliæ, & cui debeatur.

6 Respondeo dicendum, quòd Hyperdulia est potissima species Duliæ cōmuniter sumptæ, maxima enim reuerentia debetur homini ex affinitate, quàm habet ad Deum. 2.2.q.103.a.4 ad 2.

DVPLICITAS CORDIS.

1 *Duplicitas quid sit.*
2 *Duplicitas est quando homo vnum prætendit, & aliud intendit.*
3 *Duplicitas consequitur ad luxuriam.*

Quæritur quid sit duplicitas.

1 Respondeo dicendum, quòd duplicitas est, qua aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exterius. 2.2.q.109.a.2.ad 4.

Quæritur an sit duplicitas, quando homo vnū prætendit, & aliud intendit.

2 Respondeo dicendum, quòd duplicitas est, qua homo vnū prætendit, & aliud intendit. 2.2.q.109.a.2. ad 4.

Quæritur ad quòd vitium consequatur duplicitas.

3 Respondeo dicendum, quòd duplicitas animi est quoddam consequens ad luxuriam, sicut incōstantia, prout duplicitas animi importat versibilitatem animi ad diuersa. 2.2.q.53.a.6. ad 2.

EBRIETAS.

1 *Ebrietas aliquando significat defectū pœnalem consequentem ex culpa.*
Ebrietas aliquando significat actū, quo quis in supradictum defectum incidit.
Ebrietas causata à vini fortitudine ignora-

ta à

ta à bibente non est peccatum seclusa tamen negligentia illius.
Ebrietas causata ex concupiscentia inordinata vini est peccatum.
Ebrietas continetur sub Gula.
2 *Ebrietas aliquando non est peccatum, aliquando est peccatum ueniale, & aliquādo mortale; ebrietas tamen per se loquēdo est peccatum mortale.*
3 *Plus sumere in potu pertinet ad Gulam.*
Plus sumere in potu scienter usq; ad ebrietatem est peccatum mortale.
4 *Assiduitas quomodo faciat ebrietatem esse peccatum mortale.*
5 *Inuitans aliquem ad bibendū nō peccat, si bibens inebrietur, dummodo ignoret conditionem bibentis, scilicet ut ex illo potu possit inebriari si hoc sciēter facit peccat.*
6 *Peccata cōtra Deū sūt grauiora ebrietate.*
Ebrietas est contra bonum rationis.
7 *Qua ratione peccata intemperantiæ dicantur amica Diabolo.*
8 *Ebrietas tollit usum rationis.*
9 *Vitium oppositum ebrietati est innominatum.*
Abstinens ita à uino, ut natura grauetur, peccat.
10 *Quomodo ex ebrietate causentur omnia peccata.*
Ebrietas est caput aliquorum peccatorum.
11 *Qui multum comedit, uel bibit ad uomitū prouocandum de consilio Medici non dicitur superfluè comedere, uel bibere.*
Si tamen ex hoc inebriaretur, non excusaretur ab ebrietate.
12 *Quomodo ebrius teneatur non peccare.*
13 *Ebrietas ex parte defectus consequentis excusat à peccato.*
Si ebrietas non fuit peccatum et peccatum sequēs ex ebrietate excusabitur à culpa.
Si ebrietas fuit peccatum, sic non excusabitur aliquis à peccato sequenti:
Diminuitur tamen peccatum sequens.
14 *Ebrietas ligat totaliter rationem, non autem concupiscentia.*
Passio concupiscentiæ minuit peccatum.
15 *Ebrius actu nō potest baptizare, sed ebriosus potest si baptizādi habeat intētionē.*
16 *Ebrius meretur duas maleditiones.*
Ebrietas ratione ignorantiæ minuit peccatum sequens.
17 *Quare plus sint puniendi ebrij, si percusserint aliquem.*

Quæritur an ebrietas sit peccatum?

1 Respondeo dicendum, quòd ebrietas dupliciter potest accipi: vno modo prout significat ipsū defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit, vt nō sit compos rationis, & secūdū hoc ebrietas nō nominat culpā, sed defectū pænalē cōsequentē ex culpa: alio modo ebrietas potest nominare actū, quo quis in hunc defectum incidit, qui potest causare ebrietatē dupliciter: vno modo ex nimia vini fortitudine præter opinionē bibentis, & sic ēt ebrietas potest accidere sine peccato, & precipuè si nō ex negligētia hominis cōtingat, & sic creditur Noe inebriatus fuisse, vt legitur Genesis 9. alio modo ex inordinata cōcupiscētia, & vsu vini, & sic ebrietas ponitur esse peccatum, & continetur sub Gula, sicut species sub genere: diuiditur enim gula in commestionem, & ebrietatem, quæ prohibet Apostolus ad Rom. 13. non in commestationibus, & ebrietatibus. 2.2. q. 150. a. 1. in corp. [q. 15. de malo a 2. ad 9.

Quæritur an ebrietas sit peccatum mortale?

2 Respondeo dicendum, quòd culpa ebrietatis, sicut dictū est consistit in inordinato vsu, & concupiscentia vini, hoc autem contingit esse tripliciter: vno modo sic, quod nesciat potum esse immoderatū & inebriare potētē, & sic ebrietas potest esse sine peccato, vt dictum est: alio modo sic, quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum; non tamen æstimet potū inebriare potentem: & sic ebrietas potest

esse

esse cum peccato veniali: tertiò modo potest esse quòd aliquis benè aduertat potum esse immoderatum, & inebriantem,& tamen magis vult ebrietatem incurrere,quàm à potu abstinere, & talis propriè dicitur ebrius, quia moralia recipiunt speciem non ab his,quæ per accidens eueniunt præter intentionē, sed ab eo,quod est per se intentum, & sic ebrietas est peccatum mortale, quia secūdùm hoc homo volens, & sciens priuat se vsu rationis, quo secundùm virtutem operatur,& peccata declinat,& sic peccat mortaliter periculo peccādi se committens, dicit enim Ambrosius in libro de Patriarchis,vitandam dicimus ebrietatem, per quàm vitia cauere non possumus: nā quæ sobrij cauemus,per ebrietatē ignorantes committimus; vndè ebrietas per se loquendo est peccatum mortale. 2. 2. q.150.a.2.in corp.

Quæritur quomodo plus sumere in potu,quàm necesse sit, sit peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd plus sumere in cibo,& potu, quā necesse sit pertinet ad vitium gulæ,quæ non semper est peccatum mortale; sed plus sumere in potu scienter vsq; ad ebrietatem,hoc est peccatum mortale; vndè Augustinus dicit in 10. Confessionum ebrietas longè est a me, misereberis ne appropinquet mihi,crapula autem non nunquam surrepsit seruo tuo. 2.2.q.150.a.2.ad 2.

Quæritur quomodo assiduitas, faciat ebrietatem esse peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale non propter solam iterationē actus, sed quia non potest esse, quod homo assiduè inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatē.2.2.q.150.a.2.ad 1.

Quæritur an inuitans aliquem ad bibendum peccent, si bibens inebrietur.

5 Respondeo dicēdum,quòd sicut ille, qui inebriatur, excusatur à peccato, si ignorat fortitudinem vini;ita etiam ille, qui inuitat aliquem ad bibendum excusatur à peccato,si ignoret talem esse conditionē bibentis, vt ex hoc potu inebrietur,sed si ignorantia desit, neuter à peccato excusatur.2.2.q.150.a.1.ad 3.

Quæritur an ebrietas sit grauissimum peccatorum.

6 Respondeo dicendum, quòd quia ex hoc dicitur aliquid esse malū, quod priuat bonum; vndè quantò maius est bonum, quod priuatur per malum, tanto malum grauius est:manifestum est autē, quod bonum Diuinum est maius, quam bonum humanum: & ideo peccata, quæ sunt directè contra Deum sunt grauiora peccato ebrietatis,quod directè opponitur bono rationis humanæ. 2. 2. q. 150. a.3.in corp.

Quæritur quomodo peccata intemperantię dicantur amica Diabolo.

7 Respondeo dicendum, quòd ad peccata intemperantię maximè homo habet prouitatem,propter hoc,quod huiusmodi concupiscentiæ, & delectationes connaturales nobis sunt,& secundùm hoc dicuntur huiusmodi peccata esse maximè amica Diabolo: non quia sint alijs grauiora: sed quia sunt apud homines frequentiora.2.2.q.150.a.3.ad 1.

Quæritur quomodo ebrietas tollat bonum rationis.

8 Respondeo dicendum, quòd bonum rationis

rationis impeditur dupliciter, vno modo per id, quod est contrarium rationi, alio modo per id, quod aufert vsum rationis, plus autem habet de ratione mali id, quod contrariatur rationi, quam quòd ad horã vsum rationis auffert, vsus enim rationis potest esse, & bonus, & malus, qui tollitur per ebrietatem, sed bona virtutum, quæ tolluntur per ea, quæ contrariantur rationi, sunt semper bona. 2.2.q. 150.a.3.ad 2.

Quæritur quod nam sit vitium ebrietati oppositum.

9 Respondeo dicendum, quòd vitium, quod opponitur ebrietati innominatum est; & tamen si quis scienter in tantum à vino abstineret, vt naturam multum grauaret, à culpa immunis non esset. 2. 2. q. 150.a.1.ad 1.

Quæritur qua ratione ex ebrietate oriantur omnia peccata.

10 Respondeo dicendũ, quòd ex ebrietate sequuntur omnia peccata non secũdùm originem causæ finalis, sed secundũ prohibentis remotionem, inquantùm scilicet remouet iudiciũ rationis, per quòd homo à peccato cohibetur: vndè non sequitur, quod Gula, vel ebrietas sit caput omnium vitiorum, sicut superbia, sed quorumdam specialiter, quæ directè ex gula oriuntur, sicut proprij eius effectus. q.14.de malo.a.4.ad 2.

Quæritur an liceat multum comedere, & bibere ad prouocandum vomitum de consilio Medici, & vtrum excusetur ab ebrietate, si inde sequatur.

11 Respondeo dicendum, quòd cibus, & potus est moderandus secundùm quòd cõpetit corporis valetudini; & ideo sicut quandoq; contingit, vt cibus, vel potus, qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest è conuerso contingere, vt ille, qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo, & hoc modo cum aliquis multum comedit, vel bibit secũdùm consilium medicinæ ad vomitum prouocandum non est reputandus superfluus cibus, vel potus: nec tamen ad vomitum prouocandum requiritur, quòd sit potus inebrians; quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat: & ideo propter hanc causam nõ excusaretur aliquis ab ebrietate. 2.2.q.150.a.2.ad 3.

Quæritur an ebrius teneatur non peccare.

12 Respondeo dicendum, quòd ebrius tenetur non peccare, non quidem considerato præsenti statu, sed considerata ebrietatis voluntaria causa, secundùm quàm imputatur ei aliquid ad culpam. q.16.de malo.a.5.ad 11. [p.2. q.77. a.7. in corp.

Quæritur an ebrietas excuset à peccato.

13 Respondeo dicendũ, quòd in ebrietate duo attenduntur, sicut dictum est, scilicet defectus cõsequens, & actus præcedens; ex parte autem defectus consequẽtis, in quo ligatur vsus rationis ebrietas habet excusare à peccato inquantùm causat inuoluntarium per ignorantiam; sed ex parte actus præcedentis videtur esse distinguendum, quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa; sicut fortè accidit de Loth. si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quòd scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedẽtis actus, inquantùm scilicet aliquis dans operã rei illicitæ incidit in sequens peccatum: diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarij;

tarij;

tarij: vndè Augustinus dicit contra Faustum, quòd Loth culpandus est, non quãtùm ille incestus, sed quantùm ebrietas meruit. 2.2.q.150. a. 4. in corp. [p. 2. q. 76.a.4.ad 2.

Quæritur an ebrietas excuset à peccato, sicut & concupiscentia.

14 Respondeo dicendum, quòd concupiscentia non totaliter ligat rationem, sicut ebrietas; nisi fortè sit tanta, quòd faciat hominem insanire: & tamen passio concupiscentię diminuit peccatum: quia leuius est ex infirmitate, quàm ex malitia peccare. 2. 2. q.150.a.4.ad 3.

Quæritur an ebrius possit baptizare.

15 Respondeo dicendum, quòd quamuis actu ebrius intentionem baptizandi habere non possit; tamen ebriosus potest esse non actu ebrius, & intentionem baptizandi habens baptizare. 4. sent. d. 6. q. 1.a.2.quæstiunc. 1.ad 3.

Quęritur quot maledictiones mereatur ebrius.

16 Respondeo dicendum, quòd ebrius meretur duplices maledictiones propter duo peccata, quæ cõmittit, scilicet ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur: tamen ebrietas ratione ignorantiæ adiunctæ diminuit sequens peccatum; & fortè plus, quàm sit grauitas ipsius ebrietatis. p.2.q.76. a. 4. ad 3. [2. 2. q. 150. a. 4. ad 1.

Quæritur an ebrij percussores sint magis puniendi, quam sobrij.

17 Respondeo dicendum, quòd quidã Pithacus legislator statuit ebrios, si percusserint, amplius puniendos non ad veniam respiciens, quam ebrij debent magis habere; sed ad vtilitatem, quia plures iniurianzur ebrij, quàm sobrij, vt pater per Phylosophorum in 2. politicorum. p. 2. q. 76. a. 4. ad 3. [2. 2. q. 150. a. 4. ad 1.

ECCLESIA.

1 *Ecclesia est congregatio fidelium.*
2 *Patres antiqui pertinent ad Ecclesiam.*
3 *Ecclesia habet eandem potestatẽ nunc, quã habuit tempore Apostolorum.*
4 *Christus fundauit Ecclesiam, & eius ministerium reliquit Petro, & Pastoribus.*
5 *Episcopus nullum prohibet ingredi Ecclesiam, & audiet verbum Dei vsq; ad Missam catecumenorum.*
6 *In necessitate aliquis potest vti Ecclesia ad manducandum &c.*
7 *Licet vendere, & emere in necessitate terram, vbi fuit Ecclesia.*

Quæritur quid sit Ecclesia.

1 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia secundùm statum viæ est congregatio fidelium: sed secundùm statum Patriæ est congregatio comprehendentium. 3.p.q.8.a.4.ad 2.

Quæritur an Patres antiqui pertinerent ad Ecclesiam.

2 Respondeo dicendum, quòd Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus. 3. p. q. 8. a.3.ad 3.

Quæritur an Ecclesia habeat nunc eandem potestatem, quod habebat tempore Apostolorum.

3 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia habet nunc eandem potestatem statuendi, & destruendi, quam tempore Apostolorum habuit. 4. sent. d. 27. q. 3. a. 3. ad 2.

Quæ-

Quaritur quis fundauerit Ecclesiam.

4 Respondeo dicendum, quòd solus Christus fundauit Ecclesiam, cuius ministerium Petro, & Pastoribus commisit. opusculo 20. lib. 3. cap. 10.

Quaritur an Episcopus possit prohibere ingressũ Ecclesię alicui, ad audiẽdũ verbũ Dei.

5 Respondeo dicendum, quòd de consecrat. d. 1. dicitur Episcopus nullũ prohibeat ingredi Ecclesiã, & audire verbũ Dei siue Gentilẽ, siue Hæreticũ, siue Iudeum vsq; ad Missã Catecumenorũ, in qua scilicet cõtinetur instructio fidei. 3. p. q. 83. a. 4. ad 4.

Quęritur an quis possit vti Ecclesia ad manducandum &c. in necessitate.

6 Respondeo dicendum, quòd propter necessitatẽ, quando scilicet aliquis domũ aliã nõ inueniret, licite posset Ecclesia vti ad manducandũ, vel ad alios huiusmodi licitos vsus. Ecc. 4. c. 11. primę ad Corinth.

Quaritur an possit vendi terra, in qua olim fuit Ecclesia.

7 Respondeo dicẽdũ, quòd licet terrã, vbi quondã fuit Ecclesia, vẽdere, & emere in casu necessitatis. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3.

ELECTIO.

1 *Ex decretali non requiritur, vt eligatur melior.*

2 *Quid requiratur adhoc quod electio non possit impugnari in foro iudiciali.*

In foro conscientiæ debet eligi melior, vel simpliciter, vel in comparatione ad commune bonum.

3 *Electio debet fieri in personam existentem in gremio Ecclesiæ.*

4 *Non debet eligi propinquior; sed magis idoneus in Prælatum.*

5 *Pauper non debet eligi.*

6 *Pauper voluntarius potest eligi, non necessitate.*

7 *Virtuosus siue pauper, siue diues debet eligi*

Minus periculosum est eligere diuitẽ, quàm pauperum.

8 *Electus, si intendit aliquod temporale in sua electione, melius faceret, si non assentiret electioni.*

Si autem intendit bonum Ecclesiæ bona est intentio: sed laudabiliter potest non consentire electioni ex humilitate, & laudabiliter consentire ex Charitate.

Prælationis officium tutius declinatur.

Non est pertinaciter resistendum Diuinæ voluntati in hoc agnitæ.

9 *Olim non assumebatur ad Episcopatum aliquis nisi per electionem* Diuinam.

Quaritur an ex decretali necesse sit eligere meliorem.

1 Respondeo dicendum, quòd Decretalis dicit, quòd sufficit eligere bonum, nec requiritur, quòd melior eligatur. quodlibeto 8. a. 6.

Quaritur in quo foro debeat eligi melior.

2 Respondeo dicendum, quòd quantũ adhoc, quod electio impugnari nõ possit in foro iudiciali sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam: sed quantùm ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonũ commune: quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet, quòd hoc sit propter aliquam causam, quæ quidem si pertineat ad negotium, quantùm adhoc erit ille, qui eligitur magis idoneus: si verò non pertineat ad negotium id, quod consideratur vt causa, erit manifestè acceptio personæ. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3.

Quæritur de quibus personis electiones sint facienda.

3 Respondeo dicendum, quòd ille, qui de gremio Ecclesię assumitur, vt in pluribus consueuit esse vtilior quātùm ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus; & propter hoc etiam mandatur Deut. 17. nō poteris alterius gentis hominem facere Regē, qui non sit frater tuus. 2.2.q.63.a.2. ad 4.

Quæritur an propinquior debeat eligi in Prælatum.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui eligitur in Prælatū, non eligitur quasi ad hæreditatē possidendam: quia hæreditas Christianorum non est in terra, sed est in cęlo, scilicet ipse De' secūdū illud Psalm. Dominus pars hæreditatis meæ: eligitur autē velut dispēsator in familia Domini alicuius secundū illud primæ Corinthiorū 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores &c. dispensator autē non semper eligitur, qui est propinquior, sed qui est magis idoneus. quodlibeto 8. ar. 6. ad 4. [2.2.q.63.ar. 1. in corp. [a.2. ad 1.

Quęritur an pauper debeat eligi in Prælatum, siue Principem.

5 Respondeo dicendum, quòd pauperis principatus est periculosus: quia impossibile est egentem benè principari, ac legitimè negotijs publicis posse vacare propter necessitatē enim instat lucris, & resilit à virtute; nec sibi ipsi vacare potest, vt quiescat animus. opusculo 20. lib. 4. cap. 20 & cap. 15.

Quæritur quinam pauper debet ab electione passiua repelli.

6 Respondeo dicendum, quòd distingui oportet de duplici indigentia, voluntaria scilicet, & necessaria, voluntaria nō repellitur à regimine, sed secunda necessaria, quia talis raro, vel nunquam benè regit, vel cōsulit, nisi suo oppositui vacuo satisdetur. opusculo 20. lib. 4. cap. 5.

Quęritur an ad Principatum semper debeat eligi Diues.

7 Respondeo dicēdum, quòd mouetur ista quæstio ab Aristotele in sua politica, vtrum ad Principatum semper diues eligi debeat: quia in hoc datur materia, vt homines sint amatiui pecuniarum quocunq; modo, eo quòd natura humana sēper est appetitiua honoris, ad quòd ipse Phylosophus multa dicit comparās Olicarghiam ad aristrocaciam: quia secundùm primum Principatum exigitur diues, sed iuxtà secundùm semper assumitur virtuosus: siue ergo pauper, siue diues dummodo viuat secundùm virtutem, assumendus est in vera politica: sed minus periculum est de diuite, quia instrumenta sibi adsunt humanæ vitæ, per quæ honestè suum potest officiū exequi, salua tamen iustitia subditorum. opusculo 20. lib. 4. cap. 20.

Quæritur an melius faciat, qui consentit electioni de se factæ, quam qui eam recusat.

8 Respondeo dicēdum, quòd in eo, qui electioni Canonicæ de se factæ consentit considerari præcipuè debet, quid intendit: si enim intendit aliquod temporale, puta honorem, diuitias, excutere se à iugo Religionis, aut aliquid huiusmodi, manifestum est, quod est praua intentio; vndè melius faceret, si non assentiret: si autem intendit profectum Ecclesiæ: sic planum est, quod bona est intentio: vndè Augustinus dicit nono de Ciuit. Dei, in actione nō amādus est honor in hac vita, siue potētia, sed opus ipsum si rectè, atq;

vtiliter fit, idest vt valeat ad salutem subditorum; & inducit illud Apostoli, quod habetur primæ ad Timotheum 3. si quis Episcopatum desisterat, bonum opus desiderat: sed tamē sciēdū est, quòd ad hoc opus maxima requiritur idoneitas, quia vt Gregori' dicit in pastorali tantū actio nē populi debet actio transcendere Præsulis, quantùm distare solet à grege Pastoris vita, ad quod humana fragilitas secundū proprias vires sufficiēs nō est secūdū illud Apostoli 2. ad Corinth. 3. & ad hæc qui tam idoneus? sed tñ ex auxilio gratiæ Diuinę homines idonei, & sufficiētes redduntur, sicut ipse post modū subdit, idoneos nos facit ministros noui testamenti: potest ergo aliquis laudabiliter cōsiderans propriū defectum ex humilitate officium Prælationis recusare, sicut Hiere. dicit. nescio loqui, quia puer ego sum: potest etiam laudabiliter consentire ex Charitate Fraterna, vt saluté proximorum procuret, sicut Isaias, qui dicit, ecce ego mitte me, sed sicut Gregorius dicit in pastorali, in vtroq; est subtiliter intuēdum, quia & is, qui recusauit plenè non resistit, & is, qui mitti voluit, ante se per altaris calculū purgatū vidit; ne aut non purgatus adire quisq; sacra ministeria audeat, aut quē superna gratia elegit sub humilitatis specie supernæ dispositioni contradicat: quia ergo valdè difficilè est purgatū se quemlibet posse agnoscere, Prælationis officium tutius declinatur; nō tamen pertinaciter, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. quodlibeto 5. a. 22. in corp.

Quęritur quomodo olim assumerentur homines ad Episcopatum.

9 Respondeo dicēdum, quòd in primitiua Ecclesia, vbi purè, & propter Deum electiones fiebant nullus assumebatur ad Episcopatum, nisi per electionem Diuinam, sicut electus est Ambrosius, & Nicolaus. Eccl. 3, cap. 4. primæ ad Timotheū.

ELEEMOSINA.

De necessitate eleemosinæ. Cap. I.

1 *Vndè dicatur eleemosina.*
Quid sit eleemosina.
Eleemosina est actus Charitatis.
2 *Eleemosina non solùm consistit in pecunia, sed etiam in alijs obsequijs propter Deū proximo factis.*
3 *Septem sunt eleemosinæ corporales, et quæ.*
4 *Septem sunt eleemosinæ spirituales, et quę.*
5 *Simpliciter loquendo eleemosinæ spirituales sunt potiores corporalibus.*
In aliquo casu aliqua corporalis eleemosina est potior aliqua spirituali.
6 *Eleemosina quo ad substantiam habet effectum corporalem.*
Eleemosina ex parte causæ habet effectum spiritualem.
Eleemosina ex parte effectus habet effectum spiritualem.
7 *Eleemosina est in præcepto.*
Eleemosinæ de præcepto sunt de superfluo nedū ipsi dāti, sed et illis, quorū curā gerit
In casu necessitatis extremæ est etiam facienda eleemosina ex præcepto.
Alias facere eleemosinas est de consilio.
8 *Pręceptum de eleemosina facienda reducitur ad præceptū de honoratione parentū.*
9 *Laudabile est abundāter dare, tàm ex parte dantis quàm recipientis, ita vt suppleatur sufficienter indigentiæ eius.*
Non est laudabile dare alicui ad superfluitatem eleemosinam.
Melius est pluribus egētibus dare eleemosinā
10 *Quæ cōsiderāda sint in eleemosina faciēda*
11 *Peccatum mortale est non dare eleemosinā indigenti extrema necessitate.*
Peccatū mortale est non elargiri superflua.
Superfluum, & necessarium consideratur secundùm ea, quæ probabiliter, & vt

in pluribus occurrunt.

12 *Quando dicatur quis immoderatè dare.*

13 *In facienda eleemosina non est expectanda vltima necessitas.*

14 *Qui dat eleemosinam alicui, vt eum inducat in hæresim, mortaliter peccat.*

Quærit an dare eleemosinā sit actus Charitatis

1 Respondeo dicendum, quòd motiuū ad dandū eleemosinas est, vt subueniatur necessitatē patienti: vndè quidā diffinientes eleemosinā dicunt, ꝙ eleemosina est opus, quo datur aliquid indigenti ex cōpassione propter Deū, quod quidē motiuū pertinet ad misericordiā: vndè manifestum est, quòd dare eleemosinam propriè est actus misericordiæ: & hoc apparet ex ipso nomina: nam in græco eleemosina à misericordia deriuatur, sicut in latino miseratio: & quia misericordia est effect' Charitatis, ex cōsequēti dare eleemosinā est actus Charitatis misericordia mediante. 2.2.q.32.a.1.ī corp.

Quæritur in quo consistat eleemosina.

2 Respondeo dicendum, quòd eleemosina non tantùm consistit in collatione pecuniæ, sed etiā in alijs obsequijs propter Deum proximis factis: vnde & si alicui pecunia desit, non tamen facultas dandi eleemosinam deest: & si deesset omnino facultas respectu eleemosinarū corporalium propter penuriam rerum, & corporis debilitatem, non tamen deesset facultas respectu eleemosinarū spiritualium, quia posset aliter, vel consulere, vel orare saltem: & si etiam facultas omnino deesset, voluntas completa sufficeret. 4.sent.d.15.q.2.a.1.quæstiunc.2. ad 4.

Quęritur an conuenienter distinguantur eleemosinæ corporales.

3 Respondeo dicendū, quòd ponuntur septē eleemosinæ corporales, scilicet pascere esurientem, potare sitientē, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum, quæ in hoc versu continentur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. & hæc eleemosinarum distinctio conuenienter sumitur secundùm diuersos defectus proximorum, quorum quidam sūt ex parte animæ, ad quos ordinantur spirituales eleemosinę, quidam verò ex parte corporis, ad quos ordinantur eleemosinæ corporales: defectus enim corporalis, aut est in vita, aut est post vitā: si quidem est in vita, aut est communis defectus respectu eorum, quibus omnes indigēt, aut est specialis propter aliquòd accidens superueniens: si primò modo, aut est defectus interior, aut exterior, interior quidem est duplex: vnus quidē cui subuenitur per alimentum siccum, scilicet fames, & secundùm hoc ponitur pascere esurientem: alius autem est, cui subuenitur per alimentum humidū, scilicet sitis, & secundū hoc dicitur potare sitientem; defectus autem communis respectu exterioris auxilij est duplex: vnus respectu tegumenti, & quantùm adhoc ponitur vestire nudum: alius autem respectu habitaculi, & quantùm adhoc ponitur suscipere hospitem: similiter autē si sit defectus aliquis specialis, aut est ex causa intrinseca: sicut infirmitas, & quantùm adhoc ponitur visitare infirmum, aut est ex causa extrinseca, & quantùm adhoc ponitur redemptio captiuorum: post vitam autem exhibetur mortuis sepultura. 2.2.q.32.a.2.in corp. [4.sent.d.15.q.2.a.3.quæstiunc.1.in corp.

Quæritur an conuenienter assignentur eleemosinæ spirituales.

4 Respondeo dicendum, quòd ponuntur aliæ septē eleemosinæ spirituales scilicet docere ignorātem, consulere dubitanti,

tanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos, & graues, & pro omnibus orare, quæ etiam in hoc versu continentur.

Consule castiga, solare, remitte, fer, ora.

Ita tamen quòd sub eodem intelligatur consilium, & doctrina. Spiritualibus siquidem defectibus spiritualibus actibus subuenitur dupliciter: vno modo poscendo auxilium à Deo, & quãtùm adhoc ponitur oratio, qua quis pro alijs orat: alio modo impendendo humanum auxilium: & hoc tripliciter: vno modo contra defectum intellectus: & si quidem sit defectus speculatiui intellectus, adhibetur ei remedium per doctrinam; si autem practici intellectus, adhibetur ei remedium per consilium: alio modo est defectus ex passione opposita virtuti, inter quos est maximus Tristitia, cui subuenitur per consolationem: tertio modo ex parte inordinati actus; qui quidẽ tripliciter considerari potest: vno modo ex parte ipsius peccantis, inquantùm procedit ab eius inordinata voluntate; & sic adhibetur remedium per correctionem; alio modo ex parte eius, in quem peccatur: & si quidem sit peccatum in nos, remedium adhibemus remittendo offensam: si autem sit in Deum, vel in proximum, non est nostri arbitrij remittere, vt Hieronymus super Matthæum: tertiò modo ex parte sequelæ ipsius actus inordinati, ex qua grauãtur ei conuiuentes etiam præter peccantis intentionem: & sic remedium adhibetur supportando maximè in his qui ex infirmitate peccãt secundùm illud Rom. 15. debemus nos firmiores infirmitates aliorum sustinere, & non solùm quòd infirmi sunt, siue graues ex inordinatis actibus; sed etiã quæcunq; eorum onera sunt supportanda secundùm illud Galat. 6. alter alterius onera portate. 2. 2. q. 32. a. 2. in corp. [4. sent. d. 15. q. 2. a. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an eleemosinæ spirituales sit corporalibus potiores.

5 Respondeo dicendum, quòd comparatio istarum eleemosinarũ potest ostendi dupliciter: vno modo simpliciter loquendo, & secundùm hoc eleemosinę spirituales præeminent triplici ratione: primò quidem, quia id, quod exhibetur nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali secũdùm illud prouerb. 4. Donũ bonum tribuã vobis, legem meam ne derelinquatis: secundò ratione eius, cui subuenitur, quia spirit' nobilior est corpore; vndè sicut homo sibi ipsi magis debet prouidere quantùm ad spiritũ, quàm quãtùm ad corpus, ita & proximo, quem debet sicut seipsum diligere: tertiò quantùm ad ipsos actus, quibus subuenitur proximo, quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodãmodo seruiles: alio modo possunt comparari secundùm aliquem particularem casum, in quo quædam corporalis eleemosina alicui spirituali præfertur, puta magis est pascendum fame morientem, quàm docendum, sicut & indigenti secundùm Phylosophum melius est ditari, quàm phylosophari, quamuis hoc sit simpliciter melius. 2. 2. q. 32. a. 3. in corp. [4. sent. d. 15. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an eleemosinę corporales habeant effectum spiritualem.

6 Respondeo dicendum, quòd eleemosina corporalis tripliciter potest considerari: vno modo secundũ suam substantiã, & secundùm hoc nõ habet nisi corporalẽ effectum, inquantùm scilicet supplet corporales defectus proximorũ: alio modo potest cõsiderari ex parte causæ eius, inquantùm scilicet aliquis eleemosinã corporalem det propter dilectionem Dei, & proximi, & quantùm adhoc affert fructũ spiritualẽ secundùm illud Eccl. 29. perde

pecuniam propter fratrem, pone thesaurũ in præceptis altissimi, & proderit sibi magis, quàm aurum: tertiò modo ex parte effectus, & sic etiam habet spiritualem effectum, inquantùm scilicet proximus, cui per corporalem eleemosinam subuenitur, mouetur ad orandum pro benefactore: vndè & ibidem subditur. conclude eleemosinam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. 2. 2. q. 32. a. 4. in corp.

Quæritur an eleemosina sit in præcepto?

7 Respondeo dicendum, quòd cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conseruatur: ad dilectionem autem proximi pertinet, vt proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur secundùm illud primæ Ioannis 3. non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate: adhoc autem quòd velimus, & operemur bonum alicuius, requiritur, quòd eius necessitati subueniamus, quod fit per eleemosinarum largitionem: & ideo eleemosinarum largitio est in præcepto: sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est, quòd hoc modo Donum eleemosinæ cadat sub præcepto secundùm quòd actus est de necessitate virtutis, scilicet secundùm quòd recta ratio requirit: secundùm quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte eius, cui est eleemosina danda: ex parte quidẽ dantis considerandum est, vt id, quod est in eleemosinas erogandum, sit ei superfluũ secundùm illud Lucæ 14. quod superest date eleemosinam: & ideo superfluum non solum respectu sui ipsius, quod est supra id, quod est necessarium indiuiduo; sed etiam respectu aliorum, quorum vera sibi incumbit; quia pri' oportet, quod vnusquisq; sibi prouideat, & his, quorum vera ei incumbit, & posteà de residuo aliorum necessitatibus subueniat, respectu quorum dicitur necessarium personæ secundùm quòd persona dignitatem importat; sicut & natura primò accipit cibum ad sustẽtationem proprij corporis, quod est necessarium ministerio virtutis nutritiuæ superfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generatiuam: ex parte autem recipientis requiritur quòd necessitatẽ habeat, alioquin non esset ratio, quare eleemosina ei daretur: sed cum nõ possit ab aliquo vno omnibus necessitatem habentibus subueniri, non omnis necessitas obligat ad prę ceptum: sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest, in illo enim casu locum habet, quod Ambrosius dicit, pasce fame morientem, si non paueris, auidisti: sic ergo dare eleemosinam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate, alias autem eleemosinas dare est in consilio, sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia 2. 2. q. 32. a. 5. in corp. [q. 66. a. 7. in corp. [q. 71. ar. 1. in corp. [quodlibeto 6. a. 12. in corp. [quodlibeto 8. a. 12. in corp.

Quæritur sub quo præcepto decalogi cadat præceptum de eleemosina.

8 Respondeo dicendum, quòd omnis subuentio proximi reducitur ad pręceptum de honoratione parẽtum, sicut enim & Apostolus interpretatur primæ ad Timotheum 4. dicens pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitę, quę nũc est, & futuræ: quod dicit, quia in præcepto de honoratione parentũ additur promissio, vt sis longeuus super terram: sub pietate autem comprehenditur omnis eleemosinarũ elargitio. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 4

Quæritur an eleemosina debeat esse abundans?

9 Respondeo dicendum, quòd abundantia

dantia eleemosinæ potest considerari, & ex parte dantis, & ex parte recipientis: ex parte quidem dantis, cum scilicet aliquis dat, quod est multum secundùm proportionem propriæ facultatis, & sic laudabile est abundanter dare: vndè & Dominus Lucæ 21. laudauit Viduam, quæ ex eo, quod de erat illi, omnem victum, quem habuit, misit, obseruatis tamen his, quę supra dictę sunt de eleemosina faciēda de necessarijs: ex parte verò eius, cui datur, est abundans eleemosina dupliciter: vno modo quòd suppleat sufficienter eius indigentiã, & sic laudabile est abundanter eleemosinam tribuere: alio modo vt superabundet ad superfluitatē, & hoc non est laudabile, sed melius est pluribus indigentibus elargiri: vndè & Apostolus dicit primæ ad Corinth. 13. si distribuero in cibos pauperum, vbi glosa dicit, per hoc cautela eleemosinæ docetur, vt non vni, sed multis detur, vt pluribus prosit. 2.2.q.32.a.10.in corp.

Quæritur quæ sint consideranda in eleemosina facienda.

10 Respondeo dicendum, quòd non est dãda eleemosina alicui, vt inde luxurietur, sed vt indè sustentetur: circa quòd tamen est discretio adhibenda propter diuersas conditiones hominum, quorum quidam delicationibus nutriti indigent magis delicatis cibis, aut vestibus: vndè Ambrosius dicit in libro de officijs considerand a est in largiendo ætas, atq; debilitas, non nunquam etiam verecundia, quę ingenuos prodit naturales, aut si quis ex diuitijs in egestatem cecidit, si sine vitio suo. 2.2.q.32.a.10.ad 3.

Quæritur quando omissio eleemosinæ sit peccatum mortale.

11 Respondeo dicendum, quòd est aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, si eleemosinam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet euidens, & vrgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subueniat: ex parte verò dantis cum habet superflūa, quæ secūdùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest: nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum, hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matthæi 6.: sed debet diiudicari superfluum, & necessarium secundùm eà, quæ probabiliter, & vt in pluribus occurrunt. 2.2.q.32.a.5.ad 3.

Quæritur quando peccat quis elargiendo eleemosinam supra vires suas.

12 Respondeo dicendum, quòd virtus in dando potest considerari dupliciter, scilicet simpliciter, seu absolutè, & secūdùm proportionem aliorum: quando ergo dat plus, quam alij suæ proportionis, non peccat: sed si simpliciter dat supra virtutem, tunc immoderatè dat. Eccl. 1. cap.8. secundæ ad Corinthios.

Quæritur an in facienda eleemosina sit expectanda vltima necessitas.

13 Respondeo dicendum, quòd in facienda eleemosina non expectanda est vltima necessitas: quia tunc fortè nō posset tunc iuuari natura iam fame, vel siti consumpta. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc.4.ad 4.

Quæritur an mortaliter peccet dans eleemosinam alicui, vt eum in hæresim inducat.

14 Respondeo dicēdum, quòd ille, qui dat eleemosinam, vt aliquem inducat ad hæresim mortaliter peccat propter intentionem corruptam. 2. 2. q. 154. ar.4. in corp.

De quibus sit facienda eleemosina. Cap. II.

1 *De necessario simpliciter sibi, & familia non est facienda eleemosina regulariter.*
De necessario simpliciter debet fieri eleemosina personæ vtili Reipublicæ in casu, quo indigeat.
De necessarijs ad decentiã personæ propriæ, et familię est bonum facere eleemosinam, & cadit sub consilio.
In tribus casibus laudabiliter facit quis, si prætermittat necessaria ad decentiã status, vt succurrat maiori necessitati.
2 *De quibus male acquisitis possit, et de quibus non possit fieri eleemosina.*
3 *De illicitis ex iure Diuino per ludum non potest fieri eleemosina.*
Quando quis per ludum lucratur ab aliquo, qui traxit eum ad ludum, debet de lucro facere eleemosinam.
4 *Potest aliquis surripere de alieno, & illud dare patienti extremam necessitatem, si aliter subueniri non possit.*

Quæritur an de necessario sit facienda eleemosina.

1 RESpondeo dicendum, quòd necessariũ dupliciter dicitur: vno modo sine quo aliquod esse non potest, & de tali necessario omnino eleemosina dari nõ debet, puta si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solum: vndè posset sustentari, & filij sui, vel alij ad eũ pertinentes, de hoc enim necessario eleemosinam dare, est sibi, & suis vitam subtrahere, sed hoc dico, nisi forte talis casus immineret, vbi subtrahendo sibi daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur: quia pro talis personæ liberatione seipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendũ: alio modo dicitur aliquod necessarium, sine quo non potest conuenienter vita transigi secundùm conditionem, & statum propriæ personæ, & aliarũ personarum, quarum cura ei incumbit; huiusmodi necessarij terminus non est in indiuisibili constitutus, sed multis additis non potest diiudicari esse vltra tale necessariũ, & multis subtractis adhuc remanet: vndè possit conuenienter aliquis vitam transigere secũdùm proprium statum: de huiusmodi ergo eleemosinã dare est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio, inordinatum esset autem: si aliquis tãtùm sibi de bonis proprijs subtraheret, vt alijs largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere conuenienter secundùm proprium statum, & negotia occurrentia, nullus enim inconuenienter viuere debet: sed adhuc tria sunt excipienda, quorũ primùm est, quãdo aliquis statum mutat, puta per Religionis ingressum, tunc enim omnia sua propter Christum largiens opus perfectionis facit, se in alio statu ponendo: secundò quando ea, quæ sibi subtrahit, & si sint necessaria ad conuenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, vt non sequatur maximum inconueniens: tertiò quando occurreret extrema necessitas alicuius priuatæ personæ, vel etiã aliqua magna necessitas Reipublicæ, in his enim casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, vt maiori necessitati subueniret. 2. 2. q. 32. ar. 6. in corp. [q. 117. a. 1. ad 2. [4. sent. d. 15. q. 2. a. 4. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an eleemosina possit fieri de iniustè acquisitis.

2 Respondeo dicendum, quòd tripliciter potest aliquid esse illicitè acquisitũ: vno enim modo id, quod illicitè ab aliquo acquiritur debetur ei, à quo est acquisitum, nec potest ab eo retineri, qui acqui-

acquisiuit, sicut contingit in rapina, & furto,& vsuris,& de talibus, cum homo teneatur ad restitutioné,eleemosina fieri non potest: alio vero modo est aliquid illicitè acquisitum, quia ille quidem,qui acquisiuit retinere non potest,nec tamen debetur ei,à quo acquisiuit, quia scilicet contra iustitiam accepit,& alter contra iustitiã dedit,sicut contingit in simonia, in qua dans,& accipiens contra iustitiam legis Diuinæ agit; vndè non debet fieri restitutio ei,qui dedit,sed debet in eleemosinas erogari,& eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet & datio, & acceptio est contra legẽ: tertiò modo est aliquid illicitè acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id,ex quo acquiritur est illicitũ,sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium, & hoc propriè vocatur turpe lucrum,quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contrà legem Dei;sed in eo,quod accipit, non iniustè agit, nec contra legem: vndè quòd sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosina fieri. 2. 2. q. 32. a. 7. in corp. [4. sent.d.15.q 2.a.4. quæstiunc.3. in corp. [& quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an eleemosina possit fieri de acquisitis per ludum.

3 Respondeo dicendum,quòd circa illa,quæ per aleas acquiruntur videtur esse aliquid illicitum ex Diuino iure, scilicet quòd aliquis lucretur ab his,qui rem suã alienare non possũt, sicut sunt minores, & furiosi,& huiusmodi, & quòd aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quòd fraudulenter ab eo lucretur, & in his casibus tenetur ad restitutionem,& sic de eo non potest eleemosinam facere: aliquid autem videtur esse vlterius illicitum ex iure positiuo ciuili, quod prohibet vniuersaliter tale lucrum: sed quia ius ciuile non obligat omnes, sed eos solos, qui sunt his legibus subiecti;& iterum per dissuetudinem abrogari potest:ideo apud illos,qui sunt huiusmodi legibus obstricti tenẽtur vniuersaliter ad restitutioné, qui lucrantur, nisi fortè contraria cõsuetudo prçualeat, aut nisi aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludũ, in quo casu non tenetur restituere:quia ille,qui amisit,non est dignus recipere, nec potest licitè retinere tali iure positiuo durãte; vndè debet de hoc eleemosinam facere in hoc casu. 2. 2. q.32.a.7.ad 2.

Quæritur an in casu extremę necessitatis liceat surripere alienũ,et de illo facere eleemosinã.

4 Respondeo dicendum, quòd in casu extremę necessitatis omnia sũt cõmunia: vndè licet ei, qui talẽ necessitatẽ patitur accipere de alieno ad sui sustentationẽ: si non inueniat, qui sibi dare velit, & eadẽ ratione licet habere aliquid de alieno, & potest de hoc eleemosinã dare, quinimmo,& accipere,si aliter subueniri nõ possit necessitatẽ patienti: si tamen fieri potest sine periculo,requisita Domini volũtate debet pauperi prouidere extremam necessitatem patienti.2.2.q.32.a.7.ad 3.

Quibus sit facienda eleemosina; & quo ordine. Cap. III.

1 *Prius est subueniendum necessitati absolutæ,quam conditionatæ.*

Prius est subueniendum necessitati absolutę extraneorum,quàm propria,& propinquorum conditionatę.

Prius est subueniendum necessitati proprię, & propinquorum absolutæ, quã necessitate extraneorum absolutæ.

2 *Nõ dicitur quis facere sibi eleemosinã propriè.*

Distributor eleemosinarum potest sibi partem earum retinere; si indigeat.

3 *Cæteris paribus melius est dare eleemosinam magis indigenti.*

Si minus

Si minus indigens sit melior, melius est ei dare.
Eleemosina est magis dāda propinquioribus.
Eleemosina magis danda est sanctiori, vtili Reipublicæ, et indigenti, quā propinquo.
5 *Peccatori vt homini est faciēda eleemosina.*
6 *Clericis indigentibus dantur eleemosinæ ad sui sustentationem.*
Clericis non indigentibus dantur eleemosinæ, vt eas alijs distribuant.

Quæritur qui nam ordo seruandus sit in facienda eleemosina.

1 Respondeo dicendum, quòd ex parte necessitatis talis debet esse ordo, vt prius absolutæ necessitati subueniatur, quàm alicui necessitati conditionatæ, quæ est, cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conseruationem: & ideo præceptū legis adhoc obligat, vt illud, quod superest alicui post subuentionem perfectam, & sibi coniunctis, puta familię, quam gubernare debet respectu vtriusq; necessitatis in eleemosinas expendat ad subueniendum alijs respectu vtriusq; dictarum necessitatum: & similiter præceptū legis obligat, quòd etiam necessitati extraneorum absolutæ primo subueniatur, quā necessitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ: & ideo dicitur cōmuniter, quòd dare eleemosinam de superfluo cadit in precepto, & sic dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate: dare autē de eo, quod est necessarium necessitate secunda, non autem de eo, quod est necessarium necessitate prima: quia hoc esset contra ordinem Charitatis. 4. sent. d. 15. q 2. a. 1. quęstiunc. 4. in corp.

Quæritur an aliquis possit sibi facere eleemosinam.

2 Respondeo dicendum, quòd cū eleemosina sit opus misericordiæ, sicut misericordia non est propriè ad se ipsum; sed per quandam similitudinem, ita & propriè loquendo nullus sibi eleemosinam facit, nisi fortè ex persona alterius, puta cum aliquis distributor ponitur eleemosinarum, potest & ipse sibi accipere, si indigeat eo tenore, quo & alijs ministrat. 2. 2. q. 32. a. 9. ad 3.

Quæritur an facere eleemosinam magis indigenti sit melius.

3 Respondeo dicendum, quòd dare magis indigenti melius est cæteris paribus: sed si minus indigēs sit melior, & melioribus indigeat, dare ei melius est. 2. 2. q. 32. a. 3. ad 1.

Quæritur an eleemosina sit magis danda propinquiori.

4 Respondeo dicendū, quòd sicut Augustin' dicit in primo de Doctrina Christiana, illi, qui sunt nobis magis coniuncti, quasi quadam sorte nobis obueniunt, vt eis magis prouidere debeamus: est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda secundùm differentiam coniunctionis, & sanctitatis, & vtilitatis: nā multo sanctiori, & magis indigentiā patiēti, & magis vtili ad commune bonum est magis eleemosina danda, quàm personæ propinquiori, maxime si non sit multum coniuncta, cuius cura specialis nobis immineat, & si magnam necessitatem non patitur. 2. 2. q. 32. a. 9. in corp. & ad 2. [4. sent. d. 15. q. 2. a. 5. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an peccatori sit facienda eleemosina.

5 Respondeo dicendum, quòd peccatori non est subueniendum inquantùm est peccator, idest vt per hoc in peccato foueatur, sed inquantùm homo est, idest vt natura sustentetur. 2. 2. q. 32. a. 9. ad 1. [4. sent. d. 15. q. 2. a. 5. in corp.

Quæ-

Quæritur an Clericis sit facienda eleemosina.

6 Respondeo dicendum, quòd Clericis etiam si ipsi non indigeant eleemosinæ dantur, vt ministris pauperum, & dispensatoribus eleemosinarum: & ideo quod eis in eleemosinam datur, per eos pauperibus transmittitur. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 3.

De illis, qui possunt facere eleemosinam. Cap. IIII.

1 *Subditus non potest facere eleemosinam de his, in quibus est subditus.*

De illis, in quibus non est subditus, potest facere eleemosinam.

2 *Monachus habens dispensationem commissam potest facere eleemosinam secundùm commissionem.*

Monachus non habens commissam dispensationem non potest facere eleemosinam sine licentia Abbatis expressa, vel præsumpta.

In casu extremæ necessitatis potest facere eleemosinam.

3 *Vxor potest facere eleemosinas moderatas sine consensu mariti de lucratis ab ipsa, vel quocunq; alio modo licito habitis.*

Alias vxor non potest facere eleemosinas sine consensu expresso, vel præsumpto mariti.

In articulo necessitatis potest facere eleemosinas.

4 *Filij familias nō possunt facere eleemosinā.*

Filij familias possunt facere aliquam eleemosinam modicam de consensu præsumpto Patris.

Filij familias possunt facere eleemosinas de his, quorum dispensatio sibi commissa est Patre.

Serui non possunt facere eleemosinam de rebus Domini.

Serui possunt facere eleemosinam de precio sui seruitij.

Quæritur an illi, qui sunt sub alterius potestate, possint facere eleemosinas.

1 Respondeo dicendum, quòd ille, qui est sub potestate alterius constitutus inquantùm huiusmodi secūdùm superioris potestatem regulari debet: hic est enim ordo naturalis, vt inferiora secundùm superiora regulentur: & ideo oportet, quòd ea, in quibus inferior superiori subijcitur dispenset non aliter, quàm ei sit à superiore commissum, sic ergo ille, qui est sub potestate cōstitutus de re, secundùm quàm superiori subijcitur eleemosinam facere non debet, nisi quatenus ei à superiore fuerit cōmissum: si quis verò habeat aliquid secundùm quòd potestati superioris non subsit, iam secundùm hoc non est potestati subiectus quantùm ad hoc proprij iuris existens, & de hoc potest eleemosinam facere. 2. 2. q. 32. a. 8. in corp. [4. sent. d. 15. q. 2. ar. 4. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an Monachis liceat facere eleemosinam.

2 Respondeo dicendum, quòd Monachus si habet dispensationem à Prælato commissam potest eleemosinas facere de rebus Monasterij secundùm quòd sibi est commissum: si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosinam sine licētia Abbatis, vel expresè habita, vel probabiliter præsumpta; nisi fortè in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum esset ei furari, vt eleemosinam daret, nec propter hoc efficitur peioris conditionis, quia sicut dicitur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, bonum est facultates cū dispensatione pauperibus erogare: sed melius est pro intentione sequēdi Dominū simul omnia donare, & absolutū sollicitudine, egere cū Christo. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1. [4. sēt. d. 15. q. 2. a. 4. quæstiūc. 4. in corp.

Quæ-

Quæritur an vxor possit facere eleemosinam.

3 Respondeo dicendum, quòd si vxor habet alia præter dotem, quæ ordinatur ad sustentandum onera matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocunq; alio licito modo, potest dare eleemosinas etiã irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur: alias autem non debet dare eleemosinas sine consensu viri, vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis, sicut de monacho dictum est: quamuis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonij, tamen in his, quę ad dispositionem domus pertinent vir caput est mulieris secundùm Apostolum primæ ad Corinth. 11. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. [4. sent. d. 15. q. 2 a. 4. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an filij familias, & serui possint facere eleemosinam.

4 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt filij familias sunt, & Patris: & ideo non potest eleemosinam facere, nisi fortè aliquam modicam, de qua potest præsumere, quod Patri placeat; nisi fortè alicuius rei esset sibi à Patre dispensatio commissa: & idem dicendum est de seruis, qui tamen de pretio sui seruitij possunt eleemosinam dare. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 3. [4. sent. d. 15. q. 2. a. 4. quæstiunc. 2. in corp. & quæstiunc. 3. in corp.

De obligatione illius, qui recipit eleemosinam, & de illius effectu. Cap. V.

1 *Qui recipit eleemosinam, tenetur orare, et ieiunare, & alia huiusmodi facere pro dante eleemosinam.*

2 *Ex parte dantis, & præmij essentialis magis pensatur eleemosina ex affectu dantis, quam ex re data.*

Respectu præmij accidentalis pensatur magnitudo rei datę.

3 *Eleemosina est magis satisfactoria, quàm oratio, & ieiunium.*

4 *Eleemosina liberat à peccato mortali dupliciter, scilicet impediendo peccatum futurum et disponendo hominem ad gratiam recuperandam.*

Eisdem modis dicitur liberare ab inferno.

5 *Ad tria valet eleemosina,*

Quęritur de obligatione eius, cui fit eleemosina ergà dantem.

1 Respondeo dicendum, quòd eleemosina eum constituit, cui datur, debitorem ad orandum, & ieiunandum, & alia bona, quæ potest, faciendum pro eo, qui dedit. 4. sent. d. 15. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 2. in corp. & quæst. 3. in corp.

Quæritur vnde pensetur efficacia eleemosinæ.

2 Respondeo dicendum, quòd ex parte dantis, & respectu præmij essentialis efficacià eleemosinæ magis pensatur ex affectu, quàm ex dato: sed respectu præmij accidentalis, vt puta remissionis pœnæ, vel alicuius huiusmodi magnificatur efficacia eleemosinæ ex magnitudine dati, nisi ex parte altera intentio voluntatis magnitudini exterioris dati præponderet: potest enim tam intenta esse voluntas, quòd etiam omnem pœnam absorberet, & reatum, sicut dę contritione dicitur. 4. sent. d. 15. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an eleemosina sit magis satisfactoria, quam oratio.

3 Respondeo dicendum, quòd eleemosina completius habet vim satisfactionis, quàm oratio, & oratio, quàm ieiunium, & propter hoc eleemosina magis inducitur, vt vniuersalis medicina peccati, quã oratio.

oratio.4.sēt.d.15.q.2.a.2.quęst.2. ī corp.

Quaeritur an eleemosina liberet ab inferno, & quomodo.

4 Respondeo dicēdum, quòd eo modo, quo aliquis liberatur à peccato mortali per eleemosinam, liberatur ab infernalibus tenebris, liberat autem eleemosina à peccato mortali hominem adhuc in statu viæ existentem dupliciter, vel impediendo futurum peccatum: sicut & alia opera meritoria, quæ hominem in gratia confirmant: vel à præterito liberando, inquantùm disponit eum, qui iam in peccatum incidit, ad gratiam recuperandā: sicut & alia opera de genere bonorum recta intentione facta. 4.sent.d.15.q.2.a.2.quæstiunc.1.ad 1.

Quaeritur ad quid valeat eleemosina.

5 Respondeo dicendum, quòd eleemosina valet ad omnia peccata delendā: itē ad bona promouenda: item promeretur specialē Dei misericordiam. super cap. 4. primæ ad Timotheum.

EMPTIO.

Quia emptio præsupponit venditionem: ideo quæ possunt dici de emptione referuantur pro verbo venditio: vndè illic videnda sunt.

EPISCOPATVS.

1 *Tria in Episcopatu considerantur scilicet Episcopalis operatio, altitudo gradus, honor, & sufficientia temporalium.*
Appetere Episcopatum ratione tertij est illicitum.
Appetere Episcopatum ratione secundi est præcipitosum.
Appetere Episcopatum ratione primi est bonum, & laudabile.
Appetere Episcopatum ratione primi aliquando est præsumptuosum.
2 *Licet appetere statum Religiosum, non autem Episcopatum propter duo.*
3 *Non debet quis Episcopatum iniunctum omnino recusare.*
4 *Impedimenta, per quæ redditur quis indignus ad Episcopatum, debent remoueri ab eo, cui cura Pastoralis iniungitur, si sunt in sua potestate, & obediat.*
Si sint in potestate superioris ei manifestet defectum, cui etiam tenebitur obedire, si remoueat defectum.
Si nec superior, nec ipse potest remouere impedimenta, nō tenetur obedire ad Episcopatum accipiendum.
5 *Potest quis impedimentum ad Episcopatum ante præceptum superioris.*
Potest quis vouere de non quærendo, nec acceptando Episcopatum quantùm sit in se, nisi in necessitate.
Illicitè facit, qui vouet non acceptare Episcopatū etiā contra obedientiā superioris.
6 *Papa potest cogere aliquem ad acceptandum Episcopatum.*
7 *Ad quid assumantur homines dum assumuntur ad Episcopatum.*
8 *Vita illius, qui assumitur ad Episcopatū, qualis debeat esse.*
9 *Episcopi transferuntur ad vitam actiuā, & contemplatiuam.*
10 *Qui debet eligere aliquem in Episcopum, tenetur eligere meliorem non simpliciter, sed quo ad regimen Ecclesiæ.*
Qui assumendus est in Episcopum, nihil debet in se habere, per quod sit illicitum Episcopatum assumere.
11 *In homine idoneo ad Episcopatum præcipuè debet attendi eminentia dilectionis Diuinæ.*
12 *Carens vsu rationis non potest assumi ad Episcopatum.*

Quaeritur an Episcopatus sit ordo.

Respondeo dicendū sicut verbo. Ordo.

Quæ-

Quæritur an liceat Episcopatum appetere.

1 Respondeo dicendum, quòd in Episcopatu tria possunt considerari, quorum vnum est principale, & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam vtilitate proximorum intenditur secundùm illud Ioannis vlt. pasce oues meas: aliud autem est altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur secundùm illud Matthæi 25. fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: tertiùm autē est, quod consequenter se habet ad ista, scilicet reuerentia, & honor, & sufficiētia temporalium secundùm illud primæ ad Timotheum 5. qui benè præsunt Præsbiteri, duplici honore digni habeantur: appetere ergo Episcopatum ratione huiusmodi circunstantium bonorum manifestum est, quòd est illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem; vndè contra Pharisæos Dominus dicit Matthæi 23. amant primus accubitus in cænis, & primas cathedras in sinagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi: quantùm autem ad secundum scilicet celsitudinem gradus appetere Episcopatum, est præsumptuosum: vndè Dominus arguit discipulos Matthæi 20. primatum quærentes dicens, scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum, vbi Chrisostomus dicit, quod per hoc ostendit, quod gentile est primatus cupere: & sic gentium comparatione eorum animam æstuantem conuertit, sed appetere proximis prodesse est secundùm se laudabile, & virtuosum: verum quia prout est Episcopalis actus habet annexam gradus celsitudinem præsumptuosum videtur, quòd aliquis præesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente, sicut Gregorius dicit in Pastorali, quòd tunc laudabile erat Episcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire; vndè non de facili inueniebātur, qui hoc onus assumeret, præsertim cum aliquis Charitatis zelo Diuinitus adhuc incitatur, sicut Gregorius dicit in Pastorali, quòd Isaias prodesse proximis cupiens laudabiliter officium prędicationis appetijt: potest tamē absq; præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequēda; ita quòd opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis: vndè Chrisostomus dicit super Matthæum, opus quidem desiderare bonum, bonum est, primatum autem honoris concupiscere vanitas est, primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se horret. 2.2.q.185. ar. 1. in corp. [quodlibeto 12.a.17.

Quæritur an sit laudabile appetere Episcopatum, sicut statum Religiosum.

2 Respondeo dicendum, quòd laudabile est, quòd aliquis desideret ad statum Religionis transire, non autem quòd aliquis appetat ad Episcopatum promoueri, quia non est eadem ratio de statu Religionis, & de statu Episcopali propter duo: primò quidem, quia ad statum Episcopalem præexigitur vitæ perfectio, vt patet per hoc, quod Dominus à Petro quæsiuit, si plus eum cæteris diligeret, antequàm ei committeret pastorale officium: sed ad statum Religionis non præexigitur perfectio, sed est via in perfectionem; vndè & Dominus Matthæi 19. non dixit, si ex perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes: sed si vis perfectus esse, & huius differentiæ ratio est, quia secundùm Dionisium perfectio pertinet actiuè ad Episcopum, sicut ad perfectorem, ad Monachum autem passiuè, sicut ad perfectum: requiritur autem, quòd sit perfectus aliquis adhoc, quòd possit alios ad perfectionem adducere, quod nō præ-

exigitur

exigitur ab eo, qui debet ad perfectionē adduci: est autem præsumptuosum, quod aliquis perfectum se reputet, non autem quòd ad perfectionem tendat: secundò quia ille, qui statum Religionis assumit se alijs subijcit ad spiritualia capienda, & hoc cuilibet licet: vndè Augustinus 19. de Ciuit. Dei dicit à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile otium pertinet: sed ille, qui transit ad statum Episcopalem sublimatur adhoc, quòd alijs prouideat: & hanc sublimationem nullus debet sibi assumere, secundū illud ad hæbreos 5. neq; quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo: & Chrisostomus dicit super Matthæum, primatum Ecclesiæ concupiscere, neq; iustum est, neq; vtile; quis enim sapiens vult vltro se subijcere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia: nisi fortè qui nō timet Dei iudicium abutentes primatu Ecclesiastico sæculariter, vt scilicet conuertat ipsum in sæcularem. 2.2.q.185.a.1.ad 2.

Quæritur an liceat omnino Episcopatum iniunctum recusare.

3 Respondeo dicendū, quòd in assumptione Episcopatus duo sunt considerāda: primò quidem quid deceat hominē appetere secundùm propriam voluntatem: secundò quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius: quantùm ergo ad propriam voluntatem conuenit homini principaliter insistere propriæ saluti, sed quòd aliorum saluti intendat, hoc conuenit homini ex dispositione alterius potestatem habentis: vndè sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur: ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliqui omnino contra superioris iniunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuset propter duo: primò quidem quia hoc repugnat Charitati proximorū, quorum vtilitati se aliquis debet exponere pro loco, & tempore: vndè Augustinus 19. de Ciuit. Dei dicit, quòd negocium iustum suscipit necessitas Charitatis: secundò quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subijcit: vndè Gregorius dicit in Pastorali, tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est, 2.2.q.185.a.2.in corp.

Quæritur an tollenda sint impedimenta, vt quis suscipiat Episcopatum.

4 Respondeo dicendum, quòd nullus tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitum: potest ergo contingere, quòd ille, cui iniungitur Prælationis officium, in se aliquid sentiat, propter quod non licet ei Prælationem accipere: hoc autem impedimentum quandoq; quidem remoueri potest per ipsummet, cui Pastoralis cura iniungitur, puta si habeat peccandi propositū, quod potest deserere, & propter hoc non excusatur, quin finaliter teneatur obedire Prælato iniungenti: quādoq; verò impedimentum, ex quo fit ei illicitum Pastorale officium, non potest ipse remouere, sed Prælatus, qui iniungit, puta si sit irregularis, vel excomunicatus: & tunc debet defectum suum Prælato iniungenti ostendere; quòd si impedimentum remouere voluerit, tenetur humiliter obedire: vndè exodi 4. cum Moyses dixisset, obsecro Domine nō sum eloquens ab heri, & nudius tertius, Dominus respondit ad eum, ego ero in ore suo, doceboq; te quid loquaris: quandoq; verò non potest remoueri impedimentū, nec per iniungentem, nec per eum, cui iniungitur: sicut si Archiepiscopus non possit super irregularitate dispensare; vndè subditus non tenetur ei obedire ad susci-

suscipiendum Episcopatum, vel etiam sacros ordines: si sit irregularis. 2. 2. q. 185. a. 2. ad 2.

Quaritur an quis possit vouere de non acceptando Episcopatum, & ad illum impedimentum ponere.

5 Respondeo dicendum, quòd accipere Episcopatum nõ est de se necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex superioris praecepto: haec autem, quae sic sunt necessaria ad salutem, potest aliquis impedimentum licitè apponere antequàm fiat praeceptum, alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, nec per hoc impediretur à susceptione Episcopatus, vel sacri Ordinis: non autem hoc liceret in his, quae per se sunt de necessitate salutis: vndè B. Marcus non contra praeceptum egit sibi digitum amputando: quamuis eum credibile sit hoc ex instinctu Spiritus Sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manum inijcere: qui autem votum emittit de non suscipiẽdo Episcopatum: si per hoc intẽdat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam superioris Praelati accipiat, illicitè vouet: si autem intendit adhoc se obligare, vt quantùm est de se Episcopatum nõ quaerat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum, quia vouet se facturum id, quod hominem facere decet. 2. 2. q. 185. a. 2. ad 3.

Quaritur an Papa possit pracipere alicui, vt Episcopatum accipiat.

6 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quod Papa non potest praecipere alicui, quòd accipiat Episcopatum, quia consensus debet esse liber: sed hoc posito periret Ecclesiasticus ordo: nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiae, Ecclesia conseruari non posset, cum quandoq; illi, qui sunt idonei hoc nollent suscipere, nisi coacti. 4. sent. d. 29. a. 4. ad 4.

Quaritur ad quid assumantur Episcopi.

7 Respondeo dicendum, quòd Episcopatus nomen operis est, non honoris, scopos quidẽ intentio est: si ergo Episcopũ: velimus latinè super intendere, possumus dicere, vt intelligat non se esse Episcopum, qui praeesse dilexerit, non prodesse: in actione enim non amandus est honor in hac vita, siue potentia, quoniam omnia vana sunt sub sole: sed opus ipsũ, quod per eundem honorem, vel potentiã fit. 2. 2. q. 185. a. 1. ad 1.

Quaritur qualis debeat esse vita Episcopi.

8 Respondeo dicendum, quòd qui in dignitate constitutus est, debet ad hoc intendere, vt talem se exhibeat, vt caeteros, & scientia, & Sanctitate praecellat: vndè Gregorius dicit in Pastorali, tantùm debet actionem populi actio transcendere Praesulis, quantùm distare solet à grege vita Pastoris. 2. 2. q. 185. a. 3. ad 2.

Quaritur ad quam vitam eligantur Episcopi.

9 Respondeo dicendum, quòd Praelati non sic transferuntur ad vitam actiuam, vt contemplatiuam deserant. 2. 2. q. 185. a. 2. ad 1.

Quaritur an oporteat eum, qui ad Episcopatũ assumitur esse caeteris meliorem.

10 Respondeo dicendum, quòd circa assumptionem alicuius ad Episcopatum aliquid considerãdum ex parte eius, qui assumitur, & aliquid ex parte eius, qui assumit: ex parte enim eius, qui assumit, vel eligendo, vel prouidendo requiritur quòd talem eligat, qui fideliter Diuina mysteria dispenset: quae quidẽ dispensari debent,

debent ad vtilitatem Ecclesiæ secundùm illud primæ Corinth. 14. ad ædificationẽ Ecclesiæ, quærite vt abundetis : non autem Diuina mysteria hominibus cõmittuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debẽt in futuro: & ideo ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo prouidere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secũdùm Charitatem; sed meliorem quo ad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiã & instruere, & defendere, & pacificè gubernare: vndè contra quosdam Hieronymus dicit, quòd quidã non quærunt in Ecclesia colomnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorũ sunt obsequijs deliniti, vel dediti, vel pro quibus maiorem quispiam rogauerit; & vt deteriora taceam, qui vt Clerici fierent, muneribus impetrarunt: hoc autem pertinet ad acceptionẽ personarũ, quæ in talibus est graue peccatũ: vndè super illud Iacobi 2. fratres mei nolite in personarũ acceptionem &c. dicit glosa Augustini, si hanc distantiam sedendi, vel stãdi ad honores Ecclesiasticos referamus, nõ est putandũ leue esse peccatum in personarum acceptione habere fidẽ Domini gloriæ; quis enim ferat eligi Diuitẽ ad sedẽ honoris Ecclesiæ cõtempto paupere instructiore, & sanctiore? ex parte autẽ eius, qui assumitur nõ requiritur, quòd reputet se alijs meliorẽ, hoc.n. esset superbũ, & præsumptuosũ, sed sufficit, quod nihil in se inueniat, per ꝙ illicitũ ei reddatur assumere Prælationis officiũ. 2. 2. q. 185. a. 3. ĩ corp.

Quæritur quid præcipuè attendi debet in eo, qui ad Episcopatum assumi debet.

11 Respondeo dicẽdum, quòd vbi alias inuenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipuè attendi debet in ipso eminentia diuinæ dilectionis. 2. 2. q. 185. a. 3. ad 1.

Quæritur an carentes vsu rationis possint assumi ad Episcopatum.

12 Respondeo dicendum, quòd quia ad Episcopatum, vbi in corpus mysticũ accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam Pastoralem: & ideo est etiam de necessitate consecrationis Episcopalis, quòd vsum rationis habeat. 4. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. in corp.

Episcopus.
Cap. I.

1 *Supra potestatem Sacerdotalem necesse est dari potestas Episcopalis.*
2 *Non Sacerdos non potest esse Episcopus.*
3 *Homo consecrandus in Episcopum debet habere annum trigessimum ætatis suæ.*
4 *Episcopus consecrandus est die Dominico.*
5 *Vnus Episcopus potest consecrare alium.*
6 *Episcopus in diebus festis dicit Pax vobis in prima salutatione.*
7 *Episcopus habet nouem ornamenta supra Sacerdotem.*
Quid significent illa nouem ornamenta.
8 *Episcopus potest punire aliquem, si in eius Diœcesi delinquat, quia ratione delicti efficitur superiore ius, etiã si sit exẽptus*
Non potest tamen punire aliquem, si delinquat in re exempta.
9 *Canones iniungunt Episcopo maiorem pœnam etiam plus debito, quàm alijs, & quare.*

Quæritur an sit necesse, quod sit Episcopus in Ecclesia.

1 Respondeo dicendum, quòd Sacerdos habet duos actus, vnum principalẽ scilicet consecrare verũ Corpus Christi: aliũ secundariũ scilicet præparare populum ad susceptionem huius Sacramenti: quantùm autem ad primum actũm, actus Sacerdotis non dependet ab

aliqua superiori potestate, nisi Diuina: sed quantùm ad secundùm dependet ab aliqua superiori potestate, & humana; omnis enim potestas quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdã ordinationibus dependet ab illa potestate, quæ illas ordinationes facit, Sacerdos autem non potest absoluere, & ligare, nisi præsupposita prælationis iurisdictione, qua sibi subduntur illi, quos absoluit, potest autem consecrare quamlibet materiam à Christo determinatam, nec aliud requiritur, quantùm est de necessitate Sacramenti: quãmuis ex quadam congruitate præsupponatur actus Episcopalis in consecratione Altaris, & vestium eius: & ita patet, quod oportet esse supra Sacerdotalem potestatem Episcopalem quantùm ad actu secundarium Sacerdotis, nõ autem quantùm ad primum. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an non Sacerdos possit consecrari in Episcopum.

2 Respondeo dicendum, quòd nullus potest recipere Episcopalem potestatẽ, nisi prius habeat Sacerdotalem. 4. sent. d. 24. q 3. a. 2.

Quæritur cuius ætatis debeat esse consecrandus in Episcopum.

3 Respondeo dicendum, quòd Episcopus debet consecrari in trigessimo anno. 4. sent. d. 25. in exposit. litteræ.

Quæritur quo die sit consecrandus Episcopus.

4 Respondeo dicendum, quòd Episcopi die Dominico consecrandi sunt. 4. sẽt. d. 25. in exposit. litteræ.

Quæritur an vnus Episcopus possit consecrare alium.

5 Respondeo dicendum, quòd potestas Sacerdotalis exceditur à potestate Papæ quasi à potestate eiusdẽ generis: & ideo omnem actum Hierarchium, quem potest facere Papa in ministratione Sacramentorum, potest facere Episcopus, potest facere Sacerdos in Sacramẽtorum collatione: & ideo quantùm ad ea, quæ sunt Episcopalis ordinis omnes Episcopi sunt æquales, & propter hoc quilibet alium potest consecrare. 4. sent. d. 24. q. 3. ar. 2. quæstiunc. 3. ad 3.

Quæritur quid debeat dicere Episcopus in diebus festis in prima salutauerit dum Missam celebrat.

6 Respondeo dicendum, quòd Episcopus celebrans in festis in prima salutatione dicit, Pax vobis, quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus, cuius personam repræsentat præcipuè Episcopus. 3. p. q. 83. a. 5. ad 6.

Quæritur quid significent vestes, quas Episcopi habent supra Sacerdotes.

7 Respondeo dicendum, quòd Episcopi addunt nouem ornamẽta supra Sacerdotes, quæ sunt Caligæ, sandalia, succintorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chirotecæ, anulus, baculus, quia nouem sunt, quæ supra Sacerdotem possunt, scilicet Clericos ordinare, Virgines benedicere, Basilicas dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chrisma conficere, vestes, & vasa consecrare. Vel per caligas significatur rectitudo gressuum, per sandalia, quæ pudes tegunt contemptus terrenorum, per succintorium, quo stola ligatur cum Alba amor honestatis, per tunicam perseuerantia, quia Ioseph tunicã talarẽ habuisse legitur, quasi descendentem vsq; ad talos, per quos significatur extremitas vitæ, per Dalmaticam largitas in operibus misericordiæ, per Chirotechas cautela in opere, per Mitrã scientia

tia vtriusq; testamenti: vndè & duo cornua habet, per baculum cura Pastoralis, qua debet colligere vagos, quod signat veruitas in capite baculi, & sustentare infirmos, quod significat ipse stipes baculi, sed pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi: vndè versus.

Collige sustenta, stimula vaga, morbida, lenta.

Per anulum Sacramenta fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo: ipsi enim sunt Ecclesiæ sponsi loco Christi. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 3. in corp.

Quæritur an Episcopus possit punire aliquem alterius Diœcesis, si in sua Diœcesi peccet.

8 Respondeo dicendum, quòd Episcopus in cuius Diœcesi aliquis deliquit efficitur superior eius ratione delicti, etiam si sit exemptus, nisi fortè delinquat in re aliqua exempta, puta administratione bonorum alicuius Monasterij exempti: sed si aliquis exemptus cõmittat furtum, vel homicidium, vel aliquid huiusmodi potest per ordinarium iustè condemnari. 2. 2 q. 67. a. 1. ad 3.

Quæritur quare Canones iniungunt Episcopis maiorem pœnam.

9 Respondeo dicendum, quòd Episcopus, vel Sacerdos cum maiori periculo suo, & aliorum peccat: & ideo solicitius retrahunt ipsum Canones à peccato, quàm alios, maiorem pœnam iniungendo secundùm quòd est in remedium: quamuis quandoq; non debeatur tanta ex debito: vndè & in purgatorio non tota ab eo exigitur. 4. sent. d. 20. a. 2. quæstiunc. 1. ad 3.

Ad quæ teneantur Episcopi. Cap. II.

1 *Ad quid maximè teneantur Episcopi.*

2 *Episcopi non tenentur ad hoc, vt sine proprio viuant.*

3 *Qua ratione Episcopi non debeant habere proprium.*

4 *Episcopi non obligantur ad distributionem propriorum bonorum, cum eorum sint Domini.*

In distributione tamen talium bonorum potest esse peccatum, & quo modo.

Episcopi sunt dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, & non Domini.

De redditibus Ecclesiæ vna portio debetur Episcopo, duæ dantur Fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus, vltima datur Clericis.

Episcopus retinens sibi partem erogandam pauperibus, vel Clericis, vel cultui Diuino applicandam peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, si tamen huiusmodi bona sint distincta.

Circa bona applicata vsui proprio potest esse peccatum, sicut & circa bona propria.

Si prædicta bona non sunt distincta eorum dispensatio committitur eius fidei.

Si in talium distributione deficiat, vel abundet in modico non erit contra bonam fidem.

Si autem sit multus excessus, peccat mortaliter.

5 *Episcopi possunt dare consanguineis de bonis vsui proprio applicatis, moderatè tamen.*

6 *In casu necessitatis bona omnia Ecclesiastica sunt danda pauperibus, & si non dat Clericus peccat, si tamen de patrimonio habeat ex quo viuat.*

7 *Ista necessitas relinquitur pensanda humanæ prudentiæ.*

8 *Possunt emi possessiones ex redditibus Ecclesiæ superflua, si tunc non adsit necessitas prouidendi pauperibus.*

Secus est, quando adest necessitas prouidendi pauperibus.

9 *Religiosus factus Episcopus tenetur ad obseruantias suæ Religionis in his, quæ non repugnant statui Episcopali, puta ad paupertatē, & Castitatē, & huiusmodi.*

Religiosus factus Episcopus tenetur portare habitum suæ Religionis.

Religiosus factus Episcopus non tenetur obseruare ea, quæ repugnant statui Episcopali.

10 *Religiosus factus Episcopus habet obligationem voti obedientiæ erga suos superiores virtualiter.*

Nullo modo potest habere proprium.

Testamentum facere non potest.

Quomodo intelligatur, quod ex concessione Papæ possit facere testamentum.

11 *Si post votum simplex Religionis aliquis sit factus Episcopus, consulendum est ei, vt Religionem intret omnibus dimissis.*

12 *Non licet Episcopo fugere propter persecutionem personalem vel propter commodum si salus subditorum exigit eius præsentiam.*

Si in eius absentia per alium prouideri potest saluti gregis, potest fugere propter periculum suum personale, vel aliquod commodum.

Quando commune est periculum subditi nō debent deseri ab Episcopo.

13 *Episcopus potest prouidere saluti proximorum non debet fieri Religiosus.*

Episcopus non valens prouidere saluti proximorum potest fieri Religiosus.

14 *Episcopus factus Religiosus propter impedimentum salutis proximorum procurandæ potest redire ad Episcopatū cessante impedimento.*

Si aliquis sit depositus ab Episcopatu, & in Monasterium intrusus non potest redire ad Episcopatum.

15 *Perfectio Episcopi consistit in hoc, vt proximorum saluti insistat.*

Non curam Pastoralem non debet deserere, quādiu proficere potest saluti proximorū.

De licentia Papę potest renunciare Episcopatui propter defectum conscientiæ, vel corporis, vel sciētiæ, vel irregularitatis, vel subditorum, vel ratione scandali orti de prælatione eius.

Si tamen scandalum oritur ex malicia subditorum volentium fidem, aut iustitiam conculcare Ecclesiæ, tunc Episcopatum non debet renunciare.

16 *Quæ Sacramenta dispensanda reseruentur Episcopis.*

17 *Vasa sacra ab Episcopo debent consecrari.*

Quæritur ad quid maximè teneantur Episcopi.

1 RESpondeo dicendum, quòd ad hoc maximè tenentur Episcopi, quòd omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo. 2.2.q.184.a.7.ad 1.

Quæritur an Episcopi teneantur ad hoc, vt sine proprio viuant.

2 Respondeo dicendum, quòd ad ea, quæ sunt super erogationis nullus tenetur, nisi se specialiter ad illud voto astringat: vndè Augustinus dicit in epistola ad Paulinam, & Armentarium, quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud sibi facere non licet; priusquam esses voti reus, liberum fuit quòd esses inferior: manifestum est autem, quod viuere absq; proprio, super erogationis est, non enim cadit sub præcepto, sed sub consilio: vndè Matthæi 16. cum dixisset Dominus adolescenti, si vis ad vitam ingredi, serua mandata, postea super addendo subdidit, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: non autem Episcopi in sua ordinatione se obligant, vt absque proprio viuant, neque etiam viuere absq;

absq; proprio ex necessitate requiritur ad pastorale officiũ, ad quod se obligant: & ideo non tenentur Episcopi adhoc, quòd sine proprio viuant. a.2.q.185. a.6. in corp.

Quęritur qua ratione Episcopi debeant non habere proprium.

3 Respondeo dicendum, quòd non debent, nec Episcopi, nec Clerici sic proprium possidere, vt dum curant propria, defectum faciant in his, quæ pertinent ad cultum Diuinum. 2, 2: q. 185. ar. 6. ad 3.

Quæritur an Episcopi peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant pauperibus non largiantur.

4 Respondeo dicendum, quòd aliter est dicendum de proprijs bonis, quę Episcopi possidere possunt, & de bonis Ecclesiasticis, nam propriorum bonorum dominium habent: vndè ex ipsa rerum conditione non obligantur, vt eas alijs conferant, sed possunt eas, vel sibi retinere, vel etiam alijs pro libito elargiri: possunt tamen in earum dispensatione peccare, vel propter inordinationem effectus; per quam contingit vel quòd sibi plura conferant, quàm oporteat, vel alijs etiam non subueniant, secundùm quòd requirit debitum Charitatis: non tamen tenentur ad restitutionem, quia huiusmodi res sunt eorum dominio deputatæ; sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores: dicit enim Augustinus ad Bonifacium: si priuatum possidemus, quod nobis sufficiat, non illa bona nostra sunt, sed illorum, quorum procurationem gerimus non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicemus: ad dispensatorem autem requiritur bona fides secundùm illud primæ ad Corinthios 4. hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: sunt autem bona Ecclesiastica non solum in vsus pauperum, sed etiam ad cultum Diuinum, & necessitatem ministrorum expendenda: vndè dicitur 12. q. 2. de redditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his vna portio mittitur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum pro futuræ à Presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima Clericis pro singulorum meritis diuidatur: si ergo distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cædere ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda; & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quę sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum Diuinum expendenda, non est dubiũ, quòd contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionẽ tenetur; de his autẽ, quæ sunt specialiter suo vsui deputata videtur esse eadem ratio, quæ est de proprijs bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum, & vsum peccet quidem; si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitũ Charitatis: si verò non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur: vt si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absq; bonæ fidei detrimento; quia nõ potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet: si verò sit multus excessus, non potest latere: vndè videtur bonæ fidei repugnare: & ideo nõ est absq; peccato mortali, dicitur enim Matthæi 24. quòd si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, quod pertinet ad Diuini iudicij contemptum, & cæperit percutere conseruos, quod pertinet ad superbiam, manducet autem, & bibat cum ebriosis, quod pertinet ad luxuriam, veniet

veniet Dominus serui illius die, qua non sperat,& diuidet eum scilicet à societate bonorum, & partem eius ponet cum hypocritis scilicet in inferno. 2.2.q. 185. a.7.in corp.

Quaritur de quibus bonis possint Episcopi prouidere consanguineis.

5 Respondeo dicendum,quòd si de eo, quod vsui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum velit aliquis sibi subtrahere,& consanguineis,vel alijs dare, non peccat,dummodo illud faciat moderatè,idest vt non indigeant,non autem ditiores indè fiant: vndè Ambrosius dicit in lib.de officijs. hæc est approbanda libertas,& proximos seminis tui ne despicias,si egere cognoscas: non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo,quod tu potes cóferre in opibus.2.2.q.185.a.7.ad 2.

Quaritur an omnia bona Ecclesiastica sint aliquando danda pauperibus.

6 Respondeo dicendum, quòd nó omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda,nisi fortè in articulo necessitatis,in quo etiam pro redemptione captiuorum,& alijs necessitatibus pauperum vasa cultui Diuino dicata distrahuntur, vt Ambrosius dicit: & in tali necessitate peccaret Clericus si vellet de rebus Ecclesiæ viuere, dummodo haberet patrimonialia bona,de quibus viuere possit. 2.2.q.185.a.7.ad 3.

Quaritur qua sit ista necessitas,qua obligat ad peccatum mortale.

7 Respondeo dicendum, quòd non potest determinari quando sit ista necessitas,quæ ad peccatum mortale obliget; sicut nec cætera particularia, quæ in humanis actibus considerantur: horũ enim determinatio relinquitur humanæ prudentiæ. 2. 2. q. 185. a.7.ad 1.

Quaritur quando ex bonis Ecclesiæ possint emi possessiones.

8 Respondeo dicendum, quòd bona Ecclesiarum vsibus pauperum deseruire debent: & ideo si quis necessitate non imminente prouidendi pauperibus de his,quæ superfluunt ex prouentibus Ecclesiæ,possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum vtilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperũ, laudabiliter facit: si verò necessitas immineat pauperibus erogandi,superflua cura est, & inordinata,vt aliquis in futurum conseruet, quod Dominus prohibet Matthæi 6. dicens,nolite solliciti esse in crastinum.2.2. q.185.a.7.ad 4.

Quaritur an Religiosus factus Episcopus teneatur ad obseruantias suæ Religionis.

9 Respondeo dicendum, quòd status Religionis ad perfectioné pertinet,quasi quædam via in perfectionem tendendi: status autem Episcopalis ad perfectioné pertinet tanquàm quoddam perfectionis magisterium: vndè status Religionis comparatur ad statum Episcopalé, sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem: dispositio autem non tollitur perfectione adueniente; nisi fortè quantùm ad id in quo perfectioni repugnat,quantùm autem ad id quod perfectioni congruit, magis confirmatur, sicut discipulo,cum ad magisterium peruenerit, non congruit quòd sit auditor: congruit tamen sibi,quod legat,& mediretur etiam magis, quàm ante: sic ergo dicendum est,quod si qua sunt in regularibus obseruantijs, quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia paupertas,& alia huiusmodi, ad hæc remanet Religiosus etiam factus

Episco-

Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum: si verò sunt in obseruantijs regularibus, quæ officio Pontificali repugnant: sicut est solitudo, silentium,& aliquæ abstinentiæ,vel vigiliæ graues, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale officium,ad huiusmodi obseruanda non tenetur, in alijs tamen potest dispensatione vti secundùm quòd requirit necessitas personæ,vel officij, vel conditio hominum,cum quibus viuit per modũ, quo etiam Prælati Religionum in talibus secum dispensant. 2.2.q. 185. a. 8. in corp. & q. 88.a.11.ad 4.

Quæritur an Religiosus factus Episcopus teneatur obedire Prælatis suæ Religionis: & an possit condere testamentum.

10 Respondeo dicendum,quòd est per accidens, quod Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarum Religionum non tenentur,quia scilicet subditi esse desierunt,sicut & ipsi Prelati Religionum:manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet quòd si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire tenentur, inquantùm obedire tenentur statutis regulæ per modum prędictum,& suis superioribus si quos habent: proprium autem nullo modo habere possunt,nõ enim paternam hæreditatem vendicant, quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam: vndè in Decreto dicitur:postquàm Episcopus ordinatur ad Altare,ad quod sanctificatur, quod aquirere potuit, restituat: testamentum autem nullo modo facere potest,quia sola ei dispensatio cõmittitur rerum Ecclesiasticarũ,quæ finitur morte, ex qua incipit testamentum valere,vt Apostolus dicit ad hæb 9. si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat,non intelligitur ex proprio facere testamentum,sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, vt eius dispensatio possit valere post mortem. 2.2.q.185.a. 8. ad 3.

Quæritur an si post votum simplex Religionis quis sit factus Episcopus, teneatur renunciare Episcopatui,& Religionem ingredi.

11 Respondeo dicendum,quòd in foro conscientiæ esset sibi consulendum,quòd omnibus dimissis Religionem intraret: vndè extra de voto,& voti redemptione cap.per tuas Consulitur Episcopo Garopolitano,qui post votum Religionis Episcopatum assumpserat voto non impleto,vt si suam saluare desideraret consciẽtiam, regimen Ecclesiæ resignaret, & redderet Altissimo vota sua. 2.2. q. 189. a.3.ad 1.

Quæritur an liceat Episcopis gregem suum deserere propter aliquam persecutionem.

12 Respondeo dicendum,quòd in qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis; obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutẽ: & ideo vbi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam,non debet Pastor personaliter suum gregẽ deserere,neq; propter aliquod commodum temporale,neq; etiam propter aliquod personale periculum imminens,cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis: si verò subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris, per alium prouideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ,vel personæ periculum corporaliter gregem deserere: vndè Augustinus dicit in Epistola ad Honoratũ, fugiant de Ciuitate in Ciuitatem serui Christi, quando eorũ quis quam specialiter à persecutoribus quæritur,vt ab alijs, qui non ita quæruntur,

non deseratur Ecclesia: cùm autem omnium est commune periculū, hi, qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus indigent: si enim perniciosum est nautā in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus, vt dicit Nicolaus Papa, & habetur. 7. q. 1. 2. 2. q. 185. a. 5. in corp.

Quaritur an Episcopus possit transire ad Religionem.

13 Respondeo dicendum, quòd quia ad perfectionem Religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriā salutem: ad perfectionem autem Episcopalis status pertinet adhibere studium ad proximorū salutē: & ideo quamdiu potest esse aliquis vtilis proximorum saluti retrocederet, si ad statū Religionis vellet transire, vt solū suę saluti insisteret, qui se obligauit adhoc, quòd non solum suā salutē, sed etiam aliorum procuraret; vndè Innocētius tertius dicit in decretali prędicta, quod facilius indulgetur, vt Monachus ad præsulatum ascendat, quàm Pręsul ad Monachatum descendat; sed si salutem aliorum procurare non possit, cōueniens est, vt suæ saluti intendat. 2. 2. q. 185. a. 4. ad 1.

Quęritur an Episcopus factus Religiosus possit iterum ad Episcopatum transire.

14 Respondeo dicēdum, quòd propter nullum impedimentum debet homo prętermittere studium suę salutis, quod pertinet ad Religionis statum: potest autem esse aliquod impedimentum procurandę salutis alienæ: & ideò Monachus potest ad statum Episcopatus assumi, in quo etiam suæ salutis curam agere potest; potest etiam Episcopus, si impedimentum alienæ salutis procurandæ interueniat ad Religionem transire, & impedimento cessante potest iterato ad Episcopatum assumi, puta per correctionem subditorum, vel per sedationem scandali, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorantia, per instructionem sufficientem, vel etiam si simoniacè sit promotus eo ignorante: si se ad regularem vitam Episcopatu dimisso transtulerit, poterit iterato ad alium Episcopatum promoueri: si verò aliquis propter culpam sit ab Episcopatu depositus, & in Monasterium detrusus ad pænitentiam peragendam, nō potest iterato ad Episcopatum reuocari: vndè dicitur. 7. q. 1. præcipit Sancta Synodus, vt quicunq; de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pænitentiæ descenderit locum, nequaquam ad Pontificatum resurgat. 2. 2. quæst. 185. ar. 4. ad 2.

Quaritur quibus de causis possit Episcopus deserere curam Pastoralem, & fieri Religiosus, & cuius auctoritate.

15 Respondeo dicendum, quòd perfectio Episcopalis status in hoc consistit, quòd aliquis ex diuina dilectione se obliget adhoc, quod saluti proximorum insistat: & ideo tamdiu obligatur adhoc, quod curam Pastoralem retineat, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem, quam quidem negligere non debet, neq; propter Diuinæ contemplationis quietem, cum Apostolus propter necessitates subditorum etiā à contemplatione futuræ vitæ se differri patienter toleraret secundùm illud ad philipenses primò, ecce quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multo magis melius, permanere autem in carne necessarium est propter vos, & hoc confidens scio, quia manebo; neq; propter quæcunq; aduersa vitanda, vel lucra conquirenda: quia sicut dicitur Ioannis 10. bonus Pastor

ponit

ponit animam suam pro ouibus suis; cótingit tamen quandoq; quod Episcopus impeditur procurare subditorum salutem multipliciter, quandoq; quidem propter defectum propriũ conscientiæ: si sit homicida, vel simoniacus; vel etiam corporis, puta si sit senex, vel infirmus; vel etiam scientiæ, quæ sufficiat ad curam regiminis; vel etiam irregularitatis: puta si sit bigamus; quandoq; autem propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere: vndè Gregorius dicit in 2 Dialogorum, ibi æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur boni, vbi autem omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor superuacaneus: vndè sæpi agitur in animo perfectorum, quòd cum laborem locum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant; quandoq; autem contingit ex parte aliorum, puta cum de Prælatione alicuius graue scandalum suscitatur, nam vt Apostolus dicit primæ ad Corinthios 8. si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, dum tamen scãdalum non oriatur ex malitia aliquorum volentium fidem, aut iustitiam Ecclesiæ conculcare: propter enim huiusmodi scandalum non est cura Pastoralis dimittenda secundùm illud Matthæi 15. sinite illos, scilicet qui scandalizabantur de veritate Doctrinæ Christi, cæci sunt, & Duces cæcorum: oportet tamen, quod sicut curam regiminis assumit aliquis per prouidentiam superioris Prælati, ita etiam per eius auctoritatem ex causis prædictis deserat susceptam: vndè extra de renunciatione dicit Innocentius tertius, si pennas habeat, quibus satagas in solitudinem auolare, ita tamen astrictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absq; nostra permissione volatum: soli enim Papæ licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum astrinxit Episcopatum suscipiens. 2.2.q.185.ar. 4. in corp.

Quæritur an Episcopus, qui renunciauit loco, & non officio, possit conferre Ordines.

Respondeo dicẽdum sicut verbo, Ordo. cap.3.q.5.

Quæritur quorum Sacramentorum dispensatio pertineat ad solum Episcopum.

16 Respondeo dicendum, quòd secundum Dionysium Episcopus propriè habet perficiendi officium, sicut Sacerdos illuminandi: vndè illa Sacramenta dispensanda solis Episcopis reseruantur, quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis ponunt. 4. sent.d.23.q.2.a.1.quæstiunc.3.in corp.

Quæritur an solus Episcopus possit conferre Ordines.

Respondeo dicẽdum sicut verbo. Ordo. cap.3.q.2.

Quæritur an vasa sacra debeant consecrari ab Episcopo.

17 Respondeo dicendum, quòd vasa, quibus ordinati vti debent, consecrarum ab Episcopo. 4. sent.d.25.q. 1. a. 1. in corp.

ERROR.

1 *Quid sit error.*
Differentia inter errantem, & ignorantem.
Error est peccatum.
2 *Quando error excuset, vel non excuset à peccato.*

Quæ-

Quæritur an error sit peccatum.

1 Respondeo dicẽdum, quòd error est approbare falsa pro veris: vndè addit actum quemdam super ignorantiam, potest enim esse ignorantia sine hoc, quod aliquis de ignotis sententiam ferat, & tunc ignorans est, & non errans, sed quando iam falsam sententiam fert de his, quæ nescit, tunc propriè dicitur errare, & quia peccatum in actu cõsistit, error manifestè habet rationem peccati, non enim est absq; præsumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferrat, & maximè in quibus periculum existit. q. 3. de malo. a. 7. in corp.

Quęritur an error excuset à peccato.

2 Respondeo dicendum, quòd error non excusat à peccato, nisi sit illius circunstantiæ, cuius oppositio, vel remotio facit differẽtiam liciti, & illiciti in actu: si enim aliquis percutiat patrem baculo ferreo, quem credit ligneum esse, non excusatur à toto, quàmuis fortè à tanto: sed si credat quis percutere filium causa disciplinæ, & percutiat patrem, excusatur à toto diligentia debita adhibita. 4. sent. d. 30. q. 1. a. 2. in corp.

Quęritur an audientes diuersos Magistros tenentes diuersas opiniones excusentur à peccato erroris, in quem incurrunt ex hoc, quod sequuntur opinionẽ suorum Magistrorum.

Respondeo dicendum sicut verbo Hęresis. q. 14.

ERVBESCENTIA.

Quæritur quid sit erubescentia, & in quo differat à verecundia.

Respondeo dicendum, quòd si turpitudo timeatur in actu committendo, est erubescentia: si autem sit de turpi iam facto, est verecundia. p. 2. q. 4. ar. 4. in corp.

EVANGELIVM.

1 *Oportuit hominem instrui Euangelica doctrina.*
2 *Ad quę pertineat proponere populo Euãgelicam doctrinam.*
3 *Euangelica verba habent virtutem salutiferam.*

Quęritur an oportuerit homines instrui Euãgelica doctrina.

1 Respondeo dicendum, quòd doctrina Euangelica est doctrina perfectionis: & ideo oportuit, quòd in ipsa perfectè instrueretur homo de omnibus, quæ pertinent ad rectitudinem vitæ, siue sint fines, siue sint ea, quæ sunt ad finem. 2. 2. q. 56. a. 1. ad 2.

Quęritur ad quos pertineat proponere populo doctrinam Euangelicam.

2 Respondeo dicendum, quòd Diaconibus committitur Euangelica doctrina populo proponenda. 4. contra Gentes cap. 75.

Quęritur an verba Euangelij habeant virtutẽ aliquam.

3 Respondeo dicendum, quòd verba Euangelij scripta virtutem salutiferam habent, sicut Beatus Barnabas infirmos curabat Euangelium superponẽdo. Ecc. 6. cap. 1. ad Romanos.

EVBVLIA.

1 *Quid sit Eubulia.*
2 *In peccatore non reperitur Eubulia.*
In homine virtuoso est Eubulia in his, quę ordi-

ordinantur ad finem virtutis.
Contingit tamen in aliquibus negotijs non eſſe conſiliatiuum.

Quæritur quid ſit Eubulia.

1 RESpondeo dicendum, quòd Eubulia eſt virtus, quæ eſt benè cõſiliatiua. p.2.q.57.a.6.in corp.

Quæritur an Eubulia reperiatur in peccatore.

2 Reſpondeo dicendum, quòd in nullo peccatore inquantùm huiuſmodi inuenitur Eubulia: omne enim peccatũ eſt contra bonam conſiliationẽ: requiritur enim ad benè conſiliandum non ſolum adinuentio, vel excogitatio eorum, quæ ſunt opportuna ad finem, ſed etiam aliæ circunſtantiæ ſcilicet tempus congruum, vt nec nimis tardus, nec nimis velox ſit in conſilijs, & modus conſiliandi, vt ſcilicet ſit firmus in ſuo conſilio, & aliæ huiuſmodi debitæ circunſtantiæ, quæ peccatores peccando non obſeruant: quilibet autem virtuoſus eſt benè cõſiliatiuus in his, quæ ordinantur ad finem virtutis, licet fortè in aliquibus particularibus negocijs non ſit benè conſiliatiuus, puta in mercationibus, vel in rebus bellicis, vel in aliquo huiuſmodi. 2.2.q.51.a.1.ad 3.

EVCHARESTIA.

De neceſſitate Euchareſtiæ. Cap. I.

1 *Sacramentum Euchareſtię dicitur Sacrificium, Communio, Viaticum Euchareſtia ratione diuerſorum.*
Euchareſtia dicitur bona Gratia.
2 *Si homo non peccaret, indigeret Euchareſtia.*
3 *Euchareſtia de neceſſitate ſalutis quomodo ſit.*

Quęritur de multiplici nomine Euchareſtię.

1 RESpondeo dicendum, quòd Sacramentum Euchareſtiæ habet triplicem ſignificationem: vnam quidem reſpectu pręteriti, inquantùm ſcilicet eſt commemoratiuum Dominicæ Paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium; & ſecundùm hoc nominatur ſacrificium: aliam autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis ſcilicet Eccleſiaſticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramẽtum; & ſecundùm hoc nominatur Communio, quia communicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus eius carne, & Deitate, quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipſam: tertiã ſignificationem habet reſpectu futuri inquãtùm ſcilicet hoc Sacramentum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei, quę erit in Patria; & ſecundùm hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi; & ſecundùm hoc etiam dicitur Euchareſtia, ideſt bona gratia, quia Gratia Dei vita æterna, vt dicitur Romanorum 6. vel quia realiter continet Chriſtũ, qui eſt plenus gratia: dicitur etiam in græco Metalepſis, ideſt aſſumptio. quia vt Damaſcenus dicit per hoc filij Deitatem aſſumimus. 3.p.q.73.a.4.in corp.

Quęritur an homo indigeret Euchareſtia, ſi non peccaret.

2 Reſpondeo dicendum, quòd niſi homo peccaret actualiter pænitentia non indigeret; indigeret tamen Baptiſmo, & Confirmatione, & Euchareſtia: ſicut & in vita corporali nõ indigeret homo medicatione, niſi infirmaretur: indigeret autẽ homo per ſe ad vitam generatione, augmẽto, & nutrimẽto. 3.p.q.84.a.6.in corp.

Quęritur an Euchareſtia ſit de neceſſitate ſalutis.

3 Reſpondeo dicendum, quòd in hoc

Sacra-

Sacramento duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, & rem Sacramenti: res autem huius Sacramenti eſt vnitus corporis miſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus: nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluuio ſine arca Noe, quæ ſignificat Eccleſiam, vt habetur primæ Petri 3. res autem alicuius Sacramenti haberi poteſt ante perceptionem Sacramenti ex ipſo voto Sacramenti percipiendi: vndè ante perceptionem huius Sacramenti poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, ſicut & ante Baptiſmum ex voto Baptiſmi: eſt tamen differentia quantùm ad duo: primò quidem quia Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & Ianua Sacramentorum, Euchareſtia verò eſt quaſi contumatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis: per ſanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad ſuſcipiendam, vel conſecrandam Euchareſtiam: & ideo perceptio Baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam: perceptio autem Euchareſtiæ eſt neceſſaria ad conſumandam ipſam, non adhoc quòd ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio & intentione: alia differentia eſt, quia per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchareſtiam: & ideo ex hoc ipſo, quòd pueri Baptizantur ordinãtur per Eccleſiam ad Euchareſtiam, & ſicut ex fide Eccleſiæ credunt: ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchareſtiam, & per conſequẽs recipiunt rem ipſius: ſed ad Baptiſmum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum: & ideo ante ſuſceptionem Baptiſmi nõ habent pueri aliquo modo Baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti: vndè rem Sacramenti nõ poſſunt percipere ſine perceptione Sacramenti: & ideo hoc Sacramentum non hoc modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut Baptiſmus 3. P. q. 73. a. 3. in corp.

De materia Euchareſtiæ. Cap. II.

1 *Panis, & vinũ ſunt materia Euchareſtiæ.*
2 *Panis triticeus eſt propria materia Euchareſtiæ.*
3 *Panis azimus eſt materia Euchareſtiæ. Poteſt tamen etiam eſſe fermentatus.*
Peccat Sacerdos latinus celebrans in fermentato in Eccleſia latina.
Peccat Sacerdos Græcus celebrans in azima in Eccleſia Græca.
Rationabilius eſt celebrare in azimo.
4 *Celebrantes in azimo non Iudaizant.*
5 *Quando ex fermentato nõ conficiatur Euchareſtia propter fermentati corruptionẽ*
6 *Quid faciendum in locis, in quibus non eſt triticum, nec vinum.*
7 *Panis ordeaceus non eſt materia Euchareſtiæ.*
8 *Siligo poteſt eſſe materia Euchariſtiæ.*
Ordeum, ſpelta far, non poſſunt eſſe materia Euchareſtiæ.
9 *Corpus Chriſti nõ poteſt fieri ex Amydo.*
10 *Quando tritico eſt pauca admixtio alterius rei, tunc ex tali materia conficitur Corpus Chriſti.*
Secus autem ſi ſit magna commixtio, vt ſpeciem ſoluat.
11 *Poteſt conſecrari magna quantitas panis, & vini.*
12 *Qui non habet panem, & vinum, non conſecret in vna ſpecie tantum.*
Si conſecraret, eſſet Sacramentum, ſed peccaret grauiter.
13 *De ſolo vino vitis conficitur hoc Sacramentum.*
14 *De vino malorum granatorum, vel mororum non poteſt confici ſanguis Chriſti.*
15 *Quid faciendum in terris, in quibus non creſcunt vites.*
16 *Quid faciendum, quando vinum nocet alicui.*
17 *De aceto non conficitur ſanguis Chriſti.*
De vino aceſcente poteſt fieri.

18 De

18 *De agreſta non conficitur ſanguis Christi.*
De muſto poteſt confici.
Vua integra non ſunt miſcenda huic Sacramento.
Muſtum debet prius purificari,
In neceſſitatis caſu poteſt confici Sacramentum in muſto ſtatim expreſſo.
19 *Vino conſecrando debet miſceri aqua.*
20 *Appoſitio aqua non eſt de neceſſitate Sacramenti.*
21 *Aqua offertur vino permixta.*
22 *Quantùm ad neceſſitatem Sacramenti non refert quod ponatur quacunq; aqua, ſiue naturalis, ſiue artificialis.*
Peccat tamen ſi vtitur alia aqua, quàm naturali.
23 *Parum de aqua debet poni in vino.*
Si tanta aqua poneretur, vt ſoluatur ſpecies vini, non conficitur Sacramentum.
24 *Sufficit quòd aqua ſentiatur, dum vino immiſcetur.*
25 *Non ſufficit apponere aquam in Dolio.*
26 *Si fiat tanta permixtio liquoris in vino conſecrato, vt liquor tranſeat ad omnes partes, & fiat aliquod mixtum tertium, deſinit eſſe ſanguis Christi.*
Si vero permixtio in vna parte tantùm ſit deſinit eſſe ſanguis Christi in illa parte, in alijs autem erit.

Quaritur an panis, & vinum ſint materia Euchareſtia.

1 RESpondeo dicendum, quòd circa materiam huius Sacraměti aliqui multipliciter errauerũt, quidã enim, qui dicuntur Artotiritæ, (vt Auguſtinus dicit in lib. de hæreſibus,) offerunt panẽ, & caſeum in hoc Sacramento dicentes, à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ouium fuiſſe celebratas: alij verò ſcilicet Cataphrigę, & Pepuziani de infantis ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent quaſi Euchareſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes cum farinę, panemq; facientes: quidam verò, qui dicuntur Aquarij aquam ſolam ſub ſpecie ſobrietatis in hoc Sacramento offerunt; omnes autem hi errores, & ſimiles excluduntur per hoc, quòd Chriſtus hoc Sacramentum ſub ſpice panis, & vini inſtituit, vt patet Matthæi 26. vndè panis, & vinum ſunt materia conueniens huiuſmodi Sacramenti, & hoc rationabiliter: primò quidem quantùm ad vſum huius Sacramenti, qui eſt mãducatio, ſicut enim aqua aſſumitur in Sacraměto Baptiſmi ad vſũ ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio cõmuniter fit in aqua, ita panis, & vinũ, quibus communius homines reficiuntur aſſumuntur in hoc Sacramento ad vſum ſpiritualis manducationis: ſecũdò quantùm ad Paſſionem Chriſti, in qua ſanguis eſt à corpore ſeparatus: & ideo in hoc Sacramento, quod eſt memoriale Dominicæ Paſſionis ſeorſum ſumitur panis, vt Sacramentum Corporis, & vinum, vt Sacramentum Sanguinis: tertiò quantùm ad effectũ conſideratũ in vno quoq; ſuměntium, quia vt Ambroſius dicit ſuper Epiſtolam primam ad Corinthios hoc Sacraměntum valet ad refectionẽ animę, & corporis: & ideo Corpus Chriſti ſub ſpecie panis pro ſalute corporis, ſanguis vero ſub ſpecie vini pro ſalute animæ offertur, ſicut dicitur leuitici 17. quòd anima carnis in ſanguine eſt: quartò quantùm ad effectum reſpectu totius Eccleſię, quæ conſtituitur ex diuerſis fidelibus, ſicut panis conficitur ex diuerſis granis, & vinum fluit ex diuerſis vuis, vt dicit gloſa ſuper illud primæ Corinth. 10. multi vnum corpus ſumus &c. 3. p. q. 74. ar. 1. in corp.

Quaritur an ad materiam Euchariſtia requiratur, quod ſit panis triticeus.

2 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt ad vſum Sacramentorũ aſſumitur talis materia, quæ communius apud

homines

homines in talem vſum venit: inter alios autem panes communius homines vtuntur pane triticeo: nam alij panes videntur eſſe introducti in huius panis defectum: & ideo Chriſtus creditur in huius panis ſpecie hoc Sacramentum habuiſſe, qui etiam panis magis confortat hominem; & ita conuenientius ſignificat effectum huius Sacramenti: & ideo propria materia huius Sacramenti eſt panis triticeus. 3.p.q.74.a.3.in corp.

Quæritur an Euchareſtia debeat confici ex pane azimo.

3 Reſpondeo dicendũ, quòd circa materiã huius Sacramenti duo poſſunt conſiderari; ſcilicet quid ſit neceſſarium, & quid conueniens; neceſſarium quidem eſt, vt ſit panis triticeus, ſicut dictum eſt, ſine quo non perficitur Sacramentum: nõ eſt autem de neceſſitate Sacramẽti, quòd ſit azimus, vel fermentatus in vno quoq; confici poteſt: conueniens autem eſt, vt vnuſquiſq; ſeruet ritum ſuæ Eccleſiæ in Sacramenti celebratione: ſuper hoc autem ſunt diuerſæ Eccleſiarum conſuetudines: dicit enim B. Gregori᾽ in regiſtro; Romana Eccleſia offert azimos panes propterea quòd Dominus ſine vlla commiſſione ſuſcepit carnem; ſed certæ Eccleſię offerunt fermentatum pro eo quòd verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ: vndè ſicut peccat Presbyter in Eccleſia latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azimo, quaſi peruertens Eccleſiæ ſuæ ritum: & tamen conſuetudo de pane azimo celebrandi rationabilior eſt: primò quidem propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramẽtum inſtituit prima die azimorũ, vt habetur Matthæi 26. & Marci 14. & Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus iudæorum eſſe debebat, vt habetur exodi 12. ſecundò quia panis eſt propriè Sacramẽtum corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt, magis quàm Diuinitatis ipſius: tertiò quia hoc magis competit ſinceritati fidelium, quę requiritur ad vſum huius Sacramenti ſecundũ illud primæ Corinth. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaq; epulemur in azimis ſinceritatis, & veritais; tamen hæc conſuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter ſignificationem, quam tangit Gregorius in deteſtationem hęreſis Nazareorum, qui legalia Euangelio miſcebant. 3.p.q.74.a.4.in corp.

Quæritur an celebrantes in azimo poſſint dici iudaizare.

4 Reſpondeo dicendum, quòd conficientes in azimo non intendunt cęremonias legis ſeruare, ſed conformare ſe inſtitutioni Chriſti: & ideo non iudaizant, alioquin & celebrantes in pane fermentato iudaizarent, quia Iudæi panes primitiarum fermentatos offerebant. 3.p.q. 74.a.4.ad 2.

Quęritur quando ex pane fermentato non conficiatur Euchareſtia.

5 Reſpondeo dicẽdum, quòd quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum, vt dictum eſt, poſſet eſſe tanta corruptio fermenti, quòd ex eo nõ poſſet confici Sacramentum. 3.p.q 74.a. 4. ad 4.

Quæritur quid agendum in locis, in quibus nõ naſcitur triticum, vel vinum.

6 Reſpondeo dicendũ, quòd licet nõ in omnibus terris naſcatur triticum, vel vinum, tamẽ de facili ad omnes terras deferri poteſt, quantùm ſufficit ad vſũ huius Sacramenti, nec propter defectum alterius,

alterius, eſt vnum tantum ſine altero conſecrandum, quia non eſſet perfectum Sacramentum. 3.p q.74.a.1.ad 2.

Quæritur an poſſit confici Euchareſtia ex ordeaceo pane.

7 Reſpondeo dicendum, quòd hoc Sacramentum pertinet ad ſuaue iugũ Chriſti, & ad veritatem iam manifeſtam, & ad populum ſpiritualem: vndè nõ eſſet materia conueniens huius Sacramenti panis ordeaceus, qui competit ad ſignificandã duritiem veteris legis propter duritiem panis: tum etiam quia vt Auguſtinus dicit in lib.83. quæſtionum, ordei medulla, quæ tenaciſſima palea tegitur, vel ipſam legem ſignificat, quæ iam data erat, vt in ea vitale animæ alimẽtum corporalibus Sacramentis obtegeretur, vel ipſum populum nundum expoliatum carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi eius inhærebat. 3.p.q 74.a 3. ad 1. [4. ſent. d. 11.q.2 a.2.quæſtiunc.1.in corp.

Quæritur an Euchareſtia poſſit confici ex ſiligine ordeo ſpelta farre.

8 Reſpondeo dicendum, quòd ſi qua frumenta ſunt quæ ex ſemine tritici generari poſſunt, ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris, naſcitur ſiligo, & tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia huius Sacramenti, quod tamen non videtur habere locum, neq; in ordeo, neq; in ſpelta, neq; etiam in farre, quod inter omnia eſt grano tritici ſimilius: ſimilitudo autem figuræ in talibus magis videtur ſignificare propinquitatem, quã idoneitatem ſpeciei, ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quod canis & lepus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem eiuſdem: vndè ex talibus frumentis, quę nullo modo poſſunt ex ſemine tritici generari non poteſt confici panis, qui ſit debita materia huius Sacramenti. 3. p. quæſt. 74. a. 3. ad 2.

Quæritur an Euchareſtia poſſit confici ex Amydo.

9 Reſpondeo dicendum, quòd aliquãdo eſt tanta corruptio panis, quòd ſoluitur ſpecies panis, ſicut cum continuitas ſoluitur, & ſapor, & color, & alia accidentia mutantur: vndè ex tali materia non poteſt confici Corpus Chriſti: aliquando verò non eſt tanta corruptio, quæ ſpeciẽ ſoluat, ſed eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio ſaporis, & ex tali pane poteſt cõfici corpus Chriſti, ſed peccat conficiens propter irreuerentiã Sacramenti: & quia Amydum eſt ex tritico corrupto, non videtur, quòd panis ex eo confectus poſſit fieri Corpus Chriſti, quamuis quidam contrarium dicant. 3. p.q.74.a.3.ad 4.

Quæritur quæ admixtio alterius grani cum tritico faciat indebitam materiam.

10 Reſpondeo dicendum, quòd modica permixtio non ſoluit ſpeciem, quia id, quod eſt modicum quodammodo aſſumitur à plurimo: ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorẽ quãtitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia huius Sacramenti: ſi verò ſit magna permiſtio (puta ex ęquo, vel quaſi) talis permiſtio ſpeciẽ mutat: vndè panis exinde confectus non erit debita materia huius Sacramenti. 3. p. q. 74.a.3.ad 3.

Quæritur an requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam Euchareſtiæ.

11 Reſpondeo dicendum, quòd quidã dixerunt, quod Sacerdos non poſſet conſecrare immenſam quantitatem panis, aut vini, puta totum panem, qui venditur in foro,

in foro,aut totum vinum, quod eſt in dolio:ſed hoc non videtur eſſe verum : quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ ſumitur ex ordine ad finem,ſicut materia ſerræ eſt ferrum,vt ſit apta ſectioni;finis autem huius Sacramenti eſt vſus fidelium: vndè oportet,quòd quantitas materiæ huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vſum fideliũ,qui nunc occurrunt,alioquin Sacerdos paucos Parochianos habẽs non poſſet conſecrare multas hoſtias : vndè relinquitur,quòd materia huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vſum fidelium abſolutè; numerus autem fidelium eſt indeterminatus · vndè non poteſt dici,quòd quantitas materiæ huius Sacramenti ſit determinata. 3.p.q. 74.a.2.in corp.

Quæritur an poſſit cõſecrari Panis abſq; vino.

12 Reſpondeo dicendum, quòd quamuis conſecratio panis non dependeat à conſecratione vini, quod quidam poſuerunt; tamen potius deberet deſiſtere,qui non haberet vtrumque, quàm conficere præter morem Eccleſiæ in vna tantũ ſpecie;quamuis etiam ſi in vna tantum conſecraret,conſecratum eſſet, peccaret autem grauiter, niſi poſt conſecrationem Corporis,ante conſecrationem ſanguinis occideretur,vel alias præter culpam ſuã impediretur, 4.ſent.d.11. q. 2. a. 1. quæſtiunc.1.ad 4.

Quæritur an vinum vitis ſit propria materia huius Sacramenti.

13 Reſpondeo dicendum,quòd de ſolo vino vitis poteſt confici hoc Sacramentũ: primo quidem propter inſtitutionẽ Chriſti,qui in vino vitis hoc Sacramentum inſtituit, vt patet , ex eo , quod ipſe dicit Matthæi 26.circa inſtitutionem huius Sacramenti non bibam modo de hoc genimine vitis: ſecundò quia ſicut dictum eſt ad materiam Sacramentorum aſſumitur id, quod propriè, & communiter habet talem ſpeciem; propriè autem vinum dicitur,quod de vite ſumitur, alij vero liquores vinum dicuntur ſecundùm quandam ſimilitudinem ad vinum vitis : tertiò quia vinum vitis magis competit ad effectum huius Sacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia,quia ſcriptum eſt, quod vinum lætificat cor hominis.3.p. q. 74. a. 5. in corp. 4.ſent.d.11.q. 2. a. 3. quæſtiunc. 3. in corp.

Quæritur an ex vino malorum granatorum, vel ex liquore mororum &c. poſſit confici Euchareſtia.

14 Reſpondeo dicendum, quòd liquores malorum granatorum , vel mororum, aut huiuſmodi non dicuntur propriè vinum,ſed ſecũdùm ſimilitudinem: & ideo ex illis non poteſt confici Euchareſtia. 3. p.q.74.a.5.ad 1.

Quæritur quid agendum in locis, in quibus non creſcunt vites.

15 Reſpondeo dicendum , quòd poteſt verum vinum ad terras illas deferri , in quibus vites non creſcunt , quantùm ſufficit ad hoc Sacramentum. 3. p. q. 74. ar. 5. ad 2.

Quæritur quid faciendum,quando vinum nocet alicui.

16 Reſpondeo dicendum, quòd vinum in modica quantitate ſumptũ non poteſt multum ægrotanti nocere;& tamen ſi nocumentum timeatur,nõ eſt neceſſe, quòd omnes accipientes Corpus Chriſti,etiam accipiant ſanguinem, 3.p.q.74.a.1.ad 3.

Quæritur an ex aceto poſſit cõfici Euchareſtia.

17 Reſpondeo dicendum, quòd vinum ſit

fit acetum per corruptionem: vndè non fit reditus de aceto in vinum, vt dicitur 8. Metaph. & ideo ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum; ita nec de aceto, poteſt tamen confici de vino aceſcenti, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem, licet peccet conficiens. 3. p. q. 74. a. 5. ad 2.

Quæritur an ex agreſta, & muſto poſſit confici ſanguis Christi.

18 Reſpondeo dicēdum, quòd agreſta eſt in via generationis: & ideo nondum habet ſpeciem vini: & propter hoc de ea nō poteſt confici hoc Sacramentum; muſtum autem iam habet ſpeciem vini: nam eius dulcedo atteſtatur digeſtioni, quæ eſt completio à naturali calore, vt dicitur in 4. Meteo. & ideo de muſto poteſt confici hoc Sacramentum; non tamē debent vuæ integræ huic Sacramēto miſceri; quia iam eſſet ibi aliquid pręter vinū; prohibetur etiam ne muſtum ſtatim expreſſum de vua in calice offeratur: quia hoc eſt impertinens propter in puritatē muſti: poteſt tamen in neceſſitate fieri, dicitur enim à Iulio Papa, ſi neceſſe fuerit botrus in calicem præmatur. 3. p. q. 74 a. 5. ad 3. [4. ſent. d. 11. q. 2. a. 3. quæſtiunc. 3. in corp.

Quæritur an vino conſecrando debeat immiſceri aqua.

19 Reſpondeo dicendum, quòd vino, quod offertur in hoc Sacramento debet aqua miſceri: primò quidem propter inſtitutionem, probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundùm morem illius terræ: vndè, & Prouerb. 9. dicitur bibite vinum, quod miſcui vobis: ſecundò quia hoc conuenit repræſentationi Dominicę Paſſionis: vndè dicit Alexander Papa, non debet in calice Domini, aut vinū ſolum, aut aqua ſolum offerri, ſed vtrumq; permixtum: quia vtrumq; ex latere eius in paſſione ſua profluiſſe legitur: tertiò quia hoc cōuenit ad ſignificandum effectum huius Sacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum: quia vt Iulius Papa dicit, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti: ergo cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur: quartò quia hoc competit ad vltimum effectum huius Sacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam: vndè Ambroſius dicit in lib. de Sacramentis, reddundat aqua in calicem, & bibit in vitam ęternam. 3. p. q. 74. a. 6. in corp.

Quæritur an appoſitio aquæ ſit de neceſſitate Sacramenti.

20 Reſpondeo dicendum, quòd Appoſitio aquæ ad vinum refertur ad ſignificandam participationem huius Sacramenti à fidelibus, quantùm adhoc, quòd per aquam mixtam vino ſignificatur populus adunatus Chriſto, vt dictum eſt: ſed hoc ipſum, quòd de latere Chriſti pendentis in Cruce aqua profluxit, ad idem refertur; quia per aquam ſignificatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per Paſſionem Chriſti: hoc autem Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ, vſus autem fidelium non eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed eſt aliquid conſequens ad Sacramentum; & ideo cōſequens eſt, quod appoſitio aquæ non ſit de neceſſitate Sacramenti. 3. p. q. 74. a. 7. in corp.

Quæritur quare aqua non offeratur niſi vino permixta.

21 Reſpondeo dicendum, quòd aqua nō ſeorſum offertur à vino in Sacramēto,

sicut vinum offertur seorsum à pane: sed aqua offertur vino permixta, vt ostendatur, quòd vinum per se pertinet ad hoc Sacramentum tanquam de eius necessitate existés: aqua autem secundùm quòd adiungitur vino. 3. p. q. 74. a. 7. ad 2.

Quaritur qua aqua possit apponi vino.

22 Respondeo dicendum, quòd quia admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate Sacramenti, non refert quãtùm ad Sacramenti necessitatem quæcunq; aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, vt rosacea: quamuis quantùm ad conuenientiã Sacramenti peccet, qui aliam aquam miscet, nisi naturalem, & veram: quia de latere Christi pendẽtis in Cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt ad ostendendum, quòd Corpus Christi erat verè compositum ex quattuor elementis: sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quòd erat compositum ex quattuor humoribus, vt Innocentius tertius dicit in quadam decretali: quia vero admixtio aquæ ad farinam, est de necessitate huius Sacramenti, vt potè constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis. 3. p. q. 74. art. 7. ad 3.

Quaritur in qua quantitate debeat esse aqua, qua miscetur vino.

23 Respondeo dicendum, quòd circa aquam adiunctam vino, sicut Innocentius tertius dicit in quadam decretali, triplex est opinio, quidam enim dicunt, quòd aqua adiuncta vino, per se manet vino conuerso in sanguinem: sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento Altaris post consecrationẽ nihil est, nisi corpus, & sanguis Christi: sicut enim Ambrosius dicit in lib. de officijs, ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem Corpus significatur, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ: & ideo alij dixerunt, quòd sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua conuertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit: sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundùm hoc aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane: & ideo sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem; hoc autem fieri non posset, nisi adeò modicum apponeretur de aqua, quòd conuerteretur in vinum: & ideo semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipuè si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini, non posset perfici Sacramentum: vndè Iulius Papa reprehendit quosdam, qui pannum lineum musto intinctum per totum annũ seruant, & in tempore sacrificij aqua partem eius lauant, & sic offerunt. 3. p. q. 74. a. 8. in corp.

Quaritur an aqua, qua vino miscetur, debeat sentiri.

24 Respondeo dicendum, quòd sufficit ad Sacramenti huius significationem, quòd sentiatur aqua, cum apponitur vino, non autem oportet: quòd sit sensibilis post mixtionem. 3. p. q. 74. art. 8. ad 1.

Quaritur an sufficiat apponere aquã in dolio.

25 Respondeo dicendum, quòd si aqua apponeretur dolio, nõ sufficeret ad significationem huius Sacramenti: sed oportet aquam à vino apponi circa ipsam celebrationem. 3. p. q. 74. a. 8. ad 3.

Quæ-

Quæritur an aliquis liquor poſſit vino conſecrato commiſceri.

26 Reſpondeo dicendum, quòd iſtius quæſtionis veritas manifeſta eſt, ſpecies enim in hoc Sacramento remanentes ſicut adipiſcuntur virtute conſecrationis modum eſſendi ſubſtantiæ, ita etiam cõſequuntur modum agendi, & paciendi, vt ſcilicet agere, & pati poſſint quidquid ageret, vel pateretur ſubſtãtia, ſi ſibi præſens exiſteret: manifeſtum eſt autẽ, quòd ſi eſſet ibi ſubſtantia vini, liquor aliquis poſſet ei permiſceri; huius tamen permixtionis diuerſus eſſet effectus, & ſecundùm formam liquoris, & ſecundùm quantitatem: ſi enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quòd poſſet diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum; quod autẽ eſt admixtum ex duobus, neutrum miſcibiliũ eſt, ſed vtrumque tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum: vndè ſequeretur, quòd vinum prius exiſtens non remaneret: ſed ſi liquor permixtus eſſet alterius ſpeciei (puta ſi permiſceretur aqua) ſolueretur ſpecies vini, & eſſet liquor alterius ſpeciei: ſi autem eſſet eiuſdem ſpeciei liquor adiunctus, puta ſi vinum permiſceretur vino, remaneret quidem eadem ſpecies, ſed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diuerſitas accidentium, puta ſi vnum vinum eſſet album, & aliud rubeum: ſi vero liquor adiunctus eſſet, tàm paruę quãtitatis, quòd non poſſet perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, ſed aliqua pars eius, quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ, remanet tamen eadem ſpecie, non ſolum ſi paruus liquor permixtus eſſet eiuſdem ſpeciei, ſed etiam ſi eſſet alterius ſpeciei; quia gutta aquæ multo vino permixta tranſit in ſpeciem vini, vt dicitur in primo de generatione: manifeſtum eſt autem, quod Corpus, & ſanguis Chriſti remanet in hoc Sacramento quamdiu illæ ſpecies manent eædem numero, conſecratur enim hic panis, & hoc vinum: vndè ſi fiat tanta permixtio liquoris cuiuſcunque, quod pertingat ad totum vinum cõſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti: ſi verò fiat tàm parua alicuius liquoris adiunctio, quod non poſſit diffundi per totum, ſed vſque ad aliquam partem ſpecierum, detinit eſſe ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia. 3.p.q. 77. ar. 8. in corp.

De forma conſecrationis Corporis, & ſanguinis Chriſti. Cap. III.

1 *Euchareſtia perficitur in conſecratione materię.*

Conſecratio materię conſiſtit in quadã miraculoſa conuerſione ſubſtantię.

Forma Euchareſtiæ importat ſolam conſecrationem materię, quę intra ſubſtantiatione conſiſtet.

Forma Euchareſtia profertur quaſi in perſona Chriſti loquentis.

2 *Hoc eſt corpus meum eſt conueniens forma conſecrationis Corporis Chriſti.*

3 *Proferens formam ſine alijs verbis præcedentibus conficit Sacramentum, ſi intentionem conſecrandi habeat.*

Grauiter tamẽ peccat Sacerdos ſic cõſecrãs.

4 *Illa particula, enim, nõ eſt de eſſentia formę*

Iſta particula, enim apponitur ſecundũ cõſuetudinem Romanæ Eccleſiæ deriuatam à D. Petro.

5 *Omittens illam particulam, enim, ex negligentia, vel contemptu peccat.*

6 *Hic eſt calix, & cætera vſq; ad illa verba excluſiuè, Hæc quotieſcũq; feceritis, sũt de ſubſtantia formæ conſecrationis vini.*

Quid ſignificent, vel deſignent verba conſecra-

ſecrationis vini.

7 *Perficitur Euchareſtia, licet non obſeruetur ritus, relinquantur indumentum.*

Peccat tamen huiuſmodi omittens, & taliter celebrans degradandus eſt.

Quæritur an hæc ſit conueniens forma Euchareſtiæ hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei &c.

1 RESpondeo dicendum, quòd hoc Sacramentum ab alijs Sacramẽtis differt in duobus: primò quidẽ quantùm adhoc, quòd hoc Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ: alia verò Sacramenta perficiuntur in vſu materiæ conſecratæ: ſecundò quia in alijs Sacramentis conſecratio materiæ conſiſtit ſolùm in quadam benedictione, ex qua materia conſecrata accipit inſtrumentaliter quandam ſpiritualem virtutem, quę per miniſtrum, qui eſt inſtrumentum animatum, poteſt ad inſtrumenta inanimata procedere: ſed in hoc Sacramento conſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa conuerſione ſubſtantiæ, quæ à ſolo Deo perfici poteſt: vndè miniſter in hoc Sacramento perficiendo non habet alium actum, niſi prolationem verborum, & quia forma debet eſſe conueniens rei: ideo forma huius Sacramenti differt à formis aliorum Sacramentorum in duobus: primò quidem, quia formæ aliorum Sacramentorum important vſũ materiæ, puta baptizationem, vel conſignationem: ſed forma huius Sacramenti importat ſolam cõſecrationem materiæ, quę in tranſubſtantiatione conſiſtit, puta cum dicitur Hoc eſt corpus meum, vel hic eſt calix ſanguinis mei: ſecundò quia formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex perſona miniſtri, ſiue per modum exercentis actum, ſicut cum dicitur Ego te baptizo, vel ego te confirmo; ſiue per modũ imperantis, ſicut in Sacramẽto ordinis dicitur, accipe poteſtatẽ &c. ſiue per modum depræcantis, ſicut cum in Sacramento extremæ vnctionis dicitur, per iſtam vnctionem, & noſtram intercеſſionem: ſed forma huius Sacramẽti profertur quaſi ex perſona ipſius Chriſti loquẽtis, videtur intelligi, quòd miniſter in perfectione huius Sacramenti nihil agit, niſi quod profert verba Chriſti. 3. p. q. 78. a. 1. in corp.

Quæritur an forma conſecrationis panis ſit conueniens.

2 Reſpondeo dicendum, quòd hæc eſt conueniens forma conſecrationis panis, Hoc eſt Corpus meum: hæc enim conſecratio conſiſtit in conuerſione ſubſtantię panis in Corpus Chriſti: oportet autem formam Sacramenti ſignificare id, quod in Sacramento efficitur: vndè & formà cõſecrationis panis debet ſignificare ipſam conuerſionẽ panis in corpus Chriſti: in qua tria conſiderãtur, ſcilicet ipſa cõuerſio, & terminus à quo, & terminus ad quem: conuerſio autem poteſt conſiderari dupliciter: vno modo vt in fieri: alio modo vt in facto eſſe: primò quidẽ, quia hæc conuerſio non eſt ſucceſſiua, ſed inſtantanea: in huiuſmodi autem mutationibus fieri non eſt niſi factum eſſe: ſecundò quia ita ſe habent formæ Sacramentales ad ſignificandum effectũ Sacramenti, ſicut ſe habent formæ artificiales ad repræſentandum effectũ artis: forma autem artificialis eſt ſimilitudo vltimi effectus, in quẽ fertur intentio artificis, ſicut forma artis in mẽte ædificatoris eſt forma domus ædificatæ principaliter, edificationis autẽ per conſequens: vndè & in hac forma debet exprimi conuerſio, vt in facto eſſe, ad quod fertur intẽtio: & quia ipſa conuerſio exprimitur in hac forma, vt in facto eſſe, & neceſſe eſt, quòd extrema conuerſionis ſignificentur, vt ſe habent in facto eſſe conuerſionis, tunc autem terminus ad quem habet propriam naturam ſuæ ſubſtantiæ; ſed terminus

à quo

à quo non manet secundùm suam substātiam, sed solum secundum accidētia, quibus sensui subiacet, & ad sensum determinari potest: vndè conuenienter terminus conuersionis à quo exprimitur per pronomen demōstratiuum relatum ad accidentia sensibilia, quæ manent, terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam eius, in quod fit conuersio, quod quidem est totum Corpus Christi, & nō sola caro eius: vndè hęc forma est conuenientissima hoc est Corpus meum. 3.p.q.78.a.2.in corp.

Quæritur an proferens totam formā sine alijs verbis conficiat Eucharestiam.

3 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici non posse prædictis verbis prolatis, & alijs prætermissis, præcipuè quæ sunt in Canone Missæ: sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Ambrosij dicentis in lib. de Sacramentis, consecratio fit verbis, & sermonibus Domini Iesu: nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Dei refertur, oratione petitur pro populo; pro Regibus, pro cæteris; tum etiam quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundùm omnia tempora, sed diuersa sunt à diuersis apposita: vndè dicendum est, quòd si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum; quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis præcedentibus hoc non recitaretur: grauiter tamen peccaret Sacerdos sic conficiens hoc Sacramentum, vt potè ritum Ecclesię non seruans: nec est simile de Baptismo, quod est Sacramentum necessitatis; defectum autem huius Sacramenti potest supplere spiritualis mãducatio, sicut Augustinus dicit. 3.p.q.78.a.1.ad 4.

Quæritur an illa particula, enim, sit de essentia formæ.

4 Respondeo dicendum, quòd hæc cōiunctio, enim, apponitur in hac forma secundùm consuetudinem Romanę Ecclesiæ à B. Petro Apostolo deriuatam, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia: & ideo nō est de forma, sicut nec verba præcedētia formā. 3.p.q.78.a.2 ad 4. 4.sent.d.8.q.2.a.1 quæstiunc.2. ad 2.

Quæritur an omittens illam particulam, enim, peccet.

5 Respondeo dicēdum, quòd ly, enim, sublatum non tollit debitum sensum verborum: & ideo non impedit perfectionē Sacramenti, quamuis possit contingere, quòd ille, qui prætermittit, peccet ex negligentia, vel contemptu. 3.p. q. 60. a.8.in corp.

Quæritur an hæc sit conueniens forma consecrationis vini. Hic est calix sanguinis mei &c.

6 Respondeo dicendum, quòd circa formam consecrationis vini est duplex opinio, quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ huius est hoc solum, quod dicitur, Hic est calix sanguinis mei, non autem ea, quæ sequuntur: sed hoc videtur inconueniens, quia ea, quæ sequuntur sunt quædam determinationes prædicati, idest sanguinis Christi: vndè pertinent ad integritatem eiusdem locutionis: & propter hoc sicut alij melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ vsq; ad hoc, quod postea sequitur, hoc quotiescunq; feceritis, quod pertinet ad vsum huius Sacramenti: vndè non est de substantia formæ & inde est, quod Sacerdos eodē ritu, & modo scilicet tenendo calicē in manibus omnia hæc verba profert,

Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur hic calix nouum testamẽtum est in meo sanguine: dicendum est ergo, quòd omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba, hic est calix sanguinis mei significatur ipsa conuersio vini in sanguinem, eo modo quo in forma consecrationis panis: per verba autẽ sequentia designatur virtus sanguinis effusi in Passione, quæ operatur in hoc Sacramento, quæ quidem ad tria ordinatur: primò quidem, & principaliter ad adipiscendã æternam hæreditatem, secundùm illud Hæbreorum 10. habemus fiduciam in introitu Sanctorum per sanguinem eius, & adhoc designãdum dicitur, noui, & æterni testamenti: secundò ad iustitiam gratiæ, quę est per fidẽ secundùm illud Rom. 3. quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, vt sit in se iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi, & quantùm adhoc subditur Mysterium fidei: tertiò autem ad remouendum impedimenta vtriusq; prędictorum, scilicet peccata secundùm illud Hæb. 9. sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, idest à peccatis, & quantùm adhoc subditur, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 3. p. q. 78. a. 3. in corp.

Quæritur an possit fieri consecratio, si omittantur ritus, indumenta &c.

7 Respondeo dicendum, quòd remotis his, quæ non sunt de essentia rei, nihilominus res manet: vndè cum ritus, & quãtùm ad determinationem horæ, vel loci, vel indumentorum non sint de essentia Sacramenti, sed de solemnitate, si omittantur, nihilominus consecratum est sacrificium, dummodo adsint ea, quæ sunt de essentia Sacramenti, scilicet ordo, & intentio ex parte consecrantis, & materia, & forma ex parte consecrati; tamen grauiter peccat, qui aliter facit, & degradandus esset. 4. sent. d. 13. q. 1. a. 2. quæstiunc. 6. in corp.

De ministro Sacramenti Eucharistię. Cap. IIII.

1 *Proprium est Sacerdotis conficere Eucharestiam.*

2 *Plures Sacerdotes possunt consecrare vnã & eandem Hostiam.*

3 *Malus Sacerdos potest consecrare.*

4 *Hæretici, Schismatici, excomunicati possunt consecrare.*

Peccant tamen si consecrant.

5 *In nullo casu licet Hęreticis, Schismaticis, ex excomunicatis consecrare.*

6 *Sacerdos præcisus ab Ecclesia consecrat celebrando Missam.*

Orationes tamen eius non habent efficatiã, quia est ab Ecclesiæ vnitate separatus.

7 *Sacerdos degradatus potest consecrare.*

8 *Sacerdos intẽdens consecrare propter malum finem verò consecrat.*

Peccat tamen.

9 *Sacerdos non debet omnino à consecratione cessare.*

Potest hoc ex speciali Dei instinctu.

10 *Sacerdos consecrans tenetur sumere integrum Sacramentum.*

11 *Sacerdos cæcus, mutus, mancus digitis, patiens morbum caducum non possunt consecrare.*

Leprosus publicè celebrare non debet.

Potest tamen celebrare occultè. si lepra non reddiderit ipsum impotentem.

12 *Si Corpus Christi appareat in forma carnis, vel sanguis sub specie sanguinis non est sumendum.*

13 *Solus Sacerdos potest tangere Corpus Christi.*

In casu necessitatis etiam laicus potest illud tangere.

14 *Laicis licet Sanctis non licet dispensare Eucharestiam.*

15 Non

15 *Non licet accipere Eucharestiam ab alio, quàm à proprio Sacerdote.*
16 *Potest accipi ab alio, cui sit commissum.*
17 *Arcetur aliquando aliquis ab Eucharestia sine propria culpa.*

Quæritur an consecratio Eucharestiæ sit propria Sacerdotis.

1 RESpondeo dicendum, quòd hoc Sacramentum est tantæ dignitatis, quòd non conficitur, nisi in persona Christi: quicumq; autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam; sicut autem Baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc Sacramentum, ita Sacerdoti cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi: per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est à Domino, hoc facite in meam commemorationem: & ideò dicendum est, quod proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentū. 3.p.q.82.a.1.in corp.

Quæritur an plures Sacerdotes possint vnam, & eandem Hostiam consecrare.

2 Respondeo dicendum, quòd Sacerdos cum ordinatur constituitur in gradu eorum, qui à Domino acceperunt potestatem consecrandi in cœna: & ideo secundùm cōsuetudinem quarumdam Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cœnanti concœnauerunt, ita noui ordinati Episcopo ordinanti concelebrant: nec propter hoc iteratur consecratio super eandem Hostiam, quia sicut Innocētius tertius dicit, omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis. 3.p.q.82. a.2.in corp. [4.sent.d.13.q. 1. a. 2. quæstiunc.2.in corp.

Quæritur an malus Sacerdos possit Eucharestiam consecrare.

3 Respondeo dicendum, quòd Sacerdos consecrat hoc Sacramentum nō virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat hoc Sacramentum: nō autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quod est malus, habet enim Dominus bonos, & malos ministros, seu seruos: vndè Matthæi 24. Dominus dicit, quis putas est fidelis seruus, & prudens &c. & postea subdit: si autē dixerit malus ille seruus in corde suo &c. & Apostolus dicit primæ Corinth. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi: & tamen postea subdit, nihil mihi cōscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: erat ergo certus se esse ministrū Christi, tamen non erat certus se esse iustum: potest ergo aliquis esse minister Christi, etiam si iustus non sit. 3.p.q.82.ar.5. in corp.

Quæritur an Hæretici, Schismatici, excommunicati possint consecrare.

4 Respondeo dicēdum, quòd quidam dixerunt, quod Hæretici, Schismatici, & excōmunicati, quia sunt extra Ecclesiā, non possunt conficere hoc Sacramētum: sed in hoc decipiuntur: quia sicut Augustinus dicit in 2. contra Parmenianum, aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non rectè habere, & similiter etiam est aliud non dare, & aliud non rectè dare: illi igitur, qui intra Ecclesiam constituti receperunt potestatem consecrandi Eucharestiam in ordinatione Sacerdotij rectè quidem habent potestatē, sed non rectè ea vtuntur, si postmodū per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem ab Ecclesia separentur; qui autē sic separati ordinantur, non rectè habent potestatem, nec rectè vtuntur: quòd tamē vtriq; potestatem habeant patet per hoc, quod sicut Augustinus ibidem dicit cum redeunt ad vnitatem Ecclesiæ, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinationibus, & quia consecratio Eucharistiæ

eſt actus conſequens ordinis poteſtatem, illi, qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, vel excommunicationem poſſunt quidem conſecrare Euchareſtiam, quæ ab eis conſecrata verũ corpus, & ſanguinem Chriſti continet, non tamen hoc rectè faciunt, ſed peccat facientes: & ideo fructum ſacrificij non percipiunt, quod eſt ſacrificium ſpirituale. 3.p.q.82.a.7 in corp.

Quæritur an in aliquo caſu Hæretici, Schiſmatici, excommunicati poſſint Euchareſtiam conſecrare.

5 Reſpondeo dicendum, quòd ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus Hæreticis, & Schiſmaticis, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis; in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchareſtiã conſecrare, vel alia Sacraméta conferre. 3.p.q.82.a.7.ad 2.

Quæritur an Sacerdos præciſus ab Eccleſia poſſit conſecrare.

6 Reſpondeo dicendum, quòd ſi Sacerdos ab vnitate Eccleſiæ præciſus Miſſam celebret, quia poteſtatem ordinis non amittit, conſecrat verum Corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed quia eſt ab Eccleſiæ vnitate ſeparatus, orationes eius efficatiã non habent. 3.p.q.82.a.7.ad 3.

Quæritur an Sacerdos degradatus poſſit conſecrare.

7 Reſpondeo dicendum, quòd poteſtas conſecrandi Euchareſtiam pertinet ad Characterẽ Sacerdotalis ordinis: character autem quilibet, quia cum quadam conſecratione datur, indelibilis eſt, ſicut & quarumcumq; rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt: vndè manifeſtum eſt, quòd poteſtas conſecrandi non amittitur per degradationem: dicit enim Auguſtinus 2. contra Parmenianum vtrumq; ſcilicet Baptiſmus, & ordo Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumq; homini datur, illud cum Baptizatur, iſtud cũ ordinatur: ideoq; nõ licet Catholicis vtrũq; iterari, & ſic patet, quod Sacerdos degradatus poteſt conficere hoc Sacramẽtum. 3 p.q 82.a.8. in corp.

Quæritur an Sacerdos intendens conſecrare propter malum finem, conficiat Sacramentum.

8 Reſpondeo dicendum, quòd poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ ad duo ordinatur: primò quidem ad effectum proprium: ſecundò ad finem effectus, ſecundùm autem non tollit primum; vndè ſi Sacerdos intẽdat conſecrare Corpus Chriſti propter aliquem malum finẽ, puta vt irrideat, vel veneficia faciat propter intentionem mali finis, peccat, nihilominus tamẽ propter poteſtatem ſibi datam perficit Sacramentum. 3.p.q.74.a.2.ad 2.

Quæritur an liceat Sacerdoti omnino à conſecratione abſtinere.

9 Reſpondeo dicendum, quòd ſecundũ quoſdam non peccat, qui dimittit celebrationem, niſi populum habeat cõmiſſum, vel ex obediẽtia teneatur celebrare, ſed quia ſecundùm Gregorium cum creſcunt dura, rationes creſcunt donorum, cum Sacerdoti ſit data poteſtas nobiliſſima, reus negligentiæ erit, niſi illa vtatur ad honorem Dei, & ſalutem ſuã, & aliorum viuorum, & mortuorum ſecundùm illud primæ Petri 3. vnúſquiſq; gratiam, quam accepit in alter vtrum, illã adminiſtrantes &c. niſi fortè aliquis ex familiari Spiritus Sancti inſtinctu dimittat, ſicut legitur de quodam Sancto Patre in vitis Patrum, qui ordinatus nunquam poſtea celebrauit. 4. ſent. d.13. q.1. a. 2.

quæ-

quæſtiunc. 1. in corp. & 3. p. q. 82. a. 10. in corp.

Quæritur an Sacerdos conſecrans debeat ſumere Euchareſtiam.

10 Reſpondeo dicẽdum, quòd Euchareſtia non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam ſacrificium: quicunq; autem ſacrificium offert, debet ſacrificij fieri particeps, quia exterius ſacrificium, quod offertur, ſignũ eſt interioris ſacrificij, quo quis ſe ipſum offert Deo, vt Auguſtinus dicit 10 de Ciuit. Dei: vndè per hoc quòd participat ſacrificio, oſtẽdit ad ſe ſacrificium interius pertinere: ſimiliter etiam per hoc, quòd ſacrificium populo diſpẽſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem Diuinorum, quorum ipſe primo debet eſſe particeps, ſicut Dionyſius dicit in lib. Eccl. Hierarchiæ: & ideo ipſe ante ſumere debet, quàm populo diſpenſet: vndè in Concilio Toletano legitur, & habetur de conſecrat. d. 2. cap. relatum, modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcunq; ſacrificans Corpus Chriſti, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in Altari immolat, totiẽs perceptionis Corporis, & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat; quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? per hoc autem fit particeps, quòd de ſacrificio ſumit ſecundùm illud Apoſtoli primæ Corinth. 10. non ne qui edũt Hoſtias participes ſunt Altaris? & ideo neceſſe eſt, quod Sacerdos quotieſcunq; conſecrat, ſumat integrè hoc Sacramentum. 3. p. q. 82. a. 4. in corp.

Quæritur quid dicendum circa diuerſa genera infirmitatum.

11 Reſpondeo dicendum, quòd debilitas, vel ægritudo ſuperueniens ordini Sacerdotali ordinem non tollit; executionem tamen ordinis tollit quantùm ad conſecrationem Euchareſtiæ, quandoq; quidem propter impoſſibilitatem executionis: ſicut ſi priuetur oculis, aut digitis, aut vſu linguæ; quandoq; propter periculum, ſicut patet de eo, qui patitur morbum caducum, vel etiã quamcunq; alienationem mentis, quandoq; propter abominationem, ſicut patet de leproſo, qui non debet publicè celebrare; poteſt tamen Miſſam dicere occultè, niſi lepra adeo inualuerit, quòd per corroſionem membrorum eum adhoc reddiderit impotentem. 3. p. q. 82. a. 10. ad 3.

Quæritur an Sacerdos debeat ſumere Euchareſtiam, quando apparet ſub ſpecie carnis, vel ſanguinis.

12 Reſpondeo dicendum, quòd ſi miraculosè Corpus Chriſti in Altari ſub ſpecie carnis appareat, aut ſanguis ſub ſpecie ſanguinis non eſt ſumendum. 3. p. q. 82. a. 4. ad 3.

Quæritur quibus liceat tangere Corpus Chriſti.

13 Reſpondeo dicendum, quòd tangere Corpus Chriſti ex officio ſoli Sacerdoti competit, ſed in caſu neceſſitatis poteſt, & debet laicus Corpus Chriſti tangere etiam ſi ſit peccator: vt ſi in aliquo loco immundo iaceret. 4. ſent. d. 13. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 1. ad 3.

Quæritur an laicis liceat diſpenſare Euchareſtiam.

14 Reſpondeo dicendum, quòd laicis quantũcunq; ſanctis ſicut nec cõſecratio ita nec diſpẽſatio huius Sacramẽti cõpetit. 4. sẽt. d. 13. q. 1. a. 3. quæſtiũc. 1. in corp.

Quæritur à quo liceat Euchareſtiam ſumere.

15 Reſpondeo dicendum, quòd non licet

licet Euchareſtiam ab alio, quàm à proprio Sacerdote accipere. 4. ſent. d. 17. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 6. ad 2.

Quaritur an poſſit aliquando ſumi ab alio, quã à proprio Sacerdote.

16 Reſpondeo dicendum, quòd licet recipere Euchareſtiam nõ à proprio Sacerdote, cui tamen fuit hoc commiſſum. opuſculo 19. cap. 4.

Quaritur an aliquis ſine ſui culpa poſſit arceri ab Euchareſtia.

17 Reſpondeo dicendum, quòd aliquis ſine culpa quandoq; ab Euchareſtia arctatur, ſicut patet in ſuſpenſis, vel interdictis; quia tales pœnæ quandoq; alicui pro culpa alterius, qui in eis punitur, inferuntur. 4. ſent. d. 18. q. 2. a. 4. quæſtiunc. 3. ad 3.

EXCANDESCENTIA.

Quaritur ad quod vitium pertineat excandeſcentia.

Reſpondeo dicendum, quòd excandeſcentia magis videtur pertinere ad primam ſpeciem iræ, quæ perficitur ſecundùm velocitatem iræ, quàm ad furorem. p. 2. q. 46. a. 8. ad 2.

EXCAECATIO.

1 *Excæcatio quid importet.*
2 *Excæcatio eſt quędam pœna.*
3 *Excæcatio in quo ſenſu ſit culpa.*
4 *Excęcatio eſt quoddam pręambulum ad peccatum.*
Excęcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem eius, qui excęcatur.
Excęcatio ad tempus ex miſericordia Diuina ordinatur ad ſalutem prędeſtinatorum.

Quęritur quid importet excęcatio.

1 Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio, & obduratio duo important, quorum vnum eſt motus animi humani inhærentis malo, & auerſi à Diuino lumine; aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quòd mens Diuinitus non illuminetur ad rectè videndũ. 1. p. 2. q. 79. a. 3. in corp.

Quęritur an excęcatio ſit pęna.

2 Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio, & induratio ex parte ſubtractionis gratiæ, ſunt quædam pœnæ. p. 2. q. 79. ar. 8. ad 1.

Quęritur an excęcatio ſit aliquando culpa.

3 Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio, & induratio, vt important motum animi humani inhærentis malo, & auerſi à Diuino lumine eſt culpa. p. 2. q. 79. a. 8. ad 2.

Quęritur an excęcatio, & obduratio ſemper ordinentur ad ſalutem eius, qui excęcatur, & obduratur.

4 Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio eſt quoddam præambulum ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur, ad vnum quidem per ſe, ſcilicet ad damnationem, ad aliud autem ex Diuina miſericordia, vel prouidentia, ſcilicet ad ſanationem, inquantùm Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatũ ſuum cognoſcentes humilientur, & conuertantur, ſicut Auguſtinus dicit in lib. de natura, & gratia: vndè & excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationẽ eius, qui excæcatur, propter quòd ponitur etiam reprobationis effectus, ſed ex Diuina miſericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum,

eorum, qui excæcantur: sed hæc misericordia non omnibus impeditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur Rom 8. vndè quantùm ad quosdam excæcatio ordinatur ad sanationem, quantùm verò ad alios, ad damnationem, vt Augustinus dicit in 3. de quæst. Euang. p. 2. q. 79. a. 4. in corp.

Excommunicatio.
Cap. I.

1 *Excommunicatio directè nō est actus clauis, sed magis respectu exterioris iudicij.*
Potestas excommunicādi in quo sensu possit dici Clauis.
2 *Datur duplex excommunicatio, scillicet maior, & minor.*
Quid sit excommunicatio maior, & minor.
In quibus non liceat participare cū excommunicatis.
3 *Excommunicatio minor non habet perfectam rationem excommunicationis.*
4 *Ecclesia debet aliquos aliquādo excommunicare.*
5 *Excommunicatio non fertur nisi pro peccato mortali.*
Pro damno temporali potest aliquis excommunicari.
Excommunicatio est grauissima pœnarum.
Excommunicatio non fertur nisi contra cōtumaces.
Quis dicatur contumax.
6 *Excommunicandus debet esse conuictus.*
7 *Multiplex damnum incurritur per excommunicationem.*
8 *Excommunicatus priuatur suffragijs communibus Ecclesiæ.*
Persona priuata potest orare pro conuersione excommunicati.
9 *Quomodo excommunicatio dicatur subtrahere gratiam Dei.*
10 *Excommunicatio potest esse iniusta, & ex parte excommunicantis, & ex parte ipsius excommunicationis.*
Excommunicatio iniusta ex parte excommunicantis habet effectum.
Excommunicatio cōtinens errorem, qui sententiam faciat nullam, non habet effectū.
Si error non anullat sententiam, habet effectū, & excōmunicatus ei tenetur obedire.
Si contemserit eam, peccat mortaliter.
Quando aliquis excommunicatur ex causa, quæ sit debita ex parte excommunicationis, indebita tamen ex parte excommunicati, si sustineat eam, humilitatis meritū recompensat damnū excommunicationis.
11 *Excommunicatio quo fine teneatur.*

Quæritur an excommunicatio sit actus Clauis?

1 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio nō est actus Clauis directè, sed magis respectu exterioris iudicij: sed sententia excommunicationis quamuis in exteriori iudicio promulgetur: quia tamen aliquo modo pertinet ad aditum regni secundùm quòd Ecclesia militans est via ad triumphantem; ideo etiam talis iurisdictio, per quā homo excommunicare potest Clauis dici potest: & secundùm hoc à quibusdam distinguitur, quòd est Clauis ordinis, quàm omnes Sacerdotes habent, & Clauis iurisdictionis in foro iudiciali, quàm habent soli iudices exterioris fori; vtrumq; Deus Petro contulit Matthæi 16. & ab ipso in alios descendit, qui vtramq; habent. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad primū.

Quæritur quid sit excommunicatio.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui per Baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo ascribitur, scilicet ad cætum fideliū, & ad Sacramentorum participationem, & hoc secundùm præsupponit primùm: quia in Sacramentis participādis etiam fideles communicant: & ideò aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicatio-

nicationẽ dupliciter: vno modo ita quòd separetur tantùm à participatione Sacramentorum, & hæc erit excommunicatio minor: alio modo ita quòd excludatur ab vtroq; & sic erit excommunicatio maior: quę sic diffinitur, excommunicatio est separatio à communione Ecclesię, quo ad fructum, & suffragia generalia, non autẽ potest esse tertium, scilicet, quod excludatur à communione fidelium, & non à participatione Sacramentorum ratione iam dicta, quia scilicet fideles in Sacramentis communicant: sed communicatio fidelium est duplex, quædam in spiritualibus, sicut mutuæ orationes sunt, & conuentus ad sacra percipienda, quędam in corporalibus actibus legitimis: qui quidem legitimi actus, & licita communio his versibus continentur.

Os, orare, vale, communio, Mensa negatur.

Os scilicet ne detur osculum; orare, nè cum excommunicatis oremus; Vale, nè salutentur, communio, nè scilicet in Sacramentis cum ipsis communicet; mensa negatur, nè aliquis cum eis comedat. 4. sent. d. 18 q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an excommunicatio minor habeat perfectam rationem excommunicationis.

3 Respondeo dicendum, quòd minor excommunicatio non habet perfectam rationẽ excommunicationis, sed aliquid ipsius participat. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quęstiunc. 1. ad 4.

Quæritur an Ecclesia debeat aliquos aliquando excommunicare.

4 Respondeo dicẽdum, quòd iudicium Ecclesiæ cõforme debet esse iudicio Dei: Deus autem multipliciter peccatores punit, vt eos ad bonum trahat: vno modo flagellis castigando: alio modo hominem sibi relinquendo, vt auxilijs subtractis, quibus à malo præpediebatur suam infirmitatem agnoscat, & humilis ad Deum redeat, à quo superbus abscessit, & quantùm ad vtrumq; Ecclesia in excommunicationis sententia Diuinum iudiciũ immitatur; inquantùm enim etiam à cõmunione fidelium separat, vt erubescat, immitatur Diuinum iudicium, quo per flagella castigat; inquantùm autem à suffragijs, & alijs spiritualibus separat, immitatur Diuinum iudicium, quo hominem sibi relinquit, vt per humilitatẽ seipsum cognoscens ad Deum redeat. 4. sent. d. 18 q. 2. ar. 1. quæstiunc. 2. in corp. [2. 2. q. 33. a. 2. ad 3.

Quæritur an pro aliquo damno temporali excommunicatio ferri debeat.

5 Respondeo dicendum, quòd per excommunicationem Iudex Ecclesiasticus excommunicatos excludit à Regno quodammodo: vndè cum non debeat excludere, nisi indignos, nec aliquis redditur indignus, nisi per peccatum mortale amiserit Charitatem, quæ est via ducens ad regnum, ideo nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali, & quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus mortalibus aliquis mortaliter peccat, & contra Charitatem facit: ideo pro damno temporali illato Ecclesia aliquem excõmunicare potest: sed quia excommunicatio est grauissima pænarum, pœnæ autem medicinæ sunt secundum Phylosophum in 2. ethicorum, sapientis autem Medicj est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis: ideò excommunicatio intelligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicij sine licentia discedendo, vel damnationi nõ parendo, tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet à iudice iã non habente quid contrarium faciat amplius.

plius. 4.sent.d.18.q.2. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an excommunicatio feratur contra contumaces lite non contestata.

Respondeo dicendum, sicut verbo cõtumax,

Quæritur an excommunicandus debeat esse conuictus.

6 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio infligitur pro inobedientia: debet tamen esse conuictus. Eccl.2.cap.3. secundæ ad Thessalonicenses.

Quæritur quæ damna incurrantur per excommunicationem.

7 Respondeo dicendum, quòd ex hoc ipso, quòd aliquis suffragijs Ecclesiæ priuatur, triplex incommodum incurrit per tria, quæ quis ex suffragijs Ecclesiæ consequitur, valent enim ad augmentũ gratiæ eis, qui habent, vel ad merendum eis, qui non habent: & quantùm adhoc magister dicit, quòd gratia Dei per excommunicationem subtrahitur; valent etiã ad custodiam virtutis, & quantùm adhoc dicit, quòd protectio subtrahitur, non quod omnino à Dei prouidentia excludatur: sed quòd ab illa protectione, qua filios Ecclesiæ specialiori modo custodit; valent ad defendendum ab hoste, & quãtùm adhoc dicit, quòd Diabolo maior potestas sæuiendi in ipsum datur, & spiritualiter, & corporaliter: vndè in primitiua Ecclesia, quando oportebat per signa ad fidem omnes inuitare, sicut Spiritus sancti Donum visibili signo manifestabatur, ita excommunicatio corporali vexatione à Diabolo innotescebat: nec est inconueniens, si ille, qui nõ est desperatus, hosti datur: quia non datur ei quasi damnandus, sed quasi corrigendus, cum in potestate Ecclesiæ sit ex eius manu ipsum eripere, cum voluerit. 4.sent.d.18.q.2.a.1.quæstiunc.2, ad 3.

Quæritur quibus suffragijs priuetur excommunicatus.

8 Respondeo dicẽdum, quòd suffragia alicuius valent alicui secundùm quòd ei continuantur: potest autem actio vnius alteri continuari dupliciter: vno modò ex cui Charitatis, quę omnes fideles connectit, vt sint vnum in Deo, sicut dicitur Psalm. 118. particeps ego sum omniũ &c. & hanc continuationẽ excommunicatio nõ intercipit: quia iustè excommunicari quis nõ potest, nisi pro culpa mortali, per quam iam à Charitate diuisus est, etiã si non excommunicetur: iniusta autẽ excõmunicatio Charitatẽ alicui auferre non potest, cũ sit de maximis bonis, quæ non possunt alicui inuito auferri: alio modo per intentionẽ suffragia facientis, quæ in aliquẽ fertur, pro quo fiunt, & hanc cõtinuationẽ excõmunicatio intercipit: quia Ecclesia per excommunicationis sententiã separat excommunicatos ab vniuersitate fideliũ, pro quibus suffragia facit; vndè suffragia Ecclesiæ ei non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesiæ, oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamuis aliqua persona priuata possit ad eius cõuersionem, aliquod suffragiũ per intentionẽ dirigere. 4.sent.d.18.q.2.a.1.quæstiunc.1.ad 2.

Quæritur quomodo excommunicatio gratiam subtrahere dicatur.

9 Respondeo dicendum, quòd quamuis homo gratiam Dei iniustè amittere non possit, potest tamen iniustè amittere illa, quæ ex parte nostra sunt, quæ ad gratiam Dei disponũt, & hoc modo excommunicatio gratiam Dei subtrahere dicitur. 4. sent.d.18.q.2.a.1.quæstiunc.4 ad 1.

Quæ-

Quaritur an excommunicatio iniustè illata effectum habeat.

10 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio potest dici iniusta dupliciter: vno modo ex parte excommunicantis sicut cum ex odio, vel ira excommunicat: & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamuis ille, qui excommunicat, peccet, quia iste iustè patitur, quamuis ille iniustè faciat: alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso; & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiā nullam faciat esse, non habet effectum; quia non est excommunicatio: si autem sententiam non anullet, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel absolutionem petere ab excommunicante, vel ad superiorem iudicem recurrere: si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret: contingit autē quandoq; quòd est debita causa ex parte excommunicationis, quæ nō est debita ex parte excommunicati, sicut cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur, & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum. 4. sent. d. 18. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 4. in corp.

Quaritur quo fine feratur excommunicatio contra aliquem.

11 Respondeo dicēdum, quòd excommunicatur adhoc aliquis, vt ait Apostolus, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. 2. 2. q. 11. a. 3. ad 3.

De illis, qui possunt excommunicare. Cap. II.

1 *Excōmunicatio pertinet ad forū exterius. Illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali soli Episcopi, & maiores Prælati possunt excommunicare.*

Sacerdotes Parochiales possunt excommunicare ex cōmissione, vel in certis casibus.

2 *Sacerdotes Parochiales habent iurisdictionem in subditos, quo ad forum conscientiæ, nam quo ad forum iudiciale: ideo nō possunt excommunicare.*

In foro iudiciali maior solemnitas requiritur, quàm in foro pœnitentiæ.

3 *Non Sacerdotes, habentes tamen iurisdictionem in foro contentioso possunt excommunicare.*

4 *Excommunicatus non potest excommunicare.*

Suspensus à iurisdictione non potest excommunicare.

Suspensus ab ordine, & non à iurisdictione potest excommunicare.

5 *Excommunicatus licet non amittat iurisdictionem, amittit tamen vsum iurisdictionis.*

Quaritur an quilibet Sacerdos possit excommunicare.

1 Respondeo dicendum, quòd in foro conscientiæ causa agitur inter hominem, & Deum, in foro autem exterioris iudicij causa agitur hominis ad hominem: & ideo absolutio, vel ligatio, quæ vnum hominem obligat quo ad Deum tantùm, pertinet ad forum pœnitentiæ; sed illa, quæ hominem obligat in comparationem ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicij pertinet: & quia per excommunicationem homo à communione fideliū separatur: ideo excommunicatio ad forū exterius pertinet, & illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali; & propter hoc sòli Episcopi propria auctoritate, & maiores Prælati secundùm communiorem opinionē possunt

ſunt excommunicare:ſed Presbyteri Parochiales nonniſi ex commiſſioue eis facta,vel in certis caſibus,ſicut in furto, & rapina,& huiuſmodi, in quibus eſt eis à iure conceſſum, quòd excommunicare poſſint: alij verò dixerunt, quòd etiam Sacerdotes Parochiales poſſunt excommunicare:ſed prædicta opinio eſt rationabilior. 4.ſent.d.18.q.2.a.2.quæſtiunc.1.in corp. [d.19.q. 1. a. 1. quæſtiunc. 3. in corp.

Quæritur an Parochi poſſint excommunicare.

2 Reſpondeo dicendum, quòd Sacerdotes Parochiales habent quidem iuriſdictionem in ſubditos ſuos quantùm ad forum conſcientiæ, ſed non quantùm ad forum iudiciale:quia non poſſunt coram eis conueniri in cauſis contentioſis: & ideò excommunicare non poſſunt, ſed abſoluere poſſunt in foro pœnitentiali:& quamuis forum pœnitẽtiale ſit dignius, tamen in foro iudiciali maior ſolemnitas requiritur:quia in eo oportet, quòd non ſolum Deo,ſed etiã homini ſatisfiat. 4.ſent.d.18.q.2.a.2.quæſtiunc.1.ad 2.

Quæritur an non Sacerdotes habentes tamen iuriſdictionem poſſint excommunicare.

3 Reſpondeo dicendum, quòd Sacramenta,in quibus gratia confertur diſpẽſare ad ſolos Sacerdotes pertinet:& ideo illi ſoli poſſunt abſoluere,& ligare in foro pœnitentiali: ſed excommunicatio non directè reſpicit gratiam,ſed ex conſequenti inquantùm homo ſuffragijs Eccleſiæ priuatur, quæ ad gratiam diſponunt, vel in gratia conſeruant: & ideo etiam non Sacerdotes, dummodo iuriſdictionem habeant in foro contentioſo, poſſunt excommunicare. 4.ſent.d. 18. q. 2.a.2.quæſtiunc.2.in corp.

Quæritur an excommunicatus poſſit excommunicare.

4 Reſpondeo dicendum, quòd vſus iuriſdictionis eſt in comparatione ad aliũ hominem: & ideo cum omnis excommunicatus à communione fidelium ſeparetur,quilibet excommunicatus vſu iuriſdictionis priuatur; & quia excommunicatio eſt iuriſdictionis priuatio: ideo excommunicatus excommunicare non poteſt; & eadem ratio eſt de ſuſpenſo à iuriſdictione: ſi enim ſit ſuſpenſus ab ordine tantùm,tunc non poteſt ea,quę ſunt ordinis,ſed poteſt ea, quæ ſunt iuriſdictionis,& è conuerſo, ſi ſit ſuſpenſus à iuriſdictione,& non ab ordine: ſi autem ab vtroque,tunc neutrum poteſt. 4. ſent. d. 18.q.2.a.2.quæſtiunc.3.in corp.

Quæritur quare excommunicatus excommunicare non poſſit, cum habeat iuriſdictionem.

5 Reſpondeo dicendum, quòd excommunicatus,quamuis non amittat iuriſdictionem, amittit tamen iuriſdictionis vſum.4.ſent.d.18.q.2.a.2.quæſtiunc.3.ad primum.

De illis, qui poſſunt excommunicari. Cap. III.

1 *Nullus poteſt excommunicare ſeipſum, vel ſuperiorem,vel æqualem.*

2 *Singuli de Communitate poſſunt excommunicari.*

Communitas non poteſt excommunicari.

3 *Poteſt aliquis ſuſpendi, & interdici ſine peccato proprio, nõ tamen excõmunicari.*

4 *Semel excommunicatus poteſt pluries excommunicari.*

Tunc tot erunt excommunicationes, quot ſunt cauſæ principales,pro quibus excõmunicatur.

5 Potius

5 *Potius aliquis debet permittere excommunicari, quàm se communicare in peccato mortali.*

Quaritur an aliquis possit seipsum, vel superiorem, vel æqualem excommunicare.

1 RESpondeo dicendum, quòd cum per iurisdictionem aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu eius, in quem habet iurisdictionem, quia est iudex eius: ideo nullus habet in seipsum, vel superiorem, vel æqualem iurisdictionem: & per cõsequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem, vel æqualem. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. in corp. & d. 20. a. 5. questiunc. 4. ad 3.

Quaritur an Cõmunitas possit excõmunicari.

2 Respondeo dicendum, quòd excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali: peccatum autem in actu consistit, actus autem non est Communitatis, sed singularum personarum, vt frequenter: & ideo singuli de Communitate excommunicari possunt; nõ autem ipsa Communitas: & si etiã quandoq; actus sit totius alicuius multitudinis, vt quando multi nauim trahũt, quàm nullus trahere posset; non tamẽ est probabile, quòd aliqua Communitas ita tota malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes: & quia nõ est Dei, qui iudicat omnem terram, vt condemnet iustũ cũ impio, vt dicitur Genesis 18. ideo Ecclesia, quæ iudiciũ Dei immitari debet satis prouidè statuit, vt tota Cõmunitas nõ excõmunicetur, ne collectis zizanijs simul eradicetur & triticũ. 4. sẽt. d. 18. q. 2. a. 3. quęs. 2. ĩ corp.

Quaritur an aliquis possit excõmunicari absq; peccato proprio, sicut suspenditur absq; peccato proprio.

3 Respondeo dicẽdum, quòd suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragijs, sicut excommunicati: vndè etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum regnum supponitur interdicto pro peccatis Regis: & ideo non est simile de excommunicatione, & suspensione. 4. sent. d. 18. q. 2. ar. 3. quæstiunc. 2. ad 2.

Quaritur an aliquis possit pluribus excommunicationibus excommunicari.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui excommunicatus est vna excommunicatione, potest iterum excommunicari per eiusdem excommunicationis reiterationem, ad maiorem sui confusionem, vt vel sic à peccato resiliat, vel propter alias causas: & tunc tot sunt principales excõmunicationes, quot causę, pro quibus aliquis excommunicatur. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quaritur an aliquis magis debeat permittere excommunicari, quàm communicare in peccato mortali.

5 Respondeo dicendum, quòd potius se debet permittere excõmunicari, quã cum proposito peccati Corpus Christi sumat. 4 sent. d. 9. a. 3. quæstiunc. 1. ad 3.

De participãtibus cum excommunicatis. Cap. IIII.

1 *Licet communicare cum excommunicatis, minori excommunicatione.*
Excommunicatio non transit in tertiam personam.
2 *In quibus non debemus communicare cum excommunicatis.*
3 *Scienter non debet quis communicare cum excommunicatis in Diuinis.*
4 *Communicare cum excommunicatis contingit*

tingit dupliciter, scilicet directè, & indirectè.

Participans directè cum excommunicato peccat mortaliter.

Tripliciter contingit peccare mortaliter participando cum excommunicatis.

Participans indirectè cum excommunicato peccat venialiter.

Nisi tamen ex contemptu hoc faciat:

5 *Non sunt vitandi illi tanquam excommunicati, de quibus dubitatur an sint, ante sententiam declaratoriam.*

Post sententiam declaratoriam sunt vitandi illi, de quibus dubitatur, an sint excommunicati.

6 *Participans cum excommunicato tunc solum peccat mortaliter, quando participat sibi in crimine, vel in Diuinis, vel in contemptum Ecclesiæ.*

7 *Participans in Diuinis peccat mortaliter, sicut participans in alijs, venialiter.*

8 *Quando excommunicatio est contra aliquem, & contra participantes cum eo, tunc participans est excommunicatus maiori excommunicatione.*

Si aliquis simpliciter excommunicatur, tūc participans cum eo in crimine præstando auxilium, consilium, fauorem est excommunicatus maiori excōmunicatione.

Participans in alijs puta in verbo, osculo, mensa, peccat tantum venialiter.

9 *Excommunicatus minori excommunicatione, potest communicare cum fidelibus: non licet tamen ei conferre Sacramenta.*

Excommunicatus maiori excommunicatione, non potest cum alijs communicare.

In his, quæ pertinent ad salutem excommunicati, licet participare cum eo.

Vxor, seruus, filius, rusticus, seruiens possunt participare cum excōmunicato serui &c. non tenentur euitare Dominū excommunicatum, si se subdiderunt ei ante excommunicationem, non autem si post.

Filij emancipati tenentur euitare patrem excommunicatum.

Sunt quinq; casus, in quibus licet cum excommunicato participare.

10 *Non est communicandum cum Hæreticis.*

Quæritur an liceat communicare cum excommunicato minori excommunicatione.

1 RESpondeo dicendum, quòd excommunicato minori excommunicatione licet communicare: & sic excommunicatio non transit in tertiam personam. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 4. quæstiunc. 2. ad 2.

Quæritur in quibus non debeamus participare cum excommunicatis.

2 Respondeo dicendum, quòd qui per sententiam Ecclesiæ à communione pelluntur, sunt vitandi quantùm ad mēsam, & quantùm ad salutationem, & quantùm ad sacram communionem: vndè in versu dicitur.

Os, orare, vale, Communio, mensa negatur. scilicet excommunicatis. Ecc. 3. cap. 5. primæ ad Corinthios.

Quæritur an liceat participare cum excommunicatis in Diuinis.

3 Respondeo dicēdum, quòd si aliquis ab aliquo simoniaco, vel scismatico, vel excommunicato, & à cōcubinario Sacerdote Sacramentum Ecclesiæ suscipiat, peccat: & sic gratiam non consequitur, tamen differt de fornicarijs, & alijs prædictis: quia alijs non debet homo communicare in Diuinis scienter, quantumcunq; sint accolti: sed concubinarij Sacerdotes non sunt vitandi, nisi sint notorij: & dicuntur notorij tribus modis, vel propter sententiam quia conuincti sunt; vel per confessionem in iure factam; vel per rei euidentiam, sicut quando est ita manifestum, quod nulla potest tergiuersatione cælari. 4. sent. d. 13. q. 1. a 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an aliquis loquendo, comedendo, stando cum excommunicatis peccet mortaliter.

4 Respondeo dicendum, quòd aliquis per excommunicationem separatur à cõmunione fidelium, non autem hominum, nisi per accidens: quia intãtùm separatur à communione hominum, inquantùm cõuenit separari à communione fidelium: dico ergo quòd aliquis potest communicare, seu participare cũ excommunicato directè, & indirectè, directè quidẽ in his, quæ sunt fidelium, & sic ille, qui hoc modo communicat sibi, peccat mortaliter, & hoc contingit tripliciter: quia si cõmunico secum in Diuinis: sicut si orem pro eo, vel audiam Missam cũ eo, & in alijs spiritualibus; item si ex cõtemptu, & hoc in quocunq; cõmunicat quis, cũ eo, quasi contemnens mandatum Ecclesiæ, peccat mortaliter; item quicumq; participat secum in crimine, & in causa: indirectè verò communicat quis cum eo in his, quæ sunt hominis, sicut in verbo, in cibo, & in his, quæ sunt simpliciter humanę conuersationis: & secundũ hoc nõ peccat mortaliter, sed venialiter, nisi faciat ex cõtẽptu, vt dictũ est. quodlibeto 11.a.9. ĩ corp.

Quæritur an debeant vitari illi excommunicati, de quorum excommunicatione est apud peritos diuersa sententia.

5 Respondeo dicendũ, quòd dubitatio de excommunicatione aliquorũ aut præcedit sententiam Iudicum, aut sequitur: si præcedit, puta cũ nondum est declaratum per Iudicum consensum aliquos esse excõmunicatos, nõ sunt vitandi quousq; certò terminetur: in hoc enim casu certũ est, quòd in mitiorem partem interpretari debemus: vndè & Deut. 27. dicitur, si difficilè, & ambiguũ apud te iudiciũ esse perspexeris, & iudiciũ intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad iudicẽ, quæresq; ab eis, & facies quodcunq; dixerint: sed si ambiguũ oriatur post concordẽ Iudicum determinationem, magis standum est sententiæ Iudicum duplici ratione: primò quidem, quia Iudices sollicitius discutientes negotium plenius possunt percipere veritatem, etiã si sunt minus periti, quàm alij, qui perfunctoriè constituũtur, & extraordinariè: secundò quia hoc esset in magnũ nocumentũ vtilitatis cõmunis status hominum, si sententiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sententiæ calũniã ingerere: quia sic litigia essent interminabilia: & ideo in tali casu magis est standũ sententiæ Iudicũ, nisi fortè sit per appellationẽ suspensa. quodlibeto 4.a.14

Quæritur quando participans cum excommunicato peccet mortaliter.

6 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quòd quandocunq; aliquis participato excommunicato, vel verbo, vel quocunq; dictorum modorum, secundùm quos ei communicare, non licet, peccat mortaliter, nisi in casibus exceptis à iure: sed quia hoc videtur valdè graue, quòd homo pro verbo leui, quæ excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet, & multis excommunicantes laqueum damnationis inijcerent, quod in eos retorqueretur: ideo alijs probabilius videtur, quod non semper peccant mortaliter, sed solum quando in crimine sibi participat, vel in Diuinis, vel in contemptum Ecclesiæ, 4. sent. d. 18. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. in corp.

Quare participans in Diuinis cum excommunicato peccet mortaliter, in alijs autem, venialiter tantum.

7 Respondeo dicendum, quòd præceptum Ecclesię directè respicit spiritualia, & ex consequenti legitimos actus: & ideo qui

qui communicat ei in Diuinis facit contra præceptum,& peccat mortaliter; qui autem participat ei in alijs, facit præter præceptum,& peccat venialiter. 4. sent. d.18.q.2.a.4.quæstiunc.3.ad 2.

Quæritur an participans cum excommunicato sit excommunicatus.

8 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio potest inferri in aliquem dupliciter, aut ita quòd ipse sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus:& sic non est dubium, quòd quicunq; participat ei, est excommunicatus maiori excommunicatione; aut est excõmunicatus simpliciter,& tunc aut participat aliquis ei in crimine præbendo ei auxiliũ & consilium,& fauorem,& sic iterum est excõmunicatus maiori excõmunicatione; aut participat in alijs, sicut in verbo, vel osculo, vel mensa,& sic est excommunicatus minori excommunicatione.4.sent. d. 18. q.2.a.4.quæstiunc.2.in corp.

Quęritur an liceat excommunicato participare in pure corporalibus.

9 Respondeo dicẽdum,quòd sicut prę dictum est, duplex est excommunicatio, vna est minor,quæ separat tantùm à participatione Sacramentorum ; sed non à Communione fidelium :& ideo tali excommunicatio licet communicare; sed non licet ei Sacramenta conferre:alia est maior excommunicatio, & hæc separat hominem à Sacramẽtis Ecclesię, & à Cõmunione fidelium:& ideo excõmunicato tali excommunicatione cõmunicare non licet:sed quia Ecclesia excommunicationẽ ad medelam,& nõ ad interitum inducit, excipiuntur ab hac generalitate quędam, in quibus communicare licet, scilicet in his, quæ pertinent ad salutẽ, quia de talibus homo licitè cum excommunicato loqui potest,& etiam alia verba interserere, vt facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur:excipiuntur etiã quędam personę,ad quas specialiter pertinet prouisio excommunicati, scilicet vxor, seruus, Filius, Rusticus, & seruiens; sed hoc intelligendum est de filijs non emancipatis, alias teneretur vitare Patrem. De alijs autem intelligitur, quòd licet excommunicato communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderunt, nõ autem si post: quidam autem intelligunt è conuerso, scilicet quòd superiores possunt licitè communicare inferioribus:alij contra dicunt, sed ad minus in his eis communicare debẽt, in quibus eis sunt obligati : quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad prouidentiam inferiorum: sunt etiam quidam casus excepti, sicut quando ignoratur excommunicatio, & quando aliqui sunt peregrini,& viatores in terra excommunicatorum, qui licitè possunt ab eis emere, vel etiam recipere eleemosinam:& similiter si aliquis videat excommunicatum in necessitate, quia tunc ex præcepto Charitatis tenetur ei prouidere,& hæc versu continetur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vt vtile referatur ad verba salutis, lex ad matrimonium, humile ad subiectionem, cætera patent.4.sent.d.18.q.2.ar.4. quæstiunc.1.in corp.

Quęritur an cum hęreticis sit communicandũ.

10 Respondeo dicẽdum,quòd hæreticis communicandũ non est ratione excõmunicationis:nã cum sint excõmunicati, nõ est eis communicãdum, sicut nec cũ alijs excommunicatis. quodlibeto 10.a.15.

De Absolutione ab excommunicatione. Cap. V.

1 *Ab excommunicatione minori quilibet*

potest absoluere, qui potest absoluere à peccato participationis.

Ab excommunicatione maiori lata à Iudice potest absoluere ille qui tulit eam, vel eius superior.

Ab excommunicatione à iure potest absoluere Episcopus, vel etiam Sacerdos exceptis sex casibus, qui reseruantur conditori iuris.

Primus horum casuum est iniectio violenta manuum in clericum, vel Religiosum.

Ab hoc casu excipiuntur octo.

Septem sunt casus in quibus inijciens manum in clericum non est excõmunicatus.

2 *Vinculum peccati maius est simpliciter vinculo excommunicationis.*

Quoad aliquid est maius vinculum excommunicationis quàm peccati.

3 *Absolutio ab excõmunicatione debet præcedere absolutionem à peccatis.*

4 *Potest aliquis absolui ab excommunicatione inuitus.*

5 *Stante contumatia potest aliquis absolui ab excommunicatione, si eius saluti expediat.*

6 *Potest quis absolui ab vna excommunicatione, & non ab alia.*

Quando quis est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab vno iudice, si ab eo absoluitur ab vna, absolui intelligitur ab omnibus nisi contrariũ exprimat, vel nisi absolutionem excõmunicationis impetrauerit in vno casu tantũ incursæ.

Quando quis est excommunicatus a pluribus iudicibus si absoluatur ab vno, non est absolutus ab altera.

Nisi tamen omnes alij ad petitionem eius excommunicationem suã cõfirmauerint.

Vel nisi omnes demandent absolutionẽ vni.

Quæritur an quilibet Sacerdos possit subditũ suum ab excommunicatione absoluere.

1 RESpondeo dicendum, quòd à minori excommunicatione quilibet potest absoluere, qui potest absoluere à peccato participationis: si autem est maior, aut est lata à Iudice, & sic ille, qui tulit, vel eius superior potest absoluere; vel lata à iure, & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos potest absoluere exceptis sex casibus, quos sibi iuris cõditor scilicet Papa reseruauit: primus est cum aliquis inijcit manus in Clericum, vel Religiosum: secundus est de illo, qui incendit Ecclesiam, & est denuntiatus: tertius est de illo, qui frangit Ecclesiam, & denuntiatus est: quartus est de illo, qui in Diuinis scienter communicat cum excommunicatis nominaliter à Papa: quintus de illo, qui falsat litteras Apostolicæ Sedis: sextus de illo, qui excommunicatis in crimine, communicat, nõ enim debet absolui nisi ab eo, qui excommunicauit, etiam si nõ sit eius subditus, nisi propter difficultatem accedẽdi ad ipsum absolueretur ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote prestita iuratoria cautione, quòd pareret mãdato illius Iudicis, qui sentẽtiam tulit: à primo autem casu octo excipiuntur: primus est in articulo mortis, in quo à qualibet excõmunicatione potest quis à quolibet Sacerdote absolui: secũdus si sit ostiarius alicuius potentis, & nõ ex odio, vel proposito percussit: tertius si percutiens sit mulier: quartus si sit seruus, & Dominus lęderetur de eius absentia, qui non est in culpa: quintus si regularis regularem, nisi sit enormis excessus: sextus si sit pauper: septimus si sit impubes, vel senex, vel valetudinarius: octauus si habent inimicitias capitales: sunt autem alij casus septem, in quibus percutiens Clericum excommunicationem nõ incurrit: primus si causa disciplinæ, vt magister, vel Prælatus percusserit: secundus si iocosa leuitate: tertius si inuenerit eum turpiter agentem cũ vxore, vel Matre, vel sorore, vel filia: quartus si statim vim repellat: quintus si ignoret eum esse Clericum: sextus si inueniat eum in apostasia post trinam admonitionem: septimus

septimus si transfert se Clericus ad actū penitus contrarium, vt fiat miles, vel ad bigamiam transeat. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur quare omnis confessarius non possit absoluere ab excommunicatione, cum possit absoluere à peccato, quod est maius vinculum.

2 Respondeo dicendum, quòd quamuis vinculum peccati sit maius simpliciter, quàm excommunicationis, tamē quo ad aliquid vinculum excommunicationis est maius, inquantùm non solùm obligat quo ad Deum, sed etiam in foro Ecclesiæ: & ideo in absoluendo ab excommunicatione requiritur iurisdictio in exteriori foro, non autem in absolutione à peccato: nec exigitur cautio iuramenti; sicut exigitur in absolutione ab excommunicatione: per iuramenta enim controuersiæ, quæ sunt inter homines terminantur secundùm Apostolum. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. 1. ad 1.

Quæritur an absolutio ab excommunicatione debeat præcedere absolutionem à peccatis.

3 Respondeo dicendum, quòd cum excommunicatus non sit particeps Sacramentorum Ecclesiæ, Sacerdos non potest absoluere excommunicatum à culpa: nisi sit prius absolutus ab excommunicatione. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæritur an aliquis possit absolui ab excommunicatione inuitus.

4 Respondeo dicendum, quòd malum culpæ, & pœnæ differunt in hoc, quòd culpæ in nobis principium est, quia omne peccatum voluntarium est, pœnæ autem principium quandoq; est extra nos; non autem requiritur ad pœnam, quod sit voluntaria, immo magis de ratione pœnæ est contra voluntatem esse: & ideo sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui inuito: sed excommunicatio sicut in aliquem inuitum ferri potest, ita & inuitus ab ea absolui poterit. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an stante contumatia possit quis remittere excommunicationem.

5 Respondeo dicendum, quòd etiam manente contumatia potest aliquis discretè excommunicationem iustè latam remittere: si iudicat saluti illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. 2. ad 2.

Quæritur an irretitus pluribus excommunicationibus possit absolui ab vna, & non ab alia.

6 Respondeo dicendum, quòd excommunicationes non habent connexionem in aliquo: & ideo possibile est, quòd aliquis ab vna absoluatur, & in altera remaneat: sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quandoq; est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab vno Iudice, & tunc quando absoluitur ab vna intelligitur ab omnibus absolui, nisi contrarium exprimatur, vel nisi in causa, qua quis absolutionem impetrat de vno tantùm casu excommunicationis, cum pro pluribus excommunicatus sit: quandoq; est excommunicatus à diuersis Iudicibus, & tunc absolutus ab vna excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera, nisi omnes alij ad petitionem eius excommunicationem suam confirmauerint, vel nisi omnes vni demandent absolutionem. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an absolutio ab excommunicatione habeat determinata verba.

Respondeo dicendum sicut verbo Absolutio. cap.4.

EXCVSATIO.

1 *Quid sit excusatio peccati.*
Excusatio est maximum peccatum.
2 *Dupliciter excusatur aliquis actus scilicet ex parte facientis, & ex parte sui.*
3 *Non excusatur aliquis à peccato si erret sequens operationem erroneam alicuius magistri in his, quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores.*
In rebus dubijs non est de facili præstādus assensus.
4 *Sequens in alijs opiniones magistrorum varias non peccat.*

Quæritur quid sit excusatio peccati.

1 Respondeo dicendum, quòd excusatio peccati est quædam circunstantia aggrauans omne peccatum: & pro tanto dicitur esse maximum peccatum, quia quodlibet facit maius. 2. 2. q.13.a.3.ad 3.

Quæritur quot modis dicatur aliquis actus excusari.

2 Respondeo dicendum, quòd aliquis actus dicitur excusari dupliciter: vno modo ex parte facientis, ita quòd non imputetur facienti in culpam, quamuis sit malus, vel saltem in tantam culpam, sicut ignorantia dicitur excusare peccatum in toto, vel in parte: alio modo dicitur excusari actus ex parte sui, ita scilicet quòd non sit malus. 4. sent. d. 31. q. 2. ar. 1. in corp.

Quæritur an sequens opinionem erroneam alicuius magistri in his, quæ sunt de fide, & pertinent ad bonos mores, excusetur à peccato.

3 Respondeo dicendum, quòd in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum Hæresiarcharum: nec potest excusationē habere propter simplicitatem auditorū, si in talibus erroneam opinionem sequatur, in rebus enim dubijs non est de facili præstandus assensus, quinimmo vt Augustinus dicit in lib.3.de Doctrina Christiana consulere debet quis regulā fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percipit: qui ergo assentit opinioni alicuius magistri cōtra manifestum scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. quodlibeto 3.a.10. in corp.

Quæritur an sequens opiniones diuersas Doctorum in alijs à supra dictis peccet.

4 Respondeo dicendum, quòd diuersæ opiniones Doctorum sacræ scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absq; periculo auditores vtrāque opinionem sequi possunt, tunc enim habet locum quòd Apostolus dicit ad Rom.14. vnusquisq; in suo sensu abūdat. quodlibeto 3.a.10.in corp.

EXEQVIAE.

1 *Quæ fiunt ad ornatum sepulturę sunt viuorum solacia.*
Prosunt defunctis per accidens.

Quæ-

Quæritur an cultus exequiarũ defuncto prosit.

RESpondeo dicendum, quòd illa, quæ ad ornatum sepulturæ exhibetur, prosunt quidem viuis, inquantùm sunt viuorum solacia; sed possunt, & defunctis prodesse, non quidem per se, sed per accidens, inquantùm scilicet per huiusmodi, homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum: vel inquãtùm ex sumptibus sepulturæ, vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. 4. sent. d. 45. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

EXORCISTA.

Quæritur quod nam sit officium exorcistæ.

RESpondeo dicendum, quòd lectores, & exorcistæ habent officium Catechizandi, & exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in Sacerdoti ministrantes. 3. p. q. 71. a. 4. ad 2.

FALLI.

Quæritur in quibus facile fallatur homo.



RESpondeo dicendum, quòd in his, quę ad se ipsum pertinẽt, de facili fallitur homo. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3.

FALSITAS.

1 *Quis dicatur homo falsus.*
2 *Quis sit homo falsus.*
3 *Peccata sunt falsitates quædam.*
4 *Falsitas contraria veritati Diuinę impietas est.*

Quæritur quis dicatur homo falsus.

1 RESpondeo dicendum, quòd dicitur homo falsus, inquantùm est amatiuus falsarum opinionum, vel locutionum. 1. p. q. 17. a. 1. in corp.

Quæritur quis sit homo falsus.

2 Respondeo dicendum, quòd homo dicitur falsus, qui dictis, vel factis ostendit de se aliud, quàm sint. 1. sent. d. 19. q. 5. a. 5. in corp.

Quæritur an peccata sint falsitates.

3 Respondeo dicẽdum, quòd ipsa peccata falsitates, & mendacia dicuntur. 1. p. q 17. a. 1. in corp.

Quæritur quomodo vocetur falsitas contraria veritati Diuinæ.

4 Respondeo dicendum, quòd falsitas contraria veritati Diuinę, impietatis sibi nomẽ assumit. In prologo cõtra Gentes.

FAMILIARITAS.

1 *Nimia familiaritas cum hominibus reuerentiam minuit, & contemptum facit.*
Familiaritas cum Deo *per amorem, & contemplationem quanto maior est, tanto magis facit Deum reuereri.*
2 *Familiaritas cum peccatoribus est vitanda ab infirmis.*
Laudabile est perfectos conuersari cum peccatoribus.
Ab omnibus vitandus est conuictus peccatorum, quo ad consortium peccati.

Quæritur quid faciat familiaritas cum hominibus, & cum Deo.

1 RESpondeo dicendum, quòd consueta conuersatio cum hominibus, & nimia familiaritas reuerentiam minuit, & contemptum parit: & ideo quos familiares magis habemus, minus reuereri consueuimus, & quos familiares

habere non possumus, magis reputamus; cuius contrarium contingit de Deo: nam quanto aliquis Deo per amorem, & contemplationem familiarior efficitur, tanto eum excellentiorem reputans magis reueretur, & se ipsum minorem reputat: & huius ratio est, quia in homine, cum sit infirmæ, & fragilis naturæ, quando cum alio diu conuersatur, cognoscit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reuerentia eius ad eum; sed cum Deus sit immensè perfectus, quanto plus homo in cognitione eius proficit, tãto magis perfectionis eius excellentiam admiratur, & ex hoc eum magis reueretur. Ecc. 6. cap. 4. in Ioannem.

Quæritur an familiaritas cum peccatoribus sit habenda.

2 Respondeo dicendum, quòd conuiuere peccatoribus infirmis quidem, est vitandum propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis subuertantur; perfectis autem, de quorum corruptione nõ timetur, laudabile est, quòd cum peccatoribus conuersentur, vt eos conuertant, sic enim Dominus cũ peccatoribus manducabat, & bibebat, vt dicitur Matthæi 9. conuictus tamen peccatorum quãtùm ad consortium peccati vitandus est omnibus: & sic dicitur secundæ ad Corinth. 6. exite de medio eorum, & immundum, ne tetigeritis, scilicet secundùm peccati consensum. 2. 2. q. 25. a. 6. ad 5.

FESTA.

1 *Quid præcipiatur tertio præcepto Decalogi Dies septima mandatur sanctificanda, idest deputanda ad vacandum Deo.*

2 *Finis obseruationis Sabbati est, vt quis vacet rebus Diuinis.*

In Sabbato cessandum est ab opere simili.

Opus seruile est triplicis generis, primò dicitur peccatum, secundò opus, quo quis seruit homini, & tertiò opus quo quis seruit Deo.

Opus seruile, quo quis seruit Deo non prohibetur in Sabbato.

Exercitium cuiuslibet spiritualis actus non contrariatur obseruantiæ Sabbati.

Peccatum, & opus, quo seruimus hominibus, prohibetur in Sabbato.

Magis peccat contra obseruantiam Sabbati, qui peccat, quàm qui facit opus, quo seruimus homini.

Qui peccat venialiter non facit contra hoc præceptum.

Opus seruile necessarium ad salutem corporis non est contra obseruantiam Sabbati.

Opus corporale ordinatum ad salutem corporis alterius, non est contra obseruantiam Sabbati.

Opus corporale ordinatum ad vitandum imminens damnum rei exterioris, non est contra obseruantiam Sabbati.

3 *Sabbato successit Dies Dominica.*

Phasè successit festum Passionis, et resurrectionis Christi.

Pentecostes, quando data est lex vetus successit Pentecostes, in quo data est lex spiritus vitæ.

Neomeniæ successit festum B. V.

Festo tubarum successerunt festa Martirũ, & Confessorum.

Festo tabernaculorum successit festum Consecrationis.

Festo cœtus successit festum Angelorum, vel Sanctorum omnium.

4 *Quare octo diebus celebratur festum Dedicationis.*

5 *Quare in præcipuis solemnitatibus ministri Ecclesiæ cantant albis, & sericis induti ornamentis.*

Quæritur quid præcipiatur in tertio præcepto Decalogi.

1 RESpondeo dicendum, quòd in tertio præcepto Decalogi præcipitur

cipitur exterior Dei cultus sub signo cōmunis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad repræsentandū opus creationis mundi, à quo requieuisse dicitur Deus septima die, in cuius signum dies septima mandatur sanctificanda, idest deputanda ad vacãdum Deo. 2.2.q.122. a.4.in corp.

Quæritur quæ requirantur ad obseruantiam diei Sabbati.

2 Respondeo dicendum, quòd in obseruantia Sabbati duo sunt consideranda, quorū vnum est sicut finis, & hoc est, vt homo vacet rebus Diuinis, quod significatur in hoc, quod dicit, memēto vt diē Sabbati sanctifices, illa enim dicūtur sanctificari in lege, quę Diuino cultui applicantur: aliud autem est cessatio operum, quæ significatur, cum subditur, septima die Domini Dei tui nō facies omne opus: sed de quo opere intelligatur apparet per id, ꝙ exponitur leuit. 23. omne opus seruile nō facietis in eo, opus autem seruile dicitur à seruitute, est autē triplex seruitus, vna quidē, qua homo seruit peccato secundū illud, qui facit peccatū seruus est peccati, & secundū hoc omne opus peccati dicitur seruile: alia vero seruitus est, qua homo seruit homini, est autē homo alterius seruus non secundùm mentē, sed secundùm Corpus: & ideo opera seruilia secundùm hoc dicuntur opera corporalia, in quibus vnus homo alteri seruit: tertia autem est seruitus Dei, & secūdùm hoc opus seruile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei seruitiū: si autē sic intelligatur opus seruile, nō prohibetur in die Sabbati, quia hoc esset cōtrarium fini obseruationis Sabbati: homo enim adhoc ab alijs operibus abstinet in die Sabbati, vt vacet operibus ad Dei seruitutē pertinentibus: & inde est, quòd dicitur Ioannis 7. circoncisionē homo accipit in Sabbato, vt non soluitur lex Moysi, inde etiā, quod sicut dicitur Matthæi 17. Sabbatis Sacerdotes Sabbatum violant, idest corporaliter in Sabbato operantur, & sine crimine sunt, & sic etiā Sacerdotes in Sabbato circunferentes arcam non transgrediebantur præceptū de Sabbati obseruatione: similiter etiā nullius spiritualis actus exercitiū est contra obseruātiam Sabbati, puta si quis doceat verbo, vel scripto: vndè numeri 28. dicit glos. ꝙ fabri, & huiusmodi artifices otiantur in die Sabbati, lector autē Diuinæ legis, vel doctor ab opere suo nō desinit, nec tamē contaminatur Sabbatū: sicut Sacerdotes in templo Sabbatū violant, & sine crimine sunt: sed alia opera seruilia, quę dicūtur seruilia primò, vel secundò modo cōtrariantur obseruantię Sabbati inquantū impediunt applicationē hominis ad Diuina: & quia magis homo impeditur à rebus Diuinis per opus peccati, quā per opus licitū, quamuis sit corporale: ideo magis contra hoc præceptū agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitū facit: vndè Augustin' dicit in libro de decē Chordis, melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret, & melius fæminæ eorum die Sabbati lanā facerent, quàm tota die in Neomenijs suis impudicè saltarent: non enim qui peccat venialiter in Sabbato, contra hoc præceptū facit, quia peccatū veniale non excludit sanctitatē: opera enim corporalia ad spiritualē Dei cultū non pertinentia in tantùm seruilia dicuntur, inquantùm, propriè pertinent ad seruientes, inquantùm vero sunt communia seruis, & liberis, seruiba non dicūtur: quilibet autē tàm seruus, quàm liber tenetur in necessarijs prouidere non tātùm sibi, sed etiā proximo, præcipuè quidem in his, quæ ad salutem corporis pertinent secundùm illud Prouerb. 24. Erue eos, qui durantur ad mortem: secundario autem etiam in damno rerum vitando secundùm illud Deut, 22. non videbis

bouem

bouem fratris sui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo: & ideo opus corporale pertinens ad conseruandam salutem proprij corporis non violat Sabbatum: non enim est contra obseruãtiam Sabbati, quòd aliquis commedat: & alia huiusmodi faciat, quibus salus corporis cõseruatur: & propter hoc Machabei non polluerunt Sabbatum pugnantes ad sui defensionem die Sabbati, vt legitur primo Machabeorum 2. similiter nec etiam Helias fugiens à facie Iezabel in die Sabbati: & propter hoc etiam Dominus Matthæi 12. excusat discipulos suos, qui colligebant spicas in die Sabbati propter necessitatem, quàm patiebãtur: similiter opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra obseruantiam Sabbati: vndè dicitur Ioannis 7. mihi indignamini, quia tutum hominem saluum feci in Sabbato: similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum: vndè dicit Dominus Matthæi 12. quis erit ex vobis homo, qui habet vnam ouẽ: & si cæciderit Sabbato in foueam, nõ ne tenebit, & leuabit eã? 2.2.q.122.a.4.ad 3.

Quæritur vndè originẽ habuerint multa festa.

3 Respondeo dicendum, quòd Sabbatum, quod significabat primam creationem mutatur in diem Dominicũ, in quo commemoratur noua creatura inchoata in resurrectione Christi: & similiter alijs solemnitatibus veteris legis nouæ solemnitates succedunt: quia beneficia illi populo exhibita significant beneficia nobis concessa per Christum: vndè festo Phase succedit festum Passionis Christi, & resurrectionis; Festo Pentecostes, in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ: Festo Neomeniæ succedit festum B. Virginis, in quo primò apparuit illuminatio solis, scilicet Christi per copiã gratiæ: Festo Tubarum succedũt festa Martirum, & Confessorum: Festo tabernaculorum succedit festum Consecrationis Ecclesiæ: festo cætus, atq; collectæ succedit festum Angelorum, vel etiam festũ omnium Sanctorum. p.2.q.103.a.3. ad 4.

Quæritur quare octo diebus celebratur festum Dedicationis.

4 Respondeo dicẽdum, quòd octo diebus solemnitas dedicationis agitur, ad signicandam Beatam resurrectionẽ Christi, & membrorum Ecclesiæ: vndè de cõsecrat. d.1. dicitur solemnitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ. 3.p.q.83. ar. 3. ad 4.

Quæritur quare in præcipuis solemnitatibus ministri Ecclesię cantant induti albis, vel sericis ornamentis.

5 Respondeo dicendum, quòd in præcipuis solemnitatibus ministri Ecclesiæ induti albis, vel sericis ornamentis cantant, & legunt, vt nouum canticum, nemo nisi innouatus cantare præsumat. super Psalm. 39.

FICTIO.

1 *Quid sit fictio.*
Quando fictio sit peccatum.
2 *Fictio consequitur ad superbiam.*

Quæritur an fictio sit speciale peccatum.

1 Respondeo dicẽdum, quòd fictio propriè est, cum aliquis aliquid ostendit dicto, vel facto, quod non est in rei veritate: hoc autem contingit dupliciter: vno modo quando ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostẽdatur, quã rei veritas habet, & tunc fictio est

est speciale peccatum: alio modo quando aliquid ostenditur, quod rei veritas non habet dicto, vel facto, etiam si non propter hoc dicatur, vel fiat. 4. sent. d. 4. q. 3. a. 2. quæstiunc. 2. ad 1. [Ecc. 2. cap. 2. primæ ad Timotheum.

Quæritur ad quod vitium consequatur fictio.

2 Respondeo dicendum, quòd fictio se habet ad superbiam consequẽter: ex hoc enim quòd aliquis appetit excellentiam, cõsequitur, quod talem exterius se exhibeat, vt apud alios aliquo modo excellat. q. 8. de malo. a. 3. ad 10.

F I D E S.

1 *Fidei non potest subesse falsum.*
2 *Secundum aliquos duodecim sunt articuli fidei, quorum sex pertinent ad Diuinitatem, & sex ad humanitatem Christi.*
In vniuerso articuli fidei sunt quattuordecim.
3 *Articuli fidei non creuerunt per temporũ successionem, quantùm ad substantiam.*
Numerus articulorum creuit quantùm ad explicationem.
4 *Si ille qui natus, & nutritus est in siluis, vel inter infideles, fecerit quantùm in se est de quærenda salute sua. Deus illi prouidebit, vel mittendo ei Diuinitus Prædicatorem, vel reuelando ei ea, quę sunt necessaria ad salutem.*

Quęritur an fidei possit subesse falsum.

1 Respondeo dicendum, quòd ratio formalis obiecti fidei est veritas prima: vndè nihil potest cadere sub fide, nisi inquantùm stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest: vndè relinquitur, quod fidei non potest subesse aliquod falsum. 2. 2. q. 1. a. 3. in corp.

Quęritur quot, & qui sint articuli fidei.

2 Respondeo dicendum, quòd illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruimur, & per quæ ducemur ad vitam æternam: duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum Diuinitatis, cuius visio nos Beatos facit, & misterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus: & ideo prima distinctio credibilium est, quòd quędam pertinent ad maiestatem Diuinitatis, quędam vero pertinent ad misteriũ humanitatis Christi, quod est pietatis Sacramentum: circa maiestatem autem Diuinitatis, tria nobis credenda proponuntur: primò quidem vnitas Diuinitatis, & adhoc pertinet primus articulus: secundò Diuinitas personarum, & de hoc sunt tres articuli secundùm tres personas: tertiò verò proponuntur nobis opera Diuinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse creaturæ: & sic proponitur nobis articulus creationis, secundum verò pertinet ad esse gratiæ: & sic proponuntur nobis sub vno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam: tertiùm vero pertinet ad esse gloriæ: & sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, & de vita æterna: & ita sunt septẽ articuli ad Diuinitatem pertinentes: similiter etiam circa Diuinitatem Christi ponuntur septem articuli, quorũ primus est de incarnatione, siue de conceptione Christi: secundus de Natiuitate eius ex Virgine: tertius de Passione eius, & morte, & sepultura: quartus est de descensu ad inferos: quintus est de resurrectione: sextus de ascensione: septimus de aduẽtu ad iudicium: & sic in vniuerso sunt quattuordecim: quidam tamen distinguunt duodecim articulos fidei: sex pertinentes ad Diuinitatem, & sex pertinẽtes ad humanitatem: tres enim articulos trium personarum comprehendunt sub

vno

vno: quia eadem est cognitio trium personarum, articulum verò de opere glorificationis distinguunt in duos scilicet resurrectionem carnis, & gloriam animæ: similiter articulum Conceptionis, & Natiuitatis coniungunt in vnum. 2.2.q. 1. a. 8. in corp.

Quæritur an numerus articulorum creuerit secundùm successionem temporum.

3 Respondeo dicendum, quòd ita se habent in doctrina fidei articuli fidei, sicut principia per se nota in doctrina, quę per rationem naturalem habetur, in quibus principijs ordo quidam inuenitur, vt quædam in alijs implicitè contineantur: sicut omnia principia reducuntur adhoc, sicut ad primum, impossibile est simul affirmare, & negare, vt patet per Phylosophum in 4. Metaph. & similiter omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet vt credatur Deum esse, & prouidentiam habere circa hominum salutem: secundum illud Heb. 11. accedentẽ ad Deũ oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit: in esse enim Diuino includuntur omnia, quæ credimus, in Deo æternaliter existere, in quibus nostra Beatitudo existit: in fide autem prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominũ salutem, quæ sunt via in Beatitudinem: & per hunc etiam modum aliorũ subsistentium articulorum quidam in alijs continentur: sicut in fide redemptionis humanæ implicitè continentur, & incarnatio Christi, & eius Passio, & omnia huiusmodi: sic ergo dicendum est, quòd quãtùm ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporũ successionem: quia quæcunq; posteriores crediderunt continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicitè, sed quãtùm ad explicationem creuit numerus articulorum: quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. 2.2.q.1.a.7.in corp.

Quæritur an ille, qui est natus, & nutritus in siluis, vel inter infideles, saluabitur sine fide.

4 Respondeo dicendum, quòd si talis faceret, quod in se est de quærendo salutem, Deus illi prouidebit de salute sua: nunquàm enim Deus homini quærenti suam salutem deest, vel defuit, nisi ex culpa sua remaneat: vndè explicatio eorum, quæ sunt de necessitate salutis, vel diuinitus illi prouidebuntur per Prædicatorem fidei: sicut patet de Cornelio act. 10. vel per reuelationem, qua supposita in potestate liberi arbitrij est, vt in actum fidei exeat. 3.sent.d 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1. & 2. [a.2 quæstiunc. 2. in corp. [2.sent.d.28.a.4.ad 4. [d. 29. q. 1.a.2.ad 4. [q. 14. de verit. a.11.ad 1. & 2. [Ecc.3. cap. 10. ad Romanos [Ecc. 3. cap.10.ad Hæbreos.

FORNICATIO.

1 *Vndè dicatur fornicatio.*
2 *Quid sit fornicatio.*
3 *In sacra scriptura per fornicationem idolatria, seu infidelitas significatur.*
4 *Fornicatio simplex est peccatum mortale.*
5 *Fornicatio est grauius peccatum, quàm peccata, quæ sunt contra bona exteriora.*
Fornicatio est minus peccatũ, quàm peccata, quæ sunt directè contra Deum, & cõtra vitam hominis nati.
6 *Fornicatio simplex non est minimum peccatorum luxuriæ.*
7 *In simplici fornicatione plus peccat vir, quàm mulier.*
8 *Non potest vxor dare licentiam marito, vt fornicetur.*

9 Quando

9 *Quando vir non possit excipere contra vxorem de fornicatione & quando possit*
10 *Septem casus in quibus non licet verò dimittere vxorem fornicantem.*

Quæritur vndè dicatur fornicatio.

1 RESpondeo dicendum, quòd dicitur fornicatio à fornice, quia iuxta fornices, id est arcus triumphales, & in alijs locis, vbi homines conueniebant, congregabantur meretrices, & ibi polluebantur. 4. sent d. 41 a. 4. quæstiunc. 1. in corp. [q. 15. de malo a. 3. in corp.

Quæritur quid sit fornicatio.

2 Respondeo dicendum, quòd fornicatio est concubitus soluti cum soluta. q. 15 de malo a. 3. in corp.

Quæritur quid in sacra scriptura significetur per fornicationem.

3 Respondeo dicendum, quòd in sacra scriptura specialiter per fornicationem idolatria, & infidelitas designantur: sed alia peccata magis remota significatione, dicuntur spirituales fornicationes. 4. sent. d. 39. ar. 6. ad 2. [2. 2. q. 151. ar. 2. in corp.

Quæritur an fornicatio simplex sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd absq; omni dubio tenendum est, quod fornicatio simplex sit peccatum mortale, nó obstante quòd Deut. 23. super illud non erit meretrix &c. dicit glosa, ad eas prohibet accedere, quarum est venialis turpitudo, non enim debet dici venialis, sed venalis, quod est proprium meretricum. Ad huius autem euidentiam considerandum est, quod peccatum mortale est omne peccatum, quod committitur directè contra vitam hominis: fornicatio autē simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, qui est ex tali concubitu nasciturus: videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & fæminæ, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fæminam vnam, vel plures, sicut patet in omnibus auibus: secus autem in animalibus, in quibus sola fæmina sufficit ad æducationem fætus, in quibus est vagus concubitus, vt patet in canibus, & huiusmodi alijs animalibus: manifestum est autem, quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura Patris, à quo est instruendus, & defendendus, & in bonis, tàm interioribus, quàm exterioribus promouendus: & ideo contra naturam hominis est, quod vtatur vago concubitu, sed oportet, quod sit maris ad determinatam fæminam, cum quo permaneat non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam: & inde est, quod naturaliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis: quia eis imminet educatio prolis: hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus; hæc autē determinatio certæ fæminæ matrimoniū vocatur: & ideo dicitur esse de iure naturali: sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt sub determinatione legis, consequens est, quod ista coniunctio maris ad fæminam, quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur: vndè cum fornicatio sit concubitus vagus, vt potè præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ: & ideo est peccatum mortale: nec obstat si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter prouideat proli de educatione, quia id, quod

quod cadit sub legis determinatione iudicatur secundùm id, quod communiter accidit,& non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere. 2.2.q.154. a. 2. in corp.

Quæritur an fornicatio sit grauissimum peccatum.

5 Respondeo dicẽdum, quòd grauitas alicuius &c. peccati potest attẽdi dupliciter, vno modo secundùm se: alio modo secundùm accidens: secundùm se quidẽ attenditur grauitas peccati ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secundùm bonum, cui peccatum opponitur: fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri: & ideo est grauius peccatum secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra bona exteriora, sicut est furtum,& alia huiusmodi; minus est autem peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium. 2.2.q. 154.a.3.in corp.

Quæritur an fornicatio sit minimum peccatorum luxuriæ.

6 Respondeo dicendum, quòd fornicatio non est minimum peccatorum, quæ sub luxuria continentur: minus enim est concubitus cum vxore, qui fit ex libidine. 2.2.q.154.a.2.ad 6.

Quæritur an in fornicatione magis peccet vir, quam mulier.

7 Respondeo dicendum, quòd simpliciter loquẽdo cæteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quàm mulier, quia habet plus de rationis bono, quod præualet quibuslibet motibus corporalium passionum, 4. sent. d. 35. q. 1. a. 4. ad 5.

Quæritur an vxor possit dare licentiam marito, vt fornicetur.

8 Respondeo dicendum, quòd mulier habet potestatem in corpore viri nõ simpliciter quantùm ad omnia, sed solùm quantùm ad matrimonij vsum: & ideo non potest contra matrimonij bonum corpus viri alteri præbere. 4.sent. d. 33. q.1.a.3.quæstiunc.1.ad 5.

Quæritur an vir possit excipere contra vxorẽ de fornicatione, si dedit ei occasionem fornicandi.

9 Respondeo dicendum, quòd si mulier conuersa repetat virum suum conuersum, vir non potest excipere contra eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionem fornicationi dedit, puta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia Creatoris: alios potest excipere,& tamen ratificatur matrimonium, ita quòd vlterius non possit solui quantùm ad vinculum, vt viro liceat aliam vxorẽ ducere, quamuis possit solui quantùm ad vsum. 4.sent.d.39. in expositione litteræ. [Ecc.2.cap. 7. primæ ad Corinth.

Quæritur in quibus casibus non liceat viro dimittere vxorem fornicantem.

10 Respondeo dicendum, quòd septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere: primus casus quando ipsemet eam prostituit: secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit: tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia nõ vult reddere debitum: quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuũ alteri nupsit: quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit: sextus quando sub specie viri ab altero cognita fuit: septimus quando fuit à viro post adulterium

terium manifestè depræhensum nihilominus retenta. Ecc. 2. cap. 7. primæ ad Corinthios.

Quæritur quomodo fornicator communicans se comparetur Iudę osculanti Christum.

Respondeo dicendum sicut verbo Cōmunio.

FVRTVM.

1 *Ad rationem furti tria concurrunt.*
Furtum est occulta acceptio rei alienæ.
2 *Furtum, & rapina distinguuntur specie.*
3 *Furtum quattuor modis committitur.*
4 *Furti nomine prohibetur omnis turpis quæstus.*
5 *Furtum continetur sub fraude.*
6 *Furtum omne est peccatum.*
7 *Furtum est peccatum mortale.*
8 *Furtum dicitur non grandis culpa in casu necessitatis, vel per comparationem ad adulterium.*
9 *Furtũ rei minimæ non est peccatũ mortale*
Furans minima animo nocendi proximo, in talibus minimis potest esse peccatum mortale.
10 *Furari non dicitur ille, qui accipit alienũ occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis*
11 *Furari non dicitur ille, qui apud se retinet gemmas, vel lapillos in littore maris inuentas.*
Inueniens thesaurum in agro alieno tenetur illius medietatem dare Domino agri.
Furari non dicitur ille, qui accipit res inuentas de propinquo in aliquibus bonis animo restituendi eas Domino, qui eas non habet pro derelictis.
Idem dicendum est, si pro derelictis habeantur & hoc credatur ab inuentore.
Alias committitur furtum.
12 *Qui rem suam depositam apud alium accipit grauat depositarium, & peccat.*
Iste tenetur ad releuandum grauamen depositarij.
Si furtim accipiat rem suam apud alium iniustè detentam, peccat contra iustitiam communem.
Iste tenetur satisfacere Deo, & sedare scā-dalum, si aliquod ortum est.
Non tenetur tamen ad restitutionem, nec ad recompensationem.
13 *In casu necessitatis quando aliter aliquis non potest subueniri, potest sibi prouidere ex alienis rebus, siue occultè, siue manifestè sublatis.*
Hoc non erit furtum.
14 *In casu necessitatis alienum fit eius, qui patitur necessitatem.*
15 *In simili casu necessitatis licet alicui occultè accipere aliena, vt subueniat proximo.*
16 *Rapina est grauius peccatum furto.*
17 *Pro furto, quod non causat damnum irreparabile non debetur pæna mortis.*
Furto grauato per circunstantiam debetur pæna mortis.

Quæritur quid sit furtum?

1 RΕspondeo dicendum, quòd ad rationem furti tria concurrunt, quorum primùm conuenit sibi secũdùm quòd contrariatur Iustitiæ, quæ vnicuiq; tribuit, quod suum est, & ex hoc competit ei, quod vsurpat alienum: secundùm verò pertinet ad rationem furti, prout distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam, sicut ab homicidio, & adulterio, & secundùm hoc cōpetit furto, quod sit circa rem possessam, si quis enim accipiat id, quod est alterius nō est quasi possessio, sed quasi pars, sicut si amputet mēbrum, vel sicut persona coniuncta, vt si aufferat filiam, vel vxorem non habet propriè rationem furti: tertia differentia est, quæ complet rationem furti, vt scilicet occultè vsurpetur alienum, & secundùm hoc propria ratio furti est, vt sit occulta acceptio rei alienæ. 2. 2. q. 66. a. 3. in corp.

Quæ-

Quæritur an furtum, & rapina distinguantur specie.

2 Respondeo dicendum, quòd furtum, & rapina sunt vitia iustitiæ opposita inquantùm aliquis alteri facit iniustum: nullus autem patitur iniustum volens, vt probatur in 5. eth. & ideo furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quòd acceptio est inuoluntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur: inuoluntarium autem dupliciter dicitur scilicet per ignorantiam, & violentiam, vt habetur in 3. eth. & ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum: ergo propter hoc differunt specie. 2. 2. q. 66. a. 4. in corp.

Quæritur quot modis committatur furtum.

3 Respondeo dicẽdum, quòd committitur furtum multis modis: primò occultè accipiendo: secundò violenter auferendo: tertiò mercedem non soluendo: quartò fraudem in mercationibus committendo. opusculo 4. cap. de 7. precepto.

Quæritur quid probibeatur per furtum.

4 Respondeo dicendum, quòd legislator per furtum prohibet omnem turpem quæstum. 3. sent. d. 37. ar. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæritur sub quo contineatur furtum.

5 Respondeo dicendum, quòd furtum est quædam specificatio fraudis: vndè sub fraude cõtinetur. 2. 2. q. 118. a 8. ad 3.

Quæritur an furtum semper sit peccatum.

7 Respondeo dicẽdum, quòd si aliquis consideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inueniet: primò quidem propter cõtrarietatem ad iustitiam, quæ reddit vnicuiq; quod suum est: & sic furtum iustitiæ opponitur, inquantùm est acceptio rei alienæ: secundò rationem doli, seu fraudis, quam fur committit occultè, & quasi ex insidijs rem alienam vsurpando: vndè manifestum est, quòd omne furtum est peccatum. 2. 2. q. 66. ar. 5. in corp.

Quæritur an furtum sit peccatum mortale.

7 Respondeo dicendum, quòd peccatũ mortale est, quod contrariatur Charitati secundùm quòd est spiritualis animæ vita: Charitas autem consistit quidẽ principaliter in dilectione Dei, secundariò verò in dilectione proximi, ad quem pertinet, vt homo proximo bonum velit, & operetur: per furtum autem homo infert nocumẽtum proximo in suis rebus: & si passim homines sibi inuicem furarẽtur, periret humana societas: vndè furtũ tanquam contrarium Charitati est peccatum mortale. 2. 2. q. 66. a. 6. in corp.

Quæritur quomodo intelligatur id, quod legitur prouerb. 6. non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit.

8 Respondeo dicendum, quòd furtum dicitur non esse grandis culpæ duplici ratione: primò quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quę diminuit, vel totaliter tollit culpam: vndè subditur, furatur enim, vt esuriẽtem impleat animam: alio modo dicitur furtũ non esse grandis culpæ per comparationem ad reatum adulterij, quod punitur morte: vndè subdit de fure, quòd deprę̃hensus reddet septuplum, qui autẽ adulter est, perdet animam suam. 2. 2. q. 66. a. 6. ad 1.

Quæritur an ille, qui furatur minima peccet mortaliter.

9 Respondeo dicendum, quòd illud quod

quod modicum est ratio apprehendit quasi nihil: & ideo in his, quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri, & ille, qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra voluntatem eius, cuius est res, & pro tanto si quis furtiuè huiusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali: si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumẽtum proximo etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per cõsensum. 2.2.q.66.a.6.ad 3.

Quæritur an ille, qui accipit rem alienam auctoritate Iudicis dicatur furari.

10 Respondeo dicendum, quòd accipere rem alienam, vel occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis decernentis nõ est furtum, quia iam fit sibi debitum per hoc, quod sententialiter sibi est ad iudicatum: vndè multo minus furtum fuit, quod filij Israel tulerunt spolia ægiptiorum de præcepto Domini hoc decernentis pro afflictionibus, quibus ægiptij eos sine causa afflixerant: & ideo signanter dicitur Sap. 10. Iusti tulerunt spolia impiorum. 2. 2. quæst. 66. ar. 5. ad 1.

Quæritur an qui apud se retinet inuenta dicatur furari.

11 Respondeo dicendum, quòd circa res inuentas est distinguendum, quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur, & eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum nõ est aliquis possessor, nisi quòd secundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem Domino agri: si in alieno agro inuenerit, propter quòd in parabola Euangelij dicitur Matthæi 13. de inuentore thesauri abscõditi in agro, quod emit agrum, quasi vt haberet ius possidendi totum thesaurũ: quædam verò res inuẽtæ fuerunt de propinquo in aliquibus bonis, & tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis habeantur, & hoc credat inuẽtor, licet sibi eas retineat, non committit furtum, alias autem committitur peccatum furti: vndè Augustinus dicit in quadam homilia, & habetur 14. q. 5. si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

Quæritur an qui accipit rem suam apud alium dicatur furari.

12 Respondeo dicendum, quòd ille, qui furtim accipit rem suam apud aliũ depositam, grauat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostẽdendum se esse innoxium: vndè manifestum est, quod peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij: qui verò furtim accipit rem suam apud alium iniustè detentam, peccat quidem non quia grauet eum, qui detinet: & ideo non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum, sed peccat contra cõmunem iustitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium iuris ordine prætermisso: & ideo tenetur Deo satisfacere, & dare operam, & scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur. 2.2.q.66.a.5.ad 3.

Quæritur an liceat alicui furari propter necessitatem.

13 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt iuris humani non possunt derogare iuri naturali, vel iuri Diuino, secundùm autem naturalem ordinem ex Diuina prouidentia institutum res inferiores sunt ordinatæ adhoc, quod ex his

subueniatur hominum necessitati:& ideo per rerum diuisionem, & appopriationẽ ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subueniẽdum ex huiusmodi rebus: & ideo res, quas aliqui superabundanter habent ex naturali iure debentur pauperum sustẽtationi: vndè Ambrosius dicit, & habetur in Decretis.d.47. esurientium panis est, quæ tu detines, nudorum indumentũ est, quod tu recludis, miserorum redemptio,& absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis: sed quia multi sunt necessitatem pacientes,& non potest ex eadem re omnibus subueniri, committitur arbitrio vniuscuiusq; dispẽsatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat necessitatem pacientibus: si tamen adeo sit euidens,& vrgens necessitas, vt manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subueniendum, puta cum immi net personæ periculum,& aliter subueniri non potest, tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subuenire, siue manifestè, siue occultè sublatis: nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ. 2.2.q 66.a.7.in corp.

Quęritur quare non sit furtum accipere aliena in extrema necessitate.

14 Respondeo dicendum, quòd vti re aliena occultè accepta in casu necessitatis extremæ non habet rationẽ furti propriè loquendo: quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentãdum propriam vitam. 2.2. q.66.a.7.ad 2.

Quæritur an in casu similis necessitatis liceat accipere aliena pro subuentione proximi.

15 Respondeo dicendum, quòd in casu similis necessitatis etiam potest aliquis occultè rem alienam accipere, vt subueniat proximo sic indigenti. 2.2. q. 66. ar. 7. ad 3.

Quęritur an furtum sit grauius peccatum, quàm rapina.

16 Respondeo dicẽdum, quòd rapina, & furtum habent rationem peccati propter inuolũtarium, quod est ex parte eius, cui aliquid auffertur: ita tamen quòd in furto est inuoluntarium per ignorãtiam; in rapina autem est inuoluntarium per violentiam: magis est autem aliquid inuoluntarium per violentiam, quàm per ignorantiam, quia violentia directius opponitur voluntati, quàm ignorantia: & ideo rapina est grauius peccatum, quàm furtum: est & alia ratio, quia per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quandam personæ ignominiam, siue iniuriam: & hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum. 2. 2. q. 66. a. 9. in corp.

Quæritur quàm pœnam mereatur furtum.

17 Respondeo dicendum, quòd pœnæ præsentis vitæ magis sunt medicinales, quàm retributiuæ: retributio enim reseruatur Diuino iudicio, quod est secundùm veritatem in peccantes: & ideo secundùm iudicium præsentis vitæ nõ pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis; sed solum pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiã pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatem: & ideo pro furto, quod irreparabile damnum non infert, non infligitur secundùm præsens iudiciũ pœna mortis, nisi vt furtum aggrauatur per aliquam grauem circunstantiam, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, & de peculatu, quod est furtum rei communis, vt patet per Augustinum super Ioannem, & de plagio, quod

quod est furtum hominis, pro quo quis morte punitur, vt patet exodi 21. 2.2. q. 66.a.6.ad 3.

GLORIA.

1 *Gloria quid significet.*
Gloria quid sit.
Appetitus gloriæ de se non est peccatum.
Appetitus inanis gloriæ est peccatum.
Gloria dicitur vana tripliciter.
2 *Inanis gloria non contrariatur Charitati quo ad dilectionem proximi.*
Inanis gloria potest contrariari Charitati quo ad dilectionem Dei dupliciter, primò ratione materiæ, secundo ex parte ipsius gloriantis, & vtroq; modo est peccatum mortale.
Inanis gloria, quæ non repugnat Charitati, nec ex parte materiæ, nec ex parte gloriantis, est peccatum veniale.
3 *Inanis gloria est vitium capitale.*
4 *Septem sunt filiæ inanis gloriæ, & aquę.*
5 *Qua ratione inanis gloria dicatur periculosum peccatum.*
6 *Per inanem gloriam amittitur meritum operationum, etiam si sit peccatū veniale*
7 *Qua ratione vituperatur inanis gloria circa eleemosinam.*
8 *Inanis gloria opponitur directè magnanimitati.*
9 *Ex appetitu humanæ gloriæ aliquis prouocatur ad virtutem.*
Iste tamen non est virtuosus.

Quæritur an appetitus gloriæ sit peccatum.

1 Respondeo dicendum, quòd gloria claritatem quandam significat: vndè gloriari idem est, quod clarificari, vt Augustinus dicit super Ioannē: Claritas autem, & decor quandam habet manifestationem: & ideo nomen gloriæ propriè importat manifestationem alicuius de hoc, quod apud homines decorū videtur, siue illud sit bonum corporale aliquod: siue spirituale: quia verò illud, quod simpliciter clarum est, à multis cōspici potest, & à remotis: ideo propriè per nomen gloriæ designatur, quòd bonum alicuius deueniat in multorum notitiam, & approbationē secundùm quòd Salustius dicit in Casilinario gloriari ad vnum non est: largius tamē accepto gloriæ nomine non solùm consistit in multitudinis cognitione, sed etiam paucorum, vel vnius, aut sui solius, dum scilicet aliquis proprium bonum considerat, vt dignum laude: quod autem aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum: similiter etiam non est peccatū, quòd aliquis velit bona opera sua ab alijs appròbari: & ideo appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum, sed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat, nam quodlibet vanum appetere vitiosum est; potest autem gloria dici vana tripliciter: vno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta cū quis quærit gloriam de eo, quod non est, vel de eo, quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili, & caduca: alio modo ex parte eius, à quo quis gloriam quęrit, puta hominis, cuius iudicium non est certum: tertiò ex parte ipsius, qui gloriā appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem. 2. 2. q. 132. a. 1. in corp.

Quęritur an inanis gloria sit peccatū mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd ex hoc aliquid peccatum est mortale, quod Charitati cōtrariatur, peccatum autē inanis gloriæ secundùm se consideratum nō videtur contrariari Charitati quantùm ad dilectionē proximi: quantū autē ad dilectionem Dei potest contrariari Charitati dupliciter, vno modo ratione materię, de qua quis gloriatur, puta cū quis gloriatur de aliquo falso, quod cōtrariatur Diuinę

reuerētiæ, vel etiam cum quis bonū temporale, de quo gloriatur, præfert Deo, aut etiam cum quis pręfert testimonium hominum testimonio Dei: alio modo ex parte ipsius gloriātis, qui intentionē suā refert ad gloriam, tanquam ad vltimum finem, ad quem scilicet ordinat etiā virtutis opera, & pro quo consequendo non prætermittit etiam facere ea, quæ sunt contra Deum: & sic est peccatum mortale: vndè Augustinus dicit in 5. de Ciuit. Dei quòd hoc vitium scilicet amor humanæ laudis, tàm inimicum est piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas glorię, quā Dei timor, vel amor: si autem amor humanæ gloriæ, quamuis sit inanis, non tamen repugnet Charitati, neq; quantùm ad id, de quo est gloria, neq; quantùm ad intentionem gloriam quærentis non est peccatum mortale, sed veniale. 2. 2. q. 132. a. 3. in corp.

Quæritur an inanis gloria sit vitium capitale.

3 Respondeo dicendum, quòd de vitijs capitalibus dupliciter aliqui loquuntur, quidam enim ponunt superbiam vnum de vitijs capitalibus, & hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia, Gregorius autem in 31. moralium superbiam ponit reginam omnium vitiorum, & inanem gloriam, quæ immediatè ab ipsa oritur, ponit vitium capitale, & rationabiliter, superbia enim importat inordinatum appetitum excellētiæ, ex omni autem bono, quod quis appetit, quandam perfectionem, & excellentiam consequitur: & ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiæ, & propter hoc videtur, quod habeat quandam generalem causalitatem super alia vitia, & non debeat computari inter specialia vitiorum principia, quæ sunt vitia capitalia; inter bonam autem, per quæ excellentiam homo consequitur præcipuè ad hoc operari videtur gloria, inquantùm importat manifestationem bonitatis alicuius, nam bonum naturaliter amatur, & honoratur ab omnibus: & ideo sicut per gloriam, quæ est apud Deum consequitur homo excellentiam in rebus Diuinis, ita etiam per gloriam hominum consequitur homo excellentiam in rebus humanis: & ideo propter propinquitatem ad excellentiam, quàm homines maximè desiderant, consequens est, quod sit multum appetibilis, & quia ex ei' inordinato appetitu multa vitia oriūtur: ideo inanis gloria est vitium capitale. 2. 2. q. 132. a. 4. in corp.

Quæritur quot, & quę sint filiæ inanis glorię.

4 Respondeo dicēdum, quòd filiæ inanis gloriæ sunt inobedientia, iactantia, hipocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptio, illa enim vitia, quę de se nata sunt ordinari ad finem alicuius vitij capitalis dicūtur filię eius, finis autem inanis glorię est manifestatio proprię excellētię ad q̄ potest homo tēdere dupliciter: vno modo directè, siue per verba: & sic est iactantia, siue per facta: & sic si sint vera habētia aliquā admirationē est præsūptio nouitatū, quas homines solent magis admirari; si autem per falsa sit: sic est hipocrisis: alio autem modo nititur aliquis manifestare suā excellentiam indirectè ostendendo se nō esse alio minorem, & hoc quadrupliciter: primò quidem quantùm ad intellectum: & sic est pertinacia, per quàm homo nimis innititur suæ sententiæ nolens credere sententię meliori: secundò quantùm ad voluntatem: & sic est discordia, dum non vult à propria volūtate discedere vt alijs concordet: tertiò quantùm ad locutionem: & sic est contentio, cū aliquis verbis clamosè contra aliū litigat; quartò quātùm ad factum: & sic est inobedientia, dū scilicet aliquis non vult exequi superioris præceptum, 2. 2. q. 132. a. 5. in corp.

Quæ-

Quæritur an inanis gloria sit periculosum peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd inanis gloria dicitur esse periculosum peccatũ non tantùm propter grauitatem sui, sed etiam propter hoc, quod est dispositio ad grauia peccata inquantùm scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de se ipso confidens, & sic etiam paulatim disponi adhoc, quod homo priuetur interioribus bonis, 2. 2. 132. a. 3, ad 3.

Quæritur an inanis gloria tollat meritum ab opere virtuoso.

6 Respondeo dicendum, quòd nullus peccando meretur vitam æternam: vndè opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etiam si illa inanis gloria non sit peccatum mortale, sed quando aliquis simpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non solum quantùm ad vnum actum, tunc inanis gloria est peccatum mortale, 2. 2. q. 132. ar. 3. ad 1.

Quæritur an inanis gloria vituperetur circa eleemosinam.

7 Respondeo dicendum, quòd inanis gloria vituperatur circa eleemosinam propter defectum Charitatis, quæ videtur esse in eo, qui præfert inanem gloriam vtilitati proximi, dum propter hoc illud facit: non autem vituperatur aliquis ex hoc, quod præsumat eleemosinam facere, quasi aliquid nouum. 2. 2. q. 132. a. 5 ad 3.

Quæritur cui opponatur inanis gloria.

8 Respondeo dicendum, quòd gloria est quidam effectus honoris, & laudis: ex hoc enim quòd aliquis laudatur, vel quęcunq; reuerentia ei exhibetur, redditur Clarus in notitia aliorũ: & quia magnanimitas est circa honorem, cõsequens est etiam, vt sit circa gloriã, vt scilicet sicut aliquis moderatè vtitur honore, ita etiã moderatè vtatur gloria: & ideo inordinatus appetitus gloriæ directè magnanimitati opponitur. 2. 2. q. 132. a. 2. in corp.

Quęritur ad quid iuuet appetitus humanę gloriæ.

9 Respondeo dicendum, quòd prouocantur aliqui ad virtutum opera ex appetitu gloriæ humanæ, sicut ex appetitu aliorum terrenorum bonorum: non tamẽ est verè virtuosus, qui propter humanam gloriam opera virtutis operatur, vt Augustinus probat in 5. de Ciuit. Dei. 2. 2. q. 132. a. 1. ad 2.

GRATIARVM ACTIO.

1 *Gratiarum actio debet esse ordinata, assidua, vniuersalis.*

2 *Recompensatio beneficij potest pertinere ad tres virtutes, scilicet iustitiam, gratiam, & amicitiam.*

Quando pertinet ad iustitiam, debet attendi secundùm quantitatem dati.

Quando pertinet ad amicitiam, debet esse respectus ad amicitię causam.

Quando pertinet ad Gratiam, magis debet attendi secundùm effectum dantis, quam secundùm effectum.

3 *Debitum legale statim soluendum est.*

Debitum morale soluendum est tempore debito.

4 *Benefactori per se debetur honor, & gloria.*

Per accidens subuentio debetur.

5 *Dationi liberę, seu Donationi debetur gratiarum actio.*

6 *Gratiæ sunt agendæ non solum danti, sed etiam promittenti.*

sunt, per quæ, quid quid debemus reddere, & fælicibus possumus fidele cõsilium, assidua conuersatio, sermo comis, & sine adulatione iucũdus: & ideo nõ oportet, vt homo optet indigentiam eius, seu miseriam, qui beneficiũ dedit adhoc, quod beneficiũ recompensetur, quia vt Seneca dicit in 6. de beneficijs, si hoc ei optares, cuius nullũ beneficium haberes, inhumanũ erat votũ, quãtò inhumanius ei optas, cui beneficiũ debes? 2.2.q.106.a.3.ad 5.

Quæritur an sit facienda recompensatio beneficij illi, qui mutatus est de virtute in vitiũ.

11 Respondeo dicendũ, quòd si ille, qui beneficiũ dedit in peius mutatus est: debet tamẽ sibi fieri recompẽsatio secundũ statum ipsius, vt scilicet ad virtutẽ reducatur, si sit possibile: si autem sit insanabilis propter malitiã, tunc alter est effectus, quàm prius erat: & ideo non debetur ei recõpensatio beneficij sicut prius: & tamen quantùm fieri potest salua honestate memoria debet haberi præstiti beneficij, vt patet per Phylosophum in 9. eth, 2.2 q.106.a.3.ad 5.

Quæritur an sit facienda recompensatio beneficij, quãdo potest cuerti in damnũ illius, cui fit recompensatio.

12 Respondeo dicendũ, quòd sicut dictũ est, recompẽsatio beneficij præcipuè pẽdet ex affectu: & ideo eo modo debet recompensatio fieri, quo magis sit vtilis; si tamẽ postea per eius iniuriã in damnum ipsius vertatur, non imputatur recompẽsãti, vt Seneca dicit in 6. de beneficijs reddendũ mihi est, non seruandũ, cũ reddidero, ac tuendum 2.2.q.106.a. 3. ad 6.

Quæritur an homo debeat statim beneficium recompensare.

Respondeo dicendum sicut verbo Beneficium.

GRATITVDO.

Tria requiruntur ad gratitudinem.

Quæritur quot, & quæ requirantur ad gratitudinem.

Respondeo dicendum, quòd gratitudo, vel gratia est vna specialis virtus, in qua tria considerãtur: primùm est, quod homo acceptum beneficium recognoscat: secundùm est, quod laudet, & gratias agat: tertiùm est, quod retribuat prolo, & tempore secundum suam facultatem. 2.2.q.107.a.2.in corp.

G V L A.

1 *In quo consistat Gula.*
2 *Gula respicit delectationes tactus.*
3 *Primus motus Gulæ non est sine peccato.*
4 *Gula est peccatum,*
5 *Quando gula sit peccatum mortale, & quando veniale.*
6 *Gula reductiuè opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati.*
7 *Peccatum gulæ alleuiatur ex parte peccantis.*
Gula ex parte effectus habet quandã magnitudinem.
8 *Nocumentum, quod præstat cibus corpori Gulosi non aggrauat directè peccatum gulæ.*
Aggrauat tamen peccatum, si sequatur nocumentum corporale ex immoderata sumptione sibi.
9 *Peccat mortaliter sumens scienter cibum immutantem totam conditionem vitæ.*
10 Quinq; *sunt species Gulę.*
11 *Gula est vitium capitale.*
12 Quinq; *sunt filię Gulę.*
13 *Vomitus ex nimio cibo, vel potu est vitiosus.*
Vomitus de consilio medicinę est sine culpa.

Quę-

Quæritur in quo consistat vitium gulæ.

1 RESpondeo dicendum, quòd vitiū gulæ, non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione: & ideo si aliquis excedat in quantitate cibi non propter concupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad Gulam, sed aliquam imperitiam, sed hoc solum pertinet ad Gulam, quòd aliquis propter concupiscentiā cibi delectabilis sciēter excedat mensuram in edendo. 2. 2. q. 107. a. 1. ad 2.

Quæritur an Gula respiciat delectationes tactus.

2 Respondeo dicēdum, quòd Gula respicit delectationē tactus: gulosus enim non dicitur aliquis ex hoc, quod delectetur in sapore cibi, sed in sumptione eius, quasi tactu delectatus, vt Phylosophus dicit in 3. eth. [q. 8. de malo ar. 1. ad 9. [q. 14. a. 3. ad 4.

Quæritur an in primo motu gulæ sit peccatū.

3 Respondeo dicendum, quòd primus motus gulæ importat inordinationem in appetitu sensitiuo, qui non est sine peccato. 2. 2. q. 148. a. 1. ad 3.

Quæritur an Gula sit peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd Gula nō nominat quemlibet appetitum edendi, & bibendi, sed inordinatum: dicitur autem appetitus inordinatus, ex eo quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit: ex hoc autem dicitur aliquid esse peccatum, quod virtuti contrariatur: vndè manifestum est, quòd Gula est peccatum. 2. 2. q. 148. a. 1. in corp. [q. 14. de malo a. 1. in corp.

Quæritur an Gula sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est vitium gulæ, propriè consistit in concupiscentia inordinata: ordo autem rationis concupiscentiam ordinātis dupliciter tolli potest: vno modo quantùm ad ea, quæ sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commensurata, vt sint proportionata fini: alio modo quantùm ad ipsum finem, prout scilicet concupiscentia hominem auertit à fine debito: si ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur in Gula secundùm auersionem à fine vltimo, sic gula erit peccatum mortale: quod quidem contingit, quando delectationi Gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet cōtra præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi assequatur: si verò in vitio gulę intelligatur inordinatio cōcupiscentiæ tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, vt potè quia nimis concupiscit delectationes ciborū: non tamē ita quòd propter hoc faceret aliquid cōtra legē Dei, est peccatū veniale. 2. 2. q. 148. a. 2. in corp. [q. 14. de malo a. 2. in corp.

Quæritur cui præcepto opponatur Gula.

6 Respondeo dicendum, quòd vitium gulæ habet quòd sit peccatum mortale inquantùm auertit à fine vltimo: & secūdùm hoc per quandam reductionem opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati, in quo præcipitur quies in fine vltimo: non enim omnia peccata mortalia directè contrariantur præceptis decalogi, sed solū illa, quæ iniustitiā continent: quia præcepta decalogi specialiter pertinent ad iustitiam, & partes eius. 2. 2. q. 148. a. 2. ad 1. [q. 14. de malo a. 2. ad 14.

Quæritur an peccatum Gulæ sit maximum peccatorum.

7 Respondeo dicēdum, quòd grauitas

alicuius

quod cadit sub legis determinatione iudicatur secundùm id, quod communiter accidit,& non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere. 2.2.q.154. a. 2. in corp.

Queritur an fornicatio sit grauissimum peccatum.

5 Respondeo dicẽdum, quòd grauitas alicuius &c. peccati potest attẽdi dupliciter, vno modo secundùm se: alio modo secundùm accidens: secundùm se quidẽ attenditur grauitas peccati ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secundùm bonum, cui peccatum opponitur: fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri: & ideo est grauius peccatum secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra bona exteriora, sicut est furtum,& alia huiusmodi; minus est autem peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium. 2.2.q. 154.a.3.in corp.

Quæritur an fornicatio sit minimum peccatorum luxuriæ.

6 Respondeo dicendum, quòd fornicatio non est minimum peccatorum, quæ sub luxuria continentur: minus enim est concubitus cum vxore, qui fit ex libidine. 2.2.q.154.a.2.ad 6.

Quæritur an in fornicatione magis peccet vir, quam mulier.

7 Respondeo dicendum, quòd simpliciter loquẽdo cæteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quàm mulier, quia habet plus de rationis bono, quod prævalet quibuslibet motibus corporalium passionum, 4. sent. d. 35. q. 1. a. 4. ad 5.

Quæritur an vxor possit dare licentiam marito, vt fornicetur.

8 Respondeo dicendum, quòd mulier habet potestatem in corpore viri nõ simpliciter quantùm ad omnia, sed solùm quantùm ad matrimonij vsum: & ideo non potest contra matrimonij bonum corpus viri alteri præbere. 4.sent. d. 33. q.1.a.3.quæstiunc.1.ad 5.

Quæritur an vir possit excipere contra vxorẽ de fornicatione, si dedit ei occasionem fornicandi.

9 Respondeo dicendum, quòd si mulier conuersa repetat virum suum conuersum, vir non potest excipere contra eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionem fornicationi dedit, puta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia Creatoris: alios potest excipere,& tamen ratificatur matrimonium, ita quòd vlterius non possit solui quantùm ad vinculum, vt viro liceat aliam vxorẽ ducere, quamuis possit solui quantùm ad vsum. 4.sent.d. 39. in expositione litteræ. [Ecc.2.cap. 7. primæ ad Corinth.

Quæritur in quibus casibus non liceat viro dimittere vxorem fornicantem.

10 Respondeo dicendum, quòd septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere: primus casus quando ipsemet eam prostituit: secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit: tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia nõ vult reddere debitum: quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuũ alteri nupsit: quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit: sextus quando sub specie viri ab altero cognita fuit: septimus quando fuit à viro post adul-

terium

terium manifestè deprahensum nihilominus retenta. Ecc. 2. cap. 7. primæ ad Corinthios.

Quæritur quomodo fornicator communicans se comparetur Iudę osculanti Christum.

Respondeo dicendum sicut verbo Cõmunio.

FVRTVM.

1 *Ad rationem furti tria concurrunt.*
Furtum est occulta acceptio rei alienæ.
2 *Furtum, & rapina distinguuntur specie.*
3 *Furtum quattuor modis committitur.*
4 *Furti nomine prohibetur omnis turpis quæstus.*
5 *Furtum continetur sub fraude.*
6 *Furtum omne est peccatum.*
7 *Furtum est peccatum mortale.*
8 *Furtum dicitur non grauis culpa in casu necessitatis, vel per comparationem ad adulterium.*
9 *Furtũ rei minimæ non est peccatũ mortale*
Furans minima animo nocendi proximo, in talibus minimis potest esse peccatum mortale.
10 *Furari non dicitur ille, qui accipit alienũ occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis*
11 *Furari non dicitur ille, qui apud se retinet gemmas, vel lapillos in littore maris inuentas.*
Inueniens thesaurum in agro alieno tenetur illius medietatem dare Domino agri.
Furari non dicitur ille, qui accipit res inuentas de propinquo in aliquibus bonis animo restituendi eas Domino, qui eas non habet pro derelictis.
Idem dicendum est, si pro derelictis habeantur & hoc credatur ab inuentore.
Alias committitur furtum.
12 *Qui rem suam depositam apud alium accipit grauat depositarium, & peccat.*
Iste tenetur ad releuandum grauamen depositarij.
Si furtim accipiat rem suam apud alium iniustè detentam, peccat contra iustitiam communem.
Iste tenetur satisfacere Deo, & sedare scãdalum, si aliquod ortum est.
Non tenetur tamen ad restitutionem, nec ad recompensationem.
13 *In casu necessitatis quando aliter aliquis non potest subueniri, potest sibi prouidere ex alienis rebus, siue occultè, siue manifestè sublatis.*
Hoc non erit furtum.
14 *In casu necessitatis alienum fit eius, qui patitur necessitatem.*
15 *In simili casu necessitatis licet alicui occultè accipere aliena, vt subueniat proximo.*
16 *Rapina est grauius peccatum furto.*
17 *Pro furto, quod non causat damnum irreparabile non debetur pæna mortis.*
Furto grauato per circunstantiam debetur pæna mortis.

Quæritur quid sit furtum?

1 Respondeo dicendum, quòd ad rationem furti tria concurrunt, quorum primùm conuenit sibi secũdùm quòd contrariatur Iustitiæ, quæ vnicuiq; tribuit, quod suum est, & ex hoc competit ei, quod vsurpat alienum: secundùm verò pertinet ad rationem furti, prout distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam, sicut ab homicidio, & adulterio, & secundùm hoc cõpetit furto, quod sit circa rem possessam, si quis enim accipiat id, quod est alterius nõ est quasi possessio, sed quasi pars, sicut si amputet mẽbrum, vel sicut persona coniuncta, vt si aufferat filiam, vel vxorem non habet propriè rationem furti: tertia differentia est, quæ complet rationem furti, vt scilicet occultè vsurpetur alienum, & secundùm hoc propria ratio furti est, vt sit occulta acceptio rei alienæ. 2. 2. q. 66. a. 3. in corp.

Quæ

Quæritur an furtum, & rapina distinguantur specie.

2 Respondeo dicendum, quòd furtum, & rapina sunt vitia iustitiæ opposita inquantùm aliquis alteri facit iniustum: nullus autem patitur iniustum volens, vt probatur in 5. eth. & ideo furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quòd acceptio est inuoluntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur: inuoluntarium autem dupliciter dicitur scilicet per ignorantiam, & violentiam, vt habetur in 3. eth. & ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum: ergo propter hoc differunt specie. 2. 2. q. 66. a. 4. in corp.

Quæritur quot modis committatur furtum.

3 Respondeo dicẽdum, quòd committitur furtum multis modis: primò occultè accipiendo: secundò violenter auferendo: tertiò mercedem non soluendo: quartò fraudem in mercationibus committendo. opusculo 4. cap. de 7. præcepto.

Quæritur quid prohibeatur per furtum.

4 Respondeo dicendum, quòd legislator per furtum prohibet omnem turpem quæstum. 3. sent. d. 37. ar. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæritur sub quo contineatur furtum.

5 Respondeo dicendum, quòd furtum est quædam specificatio fraudis: vndè sub fraude cõtinetur. 2. 2 q. 118. a 8. ad 3.

Quæritur an furtum semper sit peccatum.

6 Respondeo dicẽdum, quòd si aliquis consideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inueniet: primò quidem propter cõtrarietatem ad iustitiam, quæ reddit vnicuiq; quod suum est: & sic furtum iustitiæ opponitur, inquantùm est acceptio rei alienæ: secundò rationem doli, seu fraudis, quam fur committit occultè, & quasi ex insidijs rem alienam vsurpando: vndè manifestum est, quòd omne furtum est peccatum. 2. 2. q. 66. ar. 5. in corp.

Quæritur an furtum sit peccatum mortale.

7 Respondeo dicendum, quòd peccatũ mortale est, quod contrariatur Charitati secundùm quòd est spiritualis animæ vita: Charitas autem consistit quidẽ principaliter in dilectione Dei, secundariò verò in dilectione proximi, ad quem pertinet, vt homo proximo bonum velit, & operetur· per furtum autem homo infert nocumẽtum proximo in suis rebus: & si passim homines sibi inuicem furarẽtur, periret humana societas: vndè furtũ tanquam contrarium Charitati est peccatum mortale. 2. 2. q. 66. a. 6. in corp.

Quæritur quomodo intelligatur id, quod legitur prouerb. 6. non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit.

8 Respondeo dicendum, quòd furtum dicitur non esse grandis culpæ duplici ratione: primò quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quę diminuit, vel totaliter tollit culpam: vndè subditur, furatur enim, vt esuriẽtem impleat animam: alio modo dicitur furtũ non esse grandis culpæ per comparationem ad reatum adulterij, quod punitur morte: vndè subdit de fure, quòd depręhensus reddet septuplum, qui autẽ adulter est, perdet animam suam. 2. 2. q. 66. a. 6. ad 1.

Quæritur an ille, qui furatur minima peccet mortaliter.

9 Respondeo dicendum, quòd illud quod

quod modicum est ratio apprehendit quasi nihil: & ideo in his, quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri, & ille, qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra voluntatem eius, cuius est res, & pro tanto si quis furtiuè huiusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali: si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumētum proximo etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per cōsensum. 2.2.q.66.a.6.ad 3.

Quæritur an ille, qui accipit rem alienam auctoritate Iudicis dicatur furari.

10 Respondeo dicendum, quòd accipere rem alienam, vel occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis decernentis nō est furtum, quia iam fit sibi debitum per hoc, quod sententialiter sibi est ad iudicatum: vndè multo minus furtum fuit, quod filij Israel tulerunt spolia ægiptiorum de præcepto Domini hoc decernentis pro afflictionibus, quibus ægiptij eos sine causa afflixerant: & ideo signanter dicitur Sap. 10. Iusti tulerunt spolia impiorum. 2. 2. quæst. 66. ar. 5. ad 1.

Quæritur an qui apud se retinet inuenta dicatur furari.

11 Respondeo dicendum, quòd circa res inuentas est distinguendum, quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur, & eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum nō est aliquis possessor, nisi quòd secundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem Domino agri: si in alieno agro inuenerit, propter quòd in parabola Euangelij dicitur Matthæi 13. de inuentore thesauri abscōditi in agro, quod emit agrum, quasi vt haberet ius possidendi totum thesaurū: quædam verò res inuētæ fuerunt de propinquo in aliquibus bonis, & tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis habeantur, & hoc credat inuētor, licet sibi eas retineat, non committit furtum, alias autem committitur peccatum furti: vndè Augustinus dicit in quadam homilia, & habetur 14. q. 5. si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

Quæritur an qui accipit rem suam apud alium dicatur furari.

12 Respondeo dicendum, quòd ille, qui furtim accipit rem suam apud aliū depositam, grauat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostēdendum se esse innoxium: vndè manifestum est, quod peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij: qui verò furtim accipit rem suam apud alium iniustè detentam, peccat quidem non quia grauet eum, qui detinet: & ideo non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum, sed peccat contra cōmunem iustitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium iuris ordine prætermisso: & ideo tenetur Deo satisfacere, & dare operam, & scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur. 2.2.q.66.a.5.ad 3.

Quæritur an liceat alicui furari propter necessitatem.

13 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt iuris humani non possunt derogare iuri naturali, vel iuri Diuino, secundùm autem naturalem ordinem ex Diuina prouidentia institutum res inferiores sunt ordinatæ adhoc, quod ex his

ſubueniatur hominum neceſſitati:& ideo per rerum diuiſionem, & appopriationē ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis neceſſitati ſit ſubueniēdum ex huiuſmodi rebus: & ideo res, quas aliqui ſuperabundanter habent ex naturali iure debentur pauperum ſuſtētationi: vndè Ambroſius dicit, & habetur in Decretis.d.47. eſurientium panis eſt, quæ tu detines, nudorum indumentū eſt, quod tu recludis, miſerorum redemptio, & abſolutio eſt pecunia, quam tu in terram defodis: ſed quia multi ſunt neceſſitatem pacientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubueniri, committitur arbitrio vniuſcuiuſq; diſpēſatio propriarum rerum, vt ex eis ſubueniat neceſſitatem pacientibus: ſi tamen adeo ſit euidens, & vrgens neceſſitas, vt manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubueniendum, puta cum immi net perſonæ periculum, & aliter ſubueniri non poteſt, tunc licitè poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubuenire, ſiue manifeſtè, ſiue occultè ſublatis: nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ. 2.2.q 66.a.7.in corp.

Quęritur quare non ſit furtum accipere aliena in extrema neceſſitate.

14 Reſpondeo dicendum, quòd vti re aliena occultè accepta in caſu neceſſitatis extremæ non habet rationē furti propriè loquendo: quia per talem neceſſitatem efficitur ſuum id, quod aliquis accipit ad ſuſtentādum propriam vitam. 2.2. q.66.a.7.ad 2.

Quæritur an in caſu ſimilis neceſſitatis liceat accipere aliena pro ſubuentione proximi.

15 Reſpondeo dicendum, quòd in caſu ſimilis neceſſitatis etiam poteſt aliquis occultè rem alienam accipere, vt ſubueniat proximo ſic indigenti. 2. 2. q. 66. ar. 7. ad 3.

Quęritur an furtum ſit grauius peccatum, quàm rapina.

16 Reſpondeo dicēdum, quòd rapina, & furtum habent rationem peccati propter inuolūtarium, quod eſt ex parte eius, cui aliquid auffertur: ita tamen quòd in furto eſt inuoluntarium per ignorātiam; in rapina autem eſt inuoluntarium per violentiam: magis eſt autem aliquid inuoluntarium per violentiam, quàm per ignorantiam, quia violentia directius opponitur voluntati, quàm ignorantia: & ideo rapina eſt grauius peccatum, quàm furtum: eſt & alia ratio, quia per rapinam non ſolum infertur alicui damnum in rebus, ſed etiam vergit in quandam perſonæ ignominiam, ſiue iniuriam: & hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum. 2. 2. q. 66. a. 9. in corp.

Quæritur quàm pænam mereatur furtum.

17 Reſpondeo dicendum, quòd pœnæ præſentis vitæ magis ſunt medicinales, quàm retributiuæ: retributio enim reſeruatur Diuino iudicio, quod eſt ſecundùm veritatem in peccantes: & ideo ſecundùm iudicium præſentis vitæ nō pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis; ſed ſolum pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiā pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatem: & ideo pro furto, quod irreparabile damnum non infert, non infligitur ſecundùm præſens iudiciū pœna mortis, niſi vt furtum aggrauatur per aliquam grauem circunſtantiam, ſicut patet de ſacrilegio, quod eſt furtum rei ſacræ, & de peculatu, quod eſt furtum rei communis, vt patet per Auguſtinum ſuper Ioannem, & de plagio, quod

quod est furtum hominis, pro quo quis morte punitur, vt patet exodi 21. 2.2. q. 66.a.6.ad 3.

G L O R I A.

1 *Gloria quid significet.*
Gloria quid sit.
Appetitus gloriæ de se non est peccatum.
Appetitus inanis gloriæ est peccatum.
Gloria dicitur vana tripliciter.
2 *Inanis gloria non contrariatur Charitati quo ad dilectionem proximi.*
Inanis gloria potest contrariari Charitati quo ad dilectionem Dei dupliciter, primò ratione materiæ, secundo ex parte ipsius gloriantis, & vtroq; modo est peccatum mortale.
Inanis gloria, quæ non repugnat Charitati, nec ex parte materiæ, nec ex parte gloriantis, est peccatum veniale.
3 *Inanis gloria est vitium capitale.*
4 *Septem sunt filiæ inanis gloriæ, & a quę.*
5 *Qua ratione inanis gloria dicatur periculosum peccatum.*
6 *Per inanem gloriam amittitur meritum operationum, etiam si sit peccatū veniale*
7 *Qua ratione vituperatur inanis gloria circa eleemosinam.*
8 *Inanis gloria opponitur directè magnanimitati.*
9 *Ex appetitu humanæ gloriæ aliquis prouocatur ad virtutem.*
Iste tamen non est virtuosus.

Quæritur an appetitus gloriæ sit peccatum.

1 Respondeo dicendum, quòd gloria claritatem quandam significat: vndè gloriari idem est, quod clarificari, vt Augustinus dicit super Ioannē: Claritas autem, & decor quandam habet manifestationem: & ideo nomen gloriæ propriè importat manifestationem alicuius de hoc, quod apud homines decorū videtur, siue illud sit bonum corporale aliquod: siue spirituale: quia verò illud, quod simpliciter clarum est, à multis cōspici potest, & à remotis: ideo propriè per nomen gloriæ designatur, quòd bonum alicuius deueniat in multorum notitiam, & approbationē secundùm quòd Salustius dicit in Casilinario gloriari ad vnum non est: largius tamē accepto gloriæ nomine non solùm consistit in multitudinis cognitione, sed etiam paucorum, vel vnius, aut sui solius, dum scilicet aliquis proprium bonum considerat, vt dignum laude: quod autem aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum: similiter etiam non est peccatū, quòd aliquis velit bona opera sua ab alijs approbari: & ideo appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum, sed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat, nam quodlibet vanum appetere vitiosum est; potest autem gloria dici vana tripliciter: vno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta cū quis quærit gloriam de eo, quod non est, vel de eo, quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili, & caduca: alio modo ex parte eius, à quo quis gloriam quęrit, puta hominis, cuius iudicium non est certum: tertiò ex parte ipsius, qui gloriā appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem. 2. 2. q. 132. a. 1. in corp.

Quęritur an inanis gloria sit peccatū mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd ex hoc aliquid peccatum est mortale, quod Charitati cōtrariatur, peccatum autē inanis gloriæ secundùm se consideratum nō videtur contrariari Charitati quantùm ad dilectionē proximi: quantū autē ad dilectionem Dei potest contrariari Charitati dupliciter, vno modo ratione materię, de qua quis gloriatur, puta cū quis gloriatur de aliquo falso, quod cōtrariatur Diuinę

reuerẽtiæ,vel etiam cum quis bonũ temporale,de quo gloriatur, præfert Deo, aut etiam cum quis pręfert testimonium hominum testimonio Dei : alio modo ex parte ipsius gloriãtis, qui intentionẽ suã refert ad gloriam,tanquam ad vltimum finem,ad quem scilicet ordinat etiã virtutis opera,& pro quo consequendo non prætermittit etiam facere ea, quæ sunt contra Deum:& sic est peccatum mortale : vndè Augustinus dicit in 5. de Ciuit. Dei quòd hoc vitium scilicet amor humanæ laudis,tàm inimicum est piæ fidei, si màior in corde sit cupiditas glorię,quã Dei timor,vel amor : si autem amor humanæ gloriæ,quamuis sit inanis, non tamen repugnet Charitati, neq; quantùm ad id,de quo est gloria,neq; quantùm ad intentionem gloriam quærentis non est peccatum mortale, sed veniale. 2. 2. q. 132.a.3. in corp.

Quæritur an inanis gloria sit vitium capitale.

3 Respondeo dicendum,quòd de vitijs capitalibus dupliciter aliqui loquuntur, quidam enim ponunt superbiam vnum de vitijs capitalibus, & hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia, Gregorius autem in 31.moralium superbiam ponit reginam omnium vitiorum, & inanem gloriam, quæ immediatè ab ipsa oritur,ponit vitium capitale, & rationabiliter,superbia enim importat inordinatum appetitum excellẽtiæ,ex omni autem bono,quod quis appetit, quandam perfectionem, & excellentiam consequitur : & ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiæ, & propter hoc videtur, quod habeat quandam generalem causalitatem super alia vitia, & non debeat computari inter specialia vitiorum principia, quæ sunt vitia capitalia; inter bonam autem, per quæ excellentiam homo consequitur præcipuè ad hoc operari videtur gloria, inquantùm importat manifestationem bonitatis alicuius, nam bonum naturaliter amatur,& honoratur ab omnibus:& ideo sicut per gloriam, quæ est apud Deum consequitur homo excellentiam in rebus Diuinis, ita etiam per gloriam hominum consequitur homo excellentiam in rebus humanis : & ideo propter propinquitatem ad excellentiam, quàm homines maximè desiderant,consequens est, quod sit multum appetibilis, & quia ex ei' inordinato appetitu multa vitia oriũtur: ideo inanis gloria est vitium capitale. 2.2.q.132.a.4.in corp.

Quæritur quot,& quę sint filiæ inanis glorię.

4 Respondeo dicẽdum, quòd filiæ inanis gloriæ sunt inobedientia, iactantia, hipocrisis, contentio,pertinacia, discordia,nouitatum præsumptio,illa enim vitia,quę de se nata sunt ordinari ad finem alicuius vitij capitalis dicũtur filię eius, finis autem inanis glorię est manifestatio proprię excellẽtię ad ꝙ potest homo tẽdere dupliciter : vno modo directè,siue per verba:& sic est iactantia,siue per facta: & sic si sint vera habẽtia aliquã admirationẽ est præsũptio nouitatũ,quas homines solent magis admirari; si autem per falsa sit: sic est hipocrisis : alio autem modo nititur aliquis manifestare suã excellentiam indirectè ostendendo se nõ esse alio minorem, & hoc quadrupliciter : primò quidem quantùm ad intellectum : & sic est pertinacia,per quàm homo nimis innititur suæ sententiæ nolens credere sententię meliori : secundò quantùm ad voluntatem : & sic est discordia, dum non vult à propria volũtate discedere vt alijs concordet: tertiò quantùm ad locutionem:& sic est contentio,cũ aliquis verbis clamosè contra aliũ litigat; quartò quãtùm ad factum:& sic est inobedientia,dũ scilicet aliquis non vult exequi superioris præceptum.2.2.q.132.a.5. in corp.

Quæ-

Quæritur an inanis gloria sit periculosum peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd inanis gloria dicitur esse periculosum peccatū non tantùm propter grauitatem sui, sed etiam propter hoc, quod est dispositio ad grauia peccata inquantùm scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de se ipso confidens, & sic etiam paulatim disponi adhoc, quod homo priuetur interioribus bonis, 2. 2. 132. a. 3. ad 3.

Quæritur an inanis gloria tollat meritum ab opere virtuoso.

6 Respondeo dicendum, quòd nullus peccando meretur vitam æternam: vndè opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etiam si illa inanis gloria non sit peccatum mortale, sed quando aliquis simpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non solum quantùm ad vnum actum, tunc inanis gloria est peccatum mortale, 2. 2. q. 132. ar. 3. ad 1.

Quæritur an inanis gloria vituperetur circa eleemosinam.

7 Respondeo dicendum, quòd inanis gloria vituperatur circa eleemosinam propter defectum Charitatis, quæ videtur esse in eo, qui præfert inanem gloriam vtilitati proximi, dum propter hoc illud facit: non autem vituperatur aliquis ex hoc, quod præsumat eleemosinam facere, quasi aliquid nouum. 2. 2. q. 132. a. 5 ad 3.

Quæritur cui opponatur inanis gloria,

8 Respondeo dicendum, quòd gloria est quidam effectus honoris, & laudis: ex hoc enim quòd aliquis laudatur, vel quęcunq; reuerentia ei exhibetur, redditur Clarus in notitia aliorū: & quia magnanimitas est circa honorem, cōsequens est etiam, vt sit circa gloriā, vt scilicet sicut aliquis moderatè vtitur honore, ita etiā moderatè vtatur gloria: & ideo inordinatus appetitus gloriæ directè magnanimitati opponitur. 2. 2. q. 132. a. 2. in corp.

Quęritur ad quid iuuet appetitus humanę gloriæ.

9 Respondeo dicendum, quòd prouocantur aliqui ad virtutum opera ex appetitu gloriæ humanæ, sicut ex appetitu aliorum terrenorum bonorum: non tamē est verè virtuosus, qui propter humanam gloriam opera virtutis operatur, vt Augustinus probat in 5. de Ciuit. Dei. 2. 2. q. 132. a. 1. ad 2.

GRATIARVM ACTIO.

1 *Gratiarum actio debet esse ordinata, assidua, vniuersalis.*

2 *Recompensatio beneficij potest pertinere ad tres virtutes, scilicet iustitiam, gratiam, & amicitiam.*

Quando pertinet ad iustitiam, debet attendi secundùm quantitatem dati.

Quando pertinet ad amicitiam, debet esse respectus ad amicitiæ causam.

Quando pertinet ad Gratiam, magis debet attendi secundùm effectum dantis, quam secundùm effectum.

3 *Debitum legale statim soluendum est.*

Debitum morale soluendum est tempore debito.

4 *Benefactori per se debetur honor, & gloria.*

Per accidens subuentio debetur.

5 *Dationi liberę, seu Donationi debetur gratiarum actio.*

6 *Gratiæ sunt agendæ non solum danti, sed etiam promittenti.*

7 *Seruis facientibus vltra debitum gratiæ sunt habendæ .*

8 *Gratiæ sunt habendæ benefacienti indebito modo .*

Minus tamen, quàm si debito modo daret beneficium .

9 *Pauper faciendo quòd potest non est ingratus .*

10 *Recompensatio beneficij debet fieri existenti in statu fælici per exhibitionem honoris .*

11 *Benefactori mutato de virtute in vitium debet fieri recompensatio secundùm statum eius, vt scilicet reducat, ad virtutē.*

Si non potest reduci ad virtutem, habenda est memoria beneficij accepti salua honestate .

12 *Recompensatio debet fieri alicui modo, quo sit magis vtilis ei .*

Si postea vertatur in damnum illius non imputatur recompensanti .

Quæritur qualis debeat esse gratiarum actio .

1 RESpondeo dicendum, quòd gratiarum actio debet esse ordinata, scilicet ad Deum, item assidua, item vniuersalis. Ecc.1.cap.1.primæ ad Thessalonicenses .

Quæritur an gratiarum actio sit attendenda secundùm affectum benefacientis, an secundùm affectum.

2 Respondeo dicendum, quòd recompensatio beneficij potest ad tres virtutes pertinere scilicet ad Iustitiam, ad Gratiam, & ad amicitiam : ad iustitiam quidem pertinet, quādo recompensatio habet rationem debiti legalis, sicut in mutuo, & alijs huiusmodi, & in tali recompensatio debet attendi secundùm quantitatem dati : ad amicitiam autem pertinet recompensatio beneficij, & similiter ad virtutem gratiæ secundùm quòd habet rationem debiti moralis, aliter tamen, & aliter : nam in recompensatione amicitiæ oportet respectum haberi ad amicitiæ causam: vndè in amicitia vtilis debet recompensatio fieri secundū vtilitatem, quàm quis ex beneficio cōsecutus est; in amicitia autem honesti debet in recompēsatione haberi respectus ad electionem, siue ad effectum dātis: quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem, vt dicitur in 8. eth. & similiter quia gratia respicit beneficium secundùm quòd est gratis impensum, quod quidam pertinet ad affectum : ideo etiam gratiæ recompensatio attendit magis affectum dātis, quàm effectum.2.2.q.106.a.5. in corp.

Quæritur an oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione, quàm susceperit in beneficio .

Respondeo dicendum sicut verbo Beneficium .

Quæritur an debitum sit statim soluendum.

3 Respondeo dicendum, quòd debitū legale est statim soluendum, alioquin nō esset conseruata iustitiæ æqualitas, si vnus retineret rem alterius absq; eius voluntate ; sed debitum morale dependet ex honestate debentis : & ideo oportet reddi debito tempore secundùm quòd exigit rectitudo virtutis.2.2.q.106.a.4.ad 1.

Quæritur an homo teneatur ad gratiarū actiones omni homini benefacienti .

4 Respondeo dicendum, quòd omnis effectus naturaliter ad suam causam cōuertitur: vndè Dionisius dicit 3. cap. de Diuinis nominibus, quod Deus in se omnia conuertit tanquam omnium causa, semper enim oportet, quod effectus ordinetur ad finem agentis, manifestum est autem quòd benefactor inquantùm huiusmodi est causa beneficiati: & ideo naturalis

turalis ordo requirit, vt ille, qui suscipit beneficium, per gratiarum recompensationem conuertatur ad benefactorem secundùm modum vtriusque, & benefactori quidem inquantùm huiusmodi debetur honor, & reuerentia eo quòd habet rationem principij, sed per accidens debetur ei subuentio, vel sustentatio, si indigeat. 2.2.q.106.a.3.in corp.

Queritur cui dationi debeatur gratiarũ actio.

5 Respondeo dicendum, quòd gratiarum actio dationem respicit: est autem duplex datio, vna quæ respicit debitum, vel iam existẽs, sicut cum quis alicui reddit, quod debet, vel vt fiat, sicut cum quis emit, vel dat aliquid, vt alterum sibi debitum fiat, & hæc datio ad iustitiam pertinet: alia autem est, quæ neutro modo respicit debitum, & hæc propriè donatio dicitur, & ad liberalitatem pertinet: & quia ad hanc dationem nihil inclinat, nisi voluntas dandi: ideo gratuita dicitur, & tali dationi gratiarum actio propriè debetur, vt quis gratiæ factæ retributionem faciat secundùm suum modũ. 4.sent.d.22.q.1.a.2.quæstiunc.1.in corp.

Queritur an Gratiarum actio debeatur nedum danti sed etiam promittenti.

6 Respondeo dicendũ, quòd non solùm danti, sed etiam promittenti gratię agãtur. 2.2.q.88.a.5.ad 2.

Quæritur an seruis gratiæ sint habendæ à Dominis.

7 Respondeo dicendum, quòd sicut Seneca dicit in 3. de beneficijs quamdiu seruus præstat, quod à seruo exigi solet, ministerium est vbi plusquam à seruo necesse est, beneficium est: vbi enim in effectum amici transit, incipit vocari beneficium: & ideo etiam seruis vltra debitũ facientibus gratiæ sunt habendæ. 2. 2. q. 106.a.3.ad 4.

Queritur an gratiarum actiones sint habendę benefactori beneficia danti non cum contumelia, tarditate, vel tristitia.

8 Respondeo dicẽdum, quòd boni animi est, vt magis attendatur ad bonum, quàm ad malum: & ideo si aliquis beneficium dedit non eo modo, quo debuit, non ideo debet recipiens à gratiarum actione cessare; minus tamen, quàm si debito modo præstitisset, quia etiam beneficium minus est, quia vt Seneca dicit in lib. de beneficijs multum celeritas facit, multum abstulit mora. 2. 2. q. 106. a. 3. ad 3.

Queritur an pauper teneatur recompensare beneficium.

9 Respondeo dicendum, quòd etiam pauper ingratus non est, si faciat, quod possit: sicut enim beneficium magis in affectu consistit, quàm in effectu, ita etiam recompensatio magis in affectu consistit: vndè Seneca dicit in 2. de beneficijs, qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit, quod gratè autem ad nos beneficia peruenerint indicemus effusis affectibus, quod non ipso tantùm audiente, sed vbiq; testemur. 2.2. q. 106. ar. 3. ad 5.

Queritur quomodo debeat fieri recompensatio beneficij existenti in fęlicitate.

10 Respondeo dicendum, quòd quantumcunq; in fælicitate existenti potest recompensatio beneficij fieri per exhibitionem reuerentię, & honoris: vndè Phylosophus dicit in 8. eth. quòd super excellenti quidem habet fieri honoris retributio; indigenti autẽ retributio lucri, & Seneca dicit in 5. de beneficijs multa

sunt, per quæ, quid quid debemus reddere, & fælicibus possumus fidele cōsilium, assidua conuersatio, sermo comis, & sine adulatione iucūdus: & ideo nō oportet, vt homo optet indigentiam eius, seu miseriam, qui beneficiū dedit adhoc, quod beneficiū recompensetur, quia vt Seneca dicit in 6. de beneficijs, si hoc ei optares, cuius nullū beneficium haberes, inhumanū erat votū, quātò inhumanius ei optas, cui beneficiū debes? 2.2.q.106.a.3.ad 5.

Quæritur an sit facienda recompensatio beneficij illi, qui mutatus est de virtute in vitiū.

11 Respondeo dicendū, quòd si ille, qui beneficiū dedit in peius mutatus est: debet tamē sibi fieri recompēsatio secundū statum ipsius, vt scilicet ad virtutē reducatur, si sit possibile: si autem sit insanabilis propter malitiā, tunc alter est effectus, quàm prius erat: & ideo non debetur ei recōpensatio beneficij sicut prius: & tamen quantùm fieri potest salua honestate memoria debet haberi præstiti beneficij, vt patet per Phylosophum in 9. eth. 2.2.q.106.a.3.ad 5.

Quæritur an sit facienda recompensatio beneficij, quādo potest euerti in damnū illius, cui fit recompensatio.

12 Respondeo dicendū, quòd sicut dictū est, recompēsatio beneficij præcipuè pēdet ex affectu: & ideo eo modo debet recompensatio fieri, quo magis sit vtilis; si tamē postea per eius iniuriā in damnum ipsius vertatur, non imputatur recompēsāti, vt Seneca dicit in 6. de beneficijs reddendū mihi est, non seruandū, cū reddidero, ac tuendum 2.2.q.106.a. 3. ad 6.

Quæritur an homo debeat statim beneficium recompensare.

Respondeo dicendum sicut verbo Beneficium.

GRATITVDO.

Tria requiruntur ad gratitudinem.

Quæritur quot, & quæ requirantur ad gratitudinem.

Respondeo dicendum, quòd gratitudo, vel gratia est vna specialis virtus, in qua tria considerātur: primùm est, quod homo acceptum beneficium recognoscat: secundùm est, quod laudet, & gratias agat: tertiùm est, quod retribuat pro lo, & tempore secundum suam facultatem. 2.2.q.107.a.2. in corp.

GVLA.

1 *In quo consistat Gula.*
2 *Gula respicit delectationes tactus.*
3 *Primus motus Gulæ non est sine peccato.*
4 *Gula est peccatum,*
5 *Quando gula sit peccatum mortale, & quando veniale.*
6 *Gula reductiuè opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati.*
7 *Peccatum gulæ alleuiatur ex parte peccantis.*
Gula ex parte effectus habet quandā magnitudinem.
8 *Nocumentum, quod præstat cibus corpori Gulosi non aggrauat directè peccatum gulæ.*
Aggrauat tamen peccatum, si sequatur nocumentum corporale ex immoderata sumptione sibi.
9 *Peccat mortaliter sumens scienter cibum immutantem totam conditionem vitæ.*
10 *Quinq; sunt species Gulę.*
11 *Gula est vitium capitale.*
12 *Quinq; sunt filię Gulę.*
13 *Vomitus ex nimio cibo, vel potu est vitiosus.*
Vomitus de consilio medicinę est sine culpa.

Quę

Quęritur in quo consistat vitium gulæ.

1 RESpondeo dicendum, quòd vitiũ gulæ, non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione: & ideo si aliquis excedat in quantitate cibi non propter concupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad Gulam, sed aliquam imperitiam, sed hoc solum pertinet ad Gulam, quòd aliquis propter concupiscentiã cibi delectabilis sciẽter excedat mensuram in edendo. 2. 2. q. 107. a. 1. ad 2.

Quęritur an Gula respiciat delectationes tactus.

2 Respondeo dicẽdum, quòd Gula respicit delectationẽ tactus: gulosus enim non dicitur aliquis ex hoc, quod delectetur in sapore cibi, sed in sumptione eius, quasi tactu delectatus, vt Phylosophus dicit in 3. eth. [q. 8. de malo ar. 1. ad 9. [q. 14. a. 3. ad 4.

Quęritur an in primo motu gulæ sit peccatũ.

3 Respondeo dicendum, quòd primus motus gulæ importat inordinationem in appetitu sensitiuo, qui non est sine peccato. 2. 2. q. 148 a. 1. ad 3.

Quęritur an Gula sit peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd Gula nõ nominat quemlibet appetitum edendi, & bibendi, sed inordinatum: dicitur autem appetitus inordinatus, ex eo quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit: ex hoc autem dicitur aliquid esse peccatum, quod virtuti contrariatur: vndè manifestum est, quòd Gula est peccatum. 2. 2. q. 148. a. 1. in corp. [q. 14. de malo a. 1. in corp.

Quæritur an Gula sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est vitium gulæ, propriè consistit in concupiscentia inordinata: ordo autem rationis concupiscentiam ordinãtis dupliciter tolli potest: vno modo quantùm ad ea, quæ sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commensurata, vt sint proportionata fini: alio modo quantùm ad ipsum finem, prout scilicet concupiscentia hominem auertit à fine debito: si ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur in Gula secundùm auersionem à fine vltimo, sic gula erit peccatum mortale: quod quidem contingit, quando delectationi Gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet cõtra præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi assequatur: si verò in vitio gulę intelligatur inordinatio cõcupiscentiæ tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, vt potè quia nimis concupiscit delectationes ciborũ: non tamẽ ita quòd propter hoc faceret aliquid cõtra legẽ Dei, est peccatũ veniale. 2. 2. q. 148. a. 2. in corp. [q. 14. de malo a. 2. in corp.

Quęritur cui præcepto opponatur Gula.

6 Respondeo dicendum, quòd vitium gulæ habet quòd sit peccatum mortale inquantùm auertit à fine vltimo: & secũdùm hoc per quandam reductionem opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati, in quo præcipitur quies in fine vltimo: non enim omnia peccata mortalia directè contrariantur præceptis decalogi, sed solũ illa, quæ iniustitiã continent: quia præcepta decalogi specialiter pertinent ad iustitiam, & partes eius. 2. 2. q. 148. a. 2. ad 1. [q. 14. de malo a. 2. ad 14.

Quęritur an peccatum Gulæ sit maximum peccatorum.

7 Respondeo dicẽdum, quòd grauitas alicuius

alicuius peccati,poteſt tripliciter conſiderari: primò quidem, & principaliter ſecundùm materiam,in qua peccatur: & ſecundùm hoc peccata,quę ſunt circa res Diuinas ſunt maxima: vndè ſecundùm hoc,vitium Gulæ non eſt maximum, eſt enim circa ea,quæ ad ſuſtentationẽ corporis ſpectant: ſecundò autem ex parte peccantis:& ſecundùm hoc peccatũ Gulę magis alleuiatur,quàm aggrauetur, tùm propter neceſſitatem aſſumptionis ciborum,tùm etiam propter difficultatem diſcernendi,& moderandi id,quod in talibus conuenit: tertiò vero modo ex parte effectus conſequentis, & ſecundùm hoc vitium gulæ habet quandam magnitudinem,inquantùm ex ea occaſionantur diuerſa peccata.2.2.q.148.a.3. in corp.

Quęritur an peccatum Gulę aggrauetur, ſi ex cibo nocumentum corpori inferatur.

8 Reſpondeo dicendum, quòd guloſus non intendit ſuo corpori nocumentum inferre,ſed in cibo delectari; ſi autem nocumentum corporis ſequatur,hoc eſt per accidens: vndè hoc non directè pertinet ad grauitatem Gulæ: cuius culpa tamen aggrauatur; ſi quis corporale detrimentum incurrat propter immoderatã cibi aſſumptionem.2.2.q.148.a.3.ad 3.

Quęritur an peccet mortaliter ille, qui ſumit cibũ in nocumentũ totius conditionis vitę.

9 Reſpondeo dicendum, quòd peccaret mortaliter, ſi quis ſcienter cibum comederet,qui totam conditionẽ vitæ eius immutaret,ſicut patet de Adam. 2. 2. q. 154.a.2.ad 6.

Quęritur an conuenienter ſpecies Gulę diſtinguantur ſecundũ quinq; conditiones ſcilicet proponere,laute,nimis,ardẽter,ſtudioſè.

10 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt Gula importat inordinatam concupiſcentiam edẽdi,in eſca autẽ duo conſiderantur,ſcilicet ipſe cibus,qui cõmeditur,& eius correctio:poteſt ergo inordinatio concupiſcentiæ attendi dupliciter: vno quidem modo quantùm ad ipſum cibum,qui ſumitur:& ſic quantùm ad ſubſtantiam, vel ſpeciem, vbi quærit aliquis cibos lautos,ideſt pretioſos,quãtùm ad qualitatem,quærit cibos nimis accuratè præparatus,ideſt ſtudioſè: quãtùm ad quantitatem excedit nimis edẽdo: alio autem modo attenditur inordinatio concupiſcentiæ,quantùm ad ipſam ſumptionem cibi: vel quia præuenit debitum tempus comedendi,quod eſt præpoperè:vel quia non ſeruat modum debitum in edendo,quod eſt ardenter: Iſidorus verò comprahendit primum,& ſecundum ſub vno dicens, quod Guloſus excedit in cibo ſcuerum quod,quantùm, quomodo,& quando. 2. 2. q. 148. a. 4. in corp. [q.14.de malo a.3.in corp.

Quęritur an gula ſit vitium capitale.

11 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, vitiũ capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur ſecundùm rationem cauſæ finalis, inquantùm ſcilicet habet finem multum appetibilem: vndè ex eius appetitu homines prouocantur multipliciter ad peccandum: ex hoc autem aliquis quis redditur multum appetibilis,quòd habet aliquam de conditionibus fælicitatis, quæ eſt naturaliter appetibilis; pertinet autem ad rationẽ fælicitatis delectatio,vt patet in primò, & 10.eth.& ideò vitium gulæ, quæ eſt circa delectationes tactus, quæ ſunt præcipuè inter alias,cõuenienter ponitur inter vitia capitalia.2.2.q.148.a.5.in corp.[q.14 de malo a.4.in corp.

Quęritur quęnam ſint filiæ Gulę.

12 Reſpondeo dicendum, quòd filiæ

Gulæ

Gulæ sunt quinq; scilicet inæpta lætitia, scurilitas, immunditia, multiloquiũ, hebetudo mentis circa intelligentiam, dictum est enim quòd Gula propriè consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis, & potibus: & ideo illa vitia inter filias Gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi potius consequuntur, quæ quidem potest accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis, ex parte autem animæ quadrupliciter: primò quidem quantùm ad rationẽ, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi, & potus, & quantùm adhoc ponitur filia Gulæ Hebetudo sensus circa intelligentiam propter fumositates cibarũ perturbantes caput, sicut è contrario abstinentia confert ad sapientiæ perceptionem secundùm illud Ecclesi.2. cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnẽ meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam: secundò quantùm ad appetitum, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi, & potus, quasi sopito gubernaculo rationis, & quantùm adhoc ponitur inepta lętitia; quia omnes aliæ inordinatæ passiones ad lætitiam, & tristitiam ordinãtur, vt dicitur in 2. eth. & hoc est, quod dicitur 2. Hesdræ 3. quòd vinum omnem mentem conuertit in seueritatem, & in iucunditatem: tertiò quantùm ad inordinatum verbum, & sic ponitur multiloquiũ; quia vt Gregorius dicit in Pastorali, nisi gulæ deditus immoderata loquacitas raperet, diues ille, qui epulatus quotidiè splendidè dicitur, in lingua grauius non arderet: quartò quantùm ad inordinatum actum, & sic ponitur scurilitas, idest iocularitas quædam proueniens ex defectu rationis, quę sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus: vndè ad ephesios. 5. super illud aut stultiloquium, aut scurilitas dicit glosa quòd à stultis scurilitas dicitur, idest iocularitas, quę risũ mouere solet, quamuis possit vtrumq; horum referri ad verba, in quibus contingit peccare, vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad multiloquiũ, vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad scurilitatem: ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ potest attẽdi, siue secundùm inordinatam emissionẽ quarumcunq; superfluitatum, vel specialiter quantùm ad emissionem seminis: vndè super illud ad ephesios. 5. fornicatio autem, & omnis immundicia &c. dicit glosa idest continentia pertinens ad libidinem quorumcunq; modo. 2. 2, q. 148. a. 6. in corp.

Quæritur an licitum sit prouocare vomitum.

13 Respondeo dicendum, quòd licet vtilis sit vomitus post superfluam comestionem: tamẽ vitiosum est, quòd aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam cibi, vel potus; potest tamen absq; culpa vomitus procurari ex cõsilio medicinę in remedium alicuius languioris. 2. 2. q. 148. a. 6. ad 2.

HABITVS.

Quæritur ad quid deferatur habitus particularis à Religionis.



Espondeo dicendum, quòd determinatio habitus pertinet ad omnia tria vota tanquàm signum obligationis: vnde habitus regularis simul datur, vel benedicitur cum professione. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 2.

HEBETVDO.

1 *Quid sit hebetudo intellectus.*
2 *Hebetudo potest esse in habentibus gratiã circa non necessaria ad salutem.*
Circa ea, quæ sunt necessaria ad salutem sufficienter instruuntur à Spiritu sãcto,

3 Hebe.

3 *Hebetudo habet rationem peccati, quatenus est voluntaria.*

Quæritur quid sit Hebetudo intellectus.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd hebetudo acuitati opponitur: dicitur enim per similitudinem intellectus acutus, quando potest penetrare ad intima eorum, quæ proponuntur: vndè hebetudo mentis est, per quã mens ad intima penetrare nõ sufficit. 2.2.q.8.a.6. ad 1.

Quæritur an existentes in gratia possint pati hebetudinem.

2 Respondeo dicendum, quòd aliqui habentes gratiam facientem possunt hebetudinem pati circa aliqua, quæ sunt præter necessitatem salutis: sed circa ea, quæ sunt de necessitate salutis sufficienter instruuntur à Spiritu Sancto secũdùm illud primæ Ioannis. 2. vnctio eius docet vos de omnibus. 2.2.q.8.a.4.ad 1.

Quæritur an hebetudo sit peccatum.

3 Respondeo dicẽdum, quòd habet hebetudo rationem peccati, sicut & cæcitas mentis, inquantùm est scilicet est voluntaria, vt patet in eo, qui affectus circa carnalia de spiritualibus subtiliter discutere fastidit, vel negligit. 2. 2. q. 15. ar. 2. in corp.

HAERES.

Quæritur quis nam dicatur hæres.

RESpondeo dicendum, quòd dicitur aliquis hæres alicuius existere, qui principalia eius bona percipit, seu adipiscitur; non autem qui aliqua munuscula recipit. Ecc. 3. cap. 8. ad Romanos.

HAEREMITAE.

Quæritur an hæremitæ votum continentiæ habeant.

RESpondeo dicendum, quòd hęremitę, quamuis obedientiam non promittant: tamen votum continentiæ habent annexum, & ex mora secundùm determinatum tempus eorũ votum solemnizatur. 4. sent. d. 27. in exposit litteræ.

HAERESIS.

1 *Necesse est hæreses esse, vt experiatur cõstantia fidelium, & excitetur pigritia circa studia sacræ scripturæ.*

Hoc tamen non est de intẽtione hæreticorũ

2 *Hæresis principaliter est in corde, secundario in ore.*

3 *Hæresis est error circa articulos fidei directè, indirectè est circa ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli.*

4 *Hæresis addit supra errorem duo, vnum ex parte materiæ, alterũ ex parte errantis, scilicet pertinaciam.*

5 *Corruptio directè æstimationis circa ea, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores in vniuersali pertinet ad hæresim, non autem sit in particulari.*

6 *Non est hæresis assentire falsitati ante determinationem Ecclesiæ.*

Est hæresis assentire pertinaciter falsitati post determinationem Ecclesiæ,

7 *Quid sit exponere sacram scripturam aliter, quàm Spiritus Sanctus postulet.*

8 *Hæresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt.*

9 *Ea, quæ sunt hæresis ad superstitionem pertinent.*

10 *Hæresis vt importat pertinaciam est species peccati in Spiritum Sanctum.*

11 *Hæresis non numeratur inter vitia capitalia, reducitur tamen ad superbiam.*

12 *Hęresis ex simplici ignorantia oritur ex accidia.*

13 *Hæresis ex genere suo est maximum peccatorum.*

Ex accidenti aliquod peccatum potest esse grauius ea.

14 *Potest quis tenere diuersas opiniones in his, quę non pertinent ad fidem, nec ad bonos mores.*

In his, quæ pertinent ad fidem, vel ad mores non excusatur à peccato si sequatur opinionem erroneam alicuius magistri.

In rebus dubijs non est de facili præstandus assensus.

Quæritur an sit neceße hæreses eße in Ecclesia, & per hoc sustinendę sint.

1 RESpondeo dicendum, quòd Apostolus 1. ad Corinth. 1. dicit oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant, sed vtilitas, quæ ex hæresibus prouenit est præter intentionem hæreticorum, dum scilicet constantia fidelium comprobatur, vt Apostolus dicit, & vt excutiamus pigritiā Diuinas scripturas solicitius intuentes, sicut Augustinus dicit, sed ex intentione eorum est corrumpere fidem, quod est maximi nocumenti: & ideo magis respiciendum est ad id, quod est per se de eorum intētione, vt excludantur, quàm adhoc, quod est præter eorum intentionem, vt sustineantur. 2. 2. q. 11. a. 3. ad 2.

Quæritur in quo sit hęresis.

2 Respondeo dicendum, quòd fides principaliter consistit in corde, & primò, sed secundariò in ore, quia corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem Rom. 10. & similiter hæresis principaliter consistit in corde secundùm quòd Hilarius dicit, intellectiuè sensus in animo est, sed secundariò in ore: vndè Hieronymus dicit, quod ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, non quia hæresis per se in his consistat, sed quia sunt occasio, & causa erroris. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 1. ad 5.

Quæritur an hæresis sit propriè circa ea, quę sunt fidei.

3 Respondeo dicendum, quòd de hæresi nunc loquimur secundùm quòd importat corruptionem fidei Christianæ: non autem ad corruptionem fidei Christianæ pertinet si aliquis habeat aliquam falsam opinionem in his, quæ non sunt fidei puta in Geometricalibras, vel in alijs huiusmodi, quæ omnino ad fidem pertinere non possunt; sed solum quando aliquis habet falsam opinionem circa ea, quæ ad fidem pertinent, ad quàm aliquid pertinet dupliciter: vno modo directè, & principaliter sicut articuli fidei: alio modo indirectè: & secundario sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli, & circa vtraq; potest esse hæresis eo modo, quo & fides. 2. 2. q. 11. ar. 2. in corp. [4. sent. d. 13. quæst. 2. a. 1. ad 6.

Quęritur quid Hęresis addat supra errorem.

4 Respondeo dicendum, quòd hæresis supra errorem addit aliquid ex parte materiæ, quia est error eorum, quæ ad fidem pertinent, & ex parte errantis, quia importat pertinaciam, quæ sola facit hæreticum, quæ quidem pertinacia ex superbia oritur, magnæ enim superbiæ est, vt homo sensum suum præferat veritati Diuinitus reuelatæ, q. 8. de malo a. 1. ad 7.

Quęritur an corruptio rectæ extimationis circa fidem faciat hæresim.

5 Respondeo dicendum, quòd corruptio directè extimationis circa ea, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores si sit quidem

boni remanet: ideo hæresis est ex genere suo maximum peccatorum, quamuis ex accidenti aliquod peccatum possit esse grauius, sicut si multum excresceret contemptus Dei iræ aliquo, quod etiam ex genere suo esset veniale. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 2. in corp.

Quæritur an auditores diuersorum magistrorũ tenentium diuersas opiniones excusentur à peccato erroris, si opiniones suorum Magistrorũ sequantur.

14 Respondeo dicendum, quòd diuersæ opiniones Doctorum Sacræ scripturæ si quidem pertineant ad fidem, & bonos mores, absq; periculo auditores vtramq; opinionem sequi possunt, tunc enim habet locũ, quod Apostolus dicit ad Rom. 14. vnusquisq; in suo sensu abundet: in his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur: si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum Hæresiarcharum: nec potest excusationem habere propter simplicitatẽ auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur, in rebus enim dubijs non est de facili præstandus assensus, quinimmo vt Augustinus dicit in lib. 3. de Doctrina Christiana cõsulere debet quis regulam fidei, quàm de scripturarũ planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit: qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. quodlibeto 3. a. 10.

HAERETICVS.

1 *Quis sit hęreticus?*
Hęresis vndè dicatur.
2 *Sola pertinacia facit hęreticum.*
3 *Hæretici sunt schismatici.*
4 *Quisnam sit peior, hęreticus, an malus Catholicus.*
5 *Ad quid tendant hęreticorum errores.*
6 *Hæretici possunt statim quod sunt conuicti non solum excommunicari, sed etiam iustè occidi.*
Ecclesia tamen sperans eorũ conuersatione non statim eos damnat.
Post primam, & secundam correptionem, si pertinaces remaneant eos excommunicat, & morte plectendos iudicio saculari tradit.
7 *Qui hęretici sint excommunicati.*
8 *Hæretici compellendi sunt corporaliter.*
9 *Ecclesia recipit Hæreticos reuertentes de hęresi primo nedum ad pœnitentiam, sed etiam conseruat eos in vita, et interdum restituit illis bona Ecclesiastica.*
Ecclesia recipit hęreticos relapsos ad pœnitentiam, non ita tamen vt liberentur à morte.
10 *Hęretici relapsi in hęresim abiuratam sęculari iudicio relinquuntur.*
11 *Quare relapsos punit morte Ecclesia.*
12 *Qua ratione puniantur simplices tãquam hæretici, si malè respondeant circa articulos fidei.*
13 *Hęretici conferunt Ordines, et alia Sacramenta, gratiam tamen non tribuunt.*
Hoc tamen est ratione peccati recipientiũ Sacramenta ab Hęreticis.
14 *Hęreticus non potest absoluere.*
15 *Non est communicandum cum hęreticis ratione excommunicationis, & ratione hęresis.*
16 *Stabiles in fide possunt conuersari corporaliter cum hęreticis eorũ conuersionẽ*
Non debent tamen in Diuinis cum eis communicare.
17 *Simplices non debent communicare cum hęreticis, nec corporaliter.*

Quęritur quis dicatur hęreticus.

1 Respondeo dicẽdum, quòd hęreticus

ticus secundùm nos dicitur, qui à communi fide, quæ catholica dicitur, discedit contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem: competit enim ei nomen hæresis, secundùm quòd latinum est ab hærendo dictum: quia suæ opinioni vehementer inhæret. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 1. in corp.

Quæritur quid faciat hominem hæreticum.

2 Respondeo dicendum, quòd pertinacia sola facit hæreticum. q. 8. de malo a. 1. ad 7.

Quæritur an hæreticus sit schismaticus.

3 Respondeo dicendum, quòd quicũq; est hæreticus, est etiam schismaticus, sed non conuertitur. 2. 2. q. 39. a. 1. ad 3. [4. sent. d. 13. q. 2 a. 1. ad 2.

Quæritur quis sit peior, hæreticus, an malus Catholicus.

4 Respondeo dicendũ, quòd nihil prohibet peccatum quod est grauius secundùm genus, esse minus graue secundùm aliquas circunstãtias: & ideo Augustinus noluit præcipitare sententiam de malo Catholico, & hæretico alias nõ peccante, & habetur 6. q. 1. vtrum Catholicum pessimis moribus alicui hæretico, in cuius vita præter id, quod hæreticus est non inueniunt homines, quòd reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sententiam: quia peccatum hæretici etsi sit grauius ex genere, potest tamen ex aliqua circunstantia alleuiari, & è conuerso peccatũ Catholici ex aliqua circunstãtia aggrauari. 2. 2. q. 10. a. 3. ad 1.

Quæritur ad quid tendant hæreticorũ errores.

5 Respondeo dicendum, quòd si quis diligenter inspiciat hæreticorum errores, adhoc principaliter videntur tendere, vt Christi derogent dignitati, opusculo. 1. cap. 33.

Quæritur an hæretici sint tolerandi.

6 Respondeo dicendum, quòd circa hæreticos duo sunt consideranda: vnum quidem ex parte ipsorum, aliud verò ex parte Ecclesiæ: ex parte quidem ipsorũ est peccatum, per quod meruerunt non solùm ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à mundo excludi: multo enim grauius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quàm falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subuenitur: vndè si falsarij pecuniæ, vel alij malefactores statim per sæculares Principes, iustè morti traduntur, multo magis hæretici, statim ex quo de hæresi conuincuntur, possunt non solũ excommunicari, sed & iustè occidi: ex parte autẽ Ecclesiæ est misericordia ad errantium conuersionem: & ideo non statim condemnat, sed post primã, & secũdam correptionẽ, vt Apostolus docet; postmodum verò si adhoc pertinax inueniatur, Ecclesia de eius conuersione non sperans, aliorum saluti prouidet, eum ab Ecclesia separãdo per excõmunicationis sententiam, & vlterius relinquit eum iudicio sæculari, à mundo exterminandum per mortem, dicit enim Hieronymus; & habetur 24. q. 3. resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus Massa, Corpus, & pecora audeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam nõ statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. 2. 2. q. 11. a. 3. in corp. [4. sent. d. 13. q. 2. a. 3. in corp.

Quæritur quisnã hæreticus sit excõmunicatus

7 Respondeo dicẽdum, quòd hæreticus potest

7 *Seruis facientibus vltra debitum gratiæ sunt habendæ.*
8 *Gratiæ sunt habendæ benefacienti indebito modo.*
Minus tamen, quàm si debito modo daret beneficium.
9 *Pauper faciendo quòd potest non est ingratus.*
10 *Recompensatio beneficij debet fieri existenti in statu fælici per exhibitionem bonoris.*
11 *Benefactori mutato de virtute in vitium debet fieri recompensatio secundùm statum eius, vt scilicet reducat, ad virtutẽ.*
Si non potest reduci ad virtutem, habenda est memoria beneficij accepti salua bonestate.
12 *Recompensatio debet fieri alicui modo, quo sit magis vtilis ei.*
Si postea vertatur in damnum illius non imputatur recompensanti.

Quæritur qualis debeat esse gratiarum actio.

1 Respondeo dicendum, quòd gratiarum actio debet esse ordinata, scilicet ad Deum, item assidua, item vniuersalis. Ecc. 1. cap. 1. primæ ad Thessalonicenses.

Quæritur an gratiarum actio sit attendenda secundùm affectum benefacientis, an secundùm affectum.

2 Respondeo dicendum, quòd recompensatio beneficij potest ad tres virtutes pertinere scilicet ad Iustitiam, ad Gratiam, & ad amicitiam: ad iustitiam quidem pertinet, quãdo recompensatio habet rationem debiti legalis, sicut in mutuo, & alijs huiusmodi, & in tali recompensatio debet attendi secundùm quantitatem dati: ad amicitiam autem pertinet recompensatio beneficij, & similiter ad virtutem gratiæ secundùm quòd habet rationem debiti moralis, aliter tamen, & aliter: nam in recompensatione amicitiæ oportet respectum haberi ad amicitiæ causam: vndè in amicitia vtilis debet recompensatio fieri secundũ vtilitatem, quàm quis ex beneficio cõsecutus est; in amicitia autem honesti debet in recompẽsatione haberi respectus ad electionem, siue ad effectum dãtis: quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem, vt dicitur in 8. eth. & similiter quia gratia respicit beneficium secundùm quòd est gratis impensum, quod quidam pertinet ad affectum: ideo etiam gratiæ recompensatio attendit magis affectum dãtis, quàm effectum. 2. 2. q. 106. a. 5. in corp.

Quæritur an oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione, quàm susceperit in beneficio.

Respondeo dicendum sicut verbo Beneficium.

Quæritur an debitum sit statim soluendum.

3 Respondeo dicendum, quòd debitũ legale est statim soluendum, alioquin nõ esset conseruata iustitiæ ęqualitas, si vnus retineret rem alterius absq; eius voluntate; sed debitum morale dependet ex honestate debentis: & ideo oportet reddi debito tempore secundùm quòd exigit rectitudo virtutis. 2. 2. q. 106. a. 4. ad 1.

Quæritur an homo teneatur ad gratiarũ actiones omni homini benefacienti.

4 Respondeo dicendum, quòd omnis effectus naturaliter ad suam causam cõuertitur: vndè Dionisius dicit 3. cap. de Diuinis nominibus, quod Deus in se omnia conuertit tanquam omnium causa, semper enim oportet, quod effectus ordinetur ad finem agentis, manifestum est autem quòd benefactor inquantùm huiusmodi est causa beneficiati: & ideo naturalia

turalis ordo requirit, vt ille, qui suscipit beneficium, per gratiarum recompensationem conuertatur ad benefactorem secundùm modum vtriusque, & benefactori quidem inquantùm huiusmodi debetur honor, & reuerentia eo quòd habet rationem principij, sed per accidens debetur ei subuentio, vel sustentatio, si indigeat. 2.2.q.106.a.3.in corp.

Queritur cui dationi debeatur gratiarũ actio.

5 Respondeo dicendum, quòd gratiarum actio dationem respicit: est autem duplex datio, vna quæ respicit debitum, vel iam existẽs, sicut cum quis alicui reddit, quod debet, vel vt fiat, sicut cum quis emit, vel dat aliquid, vt alterum sibi debitum fiat, & hæc datio ad iustitiam pertinet: alia autem est, quæ neutro modo respicit debitum, & hæc propriè donatio dicitur, & ad liberalitatem pertinet: & quia ad hanc dationem nihil inclinat, nisi voluntas dandi: ideo gratuita dicitur, & tali dationi gratiarum actio propriè debetur, vt quis gratiæ factæ retributionem faciat secundùm suum modũ. 4.sent.d.22.q.1.a.2.quæstiunc.1.in corp.

Quęritur an Gratiarum actio debeatur nedum danti sed etiam promittenti.

6 Respondeo dicendũ, quòd non solùm danti, sed etiam promittenti gratię agãtur. 2.2.q.88.a.5.ad 2.

Quæritur an seruis gratiæ sint habendæ à Dominis.

7 Respondeo dicendum, quòd sicut Seneca dicit in 3. de beneficijs quamdiu seruus præstat, quod à seruo exigi solet, ministerium est vbi plusquam à seruo necesse est, beneficium est: vbi enim in effectum amici transit, incipit vocari beneficium: & ideo etiam seruis vltra debitũ facientibus gratiæ sunt habendæ. 2. 2. q. 106.a.3.ad 4.

Quęritur an gratiarum actiones sint habendę benefactori beneficia dànti non cum contumelia, tarditate, vel tristitia.

8 Respondeo dicẽdum, quòd boni animi est, vt magis attendatur ad bonum, quàm ad malum: & ideo si aliquis beneficium dedit non eo modo, quo debuit, non ideo debet recipiens à gratiarum actione cessare; minus tamen, quàm si debito modo præstitisset, quia etiam beneficium minus est, quia vt Seneca dicit in lib. de beneficijs multum celeritas facit, multum abstulit mora. 2. 2. q. 106. a. 3. ad 3.

Quęritur an pauper teneatur recompensare beneficium.

9 Respondeo dicendum, quòd etiam pauper ingratus non est, si faciat, quod possit: sicut enim beneficium magis in affectu consistit, quàm in effectu, ita etiam recompensatio magis in affectu consistit: vndè Seneca dicit in 2. de beneficijs, qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit, quod gratè autem ad nos beneficia peruenerint indicemus effusis affectibus, quod non ipso tantùm audiente, sed vbiq; testemur. 2.2. q. 106. ar. 3. ad 5.

Quęritur quomodo debeat fieri recompensatio beneficij existenti in fęlicitate.

10 Respondeo dicendum, quòd quantumcunq; in fælicitate existenti potest recompensatio beneficij fieri per exhibitionem reuerentię, & honoris: vndè Phylosophus dicit in 8. eth. quòd super excellenti quidem habet fieri honoris retributio; indigenti autẽ retributio lucri, & Seneca dicit in 5. de beneficijs multa

ſunt,per quæ,quid quid debemus reddere,& fælicibus poſſumus fidele cōſilium, aſſidua conuerſatio,ſermo comis, & ſine adulatione iucūdus: & ideo nō oportet, vt homo optet indigentiam eius,ſeu miſeriam,qui beneficiū dedit adhoc, quod beneficiū recompenſetur, quia vt Seneca dicit in 6. de beneficijs,ſi hoc ei optares, cuius nullū beneficium haberes,inhumanū erat votū,quātò inhumanius ei optas, cui beneficiū debes? 2.2.q.106.a.3.ad 5.

Quæritur an ſit facienda recompenſatio beneficij illi,qui mutatus eſt de virtute in vitiū.

11 Reſpondeo dicendū,quòd ſi ille,qui beneficiū dedit in peius mutatus eſt: debet tamē ſibi fieri recompēſatio ſecundū ſtatum ipſius,vt ſcilicet ad virtutē reducatur,ſi ſit poſſibile: ſi autem ſit inſanabilis propter malitiā, tunc alter eſt effectus,quàm prius erat: & ideo non debetur ei recōpenſatio beneficij ſicut prius: & tamen quantùm fieri poteſt ſalua honeſtate memoria debet haberi præſtiti beneficij, vt patet per Phyloſophum in 9.eth,2.2.q.106.a.3.ad 5.

Quæritur an ſit facienda recompenſatio beneficij, quādo poteſt euerti in damnū illius, cui ſit recompenſatio.

12 Reſpondeo dicendū,quòd ſicut dictū eſt,recompēſatio beneficij præcipuè pēdet ex affectu: & ideo eo modo debet recompenſatio fieri,quo magis ſit vtilis; ſi tamē poſtea per eius iniuriā in damnum ipſius vertatur,non imputatur recompēſāti,vt Seneca dicit in 6. de beneficijs reddendū mihi eſt, non ſeruandū, cū reddidero,ac tuendum 2.2.q.106.a. 3. ad 6.

Quæritur an homo debeat ſtatim beneficium recompenſare.

Reſpondeo dicendum ſicut verbo Beneficium.

GRATITVDO.

Tria requiruntur ad gratitudinem.

Quæritur quot, & quæ requirantur ad gratitudinem.

RESpondeo dicendum,quòd gratitudo, vel gratia eſt vna ſpecialis virtus,in qua tria conſiderātur: primùm eſt, quod homo acceptum beneficium recognoſcat: ſecundùm eſt, quod laudet, & gratias agat: tertiùm eſt,quod retribuat prolo,& tempore ſecundum ſuam facultatem.2.2.q.107.a.2.in corp.

GVLA.

1 *In quo conſiſtat Gula.*
2 *Gula reſpicit delectationes tactus.*
3 *Primus motus Gulæ non eſt ſine peccato.*
4 *Gula eſt peccatum,*
5 *Quando gula ſit peccatum mortale, & quando veniale.*
6 *Gula reductiuè opponitur præcepto de ſanctificatione Sabbati.*
7 *Peccatum gulæ alleuiatur ex parte peccantis.*
Gula ex parte effectus habet quandā magnitudinem.
8 *Nocumentum,quod præſtat cibus corporē Guloſi non aggrauat directè peccatum gulæ.*
Aggrauat tamen peccatum, ſi ſequatur nocumentum corporale ex immoderatæ ſumptione ſibi.
9 *Peccat mortaliter ſumens ſcienter cibum immutantem totam conditionem vitæ.*
10 Quinq; *ſunt ſpecies Gulę.*
11 *Gula eſt vitium capitale.*
12 Quinq; *ſunt filię Gulę.*
13 *Vomitus ex nimio cibo, vel potu eſt vitioſus.*
Vomitus de conſilio medicinę eſt ſine culpa.

Quęritur in quo consistat vitium gulæ.

1 Respondeo dicendum, quòd vitiũ gulæ, non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione: & ideo si aliquis excedat in quantitate cibi non propter concupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad Gulam, sed aliquam imperitiam, sed hoc solum pertinet ad Gulam, quòd aliquis propter concupiscentiã cibi delectabilis sciẽter excedat mensuram in edendo. 2. 2. q. 107. a. 1. ad 2.

Quęritur an Gula respiciat delectationes tactus.

2 Respondeo dicẽdum, quòd Gula respicit delectationẽ tactus: gulosus enim non dicitur aliquis ex hoc, quod delectetur in sapore cibi, sed in sumptione eius, quasi tactu delectatus, vt Phylosophus dicit in 3. eth. [q. 8. de malo ar. 1. ad 9. [q. 14. a. 3. ad 4.

Quęritur an in primo motu gulæ sit peccatũ.

3 Respondeo dicendum, quòd primus motus gulæ importat inordinationem in appetitu sensitiuo, qui non est sine peccato. 2. 2. q. 148 a. 1. ad 3.

Quęritur an Gula sit peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd Gula nõ nominat quemlibet appetitum edendi, & bibendi, sed inordinatum: dicitur autem appetitus inordinatus, ex eo quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit: ex hoc autem dicitur aliquid esse peccatum, quod virtuti contrariatur: vndè manifestum est, quòd Gula est peccatum. 2. 2. q. 148. a. 1. in corp. [q. 14. de malo a. 1. in corp.

Quæritur an Gula sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est vitium gulæ, propriè consistit in concupiscentia inordinata: ordo autem rationis concupiscentiam ordinãtis dupliciter tolli potest: vno modo quantùm ad ea, quæ sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commensurata, vt sint proportionata fini: alio modo quantùm ad ipsum finem, prout scilicet concupiscentia hominem auertit à fine debito: si ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur in Gula secundùm auersionem à fine vltimo, sic gula erit peccatum mortale: quod quidem contingit, quando delectationi Gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet cõtra præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi assequatur: si verò in vitio gulę intelligatur inordinatio cõcupiscentiæ tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, vt potè quia nimis concupiscit delectationes ciborũ: non tamẽ ita quòd propter hoc faceret aliquid cõtra legẽ Dei, est peccatũ veniale. 2. 2. q. 148. a. 2. in corp. [q. 14. de malo a. 2. in corp.

Quęritur cui præcepto opponatur Gula.

6 Respondeo dicendum, quòd vitium gulæ habet quòd sit peccatum mortale inquantùm auertit à fine vltimo: & secũdùm hoc per quandam reductionem opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati, in quo præcipitur quies in fine vltimo: non enim omnia peccata mortalia directè contrariantur præceptis decalogi, sed solũ illa, quæ iniustitiã continent: quia præcepta decalogi specialiter pertinent ad iustitiam, & partes eius. 2. 2. q. 148. a. 2. ad 1. [q. 14. de malo a. 2. ad 14.

Quęritur an peccatum Gulæ sit maximum peccatorum.

7 Respondeo dicẽdum, quòd grauitas alicuius

alicuius peccati, poteſt tripliciter conſiderari: primò quidem, & principaliter ſecundùm materiam, in qua peccatur: & ſecundùm hoc peccata, quę ſunt circa res Diuinas ſunt maxima: vndè ſecundùm hoc, vitium Gulæ non eſt maximum, eſt enim circa ea, quæ ad ſuſtentationē corporis ſpectant: ſecundò autem ex parte peccantis: & ſecundùm hoc peccatū Gulę magis alleuiatur, quàm aggrauetur, tùm propter neceſſitatem aſſumptionis ciborum, tùm etiam propter difficultatem diſcernendi, & moderandi id, quod in talibus conuenit: tertiò vero modo ex parte effectus conſequentis, & ſecundùm hoc vitium gulæ habet quandam magnitudinem, inquantùm ex ea occaſionantur diuerſa peccata. 2. 2. q. 148. a. 3. in corp.

Quęritur an peccatum Gulę aggrauetur, ſi ex cibo nocumentum corpori inferatur.

8 Reſpondeo dicendum, quòd guloſus non intendit ſuo corpori nocumentum inferre, ſed in cibo delectari; ſi autem nocumentum corporis ſequatur, hoc eſt per accidens: vndè hoc non directè pertinet ad grauitatem Gulæ: cuius culpa tamen aggrauatur; ſi quis corporale detrimentum incurrat propter immoderatā cibi aſſumptionem. 2. 2. q. 148. a. 3. ad 3.

Quęritur an peccet mortaliter ille, qui ſumit cibū in nocumentū totius conditionis vitę.

9 Reſpondeo dicendum, quòd peccaret mortaliter, ſi quis ſcienter cibum comederet, qui totam conditionē vitæ eius immutaret, ſicut patet de Adam. 2. 2. q. 154. a. 2. ad 6.

Quęritur an conuenienter ſpecies Gulę diſtinguantur ſecundū quinq; conditiones ſcilicet proponere, laute, nimis, ardēter, ſtudioſè.

10 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt Gula importat inordinatam concupiſcentiam edēdi, in eſca autē duo conſiderantur, ſcilicet ipſe cibus, qui cōmeditur, & eius correctio: poteſt ergo inordinatio concupiſcentiæ attendi dupliciter: vno quidem modo quantùm ad ipſum cibum, qui ſumitur: & ſic quantùm ad ſubſtantiam, vel ſpeciem, vbi quærit aliquis cibos lautos, ideſt pretioſos, quātùm ad qualitatem, quærit cibos nimis accuratè præparatus, ideſt ſtudioſè: quātùm ad quantitatem excedit nimis edēdo: alio autem modo attenditur inordinatio concupiſcentiæ, quantùm ad ipſam ſumptionem cibi: vel quia præuenit debitum tempus comedendi, quod eſt præpoperè: vel quia non ſeruat modum debitum in edendo, quod eſt ardenter: Iſidorus verò compræhendit primum, & ſecundum ſub vno dicens, quod Guloſus excedit in cibo ſeuerum quod, quantùm, quomodo, & quando. 2. 2. q. 148. a. 4. in corp. [q. 14. de malo a. 3. in corp.

Quęritur an gula ſit vitium capitale.

11 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, vitiū capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur ſecundùm rationem cauſæ finalis, inquantùm ſcilicet habet finem multum appetibilem: vndè ex eius appetitu homines prouocantur multipliciter ad peccandum: ex hoc autem aliquis quis redditur multum appetibilis, quòd habet aliquam de conditionibus fælicitatis, quæ eſt naturaliter appetibilis; pertinet autem ad rationē fælicitatis delectatio, vt patet in primò, & 10. eth. & ideò vitium gulæ, quæ eſt circa delectationes tactus, quæ ſunt præcipuè inter alias, cōuenienter ponitur inter vitia capitalia. 2. 2. q. 148. a. 5. in corp. [q. 14 de malo a. 4. in corp.

Quęritur quęnam ſint filiæ Gulę.

12 Reſpondeo dicendum, quòd filiæ

Gulæ

Gulæ sunt quinq; scilicet inæpta lætitia, scutilitas, immunditia, multiloquiũ, hebetudo mentis circa intelligentiam, dictum est enim quòd Gula propriè consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis, & potibus: & ideo illa vitia inter filias Gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi potius consequuntur, quæ quidem potest accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis, ex parte autem animæ quadrupliciter: primò quidem quantùm ad rationẽ, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi, & potus, & quantùm adhoc ponitur filia Gulæ Hebetudo sensus circa intelligentiam propter fumositates cibarũ perturbantes caput, sicut è contrario abstinentia confert ad sapientiæ perceptionem secundùm illud Eccles. 2. cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnẽ meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam: secundò quantùm ad appetitum, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi, & potus, quasi sopito gubernaculo rationis, & quantùm adhoc ponitur incepta lętitia; quia omnes aliæ inordinatæ passiones ad lætitiam, & tristitiam ordinãtur, vt dicitur in 2. eth. & hoc est, quod dicitur 2. Hesdræ 3. quòd vinum omnem mentem conuertit in seueritatem, & in iucunditatem: tertiò quantùm ad inordinatum verbum, & sic ponitur multiloquiũ; quia vt Gregorius dicit in Pastorali, nisi gulæ deditus immoderata loquacitas raperet, diues ille, qui epulatus quotidiè splendidè dicitur, in lingua grauius non arderet: quartò quantùm ad inordinatum actum, & sic ponitur scurilitas, idest iocularitas quædam proueniens ex defectu rationis, quę sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus: vndè ad ephesios. 5. super illud aut stultiloquium, aut scurilitas dicit glosa quòd à stultis scurilitas dicitur, idest iocularitas, quę risũ mouere solet, quamuis possit vtrumq; horum referri ad verba, in quibus contingit peccare, vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad multiloquiũ, vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad scurilitatem: ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ potest attẽdi, siue secundùm inordinatam emissionẽ quarumcunq; superfluitatum, vel specialiter quantùm ad emissionem seminis: vndè super illud ad ephesios. 5. fornicatio autem, & omnis immundicia &c. dicit glosa idest continentia pertinens ad libidinem quorumcunq; modo. 2. 2, q. 148. a. 6. in corp.

Quæritur an licitum sit prouocare vomitum?

13 Respondeo dicendum, quòd licet vtilis sit vomitus post superfluam comestionem: tamẽ vitiosum est, quòd aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam cibi, vel potus; potest tamen absq; culpa vomitus procurari ex cõsilio medicinę in remedium alicuius languioris. 2. 2. q. 148. a. 6. ad 2.

HABITVS.

Quæritur ad quid deferatur habitus particularis à Religionis.



Respondeo dicendum, quòd determinatio habitus pertinet ad omnia tria vota tanquàm signum obligationis: vnde habitus regularis simul datur, vel benedicitur cum professione. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 2.

HEBETVDO.

1 *Quid sit hebetudo intellectus.*
2 *Hebetudo potest esse in habentibus gratiã circa non necessaria ad salutem.*
Circa ea, quæ sunt necessaria ad salutem sufficienter instruuntur à Spiritu sãcto,

3 Hebe.

3 *Hebetudo habet rationem peccati, quatenus est voluntaria.*

Quæritur quid sit Hebetudo intellectus.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd hebetudo acuitati opponitur: dicitur enim per similitudinem intellectus acutus, quando potest penetrare ad intima eorum, quæ proponuntur: vndè hebetudo mentis est, per quã mens ad intima penetrare nõ sufficit. 2.2.q.8.a.6. ad 1.

Quæritur an existentes in gratia possint pati hebetudinem.

2 Respondeo dicendum, quòd aliqui habentes gratiam facientem possunt hebetudinem pati circa aliqua, quæ sunt præter necessitatem salutis: sed circa ea, quæ sunt de necessitate salutis sufficienter instruuntur à Spiritu Sancto secũdùm illud primæ Ioannis. 2. vnctio eius docet vos de omnibus. 2.2,q.8.a.4,ad 1.

Quæritur an hebetudo sit peccatum.

3 Respondeo dicẽdum, quòd habet hebetudo rationem peccati, sicut & cæcitas mentis, inquantùm est scilicet est voluntaria, vt patet in eo, qui affectus circa carnalia de spiritualibus subtiliter discutere fastidit, vel negligit. 2. 2. q. 15. ar. 2. in corp.

HAERES.

Quæritur quis nam dicatur hæres.

RESpondeo dicendum, quòd dicitur aliquis hæres alicuius existere, qui principalia eius bona percipit, seu adipiscitur; non autem qui aliqua munuscula recipit. Ecc. 3. cap. 8. ad Romanos.

HAEREMITAE.

Quęritur an hæremitæ votum continentiæ habeant.

RESpondeo dicendum, quòd hęremitę, quamuis obedientiam non promittant: tamen votum continentiæ habent annexum, & ex mora secundùm determinatum tempus eorũ votum solemnizatur. 4. sent. d. 27. in exposit litteræ.

HAERESIS.

1 *Necesse est hæreses esse, vt experiatur cõstantia fidelium, & excitetur pigritia circa studia sacræ scripturæ.*
Hoc tamen non est de intẽtione hæreticorũ
2 *Hæresis principaliter est in corde, secundario in ore.*
3 *Hæresis est error circa articulos fidei directè, indirectè est circa ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli.*
4 *Hæresis addit supra errorem duo, vnum ex parte materiæ, alterũ ex parte errantis, scilicet pertinaciam.*
5 *Corruptio directè æstimationis circa ea, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores in vniuersali pertinet ad hæresim, non autem sit in particulari.*
6 *Non est hæresis assentire falsitati ante determinationem Ecclesiæ.*
Est hæresis assentire pertinaciter falsitati post determinationem Ecclesiæ,
7 *Quid sit exponere sacram scripturam aliter, quàm Spiritus Sanctus postulet.*
8 *Hæresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt.*
9 *Ea, quæ sunt hæresis ad superstitionem pertinent.*
10 *Hæresis vt importat pertinaciam est species peccati in Spiritum Sanctum.*
11 *Hæresis non numeratur inter vitia capitalia, reducitur tamen ad superbiam.*
12 *Hęresis ex simplici ignorantia oritur ex accidia.*

13 *Hæresis ex genere sua est maximum peccatorum.*

Ex accidenti aliquod peccatum potest esse grauius ea.

14 *Potest quis tenere diuersas opiniones in his, quę non pertinent ad fidem, nec ad bonos mores.*

In his, quæ pertinent ad fidem, vel ad mores non excusatur à peccato si sequatur opinionem erroneam alicuius magistri.

In rebus dubiis non est de facili præstandus assensus.

Quæritur an sit necesse hæreses esse in Ecclesia, & per hoc sustinendę sint.

1 RESpondeo dicendum, quòd Apostolus 1. ad Corinth. 11. dicit oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant, sed vtilitas, quæ ex hæresibus prouenit est præter intentionem hæreticorum, dum scilicet constantia fidelium comprobatur, vt Apostolus dicit, & vt excutiamus pigritiā Diuinas scripturas solicitius intuentes, sicut Augustinus dicit, sed ex intentione eorum est corrumpere fidem, quod est maximi nocumenti: & ideo magis respiciendum est ad id, quod est per se de eorum intētione, vt excludantur, quām adhoc, quod est præter eorum intentionem, vt sustineantur. 2. 2. q. 11. a. 3. ad 2.

Quæritur in quo sit hęresis.

2 Respondeo dicendum, quòd fides principaliter consistit in corde, & primò, sed secundariò in ore, quia corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem Rom. 10. & similiter hæresis principaliter consistit in corde secundùm quòd Hilarius dicit, intellectiuè sensus in animo est, sed secundariò in ore: vndè Hieronymus dicit, quod ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, non quia hæresis per se in his consistat, sed quia sunt occasio, & causa erroris. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 1. ad 5.

Quæritur an hæresis sit propriè circa ea, quę sunt fidei.

3 Respondeo dicendum, quòd de hæresi nunc loquimur secundùm quòd importat corruptionem fidei Christianæ: non autem ad corruptionem fidei Christianæ pertinet si aliquis habeat aliquam falsam opinionem in his, quæ non sunt fidei puta in Geometricalibus, vel in aliis huiusmodi, quæ omnino ad fidem pertinere non possunt; sed solum quando aliquis habet falsam opinionem circa ea, quæ ad fidem pertinent, ad quām aliquid pertinet dupliciter: vno modo directè, & principaliter sicut articuli fidei: alio modo indirectè: & secundario: sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli, & circa vtraq; potest esse hæresis eo modo, quo & fides. 2. 2. q. 11. ar. 2. in corp. [4. sent. d. 13. quæst. 2. a. 1. ad 6.

Quęritur quid Hęresis addat supra errorem.

4 Respondeo dicendum, quòd hæresis supra errorem addit aliquid ex parte materiæ, quia est error eorum, quæ ad fidem pertinent, & ex parte errantis, quia importat pertinaciam, quæ sola facit hæreticum, quæ quidem pertinacia ex superbia oritur, magnæ enim superbiæ est, vt homo sensum suum præferat veritati Diuinitus reuelatæ, q. 8. de malo a. 1. ad 7.

Quęritur an corruptio recta extimationis circa fidem faciat hæresim.

5 Respondeo dicendum, quòd corruptio directè extimationis circa ea, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores si sit quidem

quidem in vniuersali pertinet ad peccatum hæresis, non autem si fit in particulari, propter passionem, secundùm quàm errant omnes, qui operantur malum, vt dicitur Prouerb. 14. sicut si aliquis sentiret in vniuersali fornicationem nō esse peccatum, esset infidelis; non autem infidelis censetur fornicator, qui eligit fornicationem tanquam bonū propter concupiscentiæ passionem: similiter si quis in vniuersali extimaret Deum non esse auctorem omnium bonorum, vel bonum gratiæ esse ex meritis, pertineret ad hæresim: non autem si propter amorē inordinatum excellentiæ, quæ incipit in concupiscentijs, corrumpatur in particulari iudicium rationis, vt aliquis præsumat de se ipso, tanquàm bonum aliquid à se possit habere, aut ex meritis proprijs, quod pertinet ad superbum. q.8. de malo a.4. ad 1.

Quæritur an illi incidant in hæresim, qui impugnant aliquam veritatem ad fidem pertinentem, nundum tamen ab Ecclesiam determinatam.

6 Respondeo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit, & habetur in Decret. 24. q.3. c. dixit Apost. si qui sententiam suam quamuis falsam, atq; peruersam nulla pertinaci animositate defendunt: quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parari cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ Doctrinæ. Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, vtrum sic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nundum erant per Ecclesiam determinata: post quam autem essent determinata auctoritate vniuersalis Ecclesiæ: si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur, quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice, dicitur enim: 24. quæst. 1. quotiens fidei ratio ventilatur, arbitros omnes fratres nostros, & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est ad sui nominis auctoritatem referri debere, contra cuius auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit: vndè dicit Hieronymus ad Damasum Papam, hæc est fides Papa Beatissime, quàm in Catholica didiscimus Ecclesia, in qua si minus peritè, aut parū cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes: si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio cōprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit. 2.2.q. 11.a.2. ad 3.

Quæritur an sit hæresis exponere sacrā scripturam in contrarium ei, quod per Spiritum Sanctum est reuelatum.

7 Respondeo dicendum, quòd ille dicitur aliter exponere sacram scripturā, quàm Spiritus Sanctus efflagitat, qui ad hoc expositionem sacræ scripturæ retorquet, quod contrariatur ei, quod est per Spiritum Sanctum reuelatum: similiter etiam per verba, quæ quis loquitur suam fidem profitetur: est enim confessio actus fidei: & ideo si fit inordinata locutio circa ea, quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei: vndè Leo Papa in quadam Epistola ad Procerum Episcopum Alexandrinum dicit, quod inimici Crucis Christi omnibus factis, & verbis nostris indiantur, vt si illam illis, vel tenuem occasionem demus nos Nestoriano sensui etiam coustruere mentiantur. 2. 2. q. 11. a. 2. ad 2.

Quæ-

Quæritur an hæresis sit infidelitatis species.

8 Respondeo dicendum, quòd nomen hæresis electionem importat: electio autem est eorum, quæ sunt ad finem præsupposito fini: in credendis autem volũtas assentit alicui vero, tamquã proprio bono: vndè quod est principale verum habet rationem finis vltimi, quæ autem secundaria sunt, habent rationem eorũ, quæ sunt ad finem: quia verò quicunq; credit, alicuius dicto assentit, principaliter videtur esse, & quasi finis in vna quaq; credulitate ille, cuius dicto assentitur: quasi autem secundaria sunt ea, quę quis tenendo vult alicui assentire. Sic ergo qui rectè fidem Christianam habet, sua voluntate assentit Christo in his, quæ verè ad eius doctrinam pertinent: à rectitudine ergo fidei Christianæ dupliciter quis potest deuiare: vno modo quia ipse Christo non vult assentire: & sic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem: & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Iudeorum: alio modo per hoc, quod intendit quidem Christo assentire, sed defficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat: quia non eligit ea, quæ sunt verè à Christo tradita, sed ea, quæ sibi propria mẽs suggerit: & ideo hæresis est infidelitatis species, pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dagmata corrumpunt. 2.2.q.11. ar. 1. in corp.

Quæritur an hæresis pertineat ad superstitionem.

9 Respondeo dicendum, quòd fides est primum eorum, quæ ad Religionem requiruntur, quia omnis Religio, siue cultus Dei, est quædam fidei protestatio: & ideo veritas fidei dicitur veritas, quæ secundùm pietatem est: ideo etiam ea, quæ hæresis sunt, ad superstitionẽ pertinent. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 1. ad 4.

Quæritur an hæresis sit species peccati in Spiritum Sanctum.

10 Respondeo dicendum, quòd hæresis secundùm quòd pertinaciam importat, species est peccati in Spiritum Sanctum: quia est impugnatio veritatis agnitæ. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 2. ad 5.

Quæritur an hæresis computetur inter vitia capitalia.

11 Respondeo dicendum, quòd à Sanctis ponitur hæresis extra numerum peccatorum, quæ in infidelibus inueniuntur quasi grauius eis: & ideo non computatur inter vitia capitalia, nec inter eorum filias: quia vitia capitalia, secundùm Isidorum in glosa Deut. 7. signãtur per septem populos, qui in terra promissionis non remanserunt: tamen si ad aliquod de septem capitalibus reduci debeat, poterat ad superbiam reduci. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 2. ad 1. [2. 2. q. 10. a. 1. ad 3.

Quæritur à quo peccato capitali oriatur hæresis ex simplici ignorantia.

12 Respondeo dicendum, quòd hæresis ex simplici ignorantia prouenìens: si sit peccatum ex aliquo capitalium vitiorum ex oritur: imputatur enim homini ad peccatum, si non curat addiscere ea, quæ tenetur: videtur autem hoc ex accidia prouenire, ad quàm pertinet refugere spirituale bonum, inquantùm est impeditiuum boni temporalis. q. 8. de malo a. 1. ad 7.

Quæritur an hæresis sit maximum peccatum.

13 Respondeo dicendum, quòd vnumquodq; dicitur malum, quia nocet: vndè cum hæresis plus noceat, quàm aliquod aliud peccatum, quia subuertit fundamentum omnium bonorũ, sine quo nihil boni

boni remanet: ideo hæresis est ex genere suo maximum peccatorum, quamuis ex accidenti aliquod peccatum possit esse grauius, sicut si multum excresceret contemptus Dei iræ aliquo, quod etiam ex genere suo esset veniale. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 2. in corp.

Quęritur an auditores diuersorum magistrorũ tenentium diuersas opiniones excusentur à peccato erroris, si opiniones suorum Magistrorũ sequantur.

14 Respondeo dicendum, quòd diuersæ opiniones Doctorum Sacræ scripturæ si quidem pertineant ad fidem, & bonos mores, absq; periculo auditores vtramq; opinionem sequi possunt, tunc enim habet locũ, quod Apostolus dicit ad Rom. 14. vnusquisq; in suo sensu abundet: in his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur: si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum Hæresiarcharum: nec potest excusationem habere propter simplicitatẽ auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur, in rebus enim dubijs non est de facili præstandus assensus, quinimmo vt Augustinus dicit in lib. 3. de Doctrina Christiana cõsulere debet quis regulam fidei, quàm de scripturarũ planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit: qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. quodlibeto 3. a. 10.

HAERETICVS.

1 *Quis sit hęreticus?*
Hęresis vndè dicatur.
2 *Sola pertinacia facit hęreticum.*
3 *Hæretici sunt schismatici.*
4 *Quisnam sit peior, hęreticus, an malus Catholicus.*
5 *Ad quid tendant hęreticorum errores.*
6 *Hæretici possunt statim quod sunt conuicti non solum excommunicari, sed etiam iustè occidi.*
Ecclesia tamen sperans eorũ conuersatione non statim eos damnat.
Post primam, & secundam correptionem, si pertinaces remaneant eos excommunicat, & morte plectendos iudicio saculari tradit.
7 *Qui hęretici sint excommunicati.*
8 *Hæretici compellendi sunt corporaliter.*
9 *Ecclesia recipit Hæreticos reuertentes de hęresi primo nedum ad pœnitentiam, sed etiam conseruat eos in vita, et interdum restituit illis bona Ecclesiastica.*
Ecclesia recipit hęreticos relapsos ad pœnitentiam, non ita tamen vt liberentur à morte.
10 *Hęretici relapsi in hęresim abiuratam sęculari iudicio relinquuntur.*
11 *Quare relapsos punit morte Ecclesia.*
12 *Qua ratione puniantur simplices tãquam hæretici, si malè respondeant circa articulos fidei.*
13 *Hęretici conferunt Ordines, et alia Sacramenta, gratiam tamen non tribuunt.*
Hoc tamen est ratione peccati recipientiũ Sacramenta ab Hęreticis.
14 *Hęreticus non potest absoluere.*
15 *Non est communicandum cum hęreticis ratione excommunicationis, & ratione hęresis.*
16 *Stabiles in fide possunt conuersari corporaliter cum hęreticis eorũ conuersionẽ*
Non debent tamen in Diuinis cum eis communicare.
17 *Simplices non debent communicare cum hęreticis, nec corporaliter.*

Quęritur quis dicatur hęreticus.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd hęreticus

ticus secundùm nos dicitur, qui à communi fide, quæ catholica dicitur, discedit contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem: competit enim ei nomen hæresis, secundùm quòd latinum est ab hærendo dictum: quia suæ opinioni vehementer inhæret, 4. sent. d. 13. q. 2. a. 1. in corp.

Quæritur quid faciat hominem hæreticum.

2 Respondeo dicendum, quòd pertinacia sola facit hæreticum. q. 8. de malo a. 1. ad 7.

Quæritur an hæreticus sit schismaticus.

3 Respondeo dicendum, quòd quicũq; est hæreticus, est etiam schismaticus, sed non conuertitur. 2. 2. q. 39. a. 1. ad 3. [4. sent. d. 13. q. 2 a. 1. ad 2.

Quæritur quis sit peior, hæreticus an malus Catholicus.

4 Respondeo dicendũ, quòd nihil prohibet peccatum quod est grauius secundùm genus, esse minus graue secundùm aliquas circunstãtias: & ideo Augustinus noluit præcipitare sententiam de malo Catholico, & hæretico alias nõ peccante, & habetur 6. q. 1. vtrum Catholicum pessimis moribus alicui hæretico, in cuius vita præter id, quod hæreticus est non inueniunt homines, quòd reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sententiam: quia peccatum hæretici etsi sit grauius ex genere, potest tamen ex aliqua circunstantia alleuiari, & è conuerso peccatũ Catholici ex aliqua circunstãtia aggrauari. 2. 2. q. 10. a. 3. ad 1.

Quæritur ad quid tendant hæreticorũ errores.

5 Respondeo dicendum, quòd si quis diligenter inspiciat hæreticorum errores, adhoc principaliter videntur tendere, vt Christi derogent dignitati. opusculo. 1. cap. 33.

Quæritur an hæretici sint tolerandi.

6 Respondeo dicendum, quòd circa hæreticos duo sunt consideranda: vnum quidem ex parte ipsorum, aliud verò ex parte Ecclesiæ: ex parte quidem ipsorũ est peccatum, per quod meruerunt non solùm ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à mundo excludi: multo enim grauius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quàm falsare pecuniam, per quàm temporali vitæ subuenitur: vndè si falsarij pecuniæ, vel alij malefactores statim per sæculares Principes, iustẽ morti traduntur, multo magis hæretici, statim ex quo de hæresi conuincuntur, possunt non solũ excommunicari, sed & iustè occidi: ex parte autẽ Ecclesiæ est misericordia ad errantium conuersionem: & ideo non statim condemnat, sed post primã, & secũdam correptionẽ, vt Apostolus docet, postmodum verò si adhuc pertinax inueniatur, Ecclesia de eius conuersione non sperans, aliorum saluti prouidet, eum ab Ecclesia separãdo per excõmunicationis sententiam, & vlterius relinquit eum iudicio sæculari, à mundo exterminandum per mortem, dicit enim Hieronymus, & habetur 24. q. 3. resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus Massa, Corpus, & pecora audeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam nõ statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. 2. 2. q. 11. a. 3. in corp. [4. sent. d. 13. q. 2. a. 3. in corp.

Quæritur quisnã hæreticus sit excõmunicatus

7 Respondeo dicẽdum, quòd hæreticus potest

potest dici aliquis, vel quia simpliciter errat ex ignorantia, & ex hoc non est excommunicatus, vel quia errat ex pertinacia, & alios nititur peruertere, & tunc incurrit in canonem latæ sententiæ. Ecc. 2. cap. 2. ad Galatas.

Quæritur an hæretici sint compellendi ad fidē.

8 Respondeo dicendum, quòd hæretici sunt corporaliter cōpellendi, vt impleāt, quod promiserūt, & teneant, quod semel susceperunt. 2. 2. q. 10. a. 8. in corp.

Quæritur an reuertentes ab hæresi sint ab Ecclesia recipiendi.

9 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia secundùm Domini institutionem Charitatem suam extendit ad omnes, non solū amicos, verum etiam inimicos, & persequentes secundùm illud Matthæi 5. diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: pertinet autem ad Charitatem, vt aliquis bonum proximi, & velit, & operetur: est autem duplex bonū, vnū quidem spirituale, scilicet salus animæ, quod principaliter respicit Charitas, hoc enim quilibet ex Charitate debet alijs velle: vndè quantùm ad hoc hęretici reuertentes quotiescunq; relapsi fuerint, ab Ecclesia recipiuntur ad pænitentiam, per quam impenditur eis via salutis: aliud autem est bonum, quod secundariò respicit Charitas, scilicet bonum tēporale, sicut & vita corporalis, possessio mundana, & bona fama, & dignitas Ecclesiastica, siue sæcularis: hoc enim non tenentur ex Charitate alijs velle, nisi in ordine ad salutem æternam, & eorum, & aliorum: vndè si aliquid de huiusmodi bonis existēs in vno impedire possit ęternam salutem in multis, nō oportet, quòd ex Charitate huiusmodi bonum ei velimus, sed potius vt velimus eum illo carere, tùm quia salus æterna præferenda est bono temporali, tùm quia bonum multorum præfertur bono vnius: si autem hæretici reuertentes, semper reciperentur, vt conseruarentur in vita, & alijs temporalibus bonis, posset in præiuditium salutis aliorum hoc esse: tùm quia si relaberentur, alios inficerent: tùm etiā quia si sine pœna euaderent: alij securius in hæresim laberentur dicitur enim Eccl. 8. etenim quia non citò profertur contra malus sententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala: & ideo Ecclesia quidem primò reuertentes ab hæresi non solùm recipit ad pænitētiam, sed etiam conseruat eos in vita, & interdum restituit eos dispensatiuè ad Ecclesiasticas dignitates, quas prius habebant, si videantur verè conuersi, & hoc pro bono pacis frequenter legitur esse factum: sed quando recepti iterum relabuntur, videtur esse signum inconstantiæ eorum circa fidem: & ideo vlterius redeuntes recipiunt quidem ad pænitentiam, non tamen vt liberentur à sententia mortis. 2. 2. q. 11. a. 4. in corp. [quodlibeto 10. a. 16.

Quæritur quid faciēdum de eo, qui lapsus fuit post abiurationem in abiuratam hæresim.

10 Respondeo dicendum, quòd Decretalis ad abolendā dicit, quòd si aliqui post abiurationem erroris depræhensi fuerint in abiuratam hæresim decidisse, sæculari iudicio sunt relinquendi. 2. 2. q. 11. ar. 4.

Quæritur quare Ecclesia relapsis in hæresim, & conuersis infert mortem.

11 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia præsumit relapsos, non verè reuerti, qui cum recepti fuissent, iterum sunt relapsi: & ideo eis vitam salutis non denegat, sed à periculo mortis eos non tuetur. 2. 2. q. 11. a. 4. ad 1.

Quæritur qua ratione damnentur simplices, vt hęretici, si malè respondeant circa articulos fidei.

12 Respondeo dicendum, quòd non condemnantur simplices pro hæreticis: quia nesciunt articulos, sed quia principaliter deffendunt ea, quæ sunt contraria articulis, quod non facerent, nisi per hæresim, fidem corruptam haberent. 3. sent. d.25.q.2.a.1.quæstiunc.3.ad 1.

Quęritur an hæretici possint ordines conferre.

13 Respondeo dicendum, quòd circa hoc ponuntur quattuor opiniones, quidam enim dicunt, quòd hæretici quãdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatẽ ordines conferendi, non autem postquã ab Ecclesia fuerint præcisi, & similiter nec degradati, & alij huiusmodi: sed hoc non potest stare: quia omnis potestas, quę datur cũ aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio anullari: quia etiam Altare, vel Chrisma semel consecrata perpetuò sacrata manent: vndè cum Episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quòd perpetuo maneat, quãtumcunq; aliquis peccet, vel ab Ecclesia præcidatur: & ideo alij dixerunt, quòd præcisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia potestatẽ Episcopalem habuerunt retinẽt potestatem alios ordinãdi, & promouendi: sed promoti ab eis hoc non habent: sed hoc etiam esse non potest, quia si illi, qui fuerunt in Ecclesia promoti retinent potestatem, quam acceperunt patet, quòd exequẽdo suam potestatem, veram consecrationem faciant: & ideo verè tribuũt omnẽ potestatem, quæ consecratione datur: & sic ordinati ab eis, vel promoti habent eandem potestatem, quam & ipsi: & ideo alij dixerunt, quòd etiã præcisi ab Ecclesia possunt ordines, & alia Sacramẽta cõferre, dummodo formam debitam, & intentionẽ seruent: & quantùm ad primùm effectum, qui est collacio Sacramẽti: & quantùm ad vltimã, qui est collacio gratiæ: sed hoc etiã non potest stare, quia ex hoc ipso quòd aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in Sacramẽtis cõmunicat, peccat, & ita fictus accedit, & gratiã consequi nõ potest, nisi fortè in Baptismo in articulo necessitatis: & ideo alij dicunt, quod vera Sacramenta conferunt, sed cũ eis gratiam non dant, non propter ineficaciam Sacramẽtorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta cõtra prohibitionẽ Ecclesiæ, & hæc est vera opinio. 4. sent. d.25.q.1.a.2.in corp. [3.p. q.64.a.9.ad 2. [2.2.q.39.a.3.in corp.

Quæritur an hęretici possint absoluere.

14 Respondeo dicendum, quòd effectus absolutionis non est alius, quàm remissio peccatorum, quæ per gratiam fit: & ideo hæreticus non potest absoluere, sicut nec gratiam in Sacramentis conferre; & iterum, quia ad absolutionem requiritur iurisdictio, quam non habet ab Ecclesia præcisus. 4. sent. d.25.q.1.a.2. ad 1. [2.2. q.39.a.3.in corp.

Quęritur an cum hæreticis sit communicandũ.

15 Respondeo dicendum, quòd hæreticis communicãdum non est duplici ratione, vna est ratione excõmunicationis: nam cum sint excommunicati non est eis communicandum, sicut nec cum alijs excõmunicatis; alia est ratione hæresis primo propter periculũ, ne eorum cõuersatio alios corrumpat secundũ illud primæ ad Corinth. 15. corrumpunt bonos mores colloquia praua: secundò etiã, ne videamur eorũ peruersæ doctrinę aliquẽ assensum præstare: vndè in 2. Canonica Ioãnis dicitur, si quis veniat ad vos, & hanc doctrinã non habet, nolite eũ in domũ inducere, nec aue ei dixeritis, qui enim dicit

ei Aue, communicat operibus eius malignis: tertiò ne ex nrã familiaritate alijs detur occaſio erroris: vndè dicit gloſa, etſi vos fortè decepti eſtis, alij forſitan per talem veſtram familiaritatẽ poſſent decipi, qui crederent illos placere vobis, & ſic crederent illis: vndè alia gloſa dicit, tanta Apoſtoli, atque eorum diſcipuli in Religione cautela vtebantur, vt nec verbi quidam Communionem cum aliquo eorum, qui à veritate declinarent habere paterentur: hoc tamen intelligendum eſt, niſi cum aliquo loqueremur de eorum ſalute. quodlibeto 10. a. 5. in corp.

Quæritur an ſtabiles in fide poſſint communicare cum hæreticis.

16 Reſpondeo dicendum, quòd illi, qui ſunt firmi in fide, poſſunt cum hæreticis corpore conuerſari, vt eos conuertant, non tamen in Diuinis, quia excommunicati ſunt. 4. ſent. d. 13. q. 2. a. 3. in corp. [2.2.q. 10.a.9.in corp.

Quæritur an ſimplices poſſint communicare cum hæreticis.

17 Reſpondeo dicendum, quòd hæreſis eſt infectiuum vitium: & ideo Eccleſia hæreticos à conſortio fidelium excludit, & præcipuè illos, qui alios corrumpunt; vt ſimplices, qui de facili corrumpi poſſunt ab eis ſint ſegregati non ſolum mẽte, ſed etiam corporaliter: vndè per Eccleſiam carcerantur, & expelluntur, ſi autem alios non corrumperent, poſſunt etiam cælari. 4. ſent. d. 13. q. 2. a. 3. in corp.

HISTRIO.

1 *Officium hiſtrianum non eſt ſecundùm ſe illicitum.*

Hiſtriones non ſunt in ſtatu peccati, ſi moderatè vtantur ludo.

Qui moderatè ſubuenit hiſtrioribus non peccat.

Qui ſuperfluè ſua in hiſtriones conſumunt, vel ſuſtentant hiſtriones illicitis ludis vtentes, peccant.

Quæritur an officium Hiſtrionum ſit illicitũ.

Reſpondeo dicẽdum, quòd officium Hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolacium hominibus exhibendum, non eſt ſecundùm ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati, dummodò moderatè ludo vtantur, ideſt non vtendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negocijs, & temporibus indebitis: & quamuis in rebus humanis non vtantur alio officio per comparationem ad alios homines; tamen per comparationem ad ſe ipſos, & ad Deum alias habeat ſerioſas, & virtuoſas operationes, puta dum orant, & ſuas paſſiones, & operationes componunt; & quandoq; etiam pauperibus eleemoſinas largiuntur: vndè illi, qui moderatè illis ſubueniunt, non peccant, ſed iuſtè faciunt mercedem miniſterij eorum eis tribuendo: ſi qui autẽ ſuperfluè ſua in tales conſumunt, vel etiã ſuſtentant illos hiſtriones, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quaſi eos in peccato fouentes: vndè Auguſtinus dicit ſuper Ioannem quòd donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane: niſi fortè aliquis hiſtrio eſſet in extrema neceſſitate, in qua eſſet ei ſubueniendum: dicit enim Ambroſius in lib. de officio, paſce fame morientem, quis quis enim pauendo hominem ſeruare poteris, ſi non paueris, occidiſti. 2 2.q. 168.a. 3.ad 3.

HOMICIDIVM.

1 *Quid ſit homicidium.*

Homicidium ſemper eſt illicitum.

Licet aliquando occidere hominem.

2 *Homi-*

2 *Homicidium primum tenet locum inter peccata in proximum.*

3 *Incidens lignum, & projiciens in siluam, per quam rarò transit homo, si sunt occidet aliquem excusatur à peccato.*

4 *Laudabiliter, & salubriter occidetur aliquis corruptiuum Communitatis propter aliquod peccatum.*

5 *Si mali non possunt occidi absq; occisione bonorum, non occidantur.*

6 *Solum principes possunt occidere aliquē.*

7 *Clericis non licet aliquem occidere duplici ratione.*

8 *Prælati Ecclesiastici iudicium sanguinis non possunt per seipsos exercere.*

9 *Non licet alicui occidere se ipsum triplici ratione.*

10 *Non licet habenti publicam auctoritatem occidere se.*

Potest tamen se submittere iudicio aliorum.

11 *Nō licet se ipsum occidere per quodcunq; crimen.*

12 *Nō licet mulieri se occidere, ne corrūpatur*

Si mulier per violentiam corrumpatur, non ei imputatur ad culpam, si desit consensus occidere se ipsam est grauissimum peccatum, & periculosissimum.

13 *Non licet occidere se ipsum propter timorem consentiendi in peccatum.*

14 *Non licet occidere innocentem.*

15 *Qui occidit iustum grauius peccat, quàm qui occidit peccatorē quadruplici ratione*

16 *Iudex sciens aliquem innocentem falsis testibus conuinci diligentius examinet testes.*

Si propter hoc non potest eum liberare, superiori eum relinquat iudicandum.

Si hoc non potest facere, non peccat, si eum secundùm allegata, & probata damnet ad mortem.

17 *Minister non debet obedire sententiæ Iudicis continentis errorem intolerabilem contra innocentem.*

Si sententia non contineat manifestam iniustitiam, non peccat minister exequens eam.

18 *Non licet ad sui defensionem vti maiori violentia, quàm oporteat.*

Licet moderatè violentiam repellere.

Illicitum est priuatæ personæ quòd intendat occidere alium, vt se defendat nisi ei, qui habet publicam auctoritatem.

Licitum est hoc personæ habenti publicam auctoritatem.

19 *Dans operam rei licitæ, & debitam diligentiam faciens nō incurrit reatum homicidij, si inde sequatur.*

Dans operam rei illicitæ, nec debitam diligentiam faciens incurrit homicidij reatum, si inde sequatur.

20 *Qui ignoranter aliquem occidit homicidio casuali, non est homicida, nec irregularis.*

Aliter tamen erit si dabat operam rei illicitæ, & debitam non adhibuit diligentiā.

21 *Percutiens mulierem prægnantem, ex quo sequitur mors pueri, est homicida.*

22 *Qui occidit volentem occidi, iniuriam facit ipsi Deo, & Reipublicę.*

23 *Grauius peccat occidens aliquem corporaliter, quam occidens spiritualiter.*

Quæritur an Homicidium semper sit peccatū.

1 RESpondeo dicendum, quòd homicidium semper est peccatū: quia inordinationem habet inseparabiliter annexā: homicidium enim plus importat, quam occisio hominis: composita enim nomina frequēter plus important, quàm componentia: importat enim homicidium occisionē hominis indebitā: & ideo homicidiū nunquā est licitū, quamuis occidere hominem aliquando liceat. quodlibeto 8.2.14.ad 1. [p.2.q. 100. a.8. ad 3. [q.13.de malo a.4.ad 11.

Quæritur an homicidium sit maximum peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd homicidium primum locum tenet in pęnis inter pecca-

peccata in proximum commiſſa. 2. 2. q. 13. a. 3. ad 1. [q. 154. a. 3. in corp. [q. 2. de malo a. 10. in corp.

Queritur an incidens lignum in ſilua, per quā tranſit homo, & proijciens lignum interficiat hominem peccet.

3 Reſpondeo dicēdum, quòd ſi aliquis incidens lignum in ſilua, per quàm raro tranſit homo proijciens lignum interficiat hominem poteſt excuſari à peccato. q. 1. de malo a. 3. ad 15.

Queritur an ſit licitum occidere peccatores.

4 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſi ſaluti totius corporis humani expediat præciſio alicuius membri, puta cum eſt putridum, vel corruptiuum aliorū membrorum laudabiliter, & ſalubriter abſcinditur, ita quælibet perſona ſingularis cōparatur ad totam Communitatem, ſicut pars ad totum: & ideo ſi aliquis homo ſit periculoſus Communitati, & corruptiuus ipſius propter aliquod peccatum laudabiliter, & ſalubriter occiditur, vt bonum commune conſeruetur modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit, vt dicitur primæ ad Corinth. 5. [2. 2. q. 64. a. 2. in corp.

Quæritur an liceat occidere malos, ex quorum occiſione timetur damnum bonorum.

5 Reſpondeo dicendum, quòd Dominus abſtinendum mandauit ab eradicatione zizaniorum, vt tritico parceretur, ideſt bonis, quod quidem fit, quando nō poſſunt occidi mali; quin ſimul occidantur, & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habēt multos ſequaces, ita quòd ſine bonorum periculo interfici non poſſunt, vt Auguſtinus dicit contra Parmenianum: vndè Dominus docet magis eſſe ſinendum malos viuere, & vltiorum reſeruandam vſq; ad extremum iudiciū, quàm quòd boni ſimul occidantur, quando verò ex occiſione malorum nō imminet periculum bonis, ſed magis tutela, & ſalus, tunc licitè poſſunt mali occidi. 2. 2. q. 64. a. 2. ad 1.

Quæritur an liceat priuatæ perſonæ occidere aliquem.

6 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt occidere malefactorem licitum eſt, inquantùm ordinatur ad ſalutē totius Communitatis: & ideo ad illum ſolum pertinet, cui committitur cura Communitatis conſeruandæ: ſicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum, quādo ei commiſſa fuerit cura ſalutis totius corporis, cura autem cōmunis boni commiſſa eſt Principibus habentibus publicam auctoritatem: & ideo eis ſolum licet malefactores occidere, nō autem priuatis perſonis. 2. 2. q. 64. ar. 3. in corp.

Quæritur an Clericis liceat occidere malefactores.

7 Reſpondeo dicendum, quòd nō licet Clericis occidere duplici ratione: primò quidem quia ſunt electi ad Altaris miniſteriū, in quo repræſentatur Paſſio Christi occiſi, qui cum percuteretur, non repercutiebat, vt dicitur primæ Petri 2. & ideo non competit, vt Clerici ſint percuſſores, aut occiſores, debent enim miniſtri ſuum Dominum immitari ſecundū illud Eccl. 10. ſecundùm Iudicem populi, ſic & miniſtri eius: alia ratio eſt, quia Clericis committitur miniſterium nouæ legis, in qua non determinatur pæna occiſionis, vel mutilationis corporalis: & ideo vt ſint idonei miniſtri noui teſtamenti debent à talibus abſtinere. 2. 2. q. 64. a. 4. in corp.

Quæ-

Quæritur an Prælatis Ecclesiæ liceat occidere aliquos.

8 Respondeo dicendum, quòd Prælati Ecclesiæ accipiunt officium Principum terræ, non vt ipsi iudiciū sanguinis exerceant per se ipsos, sed quòd eorum auctoritate per alios exerceatur. 2.2. q. 64. ar. 4. ad 3.

Quæritur an liceat alicui occidere se ipsum.

9 Respondeo dicēdum, quòd se ipsum occidere est omnino illicitum triplici ratione: primò quidem quia naturaliter quęlibet res se ipsam amat, & adhoc pertinet, quod quælibet res naturaliter conseruat se in esse, & corrumpentibus resistit quantùm potest: & ideo quòd aliquis se ipsum occidat, est contra inclinàtionē naturalem, & contra Charitatē, qua quilibet debet se ipsum diligere: & ideo sui ipsius occisio semper est peccatum mortale, vt potè contra naturalem legem, & contra Charitatē existens: secundò quia quælibet pars id, quod est, est totius, quilibet autem homo est pars Communitatis, & ita id, quod est, est Communitatis: vndè in hoc, quod se ipsum interficit, iniuriam Communitatis facit, vt patet per Phylosophum 5. eth. tertiò quia vita est quoddam Donū Diuinitus homini attributum, & eius potestati subiectum, qui occidit, & viuere facit: & ideo qui se ipsum vita priuat, in Deum peccat, sicut qui alienū seruū interficit, peccat in Dominū, cuius est seruus: & sicut peccat ille, qui vsurpat sibi iudicium de re sibi non commissa, ad solum enim Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ secundùm illud Deut. 32. ego occidam, ego viuere faciā. 2.2.q.64.a.5.in corp.

Quęritur an liceat saltem habenti publicam auctoritatem se occidere.

10 Respondeo dicendum, quòd ille, qui habet publicam potestatem, potest licitè malefactorem occidere per hoc, quod potest de ipso iudicare, nullus autem est iudex sui ipsius: vndè non licet habenti publicam potestatem se ipsum occidere propter quodcunq; peccatum; licet tamen ei se committere iudicio aliorum. 2.2.q.64.a.5.ad 2.

Quæritur an liceat se ipsum occidere propter aliquod crimen.

11 Respondeo dicendum, quòd non licet se ipsum interficere propter aliquod peccatum commissum, tùm quia in hoc sibi maximè nocet, quod sibi adimit necessarium pœnitentię tempus, tùm etiam quia malefactorem occidere non licet, nisi per iudicium publicæ potestatis. 2.2. q.64.a.5.ad 3.

Quæritur an liceat mulier se occidere, ne corrumpatur.

12 Respondeo dicendum, quòd non licet mulieri se ipsū occidere, ne ab alio corrumpatur: quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, vt vitet minus crimen alienum; non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus nō adsit, qui non inquiratur Corpus, nisi de consensu mentis, vt Lucia dixit, constat autem minus esse peccatū fornicationem, vel adulterium, quàm homicidium, & præcipuè sui ipsius, quod est grauissimū, quia sibi ipsi nocet, cui maximam dilectionem debet; est etiam periculosissimum: quia non restat tempus, vt per pœnitentiam expietur. 2.2.q.64.a.5.ad 3.

Quæritur an liceat occidere se ipsum propter timorem consentiendi in peccatum.

13 Respondeo dicendum, quòd nulli licet se ipsum occidere ob timorem, ne consen-

consentiat in peccatum, quia nō sunt facienda mala, vt veniant bona, vel vt vitentur mala, præsertim minora, & minus certa: incertum enim est, an aliquis in futurum consentiat in peccatum: potest enim Deus hominem quacunq; tentatione superueniente liberare à peccato. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3.

Quæritur an liceat in aliquo casu occidere innocentem.

14 Respondeo dicendum, quòd aliquis homo dupliciter considerari potest: vno modo secundùm se: alio modo per comparationem ad aliud; secundùm se quidem considerando hominem, nullum occidere licet, quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam, quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur: sed occisio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur: vita autem iustorum est conseruatiua, & promotiua boni communis, quia ipsi sunt principaliter pars multitudinis: & ideo nullò modo licet occidere innocentem. 2. 2. q. 64. a. 6. in corp.

Quæritur an occidens iustum grauius peccet, quam occidens peccatorem.

15 Respondeo dicendum, quòd ille, qui occidit iustum grauius peccat, quàm ille, qui occidit peccatorem: primò quidem, quia nocet ei, quem prius debet diligere, & ita magis contra Charitatem agit: secundò quia iniuriam infert ei, qui est magis dignus, & magis contra iustitiam agit: tertiò quia priuat Cōmunitatem maiori bono: quartò quia magis Deum contemnit secundùm illud Lucæ 10. qui vos spernit, me spernit; quod autem iustus occisus ad gloriam perducatur à Deo, per accidens se habet ad occisionem. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 2.

Quæritur an liceat iudici condemnare innocentem, conuictum tamen per falsos testes.

16 Respondeo dicendum, quòd Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentius examinare testes, vt inueniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit; si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandum: si autem hoc non potest, non peccat secundùm allegata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3.

Quæritur an peccet minister exequens sententiã iniustam Iudicis occidendo aliquem.

17 Respondeo dicendum, quòd minister Iudicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire, alias excusarentur carnifices, qui Martires occiderunt: si verò non contineat manifestam iniustitiam, non peccat præceptum exequendum, quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed Iudex, cuius ministeriũ exhibet. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3.

Quæritur an liceat alicui occidere aliquem se defendendo.

18 Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet vnius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intẽtione: alius verò sit præter intentionem, morales autem actus recipiunt speciem secundùm id, quod intenditur, non autem ab eo, quod est præter intentionem, cum sit per accidens; ex actu ergo alicuius se ipsum defendentis duplex effectus sequi potest: vnus quidem conseruatio propriæ vitæ: alius autem occisio inuadentis; actus ergo huiusmodi, ex hoc quòd inten-

intenditur conseruatio propriæ vitæ non habet rationem illiciti, adhoc sit cuilibet naturale, quod se conseruet in esse, quantùm potest; potest tamen aliquis actus ex bona intentione proueniens illicitus reddi: si non sit proportionatus fini: & ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam vtatur maiori violentia, quàm oporteat, erit illicitum: si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defensio, nam secundùm iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ; nec est necessarium ad salutem, vt hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad euitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quàm vitæ alienæ. sed quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate propter bonum commune, illicitum est, quòd homo intendat occidere hominem, vt se ipsum defendat, nisi ei, qui habet publicet auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro Iudicis pugnante cótra latronem: quamuis etiam & isti peccent, si priuata libidine moueantur. 2.2. q.64.a.7.in corp.

Quæritur an aliquis occidens hominem incurrat homicidij reatum.

19 Respondeo dicendum, quòd secundum Phylosophum 2. Physicorum casus est causa agens præter intentionem: & ideo ea, quæ casualia sunt simpliciter loquendo non sunt intenta, neq; voluntaria: & quia omne peccatum est voluntarium secundùm Augustinum, consequens est, quòd carnalia inquantùm huiusmodi non sunt peccata: contingit tamen id, quod non est actu, & per se volitum, vel intentum, esse per euidens volitum, vel intentum secundùm quòd causa per accidens dicitur remouens prohibens: vndè ille, qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidiũ, si debeat remouere, erit quodammodo homicidiũ voluntarium; hoc autẽ contingit dupliciter: vno modo quando dans operã rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit: alio modo quando nó adhibet debitam solicitudinem: & ideo secundùm iura si aliquis det operã rei licitæ, debitã diligentiã adhibens, & ex hoc homicidiũ sequatur, nõ incurrit homicidij reatũ: si verò det operã rei illicitæ, nõ adhibens diligentiã debitã, nõ euadit homicidij reatũ, si ex ei' opere mors hominis consequatur. 2.2.q.64. a.8. in corp. & 4. sent.d.25.q.2.a.2.quæstiunc.2.ad 3.

Quæritur an qui occidit aliquem à casu incurrat irregularitatem.

20 Respondeo dicendum, quòd ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatẽ incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam: quia iam quodammodo efficitur voluntarium. 4. sent. d.25. q.2. a.2. quæstiunc. 2. ad 3.

Quæritur an percutiens mulierem prægnantem, & inde sequatur mors pueri, sit homicida.

21 Respondeo dicẽdum, quòd ille, qui percutit mulierem prægnantẽ dat operã rei illicitæ: & ideo si sequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen, præcipuè cũ ex tali percussione in promptu sit, quod mors sequatur. 2.2.q.64.a.8.ad 2.

Quæritur an liceat occidere hominem volentem occidi.

23 Respondeo dicendum, quòd ille, qui

occidit

occidit hominem volentem occidi iniuriam facit non solum homini occiso, sed etiam Deo, & Reipublicæ: sicut etiam & ille, qui occidit se ipsam, vt Phylosophus dicit in 5. eth. vade & David damnauit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manum, vt occideret Christum Domini, quamuis eo potente; vt legitur 2. Reg. cap. 1. [3. p. q. 47. a. 6. ad 3.

Quæritur quisnam grauius peccet, an occidens iniustè hominem corporaliter, an occidens aliquem spiritualiter.

23 Respondeo dicendum, quòd grauius peccat occidens aliquem corporaliter, quàm occidens spiritualiter: quia homicida est per se, & sufficiens causa corporalis mortis, spiritualis autem mortis nullus potest esse alteri causa per se, & sufficiens. quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando. p. 2. q. 73. a. 8. ad 3.

HONOR.

1 *In præcepto de honoratione parentum includitur honor erga senes.*
2 *Honor, & reuerentia debetur parentibus inquantùm huiusmodi.*
Subuentio debetur eis, vt sunt indigentes.
3 *Parentibus debent filij reuerentiam, obedientiam, sustentationem.*
4 *Honorantibus Parentes promittitur longeuitas futura, & præsens.*
Quare aliquando Pij in Parentes citò moriuntur, & in eos impij diu viuunt.
5 *Cultus, & officium debetur omnibus sanguine iunctis, beneuolis Patriæ.*
Non tamen æqualiter omnibus istis debetur honor.
6 *Deo debetur honor, reuerentia, et subiectio.*
7 *Ex debito legali debetur honor in dignitate constitutis à sibi subditis.*
Ex debito morali debetur honor in dignitate constitutis etiam à non subditis.
8 *Prælato dum est in actu peccato non debetur honor.*
Ante, vel post peccatum debetur ei Dulia.
9 *Prælato malo non debetur honor ratione personæ, debetur tamen ei quia tenet locum Christi.*
10 *Honor qui debetur alicui ratione virtutis non debetur Diuitibus.*
Diuitibus debetur honor, qui congruit personæ secundùm statum, quem habet in Republica.
11 *Honor non debetur directè nisi habenti gratiam.*
Virtuosis actu debetur propriè honor.
Omnibus Prælatis est honor exhibendus.
12 *Secundum veritatem solus bonus est honorandus.*

Quæritur quid includatur in quarto præcepto de honoratione Parentum.

1 Respondeo dicẽdum, quòd quarto præcepto de honore Parentum superadditur præceptum de honoratione senum secundùm illud Leuitici 19. coram cano capite consurge, & honora personam senis; & vniuersaliter omnia præcepta inducentia ad reuerentiam exhibendam maioribus vel ad beneficia exhibenda, vel æqualibus, vel minoribus, p. 2. q 100. a. 11. in corp.

Quæritur an honor, & sustentatio debeatur Parentibus.

2 Respondeo dicendùm, quòd Parentibus inquantùm huiusmodi debetur reuerentiæ honor, sed sustentatio: & alia huiusmodi debentur eis ratione alicuius accidentis, puta inquantùm sunt indigentes, vel serui, vel aliquid huiusmodi: & quia quod est per se prius est eo, quod est per accidens: inter prima etiam præcepta legis, quæ sunt præcepta decalogi specialiter præcipitur honoratio parentum, in quo sicut in quoddam principali

cipali intelligitur mandari sustentatio, & quid quid aliud Parentibus debetur. 2. 2. q. 122. a. 6. ad 3. [q. 101. a. 2. in corp. & ad 1.

Quæritur quid debeant filij exhibere Parentibus.

3 Respondeo dicendum, quòd filij debent Parentes honorare, quia debent eis reuerentiam, sicut maioribus; obedientiam, sicut instructoribus; sustentamenta, sicut nutrientibus cum fortes erunt. Ecc. 1. cap 6. ad ephesios.

Quæritur quod nam sit præmium promissum honorantibus Parentes.

4 Respondeo dicendum, quòd longeuitas promittitur honorantibus Parentes, non solum quantùm ad futuram vitam, sed etiam quantùm ad præsentem secundùm illud Apostoli primæ ad Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissioné habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, & hoc rationabiliter, qui enim est gratus beneficio meretur secundùm quamdam congruentiam, vt sibi beneficium conseruetur, propter ingratitudinem auté meretur aliquis beneficium perdere; beneficium autem vitæ corporalis post Deum a Parentibus habemus: & ideo ille, qui honorat Parentes, quasi beneficio gratus meretur vitæ conseruationem: qui auté non honorat Parentes tanquam ingratus meretur vita priuari: quia tamen præsentia bona, vel mala non cadunt sub merito, vel demerito nisi inquantùm ordinantur ad futuram remunerationé: ideo quandoq; secundùm occultam rationem Diuinorum iudiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, alij qui, qui sunt pij in Parentes citius vita priuantur: alij verò, qui sunt impij in Parentes, diutius viuunt. 2. 2. q 122. ar. 6. ad 3.

Quæritur an honor debeatur alijs.

5 Respondeo dicendum, quòd cultus, & officium, vt Tullius dicit, debetur omnibus sanguine, & Patriæ beneuolis, non tamen æqualiter omnibus, sed præcipuè parentibus: alijs autem secundùm propriam facultatem, & decentiam personarum. 2. 2. q. 101. a. 2. ad 3.

Quæritur an honor Deo debeatur.

6 Respondeo dicendum, quòd Deo ex hoc, quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia debetur honor, & reuerentia, & subiectio à tota creatura Malachię primo, si ego Pater, vbi est honor meus? Ecc. 5. cap 11. ad Romanos.

Quæritur an honor debeatur Prælatis, & à quibus.

7 Respondeo dicendum, quòd duplex est debitum, vnum quidem legale, ad quòd reddendum homo lege compellitur: & sic debet homo honorem, & cultum his, qui sunt in dignitate constituti Prælationem super ipsum habétes: aliud autem est debitum morale, quod ex quadam honestate debetur, & hoc modo debemus cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiam si nõ simus eis subiecti. 2. 2. q. 102. a. 1. ad 2.

Quæritur an Prælato existenti actu in peccato debeatur honor.

8 Respondeo dicendum, quòd Prælato dum est in actu peccati, non debet exhiberi Dulia, siue honor, quia apparet in eo aliquid honori contrarium, sed antè, vel post sibi Dulia habet exhiberi, quia nescitur in quo statu sit. 3. sent. d. nona q. 2. a. 3. ad 2.

Quæ-

Quæritur qua ratione exhibeatur honor malis Prælatis.

9 Respondeo dicendum, quòd in Prælato duo possumus considerare scilicet personam propriam,& dignitatem secũdùm quam est quædam persona publica: si ergo Prælatus sit malus ratione personæ suę non est honorandus:quia cum honor sit reuerentia alicui exhibita in testimonium virtutis, falsum testimonium de eo proferret,si quis eum obtentæ propriæ personę honoraret cõtra illud,quòd dicitur exodi 20.nõ loquaris contra proximum suum falsum testimonium; sed inquantùm est persona publica, sic gerit typum,& locum non sui ipsius, sed alterius scilicet Christi in Ecclesia, vel Reipublicæ, vt Dominus in sæcularibus dignitatibus,& sic valor eius non computatur secundùm personam, sed secũdùm eum,cuius loco præsidet: & ita est ei honor exhibendus non propter se,sed propter eum,cuius locum obtinet: sicut adoratio imaginis refertur ad protosypum, vt dicitur Damascenus: vndè & malus Prælatus Idolo comparatur Zacariæ 11. ô Pastor,& Idolum derelinquens gregẽ. quodlibeto 8.a.7. [2.2.q 63.a.3. in corp.

Quæritur an honor debeatur Diuitibus.

10 Respondeo dicendum,quòd est duplex honor,vnus qui debetur alicui ratione suiipsius propter ipsam virtutem, sicut est commendatio, inuitatio, & huiusmodi,& ad hunc honorem Diuitiæ nihil faciũt:vndè si talis honor alicui propter diuitias exhibeatur, erit acceptio personarum: alius honor alicui debetur secundùm statum, quem habet in Republica,sic enim in persona Respublica honoratur, & propter hoc Reges, & Principes, & huiusmodi personæ honorantur secundùm illud primæ Petri 4. Regem honorificate, & quia in terrena Republica Diuites statum obtinent altiorem, ciues ideo debent eis, interquos conuersantur,morem gerere, vt Augustinus dicit in lib. de Ciuit. Dei, in his, quæ non sunt contra Deum: & sic etiam Diuites honorare illis duntaxat honoribus, qui ad exteriorem conuictum pertinent, licitum est. quodlibeto 10. a. 12. [2. 2. q. 63.a.3.in corp.

Quęritur an peccatoribus debeatur honor.

11 Respondeo dicendum, quòd cum honor non debeatur nisi rebus Diuinis, non debetur propriè, & directè nisi habenti gratiam,& virtutem, quæ Diuinos facit:sed habet aliquis virtutem multipliciter,vel sicut actu virtuosus, & huic directè debetur,& propriè, & secundùm se honor: vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem: & sic cuilibet habenti imaginem est exhibẽdus honor, nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad virtutem, vel sicut ordinatus ad inducendum virtutem: & sic debetur omnibus Prælatis, qui ad hoc ordinati sunt,vt alios dirigant in virtutem. 3.sent.d.nona. q.2.a.3. in corp.

Quæritur quis secundum veritatem sit honorandus.

12 Respondeo dicendum, quòd secundùm veritatem solus bonus est honorandus: bonus autem est aliquis secundùm virtutem. 2.2.q.145.a.1.ad 2.

HORAE CANONICAE.

De requisitis ad recitandũ horas canonicas. Cap. I.

1 *In septem horas canonicas Diuinum officium diuiditur.*

Sacerdos tenetur septem horas canonicas recita-

recitare quolibet die?
Infirmus excusatur à recitando horas canonicas.
Qui horis debitis non potest recitare horas canonicas, recitet eas alio tempore.
2 *Seruandus est modus, & ordo in Diuino officio recitando conformis Matrici Ecclesiæ.*
Diebus Dominicis recitantur decem, & octo psalmi, nouem lectiones.
Quot psalmi et lectiones in quibusdam alijs diebus recitari debeant.
3 *Attentio actualis aliquo modo requiritur ad orationem.*
Requiritur necessario attentio virtualis.
In quo consistat attentio virtualis.
4 *Potest quis attendere in oratione ad verba, ad petitionem ipsam, & ad ea, quæ petitionem circonstant, & ad alia huiusmodi.*
Vltima attentio est laudabilior, quam secunda, & secunda, quam prima.
Prima attentio potest nocere, si aufferat secundam & secunda si aufferat tertiam.
Attentio absolutè non nocet, sed multum prodest.
5 *Horæ canonicæ sunt recitandę in Ecclesia, si potest fieri.*
Aliter possunt vbique recitari.
6 *In matutinis persoluendis, & alijs horis recitandis, non licet tempus præuenire ob lasciuiam.*
Licet in horis canonicis recitandis præuenire tempus propter necessitatem aliquã.
7 *Dies quo ad cõtractus incipit a media nocte*
Dies quo ad solemnitates incipit à vesperis.
Licet post vesperas, & completorium dicere matutinum sequentis diei.
8 *Si quis vadit ad Ecclesiam principaliter propter distributiones, quas recipit sicut finem sui operis principaliter intentum peccat mortaliter, & simoniã committit*
Qui pergit ad Ecclesiam propter distributiones secundariò non peccat, nec simoniam committit.

Quæritur in quot horas canonicas diuidatur Diuinum officium, & quando debeant recitari.

1 RESpondeo dicendũ, quòd Diuina officia in septem horas canonicas distinguuntur, scilicet Matutinũ, Primã, Tertiã, Sextã, Nonam, Vesperas, & Completorium: has septem horas debet Sacerdos, quolibet die Domino reddere horis cõpetentibus, vt 91. dis. Presbyter mane; & extra de celebratione Miss. Presbyter, nisi esset infirmus, in quo casu excusatur. 91. dist. Clericus victũ, ex quo patet, quod nõ debet miscere horas sub vna oratione, sicut quidam faciunt, & malè, sed singulas horas dicat, & distinctè: si verò iusto impedimento detentas horis competentibus nõ possit reddere, reddat postea, quando poterit. art. de do. & contu. eum dilecti. opusculo 65. cap. 1.

Quæritur quomodo, & quo ordine debeat recitari officium.

2 Respondeo dicẽdum, quòd in modo, & ordine officiandi, quælibet Ecclesia se conformare debet Ecclesię matrici, idest metropoli, vt de consecrat. dist. 2. Institutio, & 22. dist. de his. Diebus tamẽ Dominicis decem, & octo psalmos, & nouẽ lectiones, & nouẽ psalmos dicimus; alijs diebus minus solemnibus, & pro festis duodecim psalmos, & tres lectiones. In septimana verò Paschali & in septimana Pẽtecostes tres psalmos, & tres lectiones celebrare volunt non ex regula Sanctorũ Patrum: sed ex fastidio, & negligentia probantur hóc facere. opusculo 61. cap. 1.

Quæritur quæ attentio requiratur in recitandis horis canonicis.

3 Respondeo dicendum, quòd attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad euitandum transgressionem,

sionem, quæ est in illa oratione, quæ est in præcepto, vel ad meritum in illa, quæ non est in præcepto, sed nō omnibus modis: aliquis enim actus manet per essentiam, & virtutem quandoq; sed quandoq; transit actu, & manet virtute: & sic manere actum in virtute, est quidam medius modus inter ipsum esse, & in habitu, & in actu: quia quod in habitu est, neq; virtute, neq; per essentiam actus est: secundùm hoc ergo dico, quòd attentio in oratione manere debet semper secundùm virtutem, sed nō requiritur, quòd semper maneat per essentiam actus: manet autem secundùm virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiam si in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur: nisi tanta fiat euagatio, quòd omnino depereat vis primæ intentionis: & ideo oportet, quòd frequenter homo cor reuocet ad se ipsum. 4. sent. d. 15. q. 4. a. 2. quæstiunc. 4. in corp.

Quæritur an attentio noceat orationi.

4 Respondeo dicendum, quòd attētio in oratione potest esse duplex: primò enim est attentio ad verba, quibus petimus; ad petitionem ipsam, & ad ea, quæ petionem ipsam circonstant: sicut est necessitas pro qua petitur Deus, qui cogatur: & alia huiusmodi, & quæcunq; harū attentionum ad sit non est reputanda in attenta oratio: vndè etiam illi, qui non intelligunt petionis verba, ad orationem attenti esse possunt: sed tamen vltima attentio est laudabilior, quàm secunda, & secunda quàm prima: & quia anima non potest vehementer attenta esse ad diuersa: ideo prima attentio potest nocere, vt minor sit orationis fructus, si secundam euacuat: vel secunda: si tertiam omnino tollat; sed non è contrario: tamē attentio communiter accipiendo nō nocet, sed multùm prodest. 4. sent. d. 15. q. 4. a. 2. quæstiunc. 5. in corp.

Quæritur quo in loco debeant dici horæ canonicæ.

5 Respondeo dicēdum, quòd debet ipsas reddere in Ecclesia, si potest iuxta illud in Ecclesia benedicite Deum; aliter reddat vbique, & honestè, quando commodè poterit. opusculo 63. cap. 1.

Quæritur an liceat Clerico, qui tenetur ad horas canonicas, dicere matutinum sequentis diei de sero.

6 Respondeo dicendum, quòd considerāda est intentio eius, qui præuenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscunq; horis canonicis: si enim hoc facit propter lasciuiam, vt scilicet quietius somnolentiæ, & voluptati vaccet, non est absq; peccato: si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, puta si Clericus, aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi, licitè potest de sero dicere matutinas, & in alijs horis canonicis tempus præuenire: sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesijs fit: quia melius est Deo vtrumq; reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quàm quòd per vnū aliud impediatur. quodlibeto 5. a. 28. in corp.

Quæritur quando incipiat Dies.

7 Respondeo dicendum, quòd quantùm ad cōtractus, & alia huiusmodi dies incipit à media nocte: sed quantùm ad Ecclesiasticum officium, & solemnitatum celebritates incipit dies à vesperis: vndè si aliquis post dictas vesperas, & completorium dicat matutinos, iam hoc pertinet ad diē sequentē. quodlibeto. 5. ad 1.

Quæ-

Quæritur an ille, qui vadit ad Ecclesiã propter distributiones, alias non iturus peccet.

8 Respondeo dicendum, quòd in hoc casu distinguendum est: si enim huiusmodi distributiones recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat: si autem habet principalem finem Deum in tali actu: ad huiusmodi autem distributiones respicit secundariò non quasi in finem; sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem: constat, quòd non vendit actum spiritualem, & ita simoniam nõ committit, nec peccat: sic enim acceptio distributionum nõ erit causa, quare Ecclesiam vadat, sed propriè huiusmodi determinatio, quare nũc vadat, & non alia vice. quodlibeto 8. a. 1 in corp. [quodlibeto 4. a. 23 [4. sent. d. 25. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4. [Ecc. 5. cap. 9. primæ ad Corinthios.

De illis, qui tenentur ad recitãdas horas canonicas. Cap. II.

1 *Ad recitandas horas canonicas tenentur Sacerdos, clerici in sacris constituti, siue habeant beneficium, siue non.*

Tenentur etiam omnes habentes Ecclesiastica stipendia in quocunq; ordine sint.

2 *Omnes tenentur interesse horis canonicis diebus festis ex statuto canonum.*

3 *Qui accipit præbendam in aliqua Ecclesia, obligatur, & Deo, & Ecclesiæ.*

Debitum Ecclesię debet exoluere, vel per se ipsum: si Ecclesia requirit residentium, vel per Vicarium, si hoc sufficit.

Debitum Deo debet exoluere per se ipsum.

Ad hoc debitum exoluendum nõ refert quibus psalmis, vel hymnis Deum laudet.

Debet tamen sequi maiorum traditionis.

Quando aliquis est præbendatus in duabus Ecclesijs per dispensationem, in die, in qua dicuntur diuersa officia in duabus suis Ecclesijs, dicat officium illius Ecclesię, in qua habet maiorem gradum, & sufficit quòd dicat vnum officium.

Si est ęqualis gradus in vtraq; Ecclesia, debet dicere officium dignioris Ecclesię.

Si Ecclesiæ sint æqualis dignitatis, potest dicere quod voluerit officium, si fuerit absens ab vtraque.

Si fuerit præsens vni, se conformet illis, cũ quibus conuersatur.

4 *Non est iniungendum ei, qui omisit aliquas horas canonicas, vt easdem recitet, sed aliquid aliud secundùm quantitatem delicti.*

5 *Clericus beneficiatus existens in scholis tenetur dicere officium mortuorum, quod communiter dicitur ab Ecclesia in die animarum, & quod ex consuetudine semel dicitur in septimana.*

Clericus non tenetur dicere officium mortuorum, quod extraordinariè dicitur semel in aliqua Ecclesia.

6 *Officium mortuorum non debet prætermitti, nisi ob diem solemnem.*

Quæritur quis teneatur ad horas canonicas.

1 Respondeo dicendum, quòd ad has septem horas tenetur Sacerdos, & alij Clerici constituti in sacris ordinibus, siue habeant beneficiũ, siue non, & omnes illi, qui percipiunt Ecclesiastica stipendia, in quocunq; ordine sint. arg. extra de pos. cap. 1. & ad heb. 2. sunt autẽ Ecclesiastici redditus deputati, vt ex eis sustentẽtur, qui in Ecclesia reddant Domino Diuina officia, vt extra de Cleric. cap. cum omni. opusculo 65. cap. 1. [4. sent. d. 15. q. 4. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an omnes teneantur interesse in diebus festis horis canonicis.

2 Respondeo dicendum, quòd omnes ex canonum statuto tenentur diebus festis Diuinis officijs interesse, vt ministris pro-

pro populo orantibus suam intentionem cõforment.4.sent.d.15.q 4.a.1.quæstiūc. 3.in corp.

Quæritur an ille, qui est præbendatus in duabus Ecclesijs, in die, quo diuersum officium sit in vtraq; Ecclesia, debeat vtrumque dicere.

3 Respondeo dicendum, quòd supposito, quòd aliquis licitè sit præbendatus in duabus Ecclesijs, scilicet ex dispensatione, considerandum est, quòd ille, qui in aliqua Ecclesia prębendam accepit, duobus obligatur, scilicet Deo, vt ei debitas laudes exoluat pro eius beneficijs, & Ecclesiæ, de qua accipit sumptus: ea verò, quæ ad Ecclesiam pertinent, subiacent dispensationi Prælatorum Ecclesiæ: & ideo hoc debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exoluere, secūdùm quòd statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundùm Ecclesiæ statutum, ac consuetudinem: sed debitū, quod debet Deo, per se ipsum debet exoluere: non refert autem quantùm ad Deū, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet, vt puta vtrum dicat in vesperis, Dixit Dominus, vel laudate pueri Dominum, nisi quantùm adhoc, quòd homo debet sequi maiorū traditiones: & quia laudes Deo debet, quasi vnus homo sufficit, quòd semel officium dicat secundùm consuetudinem alicuius Ecclesiarum, quarum est Clericus: sed de electione officij rationabiliter videtur, quòd debeat dicere officium illius Ecclesiæ, in qua maiorē gradū habet: puta si in vna sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere officium Ecclesiæ, in qua est Decanus; quòd si in vtraq; Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Ecclesiæ; quamuis fortè in minori Ecclesia habeat opulentiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata: si verò ambæ Ecclesiæ sunt æqualis dignitatis, potest eligere quodcunq; officium magis voluerit, si fuerit ab vtraq; Ecclesia absens: si autem fuerit in aliqua earum præsens, debet se conformare illis, cum quibus conuersatur, quodlibeto.1.a.13.

Quæritur an ei, qui omisit Diuinum officium sit iniungendum, quod iterato dicat.

4 Respondeo dicendum, quòd in omni Diuino officio est hoc commune, quòd pertinet ad laudem Dei, & ad suffragium fidelium; sed distinguitur vnum officium ab alio, secundùm diuersitatem temporum, & locorum: rationabiliter enim institutum est, vt diuersimodè Deus laudetur secundùm congruentiam temporum, & locorum: & ideo sicut in officijs Diuinis exoluendis obseruāda est congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quæ quidem obseruari non posset, si oporteret iniungere omittenti, quod horas diceret, quas omisit: fortè enim in completorio diceret iam lucis orto sydere, & in tempore Paschali diceret officium Dominicæ Passionis, quod esset absurdum: & ideo non videtur esse iniungendum ei, qui omisit Diuinum officium, quòd horas easdem repetat, sed aliquid ad Diuinam laudem pertinens, puta dicat septem Psalmos, vel vnum Psalteriū, vel aliquid amplius, secundùm quantitatem delicti. quodlibeto 3.a.29.

Quæritur an Clericus beneficiatus teneatur in scholis existens dicere officium mortuorum.

5 Respondeo dicendum, quòd Clericus ex hoc ipso, quòd est Clericus, & pręcipuè in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere horas canonicas: videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem Diuinam, secundùm illud Esaiæ

Esaiæ 42. omnẽ,qui inuocat nomen meũ, in laudem meũ creaui illum: sed inquantùm est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia tenetur dicere officium secundùm modum illius Ecclesiæ: est ergo considerandum, quòd officium mortuorũ quandoq; in Ecclesia dicitur, sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ officium, sicut in tota Ecclesia in die animarũ dicitur officium pro mortuis; & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, puta vt dicatur ordinariè officium mortuorum semel in septimana, vel qualitercunque aliter secundùm certum tempus; & ad huiusmodi officium mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia etiam in scholis existens, & per hoc satisfacit mortuis,quorum recipit bona; aliquando verò dicitur officium mortuorum, in Ecclesia extraordinariè propter aliquam causam specialiter emergentem, puta ad preces alicuius personæ, vel propter aliquid huiusmodi; & ad huiusmodi non tenetur Clericus existens in scholis. quodlibeto 6. a.8.in corp.

Quæritur an liceat prætermittere officium mortuorum aliquando.

6 Respondeo dicendum,quòd non debet prætermittere officium mortuorum, quando dies solemnis non impedit, vt extra de celeb.Miss.quidam cap.Creatura. opusculo 65.cap.1.

HVMILITAS.

1 *Quid sit humilitas.*
2 *Quid pertineat ad humilitatem.*
3 *Humilitas præcipuè in anima consistit.*
In exterioribus actibus humilitatis est adhibenda moderatio, ne vergant in detrimentum alicuius.
Si quis faciat quod debet, si inde aliquis sumat occasionem peccati, non imputatur humiliter agenti.
4 *Humilitas quando sit pœna.*
Humilitas quando sit virtus.
Humiliare se ipsum ita vt se comparet iumentis insipientibus est malum.
5 *Duodecim sunt gradus humilitatis positi in Regula D. Benedicti.*
6 *Septem sunt gradus humilitatis secundũ D. Anselmum.*
6 *Tres sunt gradus humilitatis secundùm glosam.*
8 *Tendere ad maiora per virium confidentiam repugnat humilitati.*
Tendere ad altiora ex confidentia auxilij Diuini non repugnat humilitati.
9 *Humilitas propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur.*
Quilibet homo secundum id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere, quãtum ad id, quod est Dei in se ipso.
Non requirit humilitas vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero.
Non hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est suũ in se ipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo.

Quæritur quid sit humilitas.

1 Respondeo dicendum, quòd humilitas est virtus, quæ temperat, & refrenat animum, ne immoderatè tendat in excelsa. 2.2.quæst.161.ar. 1.in corp.

Quæritur quid pertineat ad humilitatem.

2 Respondeo dicendum, quòd ad humilitatem pertinet, vt homo defectus proprios considerans se ipsum non extollat: sed hoc non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quod bona, quæ quis à Deo possidet, contemnat. 2.2.q.35.a.1.ad 3.

pro populo orantibus suam intentionem cõforment.4.sent.d.15.q 4.a.1.quæstiũc.3.in corp.

Quæritur an ille, qui est præbendatus in duabus Ecclesijs, in die, quo diuersum officium fit in vtraq; Ecclesia, debeat vtrumque dicere.

3 Respondeo dicendum, quòd supposito, quòd aliquis licitè sit præbendatus in duabus Ecclesijs, scilicet ex dispensatione, considerandum est, quòd ille, qui in aliqua Ecclesia pręebendam accepit, duobus obligatur, scilicet Deo, vt ei debitas laudes exoluat pro eius beneficijs, & Ecclesiæ, de qua accipit sumptus: ea verò, quæ ad Ecclesiam pertinent, subiacent dispensationi Prælatorum Ecclesiæ: & ideo hoc debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exoluere, secũdùm quòd statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundùm Ecclesiæ statutum, ac consuetudinem: sed debitũ, quod debet Deo, per se ipsum debet exoluere: non refert autem quantùm ad Deũ, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet, vt puta vtrum dicat in vesperis, Dixit Dominus, vel laudate pueri Dominum, nisi quantùm adhoc, quòd homo debet sequi maiorũ traditiones: & quia laudes Deo debet, quasi vnus homo sufficit, quòd semel officium dicat secundùm consuetudinem alicuius Ecclesiarum, quarum est Clericus: sed de electione officij rationabiliter videtur, quòd debeat dicere officium illius Ecclesiæ, in qua maiorẽ gradũ habet: puta si in vna sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere officium Ecclesiæ, in qua est Decanus: quòd si in vtraq; Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Ecclesiæ; quamuis fortè in minori Ecclesia habeat opulentiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata: si verò ambæ Ecclesiæ sunt æqualis dignitatis, potest eligere quodcunq; officium magis voluerit, si fuerit ab vtraq; Ecclesia absens: si autem fuerit in aliqua earum præsens, debet se conformare illis, cum quibus conuersatur, quodlibeto.1.a.13.

Quæritur an ei, qui omisit Diuinum officium sit iniungendum, quod iterato dicat.

4 Respondeo dicendum, quòd in omni Diuino officio est hoc commune, quòd pertinet ad laudem Dei, & ad suffragium fidelium; sed distinguitur vnum officium ab alio, secundùm diuersitatem temporum, & locorum: rationabiliter enim institutum est, vt diuersimodè Deus laudetur secundùm congruentiam temporum, & locorum: & ideo sicut in officijs Diuinis exoluendis obseruãda est congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quæ quidem obseruari non posset, si oporteret iniungere omittenti, quod horas diceret, quas omisit: fortè enim in completorio diceret iam lucis orto sydere, & in tempore Paschali diceret officium Dominicæ Passionis, quod esset absurdum: & ideo non videtur esse iniungendum ei, qui omisit Diuinum officium, quòd horas easdem repetat, sed aliquid ad Diuinam laudem pertinens, puta dicat septem Psalmos, vel vnum Psalteriũ, vel aliquid amplius, secundùm quantitatem delicti quodlibeto 3.a.29.

Quæritur an Clericus beneficiatus teneatur in scholis existens dicere officium mortuorum.

5 Respondeo dicendum, quòd Clericus ex hoc ipso, quòd est Clericus, & præcipuè in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere horas canonicas: videtur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem Diuinam, secundùm illud

Esaiæ

Esaiæ 42. omnẽ, qui inuocat nomen meũ, in laudem meũ creaui illum: sed inquantùm est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia tenetur dicere officium secundùm modum illius Ecclesiæ: est ergo considerandum, quòd officium mortuorũ quandoq; in Ecclesia dicitur, sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ officium, sicut in tota Ecclesia in die animarũ dicitur officium pro mortuis; & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, puta vt dicatur ordinariè officium mortuorum semel in septimana, vel qualitercunque aliter secundùm certum tempus; & ad huiusmodi officium mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia etiam in scholis existens, & per hoc satisfacit mortuis, quorum recipit bona; aliquando verò dicitur officium mortuorum, in Ecclesia extraordinariè propter aliquam causam specialiter emergentem, puta ad preces alicuius personæ, vel propter aliquid huiusmodi; & ad huiusmodi non tenetur Clericus existens in scholis. quodlibeto 6. a. 8. in corp.

Quæritur an liceat prætermittere officium mortuorum aliquando.

6 Respondeo dicendum, quòd non debet prætermittere officium mortuorum, quando dies solemnis non impedit, vt extra de celeb. Miss. quidam cap. Creatura. opusculo 65. cap. 1.

HVMILITAS.

1 *Quid sit humilitas.*
2 *Quid pertineat ad humilitatem.*
3 *Humilitas præcipuè in anima consistit.*
In exterioribus actibus humilitatis est adhibenda moderatio, ne vergant in detrimentum alicuius.
Si quis faciat quod debet, si inde aliquis sumat occasionem peccati, non imputatur humiliter agenti.
4 *Humilitas quando sit pœna.*
Humilitas quando sit virtus.
Humiliare se ipsum ita vt se comparet iumentis insipientibus est malum.
5 *Duodecim sunt gradus humilitatis positi in Regula D. Benedicti.*
6 *Septem sunt gradus humilitatis secundũ D. Anselmum.*
6 *Tres sunt gradus humilitatis secundùm glosam.*
8 *Tendere ad maiora per virium confidentiam repugnat humilitati.*
Tendere ad altiora ex confidentia auxilij Diuini non repugnat humilitati.
9 *Humilitas propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur.*
Quilibet homo secundum id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere, quãtum ad id, quod est Dei in se ipso.
Non requirit humilitas vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero.
Non hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est suũ in se ipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo.

Quæritur quid sit humilitas.

1 RESpondeo dicendum, quòd humilitas est virtus, quæ temperat, & refrenat animum, ne immoderatè tendat in excelsa, 2. 2. quæst. 161. ar. 1. in corp.

Quæritur quid pertineat ad humilitatem.

2 Respondeo dicendum, quòd ad humilitatem pertinet, vt homo defectus proprios considerans se ipsum non extollat: sed hoc non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quod bona, quæ quis à Deo possidet, contemnat. 2. 2. q. 35. a. 1. ad 3.

vult homo longè iactare, in altum eleuat: tunc autem propriè aliquis se extollit quando de se supra se aliquid dicit; quod quidem contingit dupliciter, quandoque enim aliquis loquitur de se non quidem supra id, quod in se est, sed supra id, quod de eo homines opinantur, quod Apostolus refugiens dicit secundæ ad Corinthios 12. parco nequis existimet me supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me: alio modo aliquis per verba se extollit loquens de se supra id, quod in se est secundùm rei veritatem, & quia magis est aliquid iudicandum secundùm quòd in se est, quàm secundùm quòd est in opinione aliorum, inde est, quod magis propriè dicitur iactantia quando aliquis effert se supra id, quod in ipso est, quàm quando effert se supra id, quod est in opinione aliorum, quamuis vtroq; modo iactantia dic posſit. 2.2.q.112.a.1.in corp.

Quæritur an iactantia sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale est, quod Charitati contrariatur: dupliciter ergo iactantia considerari potest; vno modo secundùm se, prout est mendacium quoddam; & sic quandoq; est peccatum mortale, quandoq; veniale; mortale quidem quando aliquis iactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei, sicut ex persona Regis Tiri dicitur Ezech. 28. eleuatum est cor tuum, & dixisti Deus ego sum; vel etiam contra Charitatem proximi, sicut cum quis iactando se ipsum, prorumpit in contumelias aliorũ, sicut habetur Luçe 18. de Pharisęo, qui dicebat, non sũ sicut cęteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus; quãdoq; verò est peccatum veniale; quando scilicet aliquis de se talia iactat, quæ neq; sũt contra Deum, neq; contra proximũ alio modo potest considerari secundùm suã causam, scilicet superbiam, vel appetitũ lucri, aut inanis gloriæ: & sic si procedat ex superbia, vel inani gloria, quæ sit peccatum mortale, etiam iactantia erit peccatum mortale, alioquin erit peccatum veniale; sed quandoq; aliquis prorumpit in iactantiam propter appetitum lucri, & hoc videtur iam pertinere ad proximi deceptionem, & damnũ: & ideo talis iactãtia magis est peccatũ mortale, vndè, & Phylosophus dicit in 4. eth. quod turpior est, qui se iactat causa lucri, quã qui se iactat causa gloriæ, vel honoris: nõ tamen semper est peccatũ mortale, quia potest esse tale lucrum, ex quo alius non damnificatur. 2.2.q.112.a.2. in corp.

Quæritur an iactantia, ex qua oriuntur iurgia, sit peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd ille, qui iactat se adhoc, quòd iurgia conciter, peccat mortaliter: sed quandoq; contingit, quod iactantia est causa iurgiorũ non per se, sed per accidens: vndè ex hoc iactantia non est peccatum mortale. 2.2. q.112.a.2.ad 1.

Quęritur an iactantia sit mendacium, et quod.

4 Respondeo dicẽdum, quòd non semper iactantia importat mendacium perniciosum, sed solùm quando est contra Charitatem Dei, aut proximi, aut secũdùm se, aut secũdùm suam causam, quod autem aliquis se iactet, quasi ex hoc ipso delectatus, est quoddam vanũ, vt Phylosophus dicit: vndè reducitur ad mendacium iocosum, nisi fortè hoc Diuinæ dilectioni præferret, vt ppter hoc Dei pręcepta contemneret, sic enim esset contra Charitatem Dei, in quo [illegible] mens nostra debet quiescere, sicu[illegible] vltimo fine; videtur autem ad mendaciũ officiosum pertinere, cũ aliquis adhoc se iactat, vt gloriã, vel lucrũ acquirat, dummodo hoc

hoc sit sine damno aliorum,quia hoc iam pertinet ad mẽdacium perniciosum. 2.2. q.112.a.2.ad 3. [q.162.a.4.ad 2.

Quaeritur à quo oriatur iactantia.

5 Respondeo dicẽdum, quòd si iactantia consideretur secundùm causã suam, ex qua,etsi non semper, tamen frequentius accidit, sic procedit quidem ex superbia,sicut ex causa interius motiua, & impellente:ex hoc enim quòd aliquis interius per arrogantiam supra se ipsum eleuatur, sequitur plerumq; quòd exterius maiora quædam de se iactet ; licet quandoq; non ex arrogantia,sed ex quadam vanitate aliquis ad iactantiam procedat,& in hoc delectatur, quia talis est secundum habitum : & ideo arrogantia, per quam aliquis supra se ipsum extollitur est, species superbiæ : non tamen est idem iactantiæ, sed vt frequentius eius causa. 2.2.q.112.a.1.ad 2.

Quaeritur an iactantia oriatur ex opulentia.

6 Respondeo dicendum,quòd opulentia etiam iactantiam causat dupliciter : vno modo occasionaliter inquantùm de Diuitijs aliquis superbit : alio modo per modum finis, quia vt dicitur in 4. eth. aliqui se ipsos iactant,non solùm propter gloriam,sed etiam propter lucrũ, qui de se ipsis fingunt ea,ex quibus lucrari, possunt,puta quòd sint medici,vel sapiẽtes, vel Diuini,2.2.q.112.a.1.ad 3.

IDOLATRIA.

1 *Idolatria est species superstitionis.*
2 *Idolatria est peccatum.*
3 *Idolatria secundùm se est grauissimum peccatum.*
Ex parte peccantis hæresis,& quædam alia peccata sunt grauiora Idolatria.
4 *Idolatria præsuponit interiorẽ infidelitatẽ*
Idolatria addit supra infidelitatẽ exterius indebitum cultum.
Si idolatria sit tantùm exterior, additur culpa falsitatis.
5 *Idolatria includit magnam blasphemiam.*
6 *Hæresis manicheorũ nõ est grauius peccatum,quam cæterorum Idolatrarum.*
7 *Idolatriæ causa dispositiua fuit ex parte hominis tripliciter.*
Causa consumatiua idolatriæ fuit ex parte Dæmonis.
8 *Qua ratione Idolatria dicatur causa, initium,finis omnis peccati.*
9 *Hostiam non consecratam pro consecrata exhibens facit idolatrare.*
10 *Qui adorat Hostiã nõ consecratã,eã debet adorare sub cõditione sc. si est cõsecrata.*
Non est necesse,quòd ista conditio sit semper actu explicita ; sed sufficit, quod habitu.
Adorans Hostiam non consecratam pro cõsecrata, putans tamen eam non esse consecratam,non peccat.

Quaeritur an idolatria rectè ponatur superstitionis species.

1 Respondeo dicẽdum,quòd ad superstitionem pertinet excedere debitũ modũ Diuini cultus : quòd quidẽ præcipuè fit,quãdo Diuinus cultus exhibetur,cui non debet exhiberi:debet autẽ exhiberi soli Summo Deo,scilicet in creato : & ideo cuicunq; creaturæ Diuinus cultus exhibeatur,superstitiosum est: huiusmodi autẽ cultus Diuinus,sicut creaturę insensibili exhibebatur per aliquã sensibilia signa,puta sacrificia, ludos,& alia huiusmodi : ita etiam exhibebatur creaturæ è conuerso repręsentante per aliquã sensibilẽ formam,seu figuram,quæ idolũ dicitur: diuersimodè tamen cultus Diuinus idolis exhibebatur,quidam enim per quandã nefariam artẽ imagines quasdã constituebant,quæ virtute Dæmonũ aliquos certos effect' habebãt:vndè putabãt

Quæritur qua ratione exhibeatur honor malis Prælatis.

9 Respondeo dicendum, quòd in Prælato duo possumus considerare scilicet personam propriam, & dignitatem secūdùm quam est quædam persona publica: si ergo Prælatus sit malus ratione personæ suę non est honorandus: quia cum honor sit reuerentia alicui exhibita in testimonium virtutis, falsum testimonium de eo proferret, si quis eum ob rentæ propriæ personę honoraret cōtra illud, quod dicitur exodi 20. nō loquaris contra proximum suum falsum testimonium; sed inquantùm est persona publica, sic gerit typum, & locum non sui ipsius, sed alterius scilicet Christi in Ecclesia, vel Reipublicæ, vt Dominus in sæcularibus dignitatibus, & sic valor eius non computatur secundùm personam, sed secūdùm eum, cuius loco præsidet: & ita est ei honor exhibendus non propter se, sed propter eum, cuius locum obtinet: sicut adoratio imaginis refertur ad protosypum, vt dicitur Damascenus: vndè & malus Prælatus Idolo comparatur Zacariæ 11. ò Pastor, & Idolum derelinquens gregē. quodlibeto 8. a. 7. [2. 2. q 63. a. 3. in corp.

Quæritur an honor debeatur Diuitibus.

10 Respondeo dicendum, quòd est duplex honor, vnus qui debetur alicui ratione sui ipsius propter ipsam virtutem, sicut est commendatio, inuitatio, & huiusmodi, & adhunc honorem Diuitiæ nihil faciūt: vndè si talis honor alicui propter diuitias exhibeatur, erit acceptio personarum: alius honor alicui debetur secundùm statum, quem habet in Republica, sic enim in persona Respublica honoratur, & propter hoc Reges, & Princeps, & huiusmodi personæ honorantur secundùm illud primæ Petri 4. Regem honorificatæ, & quia in terrena Republica Diuites statum obtinent altiorem, ciues ideo debent eis, interquos conuersantur, morem gerere, vt Augustinus dicit in lib. de Ciuit. Dei, in his, quæ non sunt contra Deum: & sic etiam Diuites honorare illis duntaxat honoribus, qui ad exteriorem conuictum pertinent, licitum est. quodlibeto 10. a. 12. [2. 2. q. 63. a. 3. in corp.

Quęritur an peccatoribus debeatur honor.

11 Respondeo dicendum, quòd cum honor non debeatur nisi rebus Diuinis, non debetur propriè, & directè nisi habenti gratiam, & virtutem, quæ Diuinos facit: sed habet aliquis virtutem multipliciter, vel sicut actu virtuosus, & huic directè debetur, & propriè, & secundùm se honor: vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem: & sic cuilibet habenti imaginem est exhibēdus honor, nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad virtutem, vel sicut ordinatus ad inducendum virtutem: & sic debetur omnibus Prælatis, qui ad hoc ordinati sunt, vt alios dirigant in virtutem. 3. sent. d. nona. q. 2. a. 3. in corp.

Quæritur quis secundum veritatem sit honorandus.

12 Respondeo dicendum, quòd secundùm veritatem solus bonus est honorandus: bonus autem est aliquis secundùm virtutem. 2. 2. q. 145. a. 1. ad 2.

HORAE CANONICAE.

De requisitis ad recitandū horas canonicas. Cap. I.

1 *In septem horas canonicas Diuinum officium diuiditur.*

Sacerdos tenetur septem horas canonicas recita-

recitare quolibet die?
Infirmus excusatur à recitando horas canonicas.
Qui horis debitis non potest recitare horas canonicas, recitet eas alio tempore.
2 *Seruandus est modus, & ordo in Diuino officio recitando conformis Matrici Ecclesiæ.*
Diebus Dominicis recitantur decem, & octo psalmi, nouem lectiones.
Quot psalmi et lectiones in quibusdam alijs diebus recitari debeant.
3 *Attentio actualis aliquo modo requiritur ad orationem.*
Requiritur necessario attentio virtualis.
In quo consistat attentio virtualis.
4 *Potest quis attendere in oratione ad verba, ad petitionem ipsam, & ad ea, quæ petitionem circonstant, & ad alia huiusmodi.*
Vltima attentio est laudabilior, quam secunda, & secunda, quam prima.
Prima attentio potest nocere, si auferat secundam & secunda si auferat tertiam.
Attentio absolutè non nocet, sed multum prodest.
5 *Horæ canonicæ sunt recitandę in Ecclesia, si potest fieri.*
Aliter possunt vbique recitari.
6 *In matutinis persoluendis, & alijs horis recitandis, non licet tempus præuenire ob lasciuiam.*
Licet in horis canonicis recitandis præuenire tempus propter necessitatem aliquã.
7 *Dies quo ad cõtractus incipit a media nocte*
Dies quo ad solemnitates incipit à vesperis.
Licet post vesperas, & completorium dicere matutinum sequentis diei.
8 *Si quis vadit ad Ecclesiam principaliter propter distributiones, quas recipit sicut finem sui operis principaliter intentum peccat mortaliter, & simoniã committit*
Qui pergit ad Ecclesiam propter distributiones secundariò non peccat, nec simoniam committit.

Quæritur in quot horas canonicas diuidatur Diuinum officium, & quando debeant recitari.

1 Respondeo dicendũ, quòd Diuina officia in septem horas canonicas distinguuntur, scilicet Matutinũ, Primã, Tertiã, Sextã, Nonam, Vesperas, & Completorium: has septem horas debet Sacerdos, quolibet die Domino reddere horis cõpetentibus, vt 91. dis. Presbyter mane; & extra de celebratione Miss. Presbyter, nisi esset infirmus, in quo casu excusatur. 91. dist. Clericus victũ, ex quo patet, quod nõ debet miscere horas sub vna oratione, sicut quidam faciunt, & malè, sed singulas horas dicat, & distinctè: si verò iusto impedimento detentas horis competentibus nõ possit reddere, reddat postea, quando poterit. art. de do. & contu. cum dilecti. opusculo 65. cap. 1.

Quæritur quo modo, & quo ordine debeat recitari officium.

2 Respondeo dicẽdum, quòd in modo, & ordine officiandi, quælibet Ecclesia se conformare debet Ecclesię matrici, idest metropoli, vt de consecrat. dist. 2. Institutio, & 22. dist. de his. Diebus tamẽ Dominicis decem, & octo psalmos, & nouẽ lectiones, & nouẽ psalmos dicimus; alijs diebus minus solemnibus, & pro festis duodecim psalmos, & tres lectiones. In septimana verò Paschali & in septimana Pẽtecostes tres psalmos, & tres lectiones celebrare volunt non ex regula Sanctorũ Patrum: sed ex fastidio, & negligentia probantur hoc facere. opusculo 61. cap. 1.

Quæritur quæ attentio requiratur in recitandis horis canonicis.

3 Respondeo dicendum, quòd attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad euitandum transgressionem,

fionem, quæ est in illa oratione, quæ est in præcepto, vel ad meritum in illa, quæ non est in præcepto, sed nõ omnibus modis: aliquis enim actus manet per essentiam, & virtutem quandoq; sed quandoq; transit actu, & manet virtute: & sic manere actum in virtute, est quidam medius modus inter ipsum esse, & in habitu, & in actu: quia quod in habitu est, neq; virtute, neq; per essentiam actus est: secundùm hoc ergo dico, quòd attentio in oratione manere debet semper secundùm virtutem, sed nõ requiritur, quòd semper maneat per essentiam actus: manet autem secundùm virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiam si in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur: nisi tanta fiat euagatio, quòd omnino depereat vis primæ intentionis: & ideo oportet, quòd frequenter homo cor reuocet ad se ipsum. 4. sent. d. 15. q. 4. a. 2. quæstiunc. 4. in corp.

Quæritur an attentio noceat orationi.

4 Respondeo dicendum, quòd attẽtio in oratione potest esse duplex: primò enim est attentio ad verba, quibus petimus; ad petitionem ipsam, & ad ea, quæ petionem ipsam circonstant: sicut est necessitas pro qua petitur Deus, qui cogatur: & alia huiusmodi, & quæcunq; harũ attentionum ad sit non est reputanda in attenta oratio: vndè etiam illi, qui non intelligunt petionis verba, ad orationem attenti esse possunt: sed tamen vltima attentio est laudabilior, quàm secunda, & secunda quàm prima: & quia anima non potest vehementer attenta esse ad diuersa: ideo prima attentio potest nocere, vt minor sit orationis fructus, si secundam euacuat: vel secunda: si tertiam omnino tollat; sed non è contrario: tamẽ attentio communiter accipiendo nõ nocet, sed multùm prodest. 4. sent. d. 15. q. 4. a. 2. quæstiunc. 5. in corp.

Quæritur quo in loco debeant dici horæ canonicæ.

5 Respondeo dicẽdum, quòd debet ipsas reddere in Ecclesia, si potest iuxta illud in Ecclesia benedicite Deum; aliter reddat vbique, & honestè, quando commodè poterit. opusculo 63. cap. 1.

Quæritur an liceat Clerico, qui tenetur ad horas canonicas, dicere matutinum sequentis diei de sero.

6 Respondeo dicendum, quòd consideranda est intentio eius, qui præuenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscunq; horis canonicis: si enim hoc facit propter lasciuiam, vt scilicet quietius somnolentiæ, & voluptati vaccet, non est absq; peccato: si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, puta si Clericus, aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi, licitè potest de sero dicere matutinas, & in alijs horis canonicis tempus præuenire: sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesijs fit: quia melius est Deo vtrumq; reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quàm quòd per vnũ aliud impediatur. quodlibeto 5. a. 28. in corp.

Quæritur quando incipiat Dies.

7 Respondeo dicendum, quòd quantùm ad cõtractus, & alia huiusmodi dies incipit à media nocte: sed quantùm ad Ecclesiasticum officium, & solemnitatum celebritates incipit dies à vesperis: vndè si aliquis post dictas vesperas, & completorium dicat matutinos, iam hoc pertinet ad diẽ sequentẽ. quodlibeto. 5. ad 1.

Quæ-

Quæritur an ille, qui vadit ad Ecclesiā propter distributiones, alias non iturus peccet.

8 Respondeo dicendum, quòd in hoc casu distinguendum est: si enim huiusmodi distributiones recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat: si autem habet principalem finem Deum in tali actu: ad huiusmodi autem distributiones respicit secundariò non quasi in finem; sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem: constat, quòd non vendit actum spiritualem, & ita simoniam nō committit, nec peccat: sic enim acceptio distributionum nō erit causa, quare Ecclesiam vadat, sed propriè huiusmodi determinatio, quare nūc vadat, & non alia vice. quodlibeto 8. a. 11. in corp. [quodlibeto 4. a. 23 [4. sent. d. 25. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4. [Ecc. 5. cap. 9. primæ ad Corinthios.

De illis, qui tenentur ad recitādas horas canonicas. Cap. II.

1 *Ad recitandas horas canonicas tenentur Sacerdos, clerici in sacris constituti, siue habeant beneficium, siue non.*

Tenentur etiam omnes habentes Ecclesiastica stipendia in quocunq; ordine sint.

2 *Omnes tenentur interesse horis canonicis diebus festis ex statuto canonum.*

3 *Qui accipit præbendam in aliqua Ecclesia, obligatur, & Deo, & Ecclesiæ.*

Debitum Ecclesię debet exoluere, vel per se ipsum: si Ecclesia requirit residentium, vel per Vicarium, si hoc sufficit.

Debitum Deo debet exoluere per se ipsum.

Ad hoc debitum exoluendum nō refert quibus psalmis, vel hymnis Deum laudet.

Debet tamen sequi maiorum traditionis.

Quando aliquis est præbendatus in duabus Ecclesijs per dispensationem, in die, in quo dicuntur diuersa officia in duabus suis Ecclesijs, dicat officium illius Ecclesię, in qua habet maiorem gradum, & sufficit quòd dicat vnum officium.

Si est ęqualis gradus in vtraq; Ecclesia, debet dicere officium dignioris Ecclesię.

Si Ecclesiæ sint æqualis dignitatis, potest dicere quod voluerit officium, si fuerit absens ab vtraque.

Si fuerit præsens vni, se conformet illis, cū quibus conuersatur.

4 *Non est iniungendum ei, qui omisit aliquas horas canonicas, vt easdem recitet, sed aliquid aliud secundùm quantitatem delicti.*

5 *Clericus beneficiatus existens in scholis tenetur dicere officium mortuorum, quod communiter dicitur ab Ecclesia in die animarum, & quod ex consuetudine semel dicitur in septimana.*

Clericus non tenetur dicere officium mortuorum, quod extraordinariè dicitur semel in aliqua Ecclesia.

6 *Officium mortuorum non debet prætermitti, nisi ob diem solemnem.*

Quęritur quis teneatur ad horas canonicas.

1 Respondeo dicendum, quòd ad has septem horas tenetur Sacerdos; & alij Clerici constituti in sacris ordinibus, siue habeant beneficiū, siue non, & omnes illi, qui percipiunt Ecclesiastica stipendia, in quocunq; ordine sint. arg. extra de pos. cap. 1. & ad heb. 2. sunt autē Ecclesiastici redditus deputati, vt ex eis sustentētur, qui in Ecclesia reddant Domino Diuina officia, vt extra de Cleric. cap. cum omni. opusculo 65. cap. 1. [4. sent. d. 15. q 4. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an omnes teneantur interesse in diebus festis horis canonicis.

2 Respondeo dicendum, quòd omnes ex canonum statuto tenentur diebus festis Diuinis officijs interesse, vt ministris pro

pro populo orantibus ſuam intentionem cóforment.4.ſent.d.15.q 4.a.1.quæſtiūc. 3.in corp.

Quæritur an ille, qui eſt præbendatus in duabus Eccleſijs, in die, quo diuerſum officium fit in vtraq; Eccleſia, debeat vtrumque dicere.

3 Reſpondeo dicendum, quòd ſuppoſito, quòd aliquis licitè ſit præbendatus in duabus Eccleſijs, ſcilicet ex diſpenſatione, conſiderandum eſt, quòd ille, qui in aliqua Eccleſia pręben dam accepit, duobus obligatur, ſcilicet Dèo, vt ei debitas laudes exoluat pro eius beneficijs; & Eccleſiæ, de qua accipit ſumptus: ea verò, quæ ad Eccleſiam pertinent, ſubiacent diſpenſationi Prælatorum Eccleſiæ: & ideo hoc debitum, quod debet Eccleſiæ, debet exoluere, ſecūdùm quòd ſtatutum eſt, vel per ſe ipſum, ſi ſit præbenda, quæ requirat reſidentiam, vel per Vicarium, ſi hoc ſufficiat ſecundùm Eccleſiæ ſtatutum, ac conſuetudinem: ſed debitū, quod debet Deo, per ſe ipſum debet exoluere: non refert autem quantùm ad Deū, quibus pſalmis, & hymnis Deum laudet, vt puta vtrum dicat in veſperis, Dixit Dominus, vel laudate pueri Dominum, niſi quantùm adhoc, quòd homo debet ſequi maiorū traditiones: & quia laudes Deo debet, quaſi vnus homo ſufficit, quòd ſemel officium dicat ſecundùm conſuetudinem alicuius Eccleſiarum, quarum eſt Clericus: ſed de electione officij rationabiliter videtur, quòd debeat dicere officium illius Eccleſiæ, in qua maiorē gradū habet: puta ſi in vna ſit Decanus, & in alia ſimplex Canonicus, debet dicere officium Eccleſiæ, in qua eſt Decanus; quòd ſi in vtraq; Eccleſia fuerit ſimplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Eccleſiæ; quamuis fortè in minori Eccleſia habeat opulentiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti ſunt ſpiritualibus comparata: ſi verò ambæ Eccleſiæ ſunt æqualis dignitatis, poteſt eligere quodcunq; officium magis voluerit, ſi fuerit ab vtraq; Eccleſia abſens: ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debet ſe conformare illis, cum quibus conuerſatur, quodlibeto.1.a.13.

Quæritur an ei, qui omiſit Diuinum officium ſit iniungendum, quod iterato dicat.

4 Reſpondeo dicendum, quòd in omni Diuino officio eſt hoc commune, quòd pertinet ad laudem Dei, & ad ſuffragium fidelium; ſed diſtinguitur vnum officium ab alio, ſecundùm diuerſitatem temporum, & locorum: rationabiliter enim inſtitutum eſt, vt diuerſimodè Deus laudetur ſecundùm congruentiam temporum, & locorum: & ideo ſicut in officijs Diuinis exoluendis obſeruādа eſt congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quæ quidem obſeruari non poſſet, ſi oporteret iniungere omittenti, quòd horas diceret, quas omiſit: fortè enim in completorio diceret iam lucis orto ſydere, & in tempore Paſchali diceret officium Dominicæ Paſſionis, quod eſſet abſurdum: & ideo non videtur eſſe iniungendum ei, qui omiſit Diuinum officium, quòd horas eaſdem repetat, ſed aliquid ad Diuinam laudem pertinens, puta dicat ſeptem Pſalmos, vel vnum Pſalteriū, vel aliquid amplius, ſecundùm quantitatem delicti. quodlibeto 3.a.29.

Quæritur an Clericus beneficiatus teneatur in ſcholis exiſtens dicere officium mortuorum.

5 Reſpondeo dicendum, quòd Clericus ex hoc ipſo, quòd eſt Clericus, & pręcipuè in ſacris ordinibus conſtitutus, tenetur dicere horas canonicas: videntur enim tales ſpecialiter eſſe aſſumpti ad laudem Diuinam, ſecundùm illud

Eſaiæ

Esaiæ 42. omnẽ,qui inuocat nomen meũ, in laudem meũ creaui illum: sed inquantùm est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia tenetur dicere officium secundùm modum illius Ecclesiæ: est ergo considerandum, quòd officium mortuorũ quandoq; in Ecclesia dicitur, sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ officium, sicut in tota Ecclesia in die animarũ dicitur officium pro mortuis; & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, puta vt dicatur ordinariè officium mortuorum semel in septimana, vel qualitercunque aliter secundùm certum tempus; & ad huiusmodi officium mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia etiam in scholis existens, & per hoc satisfacit mortuis,quorum recipit bona; aliquando verò dicitur officium mortuorum, in Ecclesia extraordinariè propter aliquam causam specialiter emergentem, puta ad preces alicuius personæ, vel propter aliquid huiusmodi; & ad huiusmodi non tenetur Clericus existens in scholis. quodlibeto 6. a.8.in corp.

Quæritur an liceat prætermittere officium mortuorum aliquando.

6 Respondeo dicendum,quòd non debet prætermittere officium mortuorum, quando dies solemnis non impedit, vt extra de celeb.Miss.quidam cap.Creatura. opusculo 65.cap.1.

HVMILITAS.

1 *Quid sit humilitas.*
2 *Quid pertineat ad humilitatem.*
3 *Humilitas præcipuè in anima consistit.*
In exterioribus actibus humilitatis est adhibenda moderatio, ne vergant in detrimentum alicuius.
Si quis faciat quod debet, si inde aliquis sumat occasionem peccati, non imputatur humiliter agenti.
4 *Humilitas quando sit pœna.*
Humilitas quando sit virtus.
Humiliare se ipsum ita vt se comparet iumentis insipientibus est malum.
5 *Duodecim sunt gradus humilitatis positi in Regula D. Benedicti.*
6 *Septem sunt gradus humilitatis secundũ D. Anselmum.*
6 *Tres sunt gradus humilitatis secundùm glosam.*
8 *Tendere ad maiora per virium confidentiam repugnat humilitati.*
Tendere ad altiora ex confidentia auxilij Diuini non repugnat humilitati.
9 *Humilitas propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur.*
Quilibet homo secundum id,quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere,quãtum ad id, quod est Dei in se ipso.
Non requirit humilitas vt aliquis id,quod est Dei in se ipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero.
Non hoc requirit humilitas,vt aliquis id, quod est suũ in se ipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo.

Quæritur quid sit humilitas.

1 Respondeo dicendum, quòd humilitas est virtus, quæ temperat, & refrenat animum, ne immoderatè tendat in excelsa. 2.2.quæst.161.ar. 1.in corp.

Quæritur quid pertineat ad humilitatem.

2 Respondeo dicendum, quòd ad humilitatem pertinet, vt homo defectus proprios considerans se ipsum non extollat: sed hoc non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quod bona, quæ quis à Deo possidet, contemnat. 2.2.q.35.a.1.ad 3.

Quaritur an humilitas sit circa interiora, an circa exteriora.

3 Respondeo dicendum, quòd humilitas, sicut & cæteræ virtutes præcipuè interius in anima consistit: & ideo potest homo secundùm interiorem actū animæ alteri se subijcere sine hoc, quòd occasionem habeat alicuius, quod pertineat ad detrimentum suæ salutis, & hoc est, quod Augustinus dicit in Regula timore corā Deo Prælatus substratus sit pedibus vestris; sed in exterioribus humilitatis actibus, sicut & in actibus cæterarum virtutū est debita moderatio adhibenda, ne possint vergere in detrimentum alterius: si autem aliquis, quod debet, faciat, & alij ex hoc occasionem sumant peccati, non imputatur humiliter agenti, quia ille nō scandalizat, quāuis alteri scandalizetur. 2.2.q.161.a.3.ad 3.

Quçritur quando humilitas sit pęna, et virtus

4 Respondeo dicēdum, quòd sicut Isidorus dicit in lib. etimologiarum humilis dicitur, quasi humi accliuus, idest imis inhærens; quod quidem contingit dupliciter: vno modo ex principio extrinseco puta cum aliquis ab alio deijcitur, & sic humilitas est pœna: alio modo à principio intrinseco: & hoc potest fieri quandoq; quidem benè, puta cum aliquis cōsiderans suum defectum tenet se in infimis secundùm suum modū, sicut Abraham dixit ad Dominum. Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis: & hoc modo humilitas ponitur virtus: quādoq; autem potest fieri malè puta cum homo honorem suum non intelligens cōparat se iumentis insipientibus, & similis fit illis. 2.2.q.161.a.1.ad 1.

Quæritur quot sint gradus humilitatis.

5 Respondeo dicendum, quòd duodecim distinguuntur gradus humilitatis, qui in regula B. Benedicti ponuntur; quorum primus est, Corde, & corpore semper humilitatē ostendere defixis in terram aspectibus: secundus, vt pauca verba, & rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce: tertius, vt non sit facilis, aut promptus in risum: quartus taciturnitas vsq; ad interrogationem: quintus tenere, quod habet communis Monasterij regula: sextus credere, & pronunciare se omnibus viliorem: septimus ad omnia indignum, & inutilem se confiteri, & credere: octauus Confessio peccatorum: nonus per obedientiam in duris, & asperis patientiam amplecti: decimus vt cum obedientia se subdat maiori: vndecimus, vt voluntatem propriam nō delectetur implere: duodecimus, vt Deum timeat, & memor sit omnium, quæ præcipit. 2.2.q.161.a.6.

Quæritur quot sint gradus humilitatis secundum Anselmum.

6 Respondeo dicendum, quòd Anselmus in lib. de similitudinibus ponit septem humilitatis gradus, quorum primus est, contemptibilem se esse cognoscere: secundus de hoc dolere: tertius hoc confiteri: quartus hoc persuadere, vt scilicet hoc velit credi: quintus vt patienter sustineat hoc dici: sextus vt patiatur contemptibiliter se tractari: septimus vt hoc amet. 2.2.q.161.a.6.

Quæritur quot sint humilitatis gradus secundum Glosam.

7 Respondeo dicēdū, quòd Matthæi 3. dicit glosa, perfecta humilitas tres habet gradus: primus est subdere se maiori, & non præferre se æquali, quod est sufficiēs: secundus est subdere æquali, nec præferre se minori, & hoc dicitur abundans: tertius gradus est, subesse minori, in

in quo est omnis iustitia. 2. 2. in quæst. 161. ar. 6.

Quæritur an tendere in altiora repugnet humilitati.

8 Respondeo dicendum, quòd tendere in aliqua maiora ex propriarum viriũ confidentia humilitati contrariatur: sed quòd aliquis ex confidentia Diuini auxilij in maiora tendat, hoc non est contra humilitatem; præsertim cum ex hoc aliquis magis apud Deum exaltetur, qui ei se magis per humilitatem subijcit: vndè Augustinus dicit in lib. de pænitentia: aliud est leuare se ad Deum; aliud est leuare se contra Deum; qui ante illum se proijcit, ab illo erigitur; qui aduersus illum se erigit, ab illo proijcitur. 2. 2. q. 162. a. 2. ad 2.

Quæritur an homo debeat se omnibus per humilitatem subijcere.

9 Respondeo dicendum, quòd in homine duo possunt considerari scilicet id, quod est Dei, & id, quòd est hominis: hominis autem est quidquid pertinet ad defectum; sed Dei est quidquid pertinet ad salutem, & perfectionem: humilitas autem, sicut dictum est, propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur: & ideo quilibet homo secundum id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere quantùm ad id, quòd est Dei in ipso: non autem hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subijciatur ei, quod apparet esse Dei in altero: nam illi, qui Dona Dei participant, cognoscunt ea se habere: & ideo absq; præiuditio humilitatis possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre Dei donis, quæ alijs apparent collata: similiter etiam non hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est suum in se ipso subijciat ei, quod est hominis in proximo, alioquin oporteret, vt quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio, cum tamen Apostolus absq; præiudicio humilitatis dicat Galat. 2. nos natura Iudei, & non ex gentibus peccatores potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est, ex quo se potest ei subijcere per humilitatem. 2. 2. q. 161. a. 3. in corp.

IACTANTIA.

1 *Iactantia quod modis sumatur.*

Quæ sit iactantia propriè.

2 *Iactantia secundùm se est aliquando peccatum mortale, & aliquando veniale.*

Iactantia considerata secundùm suam causam, si procedat ex causa, quæ sit peccatum mortale, erit peccatum mortale, alioquin erit veniale.

Iactantia procedens ex appetitu lucri magis est peccatum mortale.

Non tamen semper est peccatum mortale.

3 *Qui iactat se, vt iurgia concitet, peccat mortaliter.*

Quando iactantia est causa iurgiorum per accidens, non est peccatum mortale.

4 *Iactantia non semper est mendacium perniciosum.*

Quando iactantia sit mendacium perniciosum.

Iactantia aliquando reducitur ad mendaciũ iocosum.

Iactantia aliquando reducitur ad mendaciũ officiosum.

5 *Iactantia oritur ex superbia.*

Aliquando oritur ex arrogantia.

6 *Opulentia est causa iactantiæ occasionaliter, & per modum finis.*

Quæritur quid sit iactantia.

1 Respondeo dicendum, quòd iactantia propriè importare videtur, q homo verbis se extollat, illa enim, quæ

vult homo longè iactare, in altum eleuat: tunc autem propriè aliquis se extollit quando de se supra se aliquid dicit; quod quidem contingit dupliciter, quandoque enim aliquis loquitur de se non quidem supra id, quod in se est, sed supra id, quod de eo homines opinantur, quod Apostolus refugiens dicit secundæ ad Corinthios 12. parco nequis existimet me supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me: alio modo aliquis per verba se extollit loquens de se supra id, quod in se est secundùm rei veritatem, & quia magis est aliquid iudicandum secundùm quòd in se est, quàm secundùm quòd est in opinione aliorum, inde est, quod magis propriè dicitur iactantia quando aliquis effert se supra id, quod in ipso est, quàm quando effert se supra id, quod est in opinione aliorum, quamuis vtroq; modo iactantia dic posfit. 2.2.q.112.a.1.in corp.

Quæritur an iactantia sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale est, quod Charitati contrariatur: dupliciter ergo iactantia considerari potest; vno modo secundùm se, prout est mendacium quoddam: & sic quandoq; est peccatum mortale, quandoq; veniale; mortale quidem quando aliquis iactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei, sicut ex persona Regis Tiri dicitur Ezech. 28. eleuatum est cor tuum, & dixisti Deus ego sum; vel etiam contra Charitatem proximi, sicut cum quis iactando se ipsum, prorumpit in contumelias aliorũ, sicut habetur Lucę 18. de Pharisęo, qui dicebat, non sũ sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus; quãdoq; verò est peccatum veniale; quando scilicet aliquis de se talia iactat, quæ neq; sũt contra Deum, neq; contra proximũ; alio modo potest considerari secundùm suã causam, scilicet superbiam, vel appetitũ lucri, aut inanis gloriæ: & sic si procedat ex superbia, vel inani gloria, quæ sit peccatum mortale, etiam iactantia erit peccatum mortale, alioquin erit peccatum veniale; sed quandoq; aliquis prorumpit in iactantiam propter appetitum lucri, & hoc videtur iam pertinere ad proximi deceptionem, & damnũ: & ideo talis iactãtia magis est peccatũ mortale, vndè, & Phylosophus dicit in 4.eth. quod turpior est, qui se iactat causa lucri, quã qui se iactat causa gloriæ, vel honoris: nõ tamen semper est peccatũ mortale, quia potest esse tale lucrum, ex quo alius non damnificatur. 2.2.q.112.a.2. in corp.

Quæritur an iactantia, ex qua oriuntur iurgia, sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd ille, qui iactat se adhoc, quòd iurgia conciter, peccat mortaliter: sed quandoq; contingit, quod iactantia est causa iurgiorũ non per se, sed per accidens: vndè ex hoc iactantia non est peccatum mortale. 2.2. q.112.a.2.ad 1.

Quęritur an iactantia sit mendacium, et quod.

4 Respondeo dicẽdum, quòd non semper iactantia importat mendacium perniciosum, sed solùm quando est contra Charitatem Dei, aut proximi, aut secũdùm se, aut secũdùm suam causam, quod autem aliquis se iactet, quasi ex hoc ipso delectatus, est quoddam vanũ, vt Phylosophus dicit: vndè reducitur ad mendacium iocosum, nisi fortè hoc Diuinæ dilectioni præferret, vt ppter hoc Dei præcepta contemneret, sic enim esset contra Charitatem Dei, in quo [illegible] mens nostra debet quiescere, sicu[illegible] vltimo fine; videtur autem ad mendaciũ officiosum pertinere, cũ aliquis adhoc se iactat, vt gloriã, vel lucrũ acquirat, dummodo hoc

hoc sit sine damno aliorum, quia hoc iam pertinet ad mēdacium perniciosum. 2.2. q. 112. a. 2. ad 3. [q. 162. a. 4. ad 2.

Quaeritur à quo oriatur iactantia.

5 Respondeo dicēdum, quòd si iactantia consideretur secundùm causā suam, ex qua, etsi non semper, tamen frequentius accidit, sic procedit quidem ex superbia, sicut ex causa interius motiua, & impellente: ex hoc enim quòd aliquis interius per arrogantiam supra se ipsum eleuatur, sequitur plerumq; quòd exterius maiora quædam de se iactet; licet quandoq; non ex arrogantia, sed ex quadam vanitate aliquis ad iactantiam procedat, & in hoc delectatur, quia talis est secundum habitum: & ideo arrogantia, per quam aliquis supra se ipsum extollitur est, species superbiæ: non tamen est idem iactantiæ, sed vt frequentius eius causa. 2. 2. q. 112. a. 1. ad 2.

Quaeritur an iactantia oriatur ex opulentia.

6 Respondeo dicendum, quòd opulentia etiam iactantiam causat dupliciter: vno modo occasionaliter inquantùm de Diuitijs aliquis superbit: alio modo per modum finis, quia vt dicitur in 4. eth. aliqui se ipsos iactant, non solùm propter gloriam, sed etiam propter lucrū, qui de se ipsis fingunt ea, ex quibus lucrari, possunt, puta quòd sint medici, vel sapiētes, vel Diuini, 2. 2. q. 112. a. 1. ad 3.

IDOLATRIA.

1 *Idolatria est species superstitionis.*
2 *Idolatria est peccatum.*
3 *Idolatria secundùm se est grauissimum peccatum.*
Ex parte peccantis hæresis, & quædam alia peccata sunt grauiora Idolatria.
4 *Idolatria præsuponit interiorē infidelitatē*

Idolatria addit supra infidelitatē exterius indebitum cultum.
Si idolatria sit tantùm exterior, additur culpa falsitatis.
5 *Idolatria includit magnam blasphemiam.*
6 *Hæresis manicheorū nō est grauius peccatum, quam cæterorum Idolatrarum.*
7 *Idolatriæ causa dispositiua fuit ex parte hominis tripliciter.*
Causa consummatiua idolatriæ fuit ex parte Dæmonis.
8 *Qua ratione Idolatria dicatur causa, initium, finis omnis peccati.*
9 *Hostiam non consecratam pro consecrata exhibens facit idolatrare.*
10 *Qui adorat Hostiā nō consecratā, eā debet adorare sub cōditione sic si est cōsecrata.*
Non est necesse, quòd ista conditio sit semper actu explicita; sed sufficit, quod habitu.
Adorans Hostiam non consecratam pro cōsecrata, putans tamen eam non esse consecratam, non peccat.

Quaeritur an idolatria rectè ponatur superstitionis species.

1 RESpondeo dicēdum, quòd ad superstitionem pertinet excedere debitū modū Diuini cultus: quòd quidē præcipuè fit, quādo Diuinus cultus exhibetur, cui non debet exhiberi: debet autē exhiberi soli Summo Deo, scilicet in creato: & ideo cuicunq; creaturæ Diuinus cultus exhibeatur, superstitiosum est: huiusmodi autē cultus Diuinus, sicut creaturę insensibili exhibebatur per aliqua sensibilia signa, puta sacrificia, ludos, & alia huiusmodi: ita etiam e[xh]ibebatur creaturæ è conuerso repręsentante per aliquā sensibilē formam, seu figuram, quæ idolū dicitur: diuersimodè tamen cultus Diuinus idolis exhibebatur, quidam enim per quandā nefariam artē imagines quasdā constituebant, quæ virtute Dæmonū aliquos certos effect' habebāt: vndè putabāt

 in ipsis

in ipsis imaginibus esse aliquid Diuinitatis,& per consequēs quòd Diuinus cultus eis deberetur,& hęc fuit opinio Hermetis,Trismegisti,& Augustinus dicit in 8. de Ciuit. Dei : alij verò non exhibebant cultū Diuinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis,quarum erant imagines: & vtrumq; eorum tangit Apostolus ad Romanos primo:nam quantùm ad primum dicit, mutauerunt gloriam immutabilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,& volucrum , & quadrupedum,& serpentum : quantùm autē ad secundùm subdit,coluerunt, & seruierūt potius creaturæ , quàm creatori : horum tamen fuit triplex opinio, quidam enim existimabant quosdam homines Deos fuisse,quos per eorum imagines colebāt, sicut Iouem , Mercurium , & alios huiusmodi:quidam verò existimabunt totum mundum esse vnum Deum,non propter corporalem substantiam,sed propter animam,quam Deum esse credebant,dicentes Deum nihil aliud esse,quàm animam motu,& ratione mundum gubernantem: sicut homo dicitur sapiens propter animam,non propter corpus : vndè putabāt toti mundo,& omnibus partibus eius esse cultum Diuinitatis exhibendum celo, aeri,aquæ,& omnibus huiusmodi partibus,& adhæc referebant nomina,& imagines suorum Deorum , sicut Varro dicebat, vt narrat Augustinus in 7. de Ciuit. Dei : alij verò scilicet Platonici posuerunt vnum esse Summum Deum causam omnium , post quem ponebant esse substantias quasdam spirituales à Summo Deo creatas,quas Deos nominabant participatione scilicet Diuinitatis : nos autem eos Angelos dicimus , post quos ponebant animas cælestium corporum , & sub his Dæmonis , quos dicebant esse aerea quædam animalia,& sub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum,vel Dæmonum societatem assumi credebant,& his omnibus cultum Diuinitatis exhibebant ; vt Augustinus narrat in 18. de Ciuit. Dei has autem duas vltimas opiniones dicebant pertinere ad physicam Theologiā , quam Phylosophi considerabant in mūdo , & docebant in Scholis : aliam verò de cultu hominum dicebant pertinere ad Theologiam fabularem,quæ secundū figmenta poetarum repræsentabatur in theatris : aliam verò opinionem de imaginibus dicebant pertinere ad ciuilem Theologiam , quæ per Pontificem celebrabatur in templis : omnia autem hæc ad superstitionem idolatriæ pertinebāt: vndè Augustinus dicit in 2. de Doctrina Christiana superstitiosum est quid quid institutum est ab hominibus ad faciēda, & colenda Idola,vel pertinens ad colendum sicut Deum creaturam , partemue vllam creaturæ. 2. 2. q. 94. a. 1. in corp. [3. contra gentes cap. 120. [3. sent. d. no-na q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 3.

Quæritur an Idolatria sit peccatum ?

2 Respondeo dicēdum,quòd circa hoc aliqui dupliciter errauerunt , quidā putauerunt, quod offerre sacrificiū , & alia ad latriam pertinentia non solum Summo Deo, sed etiam alijs supradictis esset debitum,& per se bonum,eo quòd cuilibet superiori naturæ Diuinam reuerentiam exhibēdam putant , quasi Deo propinquiori: sed hoc irrationabiliter dicitur,nam etsi omnes superiores revereri debeamus,non tamen eadem reuerentia omnibus debetur , sed aliquid speciale Summo Deo debetur,qui singulari ratione omnes excellit,& hoc est latrię cultus; nec potest dici sicut quidam putauerunt hæc visibilia sacrificia Dijs alijs cōgruere,illi verò summo Deo tanquam meliori meliora scilicet puræ mentis officia , quia vt Augustinus dicit in 10. Ciuit. Dei exteriora sacrificia ita sunt signa interiorum ; sicut verba sonantia signa sunt

rerum ;

rerum: quocirca sicut orantes, atq; laudantes ad eum dirigimus; significantes voces, cui tamen res ipsas in corde, quas significamus, offerimus, ita significantes non alteri visibile sacrificium offerendũ esse nouerimus, quàm ei, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus: alij verò æstimauerunt latriæ cultum exteriorem non esse idolis exhibendum, tanquam per se bonum, aut opportunum, sed tanquam vulgari consuetudini consonum, vt Augustinus in 6. de Ciuit. Dei introducit Senecum dicẽtem sic, inquit adorabimus, vt & meminerimus huiusmodi cultũ magis ad morem, quàm ad rem pertinere: & in lib. de vera Religione Augustinus dicit nõ esse Religionem à Phylosophis quærendam, qui eadem Sacra recipiebant cum populis, & de suorum Deorum natura, ac summo bono diuersas, contrariasq; sententias in scholis personabant: & hunc etiã errorem sequuti sunt quidam hæretici asserentes non esse periculosum, si quis persecutionis tempore deprahensus exterius idola colat, dum tamen fidem in mente seruet: sed hoc apparet manifestè falsum: nam cum exterio cultus sit signũ interioris cultus, sicut est perniciosum mendacium: si quis verbis asserat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas: si quis exteriorẽ cultum exhibeat alicui contra id, quod sensit in mente: vndè Augustinus dicit contra Senecam in 6. de Ciuit. Dei, quòd eo damnabilius colebat Idola, quo illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret. 2.2.q. 94. a. 2. in corp. [3. contra gentes cap. 120.

Quaritur an Idolatria sit grauissimum peccatorum.

3 Respondeo dicẽdum, quòd grauitas alicuius peccati potest attendi dupliciter: vno modo ex parte ipsius peccati: & sic peccatum idolatriæ grauissimũ est: sicut enim in terrena Republica grauissimum esse videtur, quòd aliquis honorem regium alteri impendat, quàm verò Regi, quia quantùm in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem, ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, grauissimũ esse videtur, quòd aliquis honorem Diuinum creaturæ impendat: quia quantùm est in se facit alium Deum in mundo, minuens principatum Diuinum: alio modo potest attendi grauitas peccati ex parte ipsius peccantis, sicut dicitur grauius esse peccatum eius, qui peccat sciẽter, quàm eius qui peccat ignoranter, & secundùm hoc nihil prohibet grauius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidem, quàm acceperũt, quàm Idolatras ignoranter peccantes: & similiter etiam aliqua alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptum peccantis. 2.2.q.94. a.3. in corp [q.2. de malo. a. 10. in corp. [Ecc. 1. primæ ad Corinth.

Quæritur quid addat Idolatria super infidelitatem.

4 Respondeo dicendum, quòd Idolatria præsupponit interiorem infidelitatem, & adijcit exterius indebitum cultũ: si verò sit exterior tãtùm idolatria absq; interiori infidelitate additur culpa falsitatis. 2.2.q.94.a.3.ad 1.

Quęritur quanta sit grauitas peccati Idolatriæ.

5 Respondeo dicẽdum, quòd idolatria includit magnam Blasphemiam, inquantùm Deo subtrahitur Dominij singularitas, & fidem opere impugnat idolatria. 2,2,q.94. a. 3. ad 2.

Quæritur an idolatria sit maius peccatum, quam hæresis manicheorum.

6 Respondeo dicendum, quòd hæresis manicheorum, etiam quantùm ad genus peccati grauior est, quàm peccatū aliorū idolatrarum, quia magis derogant Diuino honori ponētes duos Deos contrarios, & multa vana fabulosa de Deo fingētes: secus autem est de alijs hereticis, qui vnū Deum confitentur, & cum solum colunt. 2.2.q.94.a.3. ad 4.

Quæritur an idolatriæ causa sit ex parte hominis.

7 Respondeo dicēdum, quòd idolatriæ est duplex causa, vna quidem dispositiua, & hæc fuit ex parte hominum; & hoc tripliciter: primò quidem ex inordinatione affectus, prout scilicet homines aliquem hominem, vel minus amantes, vel nimis venerantes honorem Diuinum ei impenderunt: & hæc causa assignatur sapientiæ 14. acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit: & ibidem etiam subditur, quòd homines aut affectui, aut Regibus deseruientes incomunicabile nomen scilicet Diuinitatis lignis, & lapidibus imposuerunt: secundò propter hoc quòd homo naturaliter de repræsentatione delectatur, vt Phylosophus dicit in poetria sua: & ideo homines rudes à principio videntes per diligentiam artificū imagines hominū expressiuè factas Diuinitatis cultū eis impenderunt: vndè dicitur Sapientię 13. si quis artifex faber de sylua lignū rectū secuerit, & per sciētiam suæ artis figuret illud, & assimilet imagini hominis de substantia sua, & filijs, & nuptijs votum faciens inquirit: tertiò propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non considerantes quibusdam creaturis propter pulcritudinem, seu virtutē Diuinitatis cultum exhibuerunt: vndè dicitur Sap. 13. neq; operibus attendentes agnouerunt quis artifex esset; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut girum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt: alia autem causa idolatriæ fuit consumatiua ex parte Dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo: vndè, & in Psalm. 95. dicitur omnes Dij gētium Demonia. 2.2.q.94.a.4. in corp. [3. contra gentes cap. 120.

Quæritur quomodo idolatria sit causa, initiū, & finis omnis peccati.

8 Respondeo dicendum, quòd dicitur idolatria esse causa, initium, & finis omnis peccati: quia non est aliquod genus peccati, ad quod interdum idolatria non producat; vel expressè inducendo per modum causæ, vel occasionem præbendo per modum initij, vel per modum finis, inquantùm peccata aliqua assumebantur in cultum idolorum, sicut occasiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia huiusmodi: & tamen aliqua peccata possunt idolatriam præcedere, quæ ad ipsam hominem disponunt. 2.2.q.94.a.4. ad 1. [Ecc. 1. cap. 12 primę ad Corinthios.

Quæritur an ille, qui exhibet Hostiam non consecratam pro consecrata, faciat idolatrare.

9 Respondeo dicendum, quòd Hostia non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ: quia Sacerdos hoc faciens, quantùm in se est, facit idolatrare illos, qui credunt esse Hostiam consecratam, siue alios præsentes, siue etiam

etiam ipsum sumentem, quia vt Augustinus dicit, nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret: vndè extra de celeb. Miss. 1. de homine dicitur, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum peccet grauiter, si se ingerat: grauius tamen videtur ostendere, qui fraudulenter illud præsumpserit simulare. 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. [quodlib. 5. a. 12. in corp. [3. sent. d. 9. quæst. 1. a. 2. quæstiunc. 6. ad 2. [4. sent. d. nona. a. 5. quæst. 1. ad 4.

Quæritur quomodo sit adoranda Hostia, ne committatur idolatria.

10 Respondeo dicendum, quòd qui adorat Hostiam non consecratã, adorare eam oportet cũ conditione, scilicet si est consecrata: non tamen oportet, quòd hæc cõditio semper sit actu explicita, sed sufficit, quòd habitu teneat illam: vndè non peccat adorans eãm, quia nõ adorat puram creaturã, sed Christũ secundũ intẽtionem suam: Sacerdos autẽ quantùm in se est, facit populũ idolatrare, quia offert ei puram creaturã ad adorandũ. 3. sent. d. 9. quæst. 1. a. 2. quæstiunc. 6. ad 2.

IEIVNIVM.

De requisitis ad Ieiunium. Cap. I.

1 *Duplex ieiunium scilicet spirituale, & corporale.*

2 *Ieiunium propriè est abstinentia à cibis.*

3 *Ieiunium à cibis est duplex, scilicet naturæ, & Ecclesiæ.*

Quid sit vtrumque ieiunium.

4 *De ratione Ieiunij est vnica comestio.*

5 *Electuaria, sicut nec aliquæ medicinę non soluunt ieiunium.*

Qui tamen assumeret huiusmodi electuaria in magna quantitate per modum cibi, solueret ieiunium.

6 *Extra horã comestionis potest quis bibere.*

7 *Ieiuniũ naturæ soluitur per quẽlibet potũ*

Licet pluries bibere tempore ieiunij.

Immoderato potu vtens potest peccare, & ieiunij meritum perdere.

8 *Non est determinata quantitas cibi sumendi in ieiunio.*

9 *Ad quid sit institutum ieiunium.*

Ecclesia præcipit abstinendum esse à carnibus, lacticinijs, ouis, tempore Ieiunij.

10 *Qua ratione non prohibuit vinum, & legumina tempore ieiunij.*

11 *Quare Ecclesia magis prohibuit esum carnium, quàm piscium.*

12 *Odor ciborum non soluit ieiunium, nec naturæ, nec Ecclesiæ.*

13 *Nimia comestio, vel lauta, vel studiosa nõ soluit ieiunium.*

Facit tamen perdere meritum ieiunij, vel in toto, vel in parte.

14 *Potus aquæ non soluit ieiunium.*

15 *Inter ieiunia, solemnius obseruatur ieiunium quadragesimæ.*

In ieiunio quadragesimę interdicuntur carnes, oua, lacticinia.

In alijs ieiunijs.

Circa abstinentiam ouorum, & lacticiniorũ obseruetur consuetudo locorum.

Quæritur quotuplex sit ieiunium.

1 Respondeo dicendũ, quòd duplex est ieiuniũ, scilicet spirituale, de quo loquitur D. Hieronymus super Matthæum 17. dicens, Ieiuniũ est non solũ ab escis, sed à cunctis illecebris abstinere; & corporale, ꝙ ab Isidoro diffinitur dicens Ieiuniũ est parcimonia vict⁹, abstinẽtiaq; cibarũ. 4. sent. d. 15. q. 3. a. 1. quæst. 1. ad 2.

Quæritur quod nam sit ieiunium propriè.

2 Respondeo dicendum, quòd ieiuniũ propriè dictum consistit in abstinendo à cibis: sed metaphoricè dictum consistit in abstinendo à quibuslibet nociuis, quæ

maximè

maximè sunt peccata: vel potest dici, quòd etiam ieiunium propriè dictum est abstinentia ab omnibus illecebris, quia per quamlibet vita adiuncta detinit esse actus virtuosus. 2.2.q.147.a.2.ad 1.

Quæritur quotuplex sit ieiunium à cibis.

3 Respondeo dicendum, quòd ieiuniũ dupliciter dicitur, scilicet ieiunium naturæ, & ieiunium Ecclesiæ: à primò ieiunio dicitur aliquis quolibet die ieiunus antequam cibum sumat: à secundò autem dicitur ieiunans quasi ordinatum ab Ecclesia propter peccatorum satisfactionem abstinentiam seruans: in satisfactionem autem peccatorum non solùm oportet, quòd ab illis homo abstineat, quæ lex virtutis prohibet: sed etiam ab illis, quibus salua virtute vti possemus, quia qui illicita commisit oportet etiam à licitis abstinere, vt Augustinus dicit: vndè ieiunium ab Ecclesia institutum præsupponit abstinentiam illam, quæ ad virtutem exigitur, & addit abstinentiam quamdam ab illis, quæ medium virtutis non corrumpunt. 4.sent.d.15.q.3.ar.1. quæstiunc.1.in corp. [2.2.q.147.a.1.ad 3.

Quæritur an requiratur ad ieiunium, quod homo semel tantùm comedat.

4 Respondeo dicendum, quòd ieiuniũ ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrenandam, ita tamen quòd natura saluetur: adhoc autem sufficere videtur vnica comestio, per quàm homo potest, & naturæ satisfacere; & tamẽ cõcupiscentiæ aliquid detrahit diminuendo comestionum vices: & ideo Ecclesiæ moderatione statutũ est, vt semel in die à ieiunantibus comedatur. 2.2.q.147. a.6.in corp. [4.sent.d.15.q.3.ar.4. quæstiunc.1.in corp.

Quæritur an sumptio electuaris, & alicuius medicinæ ieiunium soluat.

5 Respondeo dicendum, quòd electuaria etiam si aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborũ: vndè nõ soluunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi. 2.2. q.147.a.6.ad 3. [4.sent.d.15.q.3.ar.4. quæstiunc.1.in corp.

Quæritur an potus extra comestionem soluat ieiunium.

6 Respondeo dicendum, quòd quãuis aliquis potus aliquo modo nutriat; tamẽ de se non ordinatur ad nutriendum, sed magis ad dispositione bonam eorũ, quæ nutriunt, vt scilicet per membra deducantur, & in stomaco non comburantur: vndè sumptio potus manducatio non dicitur: & ideo ille, qui potat extra horã vnicæ comestionis, non dicitur bis manducare: & propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit, nisi fraudem faciat, quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit. 4.sent.d.15.q.3.ar.4.quæstiunc.1.ad 1.

Quæritur an quis possit pluries bibere tempore ieiunij.

7 Respondeo dicendum, quòd duplex est ieiunium, vnum quidem naturę quod requiritur ad Eucharestiæ sumptionem, & hoc soluitur per quemlibet potũ etiã aquæ, per quem etiam non licet Eucharestiam sumere; est autem aliud ieiuniũ ieiunantis, & istud non soluitur, nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo ieiunium, non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis,

poris,& digestionem ciborum assumptorum,quam ad nutricionem, licet aliquo modo nutriat: & ideo licet pluries ieiunantibus bibere: si autem quis immoderatè potu vtatur,potest peccare, & meritum ieiunij perdere, sicut etiam si immoderatè cibũ in vna commestione sumat. 2.2.q.147.a.6.ad 2.

Quaritur an sit determinata quantitas cibi sumendi in ieiunio.

8 Respondeo dicendum, quòd quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari,propter diuersas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod vnus maiori,alter minori cibo indiget: sed vt plurimum omnes possunt naturæ satisfacere per vnicam commestionem. 2. 2. q. 147.a.6.ad 1.

Quaritur an conuenienter ieiunantibus indicatur abstinentia à carnibus, & ouis, & lacticinijs.

9 Respondeo dicendum, quòd ieiuniũ ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis,quæ quidem sunt delectabilium secũdùm tactum, quæ consistunt in cibis,& venereis: & ideo illos cibos Ecclesia ieiunantibus interdixit,qui & in commedendo maximè habent delectationem, & iterum maximè hominem ad venerea prouoceant: huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium,& respirantium,& quæ ex eis procedunt,sicut lacticinia ex gressibilibus,& oua ex ouibus:quia enim huiusmodi magis conformantur humano corpori,plus delectant,& magis conferũt ad humani corporis nutrimentum, & sic ex eorum comestione plus superfluit, vt vertatur in materiam seminis,cuius multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ: & ideo ab his cibis,præcipuè ieiunantibus statuit esse abstinendum. 2.2. q.147.a.8.in corp. [4.sent.d.15.q.3.a.4 quæstiunc.2.in corp.

Quaritur quare Ecclesia non probibuit ieiunantibus vinum, & legumina, cum sint maximè incitantia luxuriam.

10 Respondeo dicendum,quòd ad actũ generationis tria concurrunt,scilicet calor,spiritus,& humor; ad calorem quidẽ maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus; ad spiritus autem videntur cooperari inflatiua; sed ad humorem maximè cooperatur vsus carniũ, ex quibus multum de alimento generatur: alteratio autem caloris,& multiplicatio spirituum citò transit, sed substantia humoris diu manet: & ideo magis interdicitur ieiunantibus vsum carnium, quam vini,vel leguminum, quæ sunt inflatiua. 2.2.q.147.a.8.ad 1.

Quaritur quare Ecclesia non probibuit esum piscium,sicut carnium.

11 Respondeo dicendũ, quòd Ecclesia ieiunium instituens intendit ad id, quod communius accidit:vsus autem carnium est magis delectabilis communiter,quàm esus piscium, quamuis in quibusdam aliter se habeat: & ideo Ecclesia magis ieiunantibus prohibet esum carnium, quã esum piscium. 2.2.q.147.a.8.ad 2.

Quaritur an odor ciborum saluat ieiunium.

12 Respondeo dicendum, quòd odor non nutrit,vt patet per Phylosophum in lib.de sensu, & sensato, sed aliquo modo confortat: vndè non soluit, neq; ieiuniũ naturæ,neq; ieiunium Ecclesiæ. 4.sent.d. 15.q.3.a.4.quæstiunc.1.ad 4.

Quaritur an nimia, vel auida, ordens, lauta, studiosa comestio soluat ieiunium.

13 Respondeo dicendũ,quòd quamuis

per

per inordinationem circa has circonstãtias quis peccet, & meritũ ieiunij amittat, vel in toto, vel in parte, non tamẽ Ecclesiæ statutum transgreditur: & ideo ieiunium non soluit. 4. sent. d. 15. q. 3. ar. 4. quæstiunc. 3. ad 2.

Quæritur an aquæ potus soluat ieiunium?

14 Respondeo dicendum, quòd aqua etsi soluat ieiunium naturæ, quia aliquo modo nutrit, non tamen soluit ieiunium Ecclesiæ: quia Ecclesia non attendit in statuendo id, quod quocunq; modo nutrire potest, sed id, quod principaliter ad nutriendum ordinatum est. 4. sent. d. 15. q. 3. a 4. quæstiunc. 1 ad 2.

Quæritur an omnia sint æqualis rigoris.

15 Respondeo dicendum, quòd oua, & lacticinia ieiunantibus interdicuntur, inquantùm sunt ex animalibus exorta carnes habentibus: vndè principalius interdicuntur carnes, quàm oua, vel lacticinia: similiter etiam inter alia ieiunia solemnius est quadragesimale ieiunium, tùm, quia obseruatur ad immitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria deuotè celebranda: & ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium; in ieiunio autem quadragesimali interdicũtur vniuersaliter etiam oua, & lacticinia, circa quorum abstinentiam in alijs ieiunijs diuersæ consuetudines existunt apud diuersos, quas quisque obseruare debet secundum morem eorum, inter quos conuersatur: vndè Hieronymus dicit de ieiunijs loquens vnaquæq; prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur. 2. 2. q. 147. a. 8. ad 3.

De necessitate Ieiunij, et de illis, qui tenentur ieiunare. Cap. II.

1 *Ieiunium absolutè considerari non est de necessitate pręcepti, sed est de necessitate præcepti vnicuiq indigenti tali remedio.*

Conueniens fuit, vt Ecclesia statueret aliqua ieiunia omnibus obseruanda.

2 *Ad quid valeat ieiunium.*

Ieiuniũ in communi est de præcepto naturæ

Determinatio temporis, & modi ieiunandi cadit sub præcepto iuris positiui.

3 *Ieiunia, quæ sunt in præcepto sunt in concilijs Episcoporum statuta, & per consuetudinẽ vniuersalis Ecclesiæ roborata.*

4 *Quare ieiunamus in præcipuis Vigilijs Sanctorum.*

5 *Omnes tenentur ad ieiunia, nisi fuerit in eis impedimentum.*

Si causa sit euidens, qua non possit quis ieiunare, potest per se ipsum se dispensare, & præsertim si de facili non possit recurri ad superiorem.

Si causa sit dubia, recurrendum est ad superiorem qui habet in talibus facultatem dispensandi.

6 *Pueri non tenentur ad ieiunia vsq; ad finem tertij septemnij.*

Exercendi sunt tamen intra hoc tempus ad ieiunia plus, & minus secundũ ætatem.

Tempore magnæ tribulationis indicuntur ieiunia etiam pueris.

7 *Peregrini, & operarij, si possunt differre, vel diminuere peregrinationem, & opus sine detrimento corporalis, & spiritualis vitę, tenetur ad ieiunia.*

Si necessitas adsit peregrinandi, & operandi, & non possint ieiunare, non tenentur ieiunare.

In huiusmodi casu recurrendum esset ad superiorem, nisi fortè vbi aliter esset ita consuetum quia ex hoc, quod Pręlati dissimulant, videntur annuere.

8 *Pauperes habẽtes vndè facere possint vnã come-*

conuestionem, tenentur ieiunare.

Illi, qui frustatim eleemosinas quærunt, nõ tenentur ad ieiunia.

9 *Iustus tenetur ad ieiunia.*

10 *Quando transgrediens ieiunium peccet, vel non peccet mortaliter.*

11 *Ieiunia debent esse moderata.*

Qui ita debilitat naturam per ieiunia huiusmodi, vt non possit debita opera exequi puta prædicator prædicare, Doctor docere, cantor cantare, peccat.

Peccat vir nimia abstinentia reddendo se impotentem ad debitum reddendum.

12 *Sacerdos cum quo operario possit dispensare in ieiunijs.*

13 *Peccant illi, qui nolunt conducere operarios nisi ieiunium frangant.*

Aliter est, si sit necessaria causa operis.

Quæritur an ieiunium absolutè sit necessariũ.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd ieiunium secundùm se consideratũ, non nominat aliquid eligibile, sed pœnale quoddã; redditur autẽ eligibile secũdùm quòd est vtile ad finẽ aliquẽ: & ideo absolutè consideratũ nõ est de necessitate præcepti, sed est de necessitate præcepti vnicuiq; tali remedio indigẽti: & quia multitudo hominũ, vt plurimum indiget tali remedio: tùm quia in multis omnes offendimus, vt dicitur Iacobi 3. tùm etiã quia caro concupiscit aduersùs spiritũ, vt dicitur ad Galatas 5. conueniens fuit, vt Ecclesia aliqua ieiunia statueret omnibus communiter obseruanda, nõ quasi præcepto subijciens id, quod simpliciter ad super erogationem pertinet, sed quasi in speciali determinans id, quod est necessarium in cõmuni. 2.2.q.147.a.3.ad 1.

Quæritur an ieiunium sit in præcepto.

2 Respondeo dicẽdum, quòd sicut ad sæculares Principes pertinet præcepta legalia iuris naturalis determinatiua tradere de his, quæ pertinent ad vtilitatem communem in temporalibus rebus: ita etiam ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet ea statutis præcipere, quæ ad vtilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis: ieiunium autẽ vtile est ad deletionem, & cohibitionem culpæ, & ad eleuationem mentis in spiritualia: vnusquisq; autem ex naturali ratione tenetur tantum ieiunijs vti, quantũ sibi necessarium est ad prædicta: & ideo ieiuniũ in communi cadit sub præcepto legis naturæ, sed determinatio temporis, & modi ieiunandi secundũ conuenientiam & vtilitatem populi Christiani cadit sub præcepto iuris positiui, quod est à Prælatis Ecclesiæ institutũ: & hoc est ieiuniũ Ecclesię, aliud verò est naturę. 2.2.q.147.a.3.in corp. 4.sẽt.d.15.q.3.a.1. quæstiunc. 4.in corp.

Quæritur vbi nam contineantur ieiunia ab Ecclesia instituta.

3 Respondeo dicendum, quòd ieiunia, quæ sunt in præcepto, sunt in concilijs Episcoporũ statuta, & consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata, nec sunt contra libertatem populi fidelis, sed magis sunt vtilia ad impediendum seruitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galatas 5. vos enim fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem detis in occasionem carnis. 2.2.q.147.a.3.ad 3.

Quærĩ quare ieiunamus in vigilijs Sanctorũ.

4 Respondeo dicendum, quòd in Sanctorũ solemnitatibus præcipuis vigilias ieiunamus, vt paratiores ad deuotionem festi simus, & vt gaudium æternum, quod per solemnitates tẽporales significatur ad tribulationes præsentis vitæ, quas Sãcti passi sunt, subsequi demonstrentur. 4. sent.d.15.q.3.a.3.quæstiunc.1.ad 6.

Quan-

Quæritur an omnes ad ieiunia Ecclesiæ teneantur.

5 Respondeo dicendum, quòd statuta communia proponuntur secundùm quòd multitudini conueniunt: & ideo legislator in eis statuendis ostendit id, quod communiter habetur, & in pluribus accidit: si quid autem, & spirituali causa in aliquo inueniatur, & obseruantiæ statuti repugnet, non intendit talem legislator ad statuti obseruantiam obligare: in quo tamen est discretio adhibenda, nã si causa sit euidens, per se ipsum licitè potest homo statuti obseruantiam prætermire, præsertim consuetudine interueniẽte, vel si non posset de facili recursus ad superiorem haberi: si verò causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi:& hoc est obseruandum in ieiunijs ab Ecclesia institutis, ad quæ omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum. 2.2.q.147.a.4.in corp.

Quæritur an pueri teneantur ad ieiunia.

6 Respondeo dicendum, quòd in pueris maximè est causa non ieiunandi: tum propter debilitatem naturæ, ex quo prouenit, quòd indigent frequenti cibo, & non multo simul sumpto: tùm etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti: & ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est vt in pluribus vsq; ad finem tertij septennij non tenentur ad Ecclesiastica ieiunia obseruanda; conueniens tamen est, vt etiam in hoc tempore, se ad ieiunandum exerceant plus, vel minus secundùm modum suæ ætatis: quandoq; tamen magna tribulatione imminente in signum pænitentiæ arctioris, etiam pueris ieiunia indicuntur, sicut etiam de iumentis dicitur Ionæ 3. homines, & iumenta non gustent quidqu am, nec aquam bibant. 2.2.q.147. a. 4 ad 2. [4.sent.d.15.q.3.a.2.quæstiũc.3. in corp.

Quæritur an peregrini, & operarij teneantur ad ieiunia.

7 Respondeo dicẽdum, quòd circa peregrinos, & operarios distinguendum videtur: quia si peregrinatio, & operis labor commodè differri possit, aut diminui absq; detrimento corporalis salutis, & exterioris status, qui requiritur ad conseruationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ ieiunia prætermittenda: si autem immineat necessitas statim peregrinãdi, & magnas dietas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter conseruationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessariũ ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non possint Ecclesię ieiunia obseruari nõ obligatur homo ad ieiunandum, quia nõ videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis ieiunia, vt per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas: videtur tamen in talibus recurrendum ad superioris dispensationem, nisi fortè vbi est ita consuetum, quia ex hoc quòd Prælati dissimulant, videntur annuere, hoc tamẽ intelligitur de his, qui labore itineris adeo affliguntur, quod simul cum ieiunio itinerari non possunt. 2.2.q.147.a.4. ad 3.[4.sent.d.15.q.3.a.2. quæstiunc. 4. in corp. & ad 1. & 3.

Quæritur an pauperes teneantur ieiunare.

8 Respondeo dicendum, quòd pauperes, qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad vnam comestionem, non excusantur propter paupertatem à ieiunijs Ecclesię: à quibus tamen excusari videtur illi, qui frustatim eleemosinas mẽdicant, qui nõ possunt simul habere, quod eis ad victũ sufficiat. 2.2.q.147.a.4. ad 4.

4.sent.

4.sent.d.15.q.3.a.2.quæstiunc. 4. ad 2.

Quaritur an iusti teneantur ieiunare.

9 Respondeo dicendum, quòd præceptum à legislatore positum tunc solùm ad obseruandum nō obligat, quando obseruatio intentionem legislatoris euacuat, vel impedit, qua intendit homines inducere ad virtutem, vel bonum statum eorum, quibus legem proposuit: cum autē iustitia profectum ieiunij, quem legislator intendit, non impediat, sed augeat, quia efficitur magis meritorium, ex hoc, quòd aliquis est iustus non absoluitur à ieiuniorum obseruatione. 4. sent. d. 15. q. 3.a.2.quæstiunc.2.in corp.

Quaritur an transgrediens præceptum ieiuniorum peccet mortaliter.

10 Respondeo dicēdum, quòd præcepta, quæ per modum cōmunis statuti proponuntur, non eo modo obligant omnes, sed secundùm quòd requiritur ad finem, quem legislator intendit, cuius auctoritatem si aliquis transgrediendo statutū cōtemnat, vel hoc modo transgrediatur, quòd impediatur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor: si autem ex aliqua rationabili causa, quis statutum non seruet præcipuè in casu, in quo etiam si legislator adesset, nō decerneret esse seruandum, talis transgressio non constituit peccatum mortale: & inde est, quòd non omnes, qui non seruant ieiunia Ecclesiæ, peccant mortaliter. 2.2.q. 147.a.3.ad 2.

Quaritur an homo possit peccare nimis ieiunando, vel vigilando.

11 Respondeo dicendum, quòd in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis, ieiunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia non quæruntur tanquam finis: quia sicut dicitur ad Rom. 14. non est regnum Dei esca, & potus: sed adhibentur tāquam necessaria ad finem, idest ad domandas concupiscentias carnis secundū illud Apostoli primæ ad Corinthios 9. castigo corpus meum, & in seruitutē redigo &c. & ideo huiusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, vt scilicet concupiscentia deuitetur, & natura extinguatur secundùm illud ad Romanos 12. exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem: & posteà subdit, rationabile obsequium vestrum: si verò aliquis intantùm virtutem, naturæ indebilitet per ieiunia, & vigilias, & alia huiusmodi, quòd non sufficiat debita opera exequi, puta prædicator prædicare, doctor docere, cantor cantare, & sic de alijs, absq; dubio peccat, sicut & peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum vxori reddendum: vndè Hieronymus dicit de rapina holocaustū offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel somni penuria immoderatè corpus affligit: & iterum rationalis hominis dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vigilias sensus integritati præfert. quodlibeto.5.ar. 18. [Ecc. 1. cap. 12. ad Romanos [1.p.q.97.a.3.ad 3.

Quaritur an Sacerdos possit dispensare cum operarijs in ieiunio.

12 Respondeo dicendum, quòd Sacerdos potest dispensare in ieiunio Ecclesiæ cum operarijs, qui non possunt tantùm laborare, quòd victum sufficiētem acquirant, nisi ieiunium frangendo. 4. sent. d. 15.q.3.a.2.quæstiunc.4.ad 3.

Quaritur an illi peccent qui nolunt conducere operarios, nisi ieiunium frangant.

13 Respondeo dicendum, quòd illi à peccato immunes nō sunt, qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, vt ieiunium

nium soluant, nisi fortè ex causa necessaria, quæ festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat. 4. sent. d. 15. q. 3. a. 2. quæstiunc. 4. ad 3.

De temporibus ieiuniorum, & hora comestionis. Cap. III.

1 *Rectè fuerunt instituta ieiunia diuersorũ temporum.*
2 *Tempore Paschali non ieiunatur, nec diebus Dominicis licet ieiunare.*
3 *Ieiunans hora nona debet comedere.*
4 *Hora nona non est iudicanda subtiliter, sed secundum grossam æstimationem.*
Hora nona nomine intelligitur tempus circa horam nonam.
5 *Si differre comestionem vsq; ad horam nonam caderet alicui in grauamen magnũ, dispensetur cum eo in ieiunio; vel vt aliquantulum prçueniat tempus.*
6 *Tempore quadragesimæ comeditur post vesperas.*
7 *Qui nimis notabiliter comestionem anticipat, soluit ieiunium.*
Aliter tamen si aliquantulum anticipat.

Quæritur an conuenienter determinentur tempore Ieiunij Ecclesiæ.

1 Respondeo dicendum, quòd ieiunium ad duo ordinatur, scilicet ad deletionem culpæ, & eleuationẽ mentis in superna: & ideo illis temporibus specialiter fuerunt ieiunia indicenda, in quibus oportebat homines à peccato purgari, & mentem fidelium eleuari in Deum per deuotionem: quæ quidẽ præcipuè imminent antè Paschalem solemnitatem, in qua, & culpæ per Baptismum relaxantur, qui solemniter in vigilia Paschæ celebratur, quando recolitur Dominica sepultura, quæ per Baptismũ consepelimur Christo in mortem, vt dicitur ad Rom. 6. in festo autem Paschæ oportet maximè mentem hominis per deuotionem hominis eleuari ad æternitatis gloriam, quam Christus resurgẽdo inchoauit: & ideo immediatè ante solemnitatem Paschalem Ecclesia statuit esse ieiunandum, & eadem ratione in vigilijs præcipuarum festiuitatum, in quibus præparari nos oportet ad festa futura deuotè celebranda: similiter etiam consuetudo Ecclesiastica habet, vt in singulis quartis anni sacri ordines conferãtur: in cuius signum Dominis quattuor millia hominum de septem panibus satiauit, per quos significantur anni noui testamenti, vt Hieronymus dicit ibidẽ, ad quorum susceptionem oportet per ieiunium prçparari, & eos, qui ordinantur, & illos, qui ordinandi sunt, & etiam totũ populum, pro cuius vtilitate ordinantur: vndè & legitur Lucæ 6. quod Dominus antè discipulorum electionem exiuit in montem orare: quod exponens Ambrosius dicit, quid te facere conuenit, cum vis aliquod officiũ pietatis adoriri, quãdo Christus missur⁹ Apostolos prius orauit. ratio etiã numeri quantùm ad quadragesimale ieiunium est triplex secundùm Gregorium: primò quidem quia virtus decalogi per libros quattuor Sancti Euangelij impletur, denarius autem quatter ductus in quadragenarium surgit, vel quia in hoc mortali corpore ex quattuor elementis subsistimus per cuius voluntatẽ præceptis Dominicis contrahimus, quæ per decalogũ sunt accepta: vndè dignum est, vt eandem carnem quaterdecies affligamus; vel quia ita offerre contendimus Deo decimas dierum, dum enim per trecẽtus, & sexaginta dies annus ducitur, nos autem per triginta sex dies affligimur, qui sunt ieiunabiles in sex septimanis quadragesimę, quasi anni nostri Deo decimas damus: secundùm Augustinum autem additur quarta ratio, nam creator est Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, creaturæ

turę vero inuisibili debetur ternarius numerus, diligere enim iubemur Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: creaturæ verò visibili debetur quaternarius propter calidum, & frigidum, humidum, & secum: sic ergo per denarium significantur omnes res, qui si ducatur per quaternarium, qui competit corpori, per quod administratio geritur, quadragessimum numerum conficit: singula verò ieiunia quattuor temporum tribus diebus continentur propter numerum mensiũ, qui competit cuilibet tempori, vel propter numerum sacrorum ordinum, qui in his temporibus cõferuntur. 2.2.q 147.a.5.in corp. [4.sent.d. 15.q 3 a.3.quæstiunc.1.ad 6.

Quæritur an sit ieiunandum tempore Paschali, & diebus Dominicis.

2 Respondeo dicẽdum, quòd ieiunium exultationis ex instinctu Spiritus Sancti procedit, qui est spirit' libertatis: & ideo hoc ieiunium sub præcepto cadere non debet ieiunia ergo: quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, sunt magis ieiunia afflictionis, quę non conueniunt in diebus lętitiæ: proprer quòd non est ieiunium ab Ecclesia institutum in toto Paschali tẽpore, nec etiã in diebus Dominicis, in quibus si quis ieiunaret contra consuetudinem populi Christiani, quę vt Augustinus dicit, est pro lege habenda, vel etiam ex aliquo errore, sicut Manichei ieiunant, quasi necessarium tale ieiunium arbitrãtes, non esset à peccato immunis, quãuis ipsum ieiunium secundùm se consideratam, omni tempore sit laudabile secundũ quòd Hieronymus dicit ad Cuciniũ, vtinam omni tempore ieiunare possemus. 2.2.q. 147.a.5.ad 3. [4.sent.d.15.q.3.a.3. quæstiunc. 2.in corp.

Quæritur qua hora sit comedendum tempore ieiunij.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, ieiunium ordinatur ad delectationem, & cohibitionem culpæ: vndè oportet, quòd aliquid addat supra communem consuetudtnem, ita tamen quòd per hoc non multum natura grauetur: est autem debita, & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam: tum quia videtur esse completa digestio nocturno tempore naturali calore interius reuocato propter frigus noctis circonstans, & diffusio humoris per membra, cooperante adhoc calore dici vsq; ad summum solis ascensum: tum etiam quia tunc præcipuè natura corporis humani indiget iuuari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interius adurantur: & ideo vt ieiunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conueniens hora commedendi taxatur ieiunantibus circa horam nonam: conuenit etiam ista hora misterio Passionis Christi, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit spiritum: ieiunantes enim dum suam carnem affligunt Passioni Christi conformantur secundùm illud ad Galatas 5. qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. 2.2.q. 147. a.7.in corp. [4.sent.d.15.q.3. a. 3. quæstiunc.3.in corp.

Quæritur quomodo iudicanda sit hora nona.

4 Respondeo dicendum, quòd ad ieiunium requiritur hora determinata non secundùm subtilem examinationem, sed secundùm grossam æstimationem, sufficit enim, quod sit circa horam nonam, & hoc de facili quilibet cognoscere potest. 2.2.q.147.a.7.ad 2. [4.sent.d.15.q.3.a.4. quæstiunc. 3.in corp.

Quæritur quid faciendum quando circa horã nonam magnum patiuntur grauamen.

5 Respondeo dicendum, quòd modicũ augmen-

augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere: non est autē magnum temporis spacium, quod est ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueuerunt, vsq; ad horam nonam, quæ ieiunantibus determinatur: & ideo talis taxatio temporis non multū potest alicui nocere, cuiuscunq; conditionis existat, vel si fortè propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid huiusmodi hoc eis in magnum grauamen cæderet, esset cum eis in ieiunio dispensandum, vel vt aliquantulum præuenirent horam. 2.2.q.147.a.7.ad 3.

Quæritur qua hora sit comedendum tempore quadragessimæ.

6 Respondeo dicendum, quòd Concilium Calcedonense dicit, & habetur de consecrat.d.1.c.solent.in quadragessima nullatenus credendi sunt ieiunare, qui antè manducauerint, quàm vespertinum celebretur officium, quod quadragessimali tempore post nonam dicitur. 2.2.q.147.a.7.

Quæritur an anticipare tempus comestionis soluat ieiunium.

7 Respondeo dicendum, quòd ille ieiunium soluit, qui Ecclesiæ determinationem non seruat: vndè cum Ecclesia instituit certum tempus comedendi ieiunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, ieiunium soluit, non enim Ecclesia arctare intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam: vndè sufficit si circa horam illam, quam Ecclesia instituit ieiunans sumat cibum, etiam si aliquantulum propter aliquam necessitatem anticipet. 4.sent.d.15.q.3.a.4.quæstiunc.3.in corp.

De effectu Ieiunij. Cap. IIII.

Quæritur an ieiunium prosit defunctis.

Respondeo dicendum, quòd ieiunium potest prodesse defunctis ratione Charitatis, & intentionis in defunctos directæ: sed tamen ieiunium in sui ratione non continet aliquid, quod ad Charitatem, vel ad directionem intentionis pertineat: sed hæc sunt ei quasi extrinseca: & ideo Gregorius posuit ieiunium inter suffragia mortuorum. 4. sent. d. 45. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2.

Ignorantia.
Cap. I.

1 *In quo differat ignorantia à nescientia, et errore.*
2 *Quam scientiam excludat ignorantia.*
3 *Ignorantia inuincibilis non est peccatum.*
Ignorantia vincibilis eorum, quę quis scire tenetur, est peccatum.
Ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire non tenetur, non est peccatum
4 *Ignorantia est peccatum non originale, sed actuale.*
5 *Quæ ignorantia pertineat ad infidelitatem, & quæ ad negligentiam.*
6 *Ignorantia omnino inuoluntaria non est peccatum.*
7 *Ignorantia affectata, & beneficiorum Dei, & ignorantia infidelitatis est grauissimū peccatum.*
8 *Ignorantia habet rationem peccati ratione negligentiæ præcedentis, vel effectus sequentis.*
9 *Quæ ignorantia diminuat peccatum, vel excuset ab eo, & quæ augeat peccatum.*
10 *Ignorantia, quæ totaliter aufert voluntarium, aufert peccatum.*

Ignorantia, quæ concomitatur peccatum, nec minuit, nec augeat peccatum.

Ignorantia, quæ est causa peccati, nec excusat totaliter à peccato, minuit peccatum.

Aliquando tamen talis ignorantia auget peccatum.

Ignorantia, quæ est causa peccati, per accidens, & indirectè voluntaria tamen, minuit peccatum.

11 *Ignorantia facti veniam meretur, non autem iuris.*

12 *Ignorans non semper peccat quamdiu est in ignorantia, sed tantùm quando est tēpus acquirendi scientiam.*

13 *Ignorantia, quæ facit actum inuoluntarium, excusat à peccato,*

Quòd *ignorantia non totaliter excuset à peccato, aliquando oriri potest ex duobus, scilicet ex parte rei ignoratæ, & ex parte ignorantiæ.*

14 *Quæ sit illa ignorantia particularis, quæ totaliter excuset à peccato.*

15 *Ignorantia amentis, & furiosi totaliter excusat à peccato.*

16 *Ignorantia infidelitatis, licet non excuset sequens peccatū à toto, excusat tamen à tanto.*

17 *Si per negligentiā aliquis nesciat constitutionē Papæ, peccat faciens contra illam.*

Si tamen habuit sufficiens impedimentum, per quod non potuit illam scire, non peccat, si faciat contra illam.

Quæritur in quo differat ignorantia à nescientia, & errore.

1 RESpondeo dicendum, quòd nescientia simplicem negationē scientię importat: ignorantia verò quandoq; quidē significat scientiæ priuationem: & tunc ignorantia nihil est aliud, quam carere sciētia, quam quis natus est habere: hoc enim est de ratione priuationis cuiuslibet; quandoq; autē ignorātia est aliquid sciētiæ contrariū, quæ dicitur ignorantia peruersæ dispositionis, puta cum quis habet habitum falsorum principiorum, & falsarum opinionū, ex quibus impeditur à scientia veritatis. Error autem est apprehendere falsa pro veris: vndè addit actum quemdam super ignorantiam: potest enim esse ignorantia sine hoc, quòd aliquis de ignotis sententiam ferat: & tunc ignorans est, & non errans, sed quando iam falsam sententiam fert de his, quæ nescit, tunc propriè dicitur errare. q.3. de malo a.7. in corp.

Quæritur quas, & quales scientias excludat ignorantia.

2 Respondeo dicendum, quòd ignorātia quandoq; excludit sciētiam, qua aliquis simpliciter scit hoc esse malū, quod agitur, & tunc dicitur ex ignorātia peccare: quandoq; autem: excludit scientiā, qua homo scit hoc nunc esse malum, sicut cum ex passione nunc peccatur: quādoq; autem excludit scientiam, qua aliquis scit hoc malum non sustinendū esse propter consecutionem illius boni, scit tamē simpliciter hoc esse malum, & sic dicitur ignorare, qui ex certa malitia peccat. p. 2. q. 78. a. 1. ad 1.

Quæritur an ignorantia sit peccatum?

3 Respondeo dicendum, quòd ignorantia importat scientiæ priuationem, dùm scilicet alicui deest sciētia eorum, quæ aptus natus est scire, horum autem quædam aliquis scire tenetur, illa scilicet, sine quorum scientia non potest debitum actū rectè exercere: vndè omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris præcepta; singuli autem ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant: quædam verò sunt, quæ etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur, sicut theoremata Geometriæ, & contingētia particularia,

nisi in casu: manifestum est autem, quòd quicunq; negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato amissionis: vndè propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum: non autē imputatur homini ad negligentiā, si nesciat ea, quæ scire non potest: vndè horū ignorantia inuincibilis dicitur, quia studio superari non potest, & propter hoc talis ignorantia cū non sit voluntaria, eo quòd nō est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum: ex quo patet, quòd nulla ignorātia inuincibilis est peccatū; ignorantia autem vincibilis est peccatū, sit sit eorum, quæ aliquis scire tenetur, non autem sic sit eorum, quæ quis scire non tenetur. p.2.q.76.a.2.in corp. [q. 3. de malo a.7.in corp.

Quæritur an ignorantia sit peccatum originale, an actuale.

4 Respondeo dicendum, quòd ignorātia non est originale peccatum: nō enim ignorantia imputatur puero in peccatū, antequam ad tempus deputatum euenerit, sed est peccatum actuale eo modo, quo omissio peccatum actuale dicitur: & eodem modo conuenit peccati actualis descriptio ignorantiæ, sicut omissioni. 2. sent.d.22.a.1.ad 2. [& d.30.q.1.a.3.ad 5. [q.3.de malo.a 7.in corp.

Quæritur ad quę peccata pertineat ignorātia.

5 Respondeo dicendum, quòd ignorantia in his, quæ per se mala sunt, ad infidelitatem pertinet: in his autem quæ sūt mala, quia prohibita, ad negligentiā. 4.sent.d.nona.a.3.quæstiunc.2.ad 1.

Quæritur an ignorantia omnino inuoluntaria sit peccatum.

6 Respondeo dicendum, quòd ignorātia, quæ est omnino inuoluntaria, non est peccatum: & hoc est, quod Augustinus dicit, non sibi imputatur ad culpam, si inuitus ignores, per hoc autem quòd addit, sed si scire neglexeris, dat intelligere, quòd ignorantia habet, quòd sit peccatum ex negligentia præcedente, quæ nihil est aliud, quàm non applicare animum ad sciendum ea, quæ quis debet scire. q.3.de malo a.7.ad 7.

Quæritur an ignorātia sit grauissimū peccatū.

7 Respondeo dicendum, quòd Ambrosius dicit super illud Romanorum 2. an ignoras, quòd benignitas Dei &c. grauissimè peccas, si ignoras, idest periculosissimè, quia dum nescis te peccare, remedium non quęris: vel loquitur de ignorātia affectata, qua aliquis ignorare vult, ne à peccato retrahatur; vel loquitur de ignorantia receptorum beneficiorū, quia quòd aliquis me etiā cognoscere studeat percepta beneficia, est summus ingratitudinis gradus; vel loquitur de ignorantia infidelitatis, quæ in se quidem est grauissimum peccatum, licet etiam peccatū ex tali ignorantia cōmissum diminuatur secundùm illud Apostoli primæ ad Timotheum primo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea.q.3.de malo.a.8.ad 1.[p.2.q.76.a.4. ad 3. [4.sent.d nona.a.3.quæstiunc. 2. ad 1.[2.sent.d.22.q 2.a.2.ad 1. [Ecc.1. cap. 2.ad Romanos.

Quæritur qua ratione ignorantia sit peccatū.

8 Respondeo dicendum, quòd quia scientia est magis remota à moralibus, quam prudētia secundùm propriam rationem vtriusq; inde est quòd ignorātia non habet de se rationem peccati mortalis, sed solum ratione negligentiæ præcedentis, vel effectus sequentis, & propter hoc ponitur inter generales causas peccati.2.2.q.53.a.2.ad 2.

Quæ-

Quæritur an ignorantia augeat peccatum.

9 Respondeo dicendum, quòd ignorantia intellectus quandoq; quidem præcedit inclinationem appetitus, & causat eam: & sic quanto est maior ignorantia, tanto magis peccatum diminuit, vel totaliter excusat, inquantùm causat inuoluntarium: alio modo è conuerso ignorantia rationis sequitur inclinationem appetitus, & talis ignorantia quanto est maior, tanto peccatum est grauius, quia ostenditur inclinatio appetitus esse maior, 2.2.q.156.a.3.ad 1.

Quæritur an ignorantia minuat peccatum.

10 Respondeo dicendum, quòd quia omne peccatum est voluntarium, intantùm ignorantia potest diminuere peccatum, inquantùm diminuit voluntarium: si autem voluntarium nō diminuat, nullo modo diminuet peccatum: manifestū est autem, quòd ignorantia, quę totaliter à peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, sed omnino auffert: ignorantia vero, quę nō est causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum, non minuit peccatū, nec auget: illa igitur sola ignorantia potest peccatum minuere, quæ est causa peccati, & tamen totaliter à peccato nō excusat: contingit autem quandoq; quod talis ignorantia directè, & per se est voluntaria, sicut cū aliquis sua spōtè nescit aliquid, vt liberius peccet: & talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum: ex intētione enim voluntatis ad peccandū prouenit, quòd aliquis vult subire ignorantiæ damnū propter libertatem peccandi; quandoq; verò ignorātia, quæ est causa peccati non est directè volūtaria, sed indirectè, vel per accidēs, puta cum aliquis nō vult laborare in studio, ex quo sequitur cum esse ignorantē, vel cū aliquis vult bibere vinū immoderatè, ex quō sequitur cum inebriari, & discretione carere: & talis ignorātia diminuit voluntarium, & per consequens peccatum: cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatū, non potest dici, quòd voluntas directè, & per se feratur in peccatum, sed per accidens: vndè est ibi minor contemptus, & per cōsequens minus peccatum. p.2.q.76.a.4.in corp. [q. 3. de malo a.8.in corp.

Quæritur quæ nam ignorantia veniam mereatur, facti, an iuris.

11 Respondeo dicēdum, quòd ignorantia facti, quā Aristoteles vocat ignorantiā particularium circunstantiarū, meretur veniam, non autem ignorantia iuris, quæ non excusat. 2.2.q.59.a. 4. ad 1.

Quæritur an semper quis peccet per ignorantiam, quamdiu manet ignorantia.

12 Respondeo dicendum, quòd sicut in alijs peccatis omissionis solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmatiuum obligat: ita est etiam de peccato ignorantiæ, non enim continuò ignorans actu peccat; sed solū quando est tempus acquirendi scientiam, quā habere tenetur. p.2.q.76.a.2.ad 5.

Quæritur an ignorantia excuset ex toto à peccato.

13 Respondeo dicendum, quòd ignorantia de se habet, quòd faciat actum, quem causat, inuoluntariū esse, ignorantia autem dicitur causare actum, quem scientia opposita prohibebat, & ita talis actus, si scientia adesset, esset contrarius voluntati, quod importat nomen inuolūtarij: si verò scientia, quæ per ignorantiam priuatur, non prohiberet actum propter inclinationē voluntatis in ipsū, ignorantia huius scientiæ non facit hominem inuoluntarium, sed nō volentē, vt dicitur

dicitur in 3. eth. & talis ignorantia, quæ non est causa actus peccati, quia nō causa inuoluntarium, nō excusat à peccato: & eadem ratio est de quacunq; ignorantia non causante, sed consequente, vel cōcomitante actum peccati: sed ignorātia, quæ est causa actus, quia causat inuoluntarium de se habet, quod excuset à peccato, eo quòd voluntarium est de ratione peccati; sed quòd aliquando non totaliter excuset à peccato potest contingere ex duobus: vno modo ex parte rei ignoratæ, intantùm enim ignorantia excusat à peccato, inquantùm ignoratur aliquid esse peccatum: potest autē contingere, quòd aliquis ignoret quidē aliquam circunstantiam peccati, quam si sciret retraheretur à peccando, siue illa circunstantia faciat ad rationem peccati, siue non: & tamen adhuc remanet eius scientia per aliquid, per quod cognoscit illud esse actum peccati, puta si aliquis percutiens aliquem, sciat quidem ipsum esse hominem, quod sufficit ad rationem peccati, non tamen scit eum esse Patrem, quod est circunstantia cōstituens nouam speciem peccati, vel fortè nescit, quòd ille se deffendens repercutiat eum, quòd si sciret, non percuteret, quod non pertinet ad rationem peccati: vndè licet talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excusatur à peccato, quia adhuc remanet ei cognitio peccati: alio modo potest hoc contingere ex parte ipsius ignorantiæ, quia scilicet ipsa ignorantia est voluntaria, vel directè sicut cū aliquis studiosè vult nescire aliqua, vt liberius peccet, vel indirectè, sicut cum aliquis propter laborē, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorātiam ipsam esse voluntariam, & peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur, & potest: & ideo talis ignorantia non totaliter excusat à peccato: si verò sit talis ignorantia, quæ omnino sit inuolūtaria, siue quia est inuincibilis, siue quia est eius, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat à peccato. p.2.q.76.a.3. in corp. [q.3. de malo a.8. in corp.

Quæritur quę sit illa ignorantia particularis, quę totaliter excuset à peccato.

14 Respondeo dicendum, quòd ignorantia particularis, quæ totaliter excusat, est ignorantia circunstantiæ, quam quidem quis scire non potest debita diligentia adhibita. p.2.q.77.a.7. ad 2.

Quæritur an ignorantia amentis, & furiosi excuset eos totaliter à peccato.

15 Respondeo dicendum, quòd ignorantia, quæ totaliter vsum rationis excludit, omnino à peccato excusat, & hæc est in furiosis, & amentibus. p. 2. q. 76. ar. 3. ad 3.

Quęritur an ignorantia infidelitatis excuset sequens peccatum.

16 Respondeo dicendum, quòd ignorantia infidelitatis quamuis non excuset sequens peccatum à toto, excusat tamen à tanto, vt patet de peccato occidentiū Christum, quia si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixent primæ Corinth. 2. & per hanc ignorantiam eorum peccatum alleuiatum est, vt dicit Anselmus. 4. sent. d. nona. ar. 3. quæstiunc. 4. in corp.

Quæritur an faciens per ignorantiam contra constitutionem Papæ peccet.

17 Respondeo dicendum, quòd ignorantia, quæ est causa actus, causat inuoluntarium: vndè semper excusat, nisi ipsa ignorantia sit peccatum: est autem ignorantia peccatum, quando ignorat quis,

quis, quæ potest scire, & tenetur, constitutionem enim Papæ omnes suo modo scire tenentur: si ergo aliquis nesciat per negligentiam, non excusatur à culpa, si contra constitutionem agat: si verò aliquis habeat sufficiens impedimentum, propter quod scire non potuerit, puta si fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas constitutio non peruenit, vel propter aliquid simile, talis ignorantia excusat, vt non peccet contra constitutionem Papæ agens. quodlibeto 1. a. 19.

Queritur an ignorantia excuset filios, ne sint illegitimi.

Respondeo dicendum, sicut verbo illegitimus. q. 2.

De causalitate ignorantiæ. Cap. II.

1 *Non quęlibet ignorantia peccantis est causa peccati.*
Illa sola ignorantia est causa peccati, quę tollit sciētiam prohibentem actū peccati.
2 *Quę ignorantia causet inuoluntarium, & quę non.*
3 *Ignorantia veritatis causat tres effectus, & quos.*

Quæritur an ignorantia possit esse causa peccati.

1 RESpondeo dicendū, quòd ratio secundùm duplicem scientiam est humanorum actuum directiua scilicet secundùm scientiam vniuersalem, & particularem, conferens enim de agēdis vtitur quodā syllogismo, cuius cōclusio est iudicium, seu electio, vel operatio, actiones autē in singularibus sunt: vndè conclusio syllogismi operatiui est singularis, singularis autem propositio non concluditur ex vniuersali, nisi mediante aliqua propositione singulari, sicut homo ꝓhibetur ab actu Patricidij per hoc, quod scit Patrem non occidendum, & per hoc; quod scit hūc esse Patrē, vtriusq; ergo ignorantia potest causare patricidij actum scilicet, & vniuersalis principij, quod est quædam regula rationis, & singularis circunstantiæ: vndè patet, ꝙ non qualibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa tantùm, quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati: vndè si voluntas alicuius esset sic disposita, quòd non prohiberetur ab actu patricidij, etiam si Patrem agnosceret, ignorantia Patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatū: & ideo talis non peccat propter ignorātiam, sed peccat ignorās secundùm Phylosophū in 3. eth. p. 2. 2. q. 76. a. 1. in corp. [q. 3. de malo a. 7. in corp.

Queritur an ignorantia causet inuoluntariū.

2 Respondeo dicendum, quòd ignorātia habet causare inuoluntarium ea ratione, qua priuat cognitionem, quæ præexigitur ad voluntarium: non tamē quælibet ignorantia huiusmodi cognitionē priuat: & ideo sciendum, quòd ignorantia tripliciter se habet ad actum voluntatis: vno modo concomitanter: alio modo consequenter: tertiò modo antecedenter; concomitanter quidem quando ignorantia est de eo, quod agitur, tamen etiam si sciretur, nihilominus ageretur, tunc enim ignorantia non inducit ad volendū, vt hoc fiat, sed accidit simul esse aliquid factum, & ignoratum, sicut cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere ceruum, & talis ignorantia non facit inuoluntarium, vt Phylosophus dicit, quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati, sed facit non voluntarium, quia nō potest esse actu volitum, quod ignoratum est; consequenter autē

ſe habet ignorantia ad voluntatem inquantùm ipſa ignorantia eſt voluntaria, & hoc contingit dupliciter: vno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, ſicut cum aliquis ignorare vult, vel vt excuſationem peccati habeat, vel vt non retrahatur à peccando ſecundùm illud Tob. 21. ſcientiam viarum tuarum nolumus, & hæc dicitur ignorantia affectata: alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius, quod quis poteſt ſcire, & debet: ſic enim non agere,& non velle voluntarium dicitur; hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſiue cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proueniens, ſiue cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere, & ſecundùm hunc modũ ignorantia vniuerſalium iuris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proueniens: cum autem ipſa ignorantia ſit voluntaria aliquo iſtorum modorum, non poteſt cauſare ſimpliciter inuoluntarium, cauſat tamen ſecundùm quid inuoluntarium, inquantùm præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non eſſet ſcientia præſente: antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria,& tamen eſt cauſa volendi, quod alias non vellet, ſicut cum aliquis homo ignorat aliquam circunſtantiam actus, quàm non tenebatur ſcire,& ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret, puta cùm aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, proijcit ſagittam, quia interficit tranſeuntem,& talis ignorãtia cauſat inuolũtariũ ſimpliciter. p.2.q.6.a.8.ĩ corp.

Quæritur quot, & quos effectus cauſet ignorantia veritatis.

3 Reſpondeo dicendum, quòd ignorantia veritatis habet tres effectus; & primò contrahuntur ex ea ſordes nõ ſolum errorum in intellectu, ſed etiã prauarum affectionum in affectu, & inordinatio actionum in actu, dùm mala, quæ ignorat, homo nec vitat, nec purgat: ſecundò ignorantia reddit homines ocioſos, qui dùm habent ignorantiam boni, quod eſt finis, & via, qua ad ipſum peruenitur, non ſe mouent ad finem conſequendum: tertiò reddit eos concluſos: quia dùm non cognoſcunt bonum, non appetitur eorum affectus per deſiderium ad capiendum ipſum intra ſe. Ecc. 4. cap. 4. in Dioniſium de Diuinis nominibus.

ILLEGITIMVS.

1 *Qui ſint filij illegitimi.*

2 *Filij, qui naſcuntur ex matrimonio non valido ex aliquo impedimento, ignorato tamen, non ignorantia affectata, ſunt illegitimi.*

Filij, qui naſcuntur ex matrimonio inualido per aliquod impedimentum cognitum quidem à contrahentibus, ſed toleratũ ab Eccleſia hoc ignorante, ſunt illegitimi.

3 *Filius illegitimus nullum damnum incurrit in ſibi debitis.*

Filij illegitimi non admittuntur ad actus legitimos, nec ſuccedunt in hæreditate paterna.

Filij naturales ſuccedunt in ſexta parte hæreditatis.

Filij ſpurij in nulla parte ſuccedunt.

Parentes tamen tenentur eis in neceſſarijs prouidere.

Epiſcopus debet cogere vtrumq; parentem adhoc, quod filijs ſpurijs prouideant.

4 *Filius illegitimus poteſt legitimari.*

In quo ſenſu dicatur legitimari.

Sex ſunt modi legitimandi filios illegitimos, quorum duo ſunt canonum, et quattuor ſunt legum.

5 *Filius legitimus nõ poteſt fieri illegitimus.*

Qua-

Quæritur qui nam sint filij illegitimi.

1 RESpondeo dicendum, quòd quadruplex est status filiorum, quidam enim sunt naturales, & legitimi, sicut qui nascuntur ex legitimo matrimonio quidam naturales, & non legitimi, vt filij, qui nascuntur ex simplici fornicatione: quidam legitimi, & non naturales, sicut filij adaptiui; quidam nec legitimi, nec naturales, sicut spurij nati de adulterio, vel de stupro, tales enim nascuntur, & contra legem positiuam, & expresſè contra legem naturæ: & sic cōcedendū est quodā filios esse illegitimos. 4. sent. d. 41. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Quęritur an ignorātia excuset parētes ab illicito coitu, & filios, ne sint illegitimi.

2 Respondeo dicendum, quòd ignorantia excusat illicitum coitum à peccato, nisi sit affectata: vndè illi, qui conueniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamuis sit impedimentum, dùm tamen ignorent, nō peccant, nec filij sunt illegitimi: si autem sciunt, quamuis Ecclesia sustineat, quæ ignorat impedimentum, non excusantur à peccato, nec filij ab illegitimitate: si autem nesciunt, & in occulto contrahant, non excusantur, quia talis ignorantia videtur affectata. 4. sent. d. 41 a. 3. quæstiunc. 1. ad 2. [a. 5. quæst. 1. ad 1.

Quæritur an filij illegitimi debeant ex hoc aliquod damnum reportare.

3 Respondeo dicendum, quòd aliquis dicitur damnum incurrere dupliciter: vno modo ex hoc, quòd ei subtrahatur, quod erat ei debitum: & sic filius illegitimus nullum damnum incurrit: alio modo per hoc, quod ei aliquid non est debitum, quòd alias poterat ei esse debitum: & sic filius illegitimus damnum incurrit duplex, vnum, quia nō admittitur ad actus legitimos sicut ad officia, vel dignitates, quæ requirunt quamdam honestatem in illis, qui hæc exercent: aliud damnum incurrunt quando non succedunt in hæreditate paterna: sed tamen naturales filij succedere possunt in sexta parte tantum: spurij autem in nulla parte, quamuis ex iure naturali parentes eis in necessarijs prouidere teneantur: vndè pertinet ad sollicitudinem Episcopi, vt vtrumq; parentū cogat adhoc, ꝙ eis prouideant. 4. sēt. d. 41. a. 3. quæst. 2. in corp.

Quæritur an filius illegitimus possit legitimari.

4 Respondeo dicendum, quòd filius illegitimus potest legitimari, nō vt fiat de legitimo coitu natus, quia coitus ille trāsiuit, & nunquam potest fieri legitimus, ex quo semel fuit illegitimus: sed dicitur legitimari, inquantùm damna, quæ filius illegitimus incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem, & sunt sex modi legitimandi, duo secundùm canones, scilicet cum quis ducit in vxorem illam, ex qua filium illegitimum generauit etsi nō fuit adulterium, & per specialem indulgentiam, & dispensationē Domini Papę: quattuor autem alij modi sunt secundū leges: primus est, si pater filium naturalē curię Imperatoris offert, ex hoc enim ipso legitimatur propter curiæ honestatē: secundus, si pater testamēto nominet cū legitimum hæredem, & filios postmodū testamentum Imperatori offerat: tertius est, si nullus sit filius legitimus, & ipsemet filius se ipsum Principi offerat: quartus est, si pater in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione eum legitimum nominet, nec adijciat naturalem. 4. sent. d. 41. a. 3. quæstiunc. 3. ad 1.

Quærit an filius legitimus possit illegitimari.

5 Respondeo dicendum, quòd alicui potest

potest sine iniustitia gratia fieri, sed non potest aliquis damnificari, nisi pro culpa: & ideo magis potest illegitimus fieri legitimus, quàm è conuerso; etsi enim aliquando legitimus priuetur hæreditate pro culpa, non tamen dicitur illegitimus filius, quia generationem legitimã habuit. 4. sent. d. 41. a. 3. quæstiunc. 3. ad 1.

I M A G O.

Quęritur à quo tempore cæperit cultus imaginum.

1 Respondeo dicẽdum, quòd sicut dicit glosa, ab aduentu Aeneæ consueuerunt in Italia imagines hominũ coli puta Iouis, Herculis, & similium, sed tempore Cæsaris Augusti deuicta ægipto eorum cultum Romani assumpserunt, qui imagines animalium colebant propter figuras animalium, quæ notantur in cælo, quibus ægiptij tanquam Astrologiæ dediti cultum Diuinitatis impendebant: vndè, & Dominus filios Israel in ægipto nutritos ab huiusmodi cultu remouet dicens Deut. 4. ne fortè oculis eleuatis in cælum videas Solem, & Lunã, & omnia astra cæli &c. Ecc. 7. cap. 1. ad Romanos.

Quaritur quare in Ecclesia institutę sunt imagines.

2 Respondeo dicẽdum, quòd Apostoli multa tradiderunt, quæ scripta non sunt in canone, inter quæ vnũ est de vsu imaginum: vndè Damascenus dicit, quod Lucas depinxit imaginem Christi, & B. Virginis, & Christus suam imaginẽ Abagaro Regi direxit, vt dicitur in Ecclesiastica historia lib. 1. cap. 15 fuit autẽ triplex ratio institutionis imaginũ in Ecclesia, primò ad instructionem rudium, qui eis, quasi quibusdam libris edocentur: secundò vt incarnationis misterium, & Sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidiè oculis repræsẽtantur: tertiò ad excitandum Deuocionis affectum, qui ex visis efficacius imitatur, quàm ex auditis. 3. sent. d. nona. q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. ad 3.

Quaritur an Imagines Sanctorum sint adorandæ.

3 Respondeo dicendum, quòd neque in veteris legis tabernaculo, seu templo, neq; etiam nunc imagines in Ecclesia instituuntur, vt eis cultus latriæ exhibeatur, sed ad quamdam significationem, vt per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimatur, & confirmetur fides de excellentia Angelorum, & Sanctorũ. 2. 2. q. 94. a. 2. ad 1.

Quaritur an Imagini Christi sit exhibendus cultus latriæ.

4 Respondeo dicendum, quòd imago potest dupliciter considerari, vel secundùm quod est res quædam: & sic nullus honor ei debetur, sicut nec lapidi, vel ligno: vel secundùm quòd est imago, & quia idem motus est in imaginatũ: ideo vnus honor debetur imagini, & ei, cuius est imago: & ideo cum Christus adoretur latria, similiter & eius imago. 3. sent. d. nona, q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

IMMVN-

IMMVNDITIA.

Triplex genus immundorum.

Quaritur quotuplex sit genus immundorum.

RESpondeo dicendum, quòd triplex est genus immundorum, vt Dionisius dicit: quidam enim sunt omnino infideles credere non volentes, & hi totaliter etiam à visione Diuinorum, & à cætu fidelium arcendi sunt, & hoc pertinet ad Hostiarios: quidam verò sunt volentes credere, sed nundum sunt instructi, scilicet cathecumeni, & ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum: & ideo prima rudimenta ad doctrinam fidei, scilicet vetus testamentum eis legendum committitur: quidam verò sunt fideles, & instructi, sed impedimentum habentes ex Dæmonis potestate, scilicet energumeni, & ad hoc habet ministerium ordo exorcistarum. 4. sent. d. 14. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. in corp.

IMMVNITAS A PECCATO.

1 *Per certitudinem non potest homo scire, se esse immunem à peccato.*
Quattuor signa quibus coniecturare potest homo, se esse in gratia Dei.
2 *Non peccat quis, si post diligentem discussionem suæ conscientiæ accedat ad Communionem manente aliquo peccato mortali ignorato ab ipso.*
Immo consequitur remissionem peccati.

Quæritur an quis scire possit se esse immunem à peccato.

1 RESpondeo dicendum, quòd homo sit omnino à peccato immunis, per certitudinem sciri nõ potest primæ Corinth. 4. nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: potest tamen de hoc haberi aliqua coniectura præcipuè per quattuor signa, sicut Bernardus dicit: primò cum quis deuotè verba Dei audit, quia qui est ex Deo, verba Dei audit Ioannis 8. secundò cũ quis se promptum ad benè operandum inuenit, quia probatio dilectionis exhibitio est operis, vt dicit Gregorius: tertiò cum quis à peccatis abstinendi in futurum propositum habet: quartò cum de præteritis dolet, quia in his vera pænitentia secundùm Gregorium cõsistit. 4. sent. d. nona. a. 3. quæstiunc. 2. in corp. [p. 2. q. 122. a. 5. in corp.

Quæritur an post discussionem diligentem suæ conscientiæ quis se immunem à peccatis sentiens, habens tamẽ peccatũ mortale occultum possit accedere ad Sacramentum Eucharestię.

2 Respondeo dicẽdum, quòd si aliquis per supradicta signa facta diligenti discussione suæ conscientiæ, quamuis fortè non sufficienti ad Corpus Christi deuotè accedat aliquo peccato mortali in ipso manente, quod eius cognitionem præterfugiat, non peccat, immo magis ex vi Sacramenti peccati remissionem consequitur: vndè Augustinus dicit in quodã sermone, quod quando Corpus Christi manducatur, viuificat mortuos. 4. sent. d. 9. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

IMPAENITENTIA.

1 *Impænitentia vt dicit propositum non pænitendi est species peccati in Spiritũ Sanctum.*
Impænitentia, vt dicit permanentiam in peccato vsq; ad mortem negando peccati pænitentiam est circunstantia aliorũ peccatorum.

Quæritur an impænitẽtia sit speciale peccatũ

1 RESpondeo dicendum, quòd sicut perseuerantia dicitur dupliciter,

ter: vno modo est virtus specialis, prout dicit propositum perseuerandi in bono incæpto vsq; ad finem: & alio modo est circunstantia aliarum virtutum, prout dicit actualem durationem in actibus virtutum vsq; ad mortem: ita etiam, & impęnitentia secundùm quòd dicit propositum non pænitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum, secundùm autem quòd dicit permanentiam in peccato vsq; ad mortem negando peccati pænitentiam, sic est accidens, vel circunstātia aliorum peccatorum. 4. sent. d. 43. a. 2. ad 3. & in exposit. litteræ.

IMPRVDENTIA.

1 *Duplex imprudentia scilicet priuatiuè, et contrariè sumpta.*

Imprudentia priuatiuè est peccatum ratione negligentiæ, quam quis adhibet ad habendam prudentiam.

Imprudentia contrariè est peccatum secundùm rationem propriam prudentiæ.

Imprudentia aliquando est peccatum mortale, & aliquando veniale.

2 *Imprudentia non est generale vitium absolutè, & per essentiam.*

Imprudentia est generale vitium absolutè per participationem.

Imprudentia est generale vitium continēs sub se plures species tripliciter.

Quæritur an imprudentia sit peccatum.

1 RESpondeo dicendum, quòd imprudentia dupliciter accipii potest: vno modo priuatiuè: alio modo contrariè, negatiuè autem non propriè dicitur, ita scilicet quòd propriè importet solam carentiam prudentiæ, quæ potest esse sine peccato; priuatiuè quidem imprudentia dicitur inquantùm aliquis caret prudentia, quem quis natus est, & debet habere, & secundùm hoc imprudentem est peccatum ratione negligentiæ, quàm quis non adhibet studium ad prudentiam habendam: contrariè verò accipitur imprudentia secundùm quòd ratio contrario modo mouetur, vel agit prudentiæ, puta si recta ratio prudentiæ agit consiliando, imprudens consilium spernit: & sic de alijs, quæ in actu prudentiæ consideranda sunt: & hoc modo imprudentia est peccatum secundùm rationem propriam prudentiæ: non enim potest hoc contingere, quòd homo contra prudentiam agat, nisi diuertens à regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur: vndè si hoc contingat per auersionē à regulis Diuinis, est peccatum mortale, puta cum quis quasi contemnens, & repudians Diuina documenta præcipitanter agit: si verò præter eas agat absque contemptu, & absq; detrimento eorum, quæ sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale. 2. 2. q. 53. a. 1. in corp.

Quæritur an imprudentia sit speciale peccatū

2 Respondeo dicendum, quòd aliquod vitium, vel peccatum potest dici generale dupliciter: vno modo absolutè, quia scilicet est generale respectu omniū peccatorum: alio modo quia est generale respectu quorumdam vitiorum, quę sunt species eius: primò autem modo potest dici aliquod vitiū generale dupliciter: vno modo per essentiam, quia scilicet prædicatur de omnibus peccatis, & hoc modo imprudentia non est generale peccatum, sicut nec prudentia generalis virtus, cum sint circa actus speciales, scilicet circa ipsos actus rationis: alio modo per participationem, & hoc modo imprudentia est generale peccatum, sicut enim prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus inquantùm est directiua earum, ita & imprudentia in omnibus vitijs, & peccatis, nullū enim peccatum potest occidere nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis, quod

quod pertinet ad imprudentiam: si verò dicatur peccatum generale nō simpliciter: sed secundū aliquod genus, quia scilicet cōtinet subse multas species, sic imprudentia est generale peccatū: continet enim subse diuersas species tripliciter: vno quidē modo per appositum ad diuersas partes subiectiuas prudentiæ, quę sūt multitudinis rugitiuæ, ita etiā prudētia: alio modo secundùm partes quasi potentiales prudentiæ, quæ sunt virtutes adiūctę, & accipiuntur secundū diuersos actus rationis, & hoc modo quantū ad defectū consilij, circa quod est Eubulia, est precipitatio, siue temeritas imprudentiæ species: quantùm verò ad defectū iudicij, circa quòd sunt Sinesis, & Gnome, est inconsideratio; quantùm verò ad ipsū prępceptum, quod est proprius actus prudentiæ, est inconstantia, & negligentia: tertiò modo possunt sumi per oppositum ad ea, quæ requiruntur ad prudentiā, quæ sunt quasi partes integrales prudentiæ: sed quia omnia illa ordinantur ad dirigendū prædictos tres rationis actus, inde est, ꝙ omnis defectus oppositi reducuntur ad quattuor prædictas partes, sicut incautela, & iucirconspectip includuntur sub incōsideratione, quòd autē aliquis deficiat à dolicitate, & memoria, vel ratione pernet ad præcipitationem; imprudentia verò, & defectus intelligentię, & solentiæ pertinent ad negligentiam, & inconstantiam. 2.2.q.53.a.2.in corp.

IMPVDICITIA.

Quæritur quid sit impudicitia.

RESpondeo dicendum, quòd impudicitia est, quæ fit cū liberis à viro: vndè videtur ad stuprum pertinere; vel etiā potest dici, quòd impudicitia pertinet ad quondam actus circonstantes actū venereum, sicut sunt oscula tactus, & alia huiusmodi. 2.2.q.154.a.1.ad 5.

IMPVGNATIO.

1 *Licet impugnare inimicos, & quo fine.*
2 *Est peccatum impugnare veritatem etiā in non necessarijs ad salutem.*
3 *Impugnatio veritatis agnitæ est peccatū in Spiritum Sanctum.*
4 *Impugnatio peccati est vincenda fugiēdo, & quandoq; resistendo.*

Quæritur an liceat impugnare inimicos.

1 RESpondeo dicendum, quòd licitū est impugnare inimicos, vt compescantur à peccatis, quod cædit in bonū eorum, & aliorum. 2.2.q.83.a.8.ad 3.

Quæritur an quis peccet impugnando veritatē.

2 Respondeo dicendum, quòd etiam in non necessarijs ad salutem peccaret quis, si voluntariè secundùm intellectum verum impugnaret, & falso adhæreret. 1.sent, d.48.a.3.ad 1.

Quæritur an impugnatio veritatis agnita sit peccatum in Spiritum Sanctum.

3 Respondeo dicendum, quòd impugnatio veritatis agnitæ, est peccatum in Spiritum Sanctum, dum scilicet aliquis veritatem fidei agnitam impugnat, vt licentius peccet. 2.2.q.14.a.2. in corp.

Quæritur an impugnatio peccati sit vincenda.

4 Respondeo dicendum, quòd peccatum semper est fugiēdum: sed impugnatio peccati quandoq; est vincenda fugiendo, quandoque resistendo: fugiendo quidem quando continua cogitatio auget peccati incentiuum, sicut est luxuria: vndè dicitur primæ ad Corinth. 6. fugite fornicationem: resistendo autem, quando cogitatio perseuerans tollit incen-

incentiuum peccati, quod prouenit ex aliqua leui appræhensione. 2. 2. q. 35. ar. 1. ad 4.

INANIS GLORIA.

Res vide in verbo Gloria.

INCANTATIO.

In incantationibus, vel scripturis cauendũ est, ne sit aliquid superstitiosum.
Ne sint ignota verba.
Ne aliquid falsitatis contineant.
Ne cum verbis sacris misceantur vana.

Quæritur an incantatio sit licita.

RESpondeo dicendum, quòd in omnibus incantationibus, vel scripturis suspensis duo cauenda videntur: primò quidem quid sit, quod profertur, vel scribitur; quia si est aliquid ad inuocationes Dæmonum pertinens, manifestè est superstitiosum, & illicitum: similiter etiam videtur esse cauendũ, si contineat ignota nomina, ne sub illis aliquid illicitum lateat: vndè Chrysostomus dicit super Matthæum, quòd Phariseorũ magnificantium fimbrias suas exemplo nũc multi aliqua nomina hebraica Angelorũ confingunt, & scribunt, & alligant, quæ non intelligentibus metuenda videntur: est etiam cauendum, ne aliquid falsitatis contineat, quia sic eius effectus non posset expectari à Deo, qui non est testis falsitatis: deinde cauendum est secundo, ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana, puta aliqua caracteres inscripti præter signum Crucis: aut si spes habeatur in modo scribendi, aut legãdi, aut in quacunq; huiusmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertineãt, quia hoc iudicaretur superstitiosũ: alias autem est licitum: vndè in Decretis dicitur 26. q. 5. c. non licet Christianis &c. nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt aliquas obseruationes, aut incantationes licet attendere, nisi tantũ cum symbolo Diuino, aut Diuina oratione, vt tantum Creator, & Deus omnium adoretur, & honoretur. 2. 2. q. 96. ar. 4. in corp.

INCENDIARIVS.

Quæritur an incendiarius Ecclesiæ sit excõmunicatus, & à quo possit absolui.

RESpondeo dicendum, quòd incendiarius Ecclesiæ denunciatus est excommunicatus, nec potest absolui, nisi à Papa. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5 in corp.

INCAESTVS.

1 *Quid sit incæstus.*
2 *Incæstus est determinata species luxuriæ.*

Quæritur quid sit incæstus.

1 RESpondeo dicendum, quòd incæstus consistit in abusu mulierum consanguinitate, vel affinitate iunctarum. 2. 2. q. 154. a. 1. in corp. [q. 15. de malo. a. 3. in corp.

Quæritur an incæstus sit determinata species luxuriæ.

2 Respondeo dicendum, quòd ibi necesse est inueniri determinatam speciem luxuriæ, vbi inuenitur aliquid repugnans vsui debito venereorum: in vsu autẽ consanguineorum, vel affiniũ inuenitur aliquid in congruum commixtioni venereę triplici ratione: primò quidem, quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per consequens alijs consanguineis, qui ex eisdem parẽtibus de propinquo originem trahunt, in tãtùm quòd apud antiquos, vt Maximus Vale-

Valerius refert, non erat fas filiũ simul cum Patre balneari, ne se inuicẽ nudos conspicerent; manifestum est autem, quòd in actibus venereis maximè consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria: vndè de his homines verecũdantur: & ideo incongruum est, quòd commixtio venerea fiat talium personarum adinuicem: & hęc causa videtur exprimi leuit. 18. vbi dicitur, Mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius, & idem postea dicitur in alijs: secunda ratio est, quia personas sanguine coniunctas necesse est ad inuicem simul cõuersari: vndè si homines non arcerentur à commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis, & sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam: & ideo in veteri lege illæ personæ specialiter videntur prohibitæ esse, quas necesse est simul commorari: tertia ratio est, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum, dum enim homo vxorem extraneam accipit, iunguntur sibi quadã speciali amicitia omnes consanguinei vxoris, ac si essent consanguinei sui: vndè Augustinus dicit 15. de Ciuit. Dei habita est ratio rectissima Charitatis, vt homines, quibus esset vtilis, atq; honesta concordia, diuersarum vicissitudinum vinculis, nectenentur, nec vnus in vno multas haberet, sed singulæ spargerẽtur in singulus; addit autẽ Aristoteles quartam rationem in 2. polit. quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commixtione venerea fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, quod Charitati repugnat: vndè manifestum est, quòd incæstus est determinata luxuriæ species. 2. 2. q. 154. ar. 9. in corp. [4. sent. d. 41. a. 5 quæstiunc. 1. in corp. [q. 15. de malo a. 3. in corp.

Quæritur an incæstus, quo quis cognoscit sororem vxoris suæ, matrimonium dirimat.

Respondeo dicẽdum sicut verbo Matrimonium cap. 16.

INCONSIDERATIO.

1 *Inconsideratio est peccatum.*
2 *Inconsideratio est filia luxuriæ.*

Quæritur an inconsideratio sit speciale peccatum sub imprudentia contentum.

1 Respondeo dicendum, quòd considerario importat actum intellectus veritatem rei intuentis, sicut autem inquisitio pertinet ad rationem, ita iudicium pertinet ad intellectum: vndè, & in speculatiuis demonstratiua scientia dicitur iudicatiua, inquantùm per resolutionem in prima principia intelligibilia de veritate inquisitorũ diiudicat: & ideo consideratio maximè pertinet ad iudicium: vndè, & defectus recti iudicij ad vitium inconsiderationis pertinet, prout scilicet aliquis in rectè iudicãdo defficit ex hoc, quòd contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum iudicium procedit: vndè manifestum est, quod inconsideratio est peccatum. 2. 2. q. 53. a 4. in corp.

Quæritur an inconsideratio sit filia luxuriæ.

2 Respondeo dicendum, quòd inconsideratio est filia luxuriæ, inquantùm scilicet secundus actus rationis, qui est consilium de agendis per concupiscentiã tollitur, dicit enim Terentius in Eunucho, quæ res in se neq; consilium, neq; modum habet vllum, eam consilio regere non potes: & loquitur in amore libidinoso, q. 15 de malo ar. 4. in corp. 2. 2. q. 153. ar. 5. in corp.

INCONSTANTIA.

1 *Quid sit inconstantia.*
Inconstantia est vitium pertinens ad imprudentiam.
2 *Inconstantia est filia luxuriæ.*
3 *Inuidia, ira, luxuria sunt causa inconstantiæ, sed diuersimodè.*

Quæritur an inconstantia sit vitium sub imprudentia contentum.

1 RESpondeo dicendum, quòd inconstantia importat recessum quemdam à bono proposito diffinito: huiusmodi autem recessus principium quidem habet à vi appetitiua, non enim aliquis recedit à priori bono proposito, nisi propter aliquid, quod sibi inordinatè placet: sed iste recessus nõ consumatur nisi per defectũ rationis, quæ fallitur in hoc, quod repudiat id, quod rectè acceptauerat: & quia cum possit resistere impulsui passionis, si non resistat, hoc est ex debilitate ipsius, quæ non tenet se firmiter in bono proposito concepto: & ideo incõstantia quantùm ad sui consumationem pertinet ad defectum rationis: sicut autẽ omnis rectitudo rationis practicæ pertinet aliqualiter ad prudentiam, ita omnis defectus eiusdem pertinet ad imprudentiam: & ideo inconstantia secundùm sui consumationem ad imprudentiam pertinet, & sicut præcipitatio est ex defectu circa actum consilij, & inconsideratio circa actum iudicij, ita inconstantia circa actum præcepti: ex hoc enim dicitur aliquis esse incõstans, quòd ratio defficit in præcipiendo ea, quæ sunt consiliata, & iudicata. 2.2.q.53.a.5.in corp. [q. 15. de malo. a. 4.in corp.

Quæritur an inconstantia sit filia luxuriæ.

2 Respondeo dicendum, quòd inconstãtia est filia luxuriæ, quia quartus actus rationis, qui est præceptum de agendo impeditur per luxuriam, inquantùm homo non persistit in eo, quod diudicauit, sicut etiam Terentius dicit in Eunucho hæc verba, quæ scilicet dicis te recessurũ ab amica, vna falsa lacrymula restringet q.15.de malo a.4.in corp. [2.2. q. 153.a. 5. in corp.

Quæritur à quibus vitijs causetur inconstantia.

3 Respondeo dicendum, quòd inuidia, & ira causant inconstantiam pertrahendo rationem ad aliud: sed luxuria causat inconstantiam totaliter extinguendo iudicium: vnde Phylosophus dicit in 7. eth.cap. 6. quod incontinens iræ audit quidem rationem, sed non perfectè: incontinens autem concupiscentiæ totaliter eam non audit. 2.2.q 53.a.6.ad 1.

INCONTINENTIA.

1 *Per se causa incontinentiæ est ex parte animæ secundùm quòd non resistit passionibus.*
Quid sit irrefrenata incontinentia, & debilitas.
Incontinentia principaliter pertinet ad animam.
2 *Incontinentia propriè, & simpliciter est peccatum.*
Incontinentia propriè, sed non simpliciter est peccatum, & qua ratione.
Incontinentia per similitudinem nõ est peccatum, immo pertinet ad virtutis perfectionem.
3 *Intemperatus est peior incontinente.*
4 *In quo sensu incontinentia concupiscentiæ sit peior incontinentia iræ.*
In quo sensu incontinentia iræ sit grauior incontinentia concupiscentiæ.
5 *Quomodo concupiscentia incontinente, superet Spiritum.*

Quæ-

Quæritur an incontinentia pertineat ad animam, vel ad Corpus.

1 RESpondeo dicendum, quòd vnum quoq; attribuitur magis ei, quod est causa per se, quam ei, quod solâ occasionem præstat, id autem, quod est ex parte corporis, solam occasionem præstat incontinentiæ, ex dispositione enim corporis potest cõtingere, quod insurgant passiones vehementes in appetitu sensitiuo, qui est virtus corporis organici, sed huiusmodi passiones quantumcunq; vehementes non sunt sufficiens causa incontinentiæ, sed occasio sola, eo quod durante vsu rationis semper homo potest passionibus resistere: si vero passiones adeo insurgant, quod totaliter aufferant vsum rationis, sicut accidit in his, qui propter vehementiam passionum amentiam incurrunt, non remanebit ratio continentiæ, neq; incontinentiæ, quin non soluatur in eis iudicium rationis, quod continens seruat, & incontinens deserit, & sic relinquitur, quod per se causa incontinẽtię sit ex parte animę, qua ratione passionibus non resistit, quod quidẽ fit duobus modis, vt Phylosophus dicit in 7. eth. vno modo quando anima passionibus cædit, antequam ratio consilietur, quæ quidem vocatur irrefrænata incontinentia, vel præuolatio: alio modo quando non permanet homo in his, quæ consiliata sunt, eo quod debiliter est firmatus in eo, quod ratio iudicauit: vndè & hæc incontinentia vocatur debilitas, & sic patet, quod incontinentia principaliter ad animam pertinet. 2.2.q.156.a.1. in corp.

Quæritur an incontinentia sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd incontinentia potest attendi circa aliquid tripliciter vno modo propriè, & simpliciter: & sic incontinentia attenditur circa cõcupiscentias delectationũ tactus, sicut & intemperantia, & hoc modo incontinentia est peccatum ex duplici ratione: vno modo ex eo, quod incontinens recedit ab eo, quod est secundùm rationem: alio modo ex eo, quod se immergit quibusdam turpib' delectationibus: & ideo Phylosophus dicit in 7. eth. quod incontinentia vituperatur nõ solum, vt peccatum, quod scilicet est per recessum à ratione, sed sicut malitia quædam, inquantùm prauas concupiscentias sequitur: alio modo incontinentia attẽditur circa aliquid propriè quidem inquantũ homo recedit ab eo, quod est secũdum rationẽ, sed non simpliciter, puta cum aliquis nõ seruat modum rationis in concupiscẽtia honoris, Diuitiarum, & aliorũ huiusmodi, quæ secundùm se videntur esse bona, circa quæ non est incontinentia simpliciter, sed secundùm quid: & sic incontinẽtia est peccatum non ex eo quòd aliquis ingerat se prauis concupiscentijs, sed ex eo, quod nõ seruat modum debitũ rationis, etiam in concupiscentia rerum per se appetendarum: tertiò modo incontinentia dicitur esse circa aliquid non propriè, sed secundùm similitudinem, puta circa concupiscentias eorum, quibus nõ potest quis malè vti, puta circa concupiscentias virtutum, circa quas potest aliquis dici incontinens esse per similitudinem: quia sicut ille, qui est incontinens, totaliter ducitur per concupiscentiam malam, ita aliquis totaliter per concupiscentiam ducitur bonam, quę est secundũ rationem, & talis incontinentia non est peccatum, sed pertinet ad perfectionem virtutis. 2.2.q.156.a.2. in corp.

Quæritur an incontinens plus peccet, quam intemperatus.

3 Respondeo dicendum, quòd peccatum secundum Augustinum pręcipuè in voluntate consistit voluntas enim est qua peccatur, & rectè viuitur; & ideo

vbi eſt maior inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi eſt grauius peccatum, in eo autem, qui eſt intemperatus, voluntas inclinatur ad peccãdum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per conſuetudinem acquiſito; in eo autem, qui eſt incontinens voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua paſſione, & quia paſſio citò tranſit, habitus autẽ eſt qualitas difficile mobilis, inde eſt, quod incontinens ſtatim pœnitet tranſeunte paſſione, quòd nõ accidit intemperato, quinimo gaudet ſe peccaſſe, eo quod operatio peccati eſt ſibi facta connaturalis ſecundùm habitum: vnde de his dicitur prouerb. 2. quod lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis: vnde patet, quod intẽperatus eſt multo peior, quam incontinens, vt etiam Phyloſophus dicit in 7. eth. 2. 2. q. 156. a. 3. in corp.

Quæritur an incontinens iræ ſit peior, quam incontinens concupiſcentiæ.

4 Reſpondeo dicendum, quòd peccatũ incontinentiæ poteſt conſiderari dupliciter, vno modo ex parte paſſionis, ex qua ratio ſuperatur, & ſic incontinentia concupiſcentiæ turpior eſt, quam concupiſcentia iræ, quia motus concupiſcentię habet maiorem inordinationem, quam motus iræ, & hoc propter quattuor, quæ Phyloſophus tangit in 7. eth. primo quidem quia motus iræ participat aliqualiter ratione, inquantùm ſcilicet iratus tendit ad vindicandum iniuriam ſibi factam, quod aliqualiter ratio dictat, ſed non perfectè, quia non intendit debitum modum vindictæ, ſed motus concupiſcentiæ totaliter eſt ſecundum ſenſum, & nullo modo ſecundum rationem, ſecundò quia motus irę magis conſequitur corporis complexionem, quam velocitatem motus choleræ, quæ tendit ad iram, vnde magis eſt in promptu, quòd ille, qui eſt ſecundùm complexionem corporis diſpoſitus ad iraſcendum, iraſcatur, quam ille, qui eſt diſpoſitus ad concupiſcendum, concupiſcat: vnde etiam frequentius ex iracundis naſcuntur iracundi, quam ex concupiſcentibus concupiſcentes, quod autem prouenit ex naturali corporis diſpoſitione reputatur magis venia dignum, tertiò quia ira quærit manifeſtè operari, ſed concupiſcentia quærit latebras, & doloſè ſubintrat: quartò quia concupiſcens delectabiliter operatur, ſed iratus quaſi quadam triſtitia præcedente coactus: alio modo poteſt conſiderari peccatum incontinentiæ quantùm ad malum, in quod quis incidit à ratione diſcedens: & ſic incontinentia iræ eſt, vt plurimum grauior, quia ducit in ea, quæ pertinent ad proximi nocumentum. 2. 2. q. 156. a. 4. in corp.

Quæritur quomodo incontinens vincatur à paſſionibus.

5 Reſpondeo dicendum, quòd concupiſcentia carnis in eo, qui eſt incontinens ſuperat ſpiritum non ex neceſſitate, ſed per quandam negligentiam ſpiritus non reſiſtentis fortiter. 2. 2. q. 156. ar. 1. ad 3.

INDEVOTIO.

Indeuotio aliquando eſt peccatum mortale, & aliquando veniale.

Quæritur an indeuotio ſit peccatum mortale.

RESpondeo dicendum, quòd indeuotio quandoq; eſt veniale, putà cũ aliquis diſtracta mente ad ſæcularia negotia accedit ad Sacramentum Euchareſtiæ habitualiter retinens debitam reuerentiam ad ipſum, & talis indeuotio licet impediat fructũ huius Sacramenti, qui eſt ſpiritualis refectio, nõ tamẽ facit

reum

reum Corporis, & Sanguinis Domini; quædam vero indeuotio est peccatũ mortale, quæ scilicet est cum contemptu huius Sacramenti, prout dicitur Malachiæ primo vos polluistis nomen meum in eo, quod dicitis mensa Domini contaminata est, & quod supponitur, cõtemptibile. lect. 7. cap. 11. primæ ad Corinth.

INDIGNATIO.

Quæritur quid sit indignatio.

RESpondeo dicendum, quòd indignatio est filia iræ, ex qua afficitur aliquis contra aliquem, quem reputat indignum, vt sibi tale quid fecerit. 2. 2. q. 158. a. 7. in corp.

INDVLGENTIAE.

De Indulgentijs. Cap. I.

1 *Indulgentia est thesaurus satisfactionum Christi, & Sanctorum.*
Dispensatio huius thesauri pertinet ad Papam.
Dispensatio ita potest fieri, vt valeat ad remissionem totius pœnæ, & alicuius certæ quantitatis.
Tria requiruntur ad hoc, quod indulgentiæ alicui valeant, scilicet honor Dei, & vtilitas Ecclesię, secundo auctoritas in dispensante, tertiò charitas in suscipiente.
Ista tria designantur in littera Papa.
2 *Indulgentię valent quantùm ad forum Ecclesiæ, & quantùm ad Iudicium* Dei *ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, absolutionem, et confessionem, siue sit iniuncta, siue non.*
3 *Indulgentia supplet pro satisfactione, vt est punitiua, non autẽ vt est medicatiua.*
4 *Consulendum est accipienti indulgentias, vt opera satisfactionis iniunctæ impleat.*
5 *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm prędicãtur, dummodo adsint tria supradicta.*
6 *Indulgentiæ multum valent ad remissionẽ pœnæ.*
Alia tamen satisfactionis opera sunt magis meritoria præmij essentialis.
7 *Quando indulgentia datur indeterminatè (qui dat auxilium ad fabricam Ecclesię) auxilium intelligitur conueniens danti tale auxilium.*
8 *Vicinus Ecclesię tantùm consequitur de indulgentijs, quantùm remotus.*
Qui tamen plus laborat pro indulgentia aquirenda, plus de merito acquirit.
9 *Quando indulgentia datur ad determinatum tempus, semel tantum potest accipi.*
Si indulgentia sit perennis in aliqua Ecclesia, quoties quis vadit ad Ecclesiã, toties indulgentiam consequitur.
10 *Pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia.*
Pro temporalibus ordinatis ad spiritualia potest fieri indulgentia.
11 *Pro purè spiritualibus potest fieri indulgentia.*

Quæritur quid sit indulgentia, & quot requirantur ad ipsam.

1 RESpondeo dicendum, quòd opus vnius potest esse satisfactorium pro alio, ad quem per intentionẽ facientis refertur, Christus autem pro Ecclesia sua sanguinem suum fudit, & multa alia, & fecit, & sustinuit, quorum ęstimatio est infiniti valoris propter dignitatẽ ꝑsonę: vnde dicitur sapientię 8. quod infinitus est in illa thesaurus hominibus, similiter etiam, & omnes alij Sancti intentionem habuerunt in his, quę passi sunt, fecerunt propter Deum, vt hoc esset ad vtilitatem non solum sui, sed etiam totius Ecclesię; totus ergo iste thesaurus est in dispensatione eius, qui pręest generali

Ecclesiæ: vndè Petro Dominus Claues regni cælorum commisit Matthæi 16. quando ergo vtilitas, vel necessitas ipsius Ecclesiæ hoc exposcit, potest ille, qui preest Ecclesię de ista infinitate thesauri cõmunicare alicui, qui per Charitatem sit membrum Ecclesiæ, de prædicto thesauro inquantùm sibi visum fuerit opportunum, vel vsq; ad totalem remissionẽ pœnarum, vel vsq; ad aliquam certam quantitatem, ita scilicet quòd passio Christi, & aliorum Sanctorum ei imputetur, ac si ipse passus esset, quãtùm sufficeret ad remissionem sui peccati, sicut contingit cũ vnus pro alio satisfacit: ad hoc ergo ꝙ indulgentia alicui valeat tria requiruntur: primò causa pertinens ad honorem Dei, vel ad necessitatem, aut vtilitatem Ecclesiæ: secundò auctoritas in eo, qui facit, Papa enim potest principaliter: alij vero inquantùm potestatem ab eo accipiunt, vel ordinariã, vel commissam, seu delegatam: tertiò requiritur, vt sit in statu Charitatis ille, qui indulgentiam percipere vult, & hæc tria designantur in littera Papali pro Cruce signatis, nã causa conueniens designatur in hoc, quod præmittitur de subsidio terræ Sanctæ; auctoritas vero in hoc, quod fit mentio de auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & ipsius Papæ; Charitas autem recipiẽtis in hoc, quod dicitur, omnibus verè pænitentibus, & confessis, non dicit, & satisfacientibus, quia indulgentia non excusat à contritione, & confessione, sed cedit in locum satisfactionis. quodlibeto 2.a.16. in corp.

Quæritur ad quam Clauem pertineant Indulgentiæ.

Respondeo dicẽdum sicut verbo Clauis cap.4.q.2.

Quæritur ad quid valeant Indulgentiæ.

2 Respondeo dicendũ, quòd ab omnibus conceditur indulgentias aliquid valere, quia impiũ esset dicere, quod Ecclesia aliquid vanè faceret, sed quidã dicũt, quod non valent ad absoluendum à reatu pœnæ, quamquis in purgatorio secũdum iudicium Dei meretur, sed valent ad absolutionem ab obligatione, qua Sacerdos obligauit pænitentem ad pœnam aliquã, vel ad quam etiam ordinatur ex canonũ statutis, sed hęc opinio non videtur vera: primò quia est expresſè cõtra priuilegiũ Petro datum, vt quod in terra remitteretur, & in cælo remitteretur: vndè remissio, quæ fit quantùm ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantùm ad forũ Dei, & pręterea Ecclesia huiusmodi Indulgentias largiens, seu dans magis damnificaret, quam adiuuaret, quia remitteret ad grauiores pœnas scilicet purgatorij, absoluendo à pænitẽtijs iniunctis: & ideo aliter dicendum, quod valent, & quantùm ad forum Ecclesiæ, & quantùm ad iudicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & absolutionẽ, & confessionem, siue sit iniuncta, siue non; ratio autẽ quare valere possunt est vnitas corporis mistici, in qua multũ operibus pænitentiæ super erogauerunt ad mensurã debitorum suorum, & multas etiam tribulationes iniustè sustinuerunt paciẽter, per quas multitudo pænarũ poterat expiari, si eis deberetur, quorũ meritorum tanta est copia, quod omnẽ pœnã debitã nunc viuentibus excedunt, & pręcipuè propter meritum Christi, quod etsi in Sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in Sacramentis includitur, sed sua infinitate efficaciam Sacramẽtorum excedit; vnus autem pro alio satisfacere potest, Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis inuenitur non determinatè pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt, alias absq; omni indulgentia remissionem consequeretur, sed communiter pro tota Ecclesia sicut Apostol⁹ dicit

se

ſe implere ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti in corpore ſuo pro Eccleſia, ad quam ſcribitur,& ſic prædicta merita ſunt cōmunia totius Eccleſię,ea autem,quę ſunt communia multitudinis alicuius diſtribuuntur ſingulis de multitudine ſecundum arbitrium eius, qui multitudini præeſt: vnde ſicut aliquis conſequeretur remiſſionem pœnæ ſi alius pro alio ſatisfeciſſet,ita ſi ſatisfactio alterius ſibi per eum,qui poteſt,diſtribuatur.4.ſent,d.20. a.3.quæſtiunc.1.in corp.

Quæritur an indulgentiæ ſuppleant pro ſatisfactione.

3 Reſpondeo dicendum, quòd ſatisfactio,& eſt punitiua inquantùm eſt actus vindicatiuæ iuſtitiæ, & eſt etiam medicatiua, inquantùm eſt quoddam Sacramentale; indulgentia ergo ſupplet locū ſatisfactionis inquātùm eſt medicatiua, quia adhuc remanent pronitates ad peccandum derelictæ ex priori peccato, ad quas ſanandas neceſſarius eſt labor ſatisfactionis: & ideo Cruce ſignatis dum veniunt,conſulendū eſt, vt non prætermittant ſatisfactionis opera, inquantùm sūt præſeruatiua à peccatis futuris,licet reatus pœnæ ſit totaliter ſolutus,nec ad hoc requiritur aliquis labor, quia ſufficit labor Paſſionis Chriſti,morientibus autem non eſt neceſſaria huiuſmodi præſeruatio, ſed ſolum liberatio à reatu pœnæ, quodlibeto 2.a.16.ad 3.

Quæritur an qui indulgentias accepit conueniat facere pænitentias ſibi iniunctas.

4 Reſpondeo dicendum, quòd conſulendum eſt eis, qui indulgentiam conſequuntur,ne propter hoc ab operibus pœnitentię iniunctis abſtineāt,vt etiā ex his remediū conſequātur, quamuis à debito pœnæ eſſent immunes, & præcipuè quia quandoq; ſunt plurium debitores, quam credant.4.ſent.d.20.a.3.quęſtiūc.1.ad 4.

Quæritur an indulgentiæ tantum valeant, quantum pronunciantur.

5 Reſpondeo dicēdum,quòd circa hoc eſt multiplex opinio,quidā enim dicunt, quod huiuſmodi indulgentiæ non tantū valent,quantū prædicantur, ſed vnicuiq; tantùm valent,quantùm fides,& Deuotio ſua exigit,ſed dicunt,quod Eccleſia adhoc ita pronunciat, vt quadam pia fraude homines ad benefaciendum alliciat, ſicut mater,quę promittens filio pomum ipſum ad ambulandum prouocat, ſed hoc videtur valdè periculoſum dicere, ſicut enim dicit Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum, ſi in ſacra ſcriptura depræhenditur aliquid falſitatis, iam robur ſacræ ſcripturæ perit, & ſimiliter ſi in prædicatione Eccleſiæ aliqua falſitas depræhenderetur, non eſſent documenta Eccleſiæ alicuius auctoritatis ad roborandum fidem: & ideo alij dixerunt, quod valent, quantùm pronunciantur ſecundùm iuſtam æſtimationem, non tamen dantis indulgentiam, qui minus fortè æſtimat, quam dat, aut ſecundùm æſtimationem recipientis, qui nimis parum æſtimare poſſet quòd datur, ſed ſecundùm æſtimationem, quæ iuſta eſt ſecundùm iudicium bonorum penſata conditione perſonæ, & vtilitate, & neceſſitate Eccleſiæ, quia vno tempore Eccleſia plus indiget, quā alio, ſed hæc etiam opinio non poteſt ſtare, vt videtur, primò quia ſecundùm hoc indulgentiæ non valerent ad remiſſionem, ſed magis ad communicationem quandam; & præterea prædicatio Eccleſiæ à mendacio non excuſaretur,cū quādoq; indulgentia prædicetur longè maior,quam iuſta æſtimatio poſſit requirere omnibus prædictis conditionibus pēſatis,ſicut quādo Papa dat indulgentiā, quod qui vadit ad vnam Eccleſiam habeat ſeptem annos de indulgentia,cuiuſmodi etiam indulgentię à B.Gregorio in ſtatio-

ſtationibus Romæ inſtitutæ ſunt: & ideo alij dicunt, quòd quantitas remiſſionis in indulgentijs non eſt menſuranda ſecundùm deuotionem tantùm ſuſcipientis, vt prima opinio dicebat, neq; ſecundùm quantitatem eius, quod datur, ſicut dicebat ſecunda: ſed ſecundùm cauſam, pro qua indulgentia datur, ex qua reputatur dignus, vt talem indulgentiam cõſequatur: vndè ſecundùm quòd accedit ad cauſam illam, ſecundùm hoc conſequitur remiſſionem indulgentiæ, vel in toto, vel in parte: ſed hoc iterum non poteſt ſaluare conſuetudinem Eccleſiæ, quę interdum maiorem pro eadem cauſa, interdum minorem indulgentiam ponit, ſicut rebus eodem modo ſe habentibus quandoq; datur vnus annus viſitantibus Eccleſiam vnam, quandoq; quadraginta dies, prout gratiam Papa facere voluerit indulgentiam conſtituens: vndè quãtitas remiſſionis nam eſt menſuranda ex cauſa, quæ facit indulgentia dignum: & ideo aliter dicendum, quòd quantitas effectus conſequitur quantitatẽ ſuæ cauſæ: cauſa autem remiſſionis pœnæ in indulgentijs non eſt niſi abundantia meritorum Eccleſiæ, quæ ſe habet ſufficienter ad totam pœnam expiandam, non autem cauſa remiſſionis effectiua eſt vel Deuocio, aut labor, aut datum recipientis, aut cauſa pro qua fit indulgentia: vndè non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remiſſionis, ſed ad merita Eccleſiæ, quæ ſemper ſuper abundant: & ideo ſecundùm quòd applicantur ad iſtum, ſecundùm hoc remiſſionem conſequitur: ad hoc autem quòd applicentur iſti, requiritur auctoritas diſpẽſandi huiuſmodi theſaurum, & vnio eius, cui diſpenſatur ad vim, qui mirebatur, quod eſt per Charitatem, & ratio diſpenſationis ſecundùm quòd ſaluetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, & vtilitatem Eccleſię in generali: vnde quæcunq; cauſa adſit, quæ in vtilitatem Eccleſiæ vergat, & honorem Dei, ſufficiens eſt ratio indulgentias elargiendi: & ideo ſecundùm alios dicendum, quòd indulgẽtiæ ſimpliciter tantùm valent, quantùm prædicantur, dummodo ex parte dantis ſit auctoritas, ex parte recipientis Charitas, ex parte cauſæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi vtilitatem; nec in hoc nimis fit magnum forum de miſericordia Dei, vt quidam dicunt, nec iuſtitiæ Diuinæ derogatur, quia nihil de pœna dimittitur, ſed vnius pœua alteri computatur. 4. ſent. d. 20. a. 3. quæſtiunc. 2. in corp.

Quæritur an homo debeat alijs operibus dimiſſis, vacare in aquirendis indulgẽtijs.

6 Reſpondeo dicendũ, quòd quamuis indulgẽtiæ multum valeant ad remiſſionem pœnæ, tamen alia opera ſatisfactionis ſunt magis meritoria reſpectu præmij eſſentialis, quod in infinitum melius eſt, quàm dimiſſio pœnæ temporalis. 4. ſent. d. 20. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 2.

Quæritur an quando dantur indulgentiæ ſub hac forma (qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, tertiam partẽ remiſſionis peccatorum conſequatur,) tunc verè conſequetur iſte plenam abſolutionem ab omni peccatorum pœna, ſi dat vnum denarium primo, deinde alium, & tertio alium &c.

7 Reſpondeo dicendum, quòd quando datur indulgentia indeterminatè (qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ) intelligitur tale auxilium, quod ſit conueniens ei, qui auxilium dat, & ſecundùm hoc plus, vel minus de indulgentia conſequitur: vndè etiam aliquis pauper dãs vnum denarium conſequitur totam indulgentiam, non autem diues, quem non decet ad opus tam pium, & fructuo-

ſum

ſum ita parum dare, ſicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, ſi ei abolum daret. 4.ſent.d.20.a.3.quęſtiunc. 2. ad 3.

Quæritur an quando dantur indulgentiæ ſub hac forma (qui vadit ad aliquam Eccleſiã, ſeptem annos remiſſionis conſequatur) illi, qui habent domum propè Eccleſiam, tantùm conſequantur, quantùm illi, qui à remotis partibus veniunt.

8 Reſpondeo dicendum, quòd ille, qui eſt vicinus Eccleſiæ, & etiam Sacerdotes, & Clerici conſequuntur tantam indulgentiam, ſicut illi, qui venirent à mille ditis, quia remiſſio non proportionatur labori, ſed meritis, quæ diſpenſantur; ſed ille, qui plus laboraret, plus de merito acquireret; ſed hoc intelligendum quando indiſtinctè indulgentia datur, quandoq; enim diſtinguitur ſicut Papa in generalibus abſolutionibus, illis, qui tranſeunt mare, dat quinq; annos, alijs, qui tranſeunt montes, tres, alijs vnum. 4. ſent.d.20.a.3.quæſtiunc.2.ad 4.

Quæritur an quando datur indulgentia ſub hac forma (qui viſitat talem Eccleſiam cõſequatur ſeptem annos indulgentiæ) ſi pluries aliquis illam Eccleſiam viſitaret, pluries etiam indulgentias conſequeretur.

9 Reſpondeo dicendum, quòd quotieſcunq; quis vadit in Eccleſiam infra tempus indulgentiæ toties non conſequitur indulgentiam: hic tamẽ ſciendum, quòd quando indulgentia ad determinatum tempus datur, vt cum dicitur, quicunq; vadit ad Eccleſiam talem vſq; ad tale tempus, habeat tantùm de indulgentia, intelligitur ſemel tantum, ſed ſi in aliqua Eccleſia ſit indulgentia perennis, ſicut in Eccleſia D. Petri quadraginta dierum, tunc quotiens vadit aliquis, totiens indulgentiam conſequitur. 4. ſent. d.20.a.3. quæſtiunc. 2. ad 4.

Quæritur an indulgentiæ poſſint dari pro temporali ſubſidio.

10 Reſpondeo dicendum, quòd temporalia ad ſpiritualia ordinantur, quia propter ſpiritualia temporalibus vti debemus: & ideo pro temporalibus ſimpliciter non poteſt fieri indulgentia, ſed pro temporalibus ordinatis ad ſpiritualia, ſicut repreſſio inimicorum Eccleſiæ, qui pacem Eccleſiæ perturbant, ſicut conſtructio Eccleſiarum, & pontium, & aliarum eleemoſinarum, & per hoc patet, quod non ſit ibi ſimonia, quia non datur ſpirituale pro temporali, ſed pro ſpirituali. 4.ſent.d.20.a.3.quæſtiũc.3.in corp.

Quæritur an indulgentiæ poſſint conferri pro ſubſidio purè ſpirituali.

11 Reſpondeo dicendum, quòd etiam pro purè ſpiritualibus poteſt fieri Indulgentia, & ſit quandoq; ſicut quicunque orat pro Rege Franciæ habet decẽ dies de indulgentia à Papa Innocentio quarto: & ſimiliter Crucem prædicantibus datur quandoq; eadem indulgentia, quæ Crucem accipientibus. 4.ſent.d. 20. a. 3. quæſtiunc.3.ad 2.

Quis poſſit indulgentias conferre. Cap. II.

1 *Diaconus quando poteſt indulgentias conferre.*
2 *Sacerdotes Parochiales, Abbates, & alij huiuſmodi non poſſunt indulgentias cõferre.*
3 *Papa poteſt plenariè cõferre indulgẽtias. Epiſcopi poſſunt conferre indulgentias ſecundùm quòd eis taxatum eſt.*
4 *Exiſtens in peccato mortali poteſt conferre indulgentias.*

Quæritur an Diaconus possit indulgẽtias dare.

1 RESpondeo dicendum, quòd potestas concedendi indulgentias sequitur iurisdictionem, & quia Diaconi,& alij non Sacerdotes possunt habere iurisdictionem,vel commissam sicut Legati, vel ordinariam sicut Electi: ideo possunt indulgentias concedere etiã non Sacerdotes, quamuis non possit absoluere in foro pœnitentiali, quod est ordinis. 4.sent.d.20.a.4.quæstiunc.2.in corp.

Quæritur an quilibet Sacerdos Parochialis possit indulgentias dare.

2 Respondeo dicendum, quòd indulgentiæ effectum habent secundùm quòd opera satisfactoria vnius alteri computantur non solum ex vi Charitatis,sed ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum,sed intentio alterius potest ad alterum dirigi tripliciter, aut in speciali,aut in generali, aut in singulari; in singulari quidem,sicut cum quis pro alio satisfacit determinatè,& sic quilibet potest alteri sua opera cõmunicare,in speciali autem sicut cum quis orat pro congregatione sua,& familiaribus, & benefactoribus, & adhuc ordinat etiam sua opera satisfactoria: & sic ille,qui cõgregationi præest, potest opera illa alij cõmunicare applicando intentionem illorum, qui sunt de congregatione sua ad hunc determinatè; sed in generali sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiæ in generali: & sic ille qui præest Ecclesię generaliter,potest opera illa cõmunicare applicando intentionem suam ad hunc,vel ad illum; & quia homo est pars congregationis, & congregatio est pars Ecclesiæ: ideo in intentione priuati boni includitur intentio boni congregationis,& boni totius Ecclesiæ: & ideo ille,qui præest Ecclesiæ, potest communicare ea, quæ sunt congregationis, & huius hominis, & ille,qui præest congregationi ea, quæ sunt huius hominis, sed non conuertitur: sed neq; prima communicatio, neq; secunda indulgentia dicitur, sed solum tertia propter duo: primò quia per illas communicationes quamuis homo soluatur à reatu pœnæ quantum ad Deum, tamen non soluitur à debito faciendi satisfactionem iniunctam, ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesiæ, sed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito absoluitur: secundò quia in vna persona, vel in vna congregatione non est indeficientia meritorum, vt sibi in omnibus alijs valere possit; vnde non absoluitur à pœna debita pro tota, nisi tantùm determinatè pro eo fiat, quantùm debebatur, sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum præcipuè propter meritum Christi: & ideo solus ille, qui præficitur Ecclesiæ potest indulgentiam elargiri; sed cum Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio autem hominum sit duplex, scilicet Oeconomica, vt illi, qui sunt de vna familia, & Politica sicut illi, qui sunt de vno populo, Ecclesia similatur congregationi politicæ, quia ipse populus Ecclesia dicitur, sed Conuentus diuersi,vel Parochiæ in vna Diœcesi similantur congregationi in diuersis familijs, vel in diuersis officijs: & ideo solus Episcopus propriè Prælatus Ecclesiæ dicitur: & ideo ipse solus quasi sponsus anulum Ecclesiæ recipit: & ideo solus ipse habet plenam potestatem in dispensatione Sacramentorum, & iurisdictionem in foro causarum, quasi persona publica, alij autem secundum quòd ab eo eis committitur, sed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non sunt simpliciter Prælati, sed quasi coadiutores: vnde in consecratione Sacerdotum Episcopus dicit, quanto fragiliores sumus, tanto magis his auxilijs indigemus, & propter hoc etiam non omnia

Sacra-

Sacramenta dispensant: vnde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alij huiusmodi Prælati non possunt huiusmodi indulgentias dare. 4.sent.d.20.ar.4. quæstiunc.1.in corp.

Quæritur an Episcopus possit conferre indulgentias.

3 Respondeo dicendum, quòd Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis quasi Rex in regno, sed Episcopi assumuntur in partem solicitudinis quasi Iudices singulis Ciuitatibus præpositi, propter quòd etiam solus eos in suis litteris Fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios: & ideo potestas faciendi Indulgentias plenè residet in Papa, quia potest facere, quod vult, causa tamẽ existente legitima; sed in Episcopis est taxata secundùm ordinationem Papæ: & ideo possunt dare secundùm quòd eis taxatum est, & non amplius. 4. sent. d.20. a.4.quæstiunc.3.in corp.

Quæritur an existens in peccato mortali possit conferre indulgentias.

4 Respondeo dicendum, quòd elargiri indulgentias pertinet ad iurisdictionem sed per peccatum homo non amittit iurisdictionem: & ideo indulgentiæ æquè valent si fiant ab eo, qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo, qui est Sanctissimus, cum non remittat pœnam ex vi suorum meritorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiæ. 4. sent.d.20.a.4.quæstiunc.4.in corp.

Quibus valeant indulgentiæ. Cap. III.

1 *Indulgentiæ non valent existentibus in peccato mortali.*

2 *Indulgentiæ valent religiosis, si obseruent ea, quæ pro indulgentijs inducuntur.*

3 *Indulgentiæ non valent religiosis pro pænitentijs in capitulo iniunctis.*

4 *Non consequitur quis indulgentias, si non obseruat conditionem cum qua dantur.*

5 *Vnus pro alio indulgentias non potest accipere, nisi dans indulgentias hoc concederet, & intenderet.*

6 *Dans indulgentias potest vti indulgẽtijs, quas alijs confert.*

7 *An Cruce signatus habeat plenariam indulgentiã, si moriatur antequã iter arripiat, videnda est forma litteræ Papalis.*

Quæritur an indulgentiæ valeant existenti in peccato mortali.

1 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt indulgentias valere etiam existentibus in peccato mortali non quidem ad dimissionem pœnæ, quia nulli potest dimitti pœna, nisi cui iã dimissa est culpa, qui enim non est consecutus operationẽ Dei remissione culpę, non potest consequi remissionem pœnæ à ministro Ecclesiæ neq; in indulgentijs, neq; in foro pænitentiali, valet tamen ei ad acquirendum gratiam, sed hoc nõ videtur verum, quia quamuis merita illa, quę per indulgentiam communicantur possent valere ad merendum gratiam, non tamen propter hoc dispensantur, sed determinatè ad remissionem pœnæ: & ideo non valent existẽtibus in mortali: & ideo in omnibus indulgentijs fit mentio de verè contritis, & confessis; si autem fieret communicatio per hunc modum, facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, vel vnius congregationis, vel vnius specialis personæ, sic posset valere ad merẽdum aliquid illi, qui est in peccato mortali, vt prædicta opinio dicit. 4.sent.d.20 a.5.quæstiunc.1.in corp.

Quæritur an Indulgentiæ valeant religiosis?

2 Respondeo dicendum, quòd tã sæcularibus,

laribus, quàm Religiosis valent indulgẽtiæ, dummodo sint in Charitate, & seruent ea, quæ pro indulgentijs inducuntur: non enim religiosi sunt minus adiuuabiles meritis aliorum, quàm sæculares. 4. sent. d. 20. a. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an religiosis valeant indulgentiæ pro pœnis iniunctis in capitulo.

3 Respondeo dicendum, quòd per indulgentias non dimittũtur pœnæ iniunctæ in capitulo, quia in capitulo agitur Præsforum quasi iudiciale magis, quàm pænitentiale: vndè etiam non Sacerdotes capitulum tenent, sed absoluitur à pœna iniuncta, vel debita pro peccato in foro pænitentiali. 4. sent. d. 20. a. 5. quæstiunc. 2. ad 2.

Quæritur an non obseruans ea, quæ præcipiuntur in litteris Papæ, consequatur indulgentias.

4 Respondeo dicendum, quòd nõ existente conditione non consequitur illud, quod sub conditione datur: vndè cum indulgentia detur sub hac conditione, quòd aliquis aliquid faciat, vel det, si illud non exerceat, indulgentiam non consequitur. 4. sent. d. 20. a. 5. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an vnus pro alio possit indulgentias accipere.

5 Respondeo dicendum, quòd indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione eius, qui dat indulgentiam: & ideo cum ipse applicet ad facientem, vel dantem hoc, autem illud, non potest ille, qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre, si tamen sic fieret indulgentia, vt ille, qui facit, vel pro quo fit habeat tantam indulgentiam, valeret ei, pro quo fit; nec tunc iste, qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, sed ille, qui indulgentiam sub tali forma facit. 4. sent. d. 20. a. 5. quęstiunc. 3. ad 2.

Quæritur an indulgentiæ valeant illi, qui eas confert.

6 Respondeo dicendum, quòd indulgentia debet ex aliqua causa dari, ad hoc quòd aliquis per indulgentiam ad aliquem actum prouocetur, qui in vtilitatẽ Ecclesiæ, & in honorem Dei vergat: Prælatus autem, cui vera Ecclesiæ vtilitatis propagatione, & honoris Diuini propagandi est commissa, non habet causam, vt se ipsum ad hoc prouocet: & ideo non potest præbere indulgentiam sibi tantũ, sed potest vti indulgentia, quã pro alijs facit, quia alijs subest causa faciendi. 4. sent. d. 20. a. 5. quæstiũc. 4. in corp. & ad 1.

Quæritur an Cruce signatus, qui moritur, antequam iter arripiat, habeat plenam indulgentiam peccatorum.

7 Respondeo dicendum, quòd si secundum formam Papalis litteræ indulgentia concedatur accipientibus Crucem in subsidium terræ Sanctæ, Cruce signatus statim habet indulgentiam, etiam si decedit antequã iter arripiat, quia sic causa indulgentiæ erit non iter, sed votum itineris: si autem in forma litteræ contineatur, quòd indulgentia detur his, qui transierint vltra mare, ille, qui decedit antequã transeat, non habet indulgentiæ causam. quodlibeto 2. a. 16. in corp.

INDVRATIO.

Quæritur vnde proueniat induratio hominis.

REspondeo dicendum, quòd indurationis hominis triplex est causa, prima longa cõsuetudo peccandi: secũda incre-

incredelitas de iustitia Dei; tertia seductio inimici. opusculo 58. cap. 12.

INFIDELIS.

1 *Primi motus in infidelibus non sunt peccata mortalia.*

2 *Infideles non possunt operari meritoriè:*

Possunt tamen facere aliqua opera bona ex genere suo.

Infideles non peccant in omni opere suo.

Infideles semper peccant, si operentur ex infidelitate.

3 *Grauius peccat infidelis per infidelitatem, quam fidelis pro quocunq; alio peccato.*

Grauius peccat fidelis in cæteris peccatis, quam infidelis.

4 *Infideles, qui nunquam susceperunt fidem non sunt compellendi ad fidem.*

Sunt tamen à fidelibus compellendi, ne fidē impediunt, aut blasphement.

Infideles, qui semel susceperunt fidem sunt compellendi ad fidem.

5 *Pueri infidelium ante vsum rationis non sunt baptizandi inuitis parentibus.*

Pueri infideliū post vsum rationis possunt baptizari, & consentire fidei inuitis parentibus.

6 *Puer ad ætatem perfectam veniens est in libertate sequi, vel Patrem fidelem, vel Matrem infidelem.*

Si sit in minori ętate debet dari Patri fideli

7 *Patre conuerso ad fidem, si filius remaneat in infidelitate perdit ius paternæ hæreditatis.*

Si postea filius conuertatur, redditur ei hæreditas etiam si alius in possessionem intrauerit.

8 *Communio alicuius personæ interdicitur fidelibus dupliciter, scilicet in pœnam illius, cui communio fidelium subtrahitur, & ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne alij communicent.*

Ratione primi Ecclesia non interdicit fidelibus communicare cum infidelibus, qui nunquam fidem susceperunt.

Ecclesia interdicit fidelibus communionem cum infidelibus, qui fidem susceptam reliquerent.

Ratione secundi non interdicitur fidelibus firmis in fide communio cum infidelibus, qui nunquam fidem susceperunt.

Prohibetur infirmis, & simplicibus communio cum huiusmodi infidelibus.

9 *Infideles Domini possunt habere seruos infideles.*

Si Domino immineat periculum ex communione huiusmodi seruorum abijciendi sunt.

10 *Tolerari possunt ritus iudeorū, & quare.*

Ritus infidelium, qui nihil veritatis, et vtilitatis habent nullo modo sunt tolerandi.

Possunt tolerare aliquando ad euitandum aliquod malum &c.

11 *Publica non priuata auctoritate possunt per violentiam auferri res infidelium Ecclesiarum habent indirectè potestatem super infideles 12. Prælati.*

Quæritur an primi motus sint peccata mortalia in Infidelibus.

1 Respondeo dicendum, quòd primus motus habet, quòd non sit peccatum mortale ex eo quòd rationem nō attingit, in qua completur ratio peccati, ista autem causa etiam in Infidelibus manet: vndè in Infidelibus primi motus non possunt esse peccata mortalia; præterea in eadem specie peccati grauius peccat fidelis, quàm infidelis secundùm illud Heb. 10. quanto magis potestis deteriora mereri supplicia &c. si ergo primi motus in infidelibus essent peccata mortalia, multo magis in fidelibus. Ecc. 1. cap. 8. ad Romanos.

Quæritur an omnis actio infidelis sit peccatū?

2 Respondeo dicendum, quòd peccatū mortale tollit gratiam gratum facientē, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ:

Vnde cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonũ naturæ: vnde manifestum est, quòd infideles nõ possunt operari opera bona, quæ sunt in gratia, scilicet opera meritoria, tamen bona opera, ad quæ sufficit bonũ naturæ, aliqualiter operari possunt: vnde non oportet, quod in omni suo opere peccent, sed quandocunq; aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant, sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiã mortaliter peccando, ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod nõ refert ad finem infidelitatis; 2.2.q.10.a.4.in corp;

Quæritur quis grauius peccet fidelis, an infidelis in eadem specie peccati.

3 Respondeo dicendum, quòd infidelis pro peccato infidelitatis grauiꝰ punitur, quam alius peccator pro quocunq; alio peccato considerato peccati genere, sed pro alio peccato puta pro adulterio, si committatur à fideli, & ab infideli, cæteris paribus grauius peccat fidelis, quam infidelis, tùm propter notitiam veritatis ex fide, tùm etiam propter Sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccãdo contumeliam facit. 2.2.q. 10. ar. 3. ad 3. ſ lec. 1. cap.8. ad Romanos ſ lec. 3. cap. 10. ad Hebreos.

Quæritur an infideles compellendi sint ad fidẽ.

4 Respondeo dicendum, quòd infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles, & Iudæi, & tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, vt ipsi credant, quia credere voluntatis est; sunt tamen compellendi à fidelibus, si adsit facultas, vt fidem non impediant, vel blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus, & propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum mouẽt, non quidem vt eos ad credendũ cogant, quia si etiam eos vicissent, & captiuos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent, sed propter hoc, vt eos compellant, ne fidem Christi impediãt: alij vero sunt infideles, qui quãdoq; fidem susceperunt, & eam profitentur, sicut hæretici, & quandoq; apostatæ, & tales sunt etiam corporaliter compellendi, vt impleant, quod promiserunt, & teneant, quod semel susceperunt. 2. 2.q. 10.a.8.in corp.

Quæritur an pueri Iudeorum, & aliorum infidelium sint baptizandi inuitis parẽtibus.

5 Respondeo dicendum, quòd maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ sẽper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatẽ habet: vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunq; Doctoris; hoc autem Ecclesiæ vsus nunquam habuit, quod Iudeorum filij inuitis parentibus baptizarentur, quamuis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, vt Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, vt Siluester Constantino, & Ambrosius Theodosio: qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: & ideo periculosum videtur hanc assertionem de nouo inducere, vt præter consuetudinem in Ecclesia actenus obseruatam, Iudeorum filij inuitis parentibus baptizentur, & huius ratio est duplex, vna quidem propter periculum, si enim pueri nondum vsum rationis habentes baptismum susciperent, postmodum cũ ad perfectam ætatem peruenirent, de

facili

facili possent à parentibus induci, vt relinquerent, quod ignorãtes susceperunt, quod verget in fidei detrimentum: alia vero ratio est, quia repugnat iustitiæ naturali, filius enim naturaliter est aliquid Patris: & primò quidem à parentibus non distinguitur secundum corpus, quãdiu in matris vtero continetur; postmodum vero postquam ab vtero egreditur, antequam vsum liberi arbitrij habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spirituali vtero, quamdiu enim vsum rationis non habet puer, nõ differt ab animali irrationali: vndè sicut bos, vel equus est alicuius, vt vtatur eo, cum voluerit secundùm ius ciuile, sicut proprio instrumento, ita de iure naturali est, quod filius antequã habeat vsum rationis, sit sub cura Patris: vndè contra iustitiam naturalem esset, si puer antequã habeat vsum rationis, à cura parẽtum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus; postquã autem incipit habere vsum liberi arbitrij, iam incipit esse suus, & potest quantùm ad ea, quę sũt iuris Diuini, vel naturalis sibi ipsi prouidere, & tunc est inducendus ad fidem nõ coactione, sed persuasione, & potest etiã inuitis parẽtibus consentire fidei, & baptizari, non autem antequam habeat vsũ rationis: vndè de pueris antiquorum Patrum dicitur, quod salueti sunt in fide Parentum, per quod datur intelligi, quod ad parẽtes pertinet ꝓuidere filijs de sua salute, præcipuè antequam habeant vsũ rationis. 2.2.q.10.a.12.in corp.[3.p.q.68.a.10.in corp.[quodlibeto 2.a.7.in corp.

Quæritur an puer possit sequi Patrem fidelem, vel matrem infidelem.

6 Respondeo dicendum, quòd proles aut peruenit ad perfectam ætatẽ, & tunc poterit liberè sequi Patrem fidelem, vel matrem infidelem; vel est in minori ętate constitutus, & tunc debet dari fideli, non obstante quòd indiget matris obsequio ad educationem. 4. sent. d. 39. a.4. ad 4.

Quæritur an filius manens in infidelitate Patre conuerso perdat ius hæreditatis.

7 Respondeo dicẽdum, quòd filius, qui remanet in infidelitate Patre conuerso amittit ius paternæ hęreditatis, & tamen si postea conuertitur, redditur ei sua hęreditas. etiam si alius in possessionẽ eius intrauit. 4.sent.d.39.a.5.ad 5.

Quæritur an cum Infidelibus possit communicari.

8 Respondeo dicendum, quòd communio alicuius personę interdicitur fidelibus dupliciter: vno modo in pœnã illius, cui communio fidelium subtrahitur: alio modo ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne alij communicent, & vtraque causa ex verbis Apostoli accipi potest primæ ad Corinth. 5. nam postquam sententiam excommunicationis protulit, subdit pro ratione, nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, & postea rationem subdit ex parte pœnę per iudicium Ecclesię illatę cum dicit, non ne de his, qui intus sunt, vos iudicatis: primò ergo modo non interdicit Ecclesia fidelibus communionẽ infidelium, qui nullo modo fidem Christianã susceperent, scilicet Paganorum, vel Iudęorum, quia non habent de eis iudicare spirituali iudicio, sed temporali in casu, cum inter Christianos commorantes aliquam culpam committunt, & per fideles tẽporaliter puniuntur, sed isto modo scilicet in pœnã interdicit Ecclesia fidelib⁹ communionẽ illorũ infidelium, qui à fide suscepta deuiant, vel corrumpendo fidẽ, sicut heretici, vel ẽt totaliter à fide recedẽdo, sicut apostatę, in vtroq; .n. horũ excõmunicationis sentẽtiã ꝓfert Ecclesia;

sed quantùm ad secundum modum videtur esse distinguendum secundum diuersas conditiones personarum, & negotiorum, si enim aliqui fuerint firmi in fide, ita quòd ex communione eorum cū infidelibus conuersio infidelium magis sperari possit, quàm fidelium à fide auersio, non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem nō susceperunt, scilicet paganis, vel iudeis, & maximè si necessitas vrgeat: si autem sint simplices, & infirmi in fide, de quorum subuersione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absq; necessitate eis cōmunicent. 2,2.q.10,a.9,in corp.

Quæritur an liceat Dominis fidelibus habere seruos infideles, puta Paganos, Iudeos, Saracenos.

9 Respondeo dicendum, quòd magis est probabile, quod seruus, qui regitur imperio Domini conuertatur ad fidem Domini fidelis, quam è conuerso: & ideo non est prohibitum, quin fideles habeant seruos infideles: si tamen Domino periculum immineret ex communione talis serui, deberet eum à se abijcere secundū illud mandatum Domini Matthæi 18. si pes tuus scandalizauerit te, abscinde eum, & proijce abste. 2.2.q.10 a.9. ad 3.

Quæritur an infidelium ritus sint tolerandi.

10 Respondeo dicendum, quòd humanum regimen deriuatur à Diuino regimine, & ipsum debet immitari, Deus autem quamuis sit omni potens, & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere posset, ne eis sublatis maiora bona tollerētur, vel etiā peiora mala sequerentur: sic ergo, & in regimine humano illi, qui præsunt rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur, sicut Augustinus dicit in lib. de ordine, Auffer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus: sic ergo quamuis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel ꝓpter aliquod bonum, quod ex eis prouenit, vel propter aliquod malum, quod vitatur: ex hoc autem quòd Iudæi ritus suos obseruant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum prouenit, quod testimoniū fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura à nobis repræsentantur, quod credimus: & ideo in suis ritibus tolerantur; aliorum vero infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut vtilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerādi, nisi fortè ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset prouenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati cōuertuntur ad fidem, propter hoc enim etiam hæreticorum, & paganorum ritus aliquando Ecclesia tolerauit, quādo erat magna infidelium multitudo. 2.2.q.10.a.11.in corp.

Quæritur an liceat auferre res infidelium?

11 Respondeo dicendum, quòd intantùm aliqui infideles res suas iniustè possident, inquantùm eas secundùm leges terrenorum Principū amittere iussi sunt: & ideo ab eis possunt per violentiā subtrahi non priuata auctoritate, sed publica. 2.2.q.66.a.8.ad 2.

Quæritur an Prælati Ecclesiarum habeant potestatem super infideles.

12 Respondeo dicendum, quòd Prælati Ecclesiarum accipiunt spiritualem potestatem super eos tantū, qui se fidei subdiderunt secundū illud secundę Corinth. 10. in promptu habentes vlcisci omnem inobe-

inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia; indirectè tamen Prelati Ecclesiarum habent potestatē super eos, qui foris sunt, inquantùm propter eorum culpam prohibent fideles, ne illis communicent. lec. 3. cap. 5. primę ad Corinth.

INFIDELITAS.

1 *Si infidelitas attenditur per comparationem ad fidem tres sunt eius species scilicet infidelitas Gentilium, Iudaeorum, & Haereticorum.*

Si species infidelitatis distinguantur secūdùm errores in diuersis, quę ad fidem pertinent, sic non sunt determinatae species infidelitatis.

2 *Infidelitas sumitur dupliciter, scilicet negatiuè, & contrariè.*

Infidelitas cōtrariè est propriè infidelitas, & est peccatum.

Infidelitas negatiuè non est peccatum, sed potius pœna.

Infideles tamen infidelitate negatiua damnantur propter alia peccata.

3 *Infidelitas est maius omnibus alijs peccatis, quae contingunt in morū peruersitate*

4 *Infidelitas est vltimum peccatum, ad quod homo potest peruenire.*

5 *In quo sensu infidelitas haereticorum sit maius peccatum, quam infidelitas paganorum.*

In quo sensu infidelitas paganorum sit maior, quam infidelitas haereticorum.

Simpliciter loquendo infidelitas hęreticorū est pessima.

6 *Infidelitas oritur ex superbia.*

7 *Infidelitas opponitur Charitati.*

8 *Surreptio infidelitatis potest esse in immaginatione, & aliquando est in ratione inferiori, & aliquando est in ratione superiori.*

Quando est in ratione superiori, tunc est peccatum veniale.

9 *Qui nutriti sunt in syluis, & nihil de fide audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis.*

Non iustificantur tamen ab alijs peccatis, & per consequens damnabuntur.

Si faciant tamen quod in se est ex auxilio diuino, Deus mittet eis Prędicatorē fidei

Quaeritur an sint plures infidelitatis species.

1 RESpondeo dicendum, quòd quęlibet virtus cōsistit in hoc, quod attingit regulam aliquam cognitionis, vel operationis humanae; attingere autē regulam est vno modo circa vnam materiam, sed à regula deuiare cōtingit multipliciter: & ideo vni virtuti multa vitia opponuntur diuersitas autem vitiorum, quae vnicuiq; virtuti opponuntur, potest considerari dupliciter: vno modo secundùm diuersam habitudinem ad virtutē, & secundùm hoc determinatae sunt quaedam species vitiorum, quae opponuntur virtuti: sicut virtuti morali opponitur vnum vitium secundùm excessum ad virtutem, & aliud vitium secundùm defectū à virtute: alio modo potest considerari diuersitas vitiorum oppositorum vni virtuti secundùm corruptionem diuersorū, quae ad virtutem requiruntur, secundùm hoc vni virtuti puta temperātiae, vel fortitudini opponuntur infinita vitia secundùm quòd infinitis modis contingit diuersas circunstantias virtutis corrumpi, vt à rectitudine virtutis recedatur: vndè & Pytagorici malum posuerunt infinitū, sic ergo dicendum, quod si infidelitas attendatur circa comparationem ad fidē, diuersae sunt infidelitatis species, & numero determinatae, cùm enim peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter: quia aut renititur fidei nundum susceptae, & talis infidelitas est paganorum, siue Gentilium; aut renititur fidei Christianae susceptae, vel in figura: & sic est infidelitas Iudaeorum; vel in ipsa manifestatione veritatis: & sic est infidelitas haereticorum:

corum:

corum, vndè in generali possunt assignari tres prædictæ species infidelitatis; si distinguantur vero infidelitatis species secundum errores in diuersis, quæ ad fidē pertinent, tunc non sunt determinatæ infidelitatis species, possunt enim errores in infinitum multiplicari, vt patet per Augustinum in lib. de hæresibus. 2. 2. q. 10. a. 5. in corp.

Quæritur an infidelitas sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd infidelitas dupliciter accipi potest, vno modo secundum puram negationem, vt dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem, alio modo potest intelligi infidelitas secūdum contrarietatem ad fidem, quia scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam secundum illud Isaiæ 53. quis credidit auditui nostro, &. in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & secundum hoc infidelitas est peccatum; si autem accipiatur secundum negationem puram sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia Diuinorum ex peccato primi Parentis consecuta est, qui autem sic sūt Infideles, damnātur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti nō possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatū, vndè Dominus dicit Ioannis 15. si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, quod exponens Augustinus dicit, quod loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Christum. 2. 2. q. 10. a. 1. in corp. [2. sēt. d. 39. q. 1. a. 2. ad 4.

Quæritur an infidelitas sit maximum peccatorum.

3 Respondeo dicendum, quòd omne peccatum formaliter consistit in auersione à Deo, vndè tanto aliquod peccatū est grauius, quanto per ipsum homo magis à Deo separatur, per infidelitatem autē maximè homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet, per falsam autem cognitionem ipsius nō appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur, nec potest esse, quod quātùm ad quid Deum cognoscat, qui falsam opinionem de eo habet, quia id, quod ipse opinatur, non est Deus, vndè manifestum est, quod peccatū infidelitatis est maius omnibus peccatis, quæ contingunt in peruersitate morum, secus autem est de peccatis, quæ opponūtur alijs virtutibus Theologicis. 2. 2. q. 10. ar. 3. in corp. [lect. 3. cap. 10. ad heb.

Quæritur an infidelitas sit vltimum peccatū, ad quod homo peruenire possit.

4 Respōdeo dicēdū, quòd sicut fides est prima virtutū, ita infidelitas est vltimū peccatorū, ad quod homo quandoq; per alia peccata pducitur, vndè super illud Psalm. 136. exinanite, exinanite vsq; ad fundamentum in ea, dicit glosa, quod conseruatione vitiorum surrepit diffidētia, & Apostolus dicit primæ ad Timotheum primo, quod quidam repellentes conscientiam bonam, circa fidem naufragauerunt. 2. 2. q. 162. a. 7. ad 3.

Quæritur an infidelitas Gentilium, seu Paganorum sit cæteris grauior.

5 Respondeo dicendum, quòd in infidelitate duo possunt considerari, quorū vnum est comparatio eius ad fidem, & ex hac parte aliquis grauius contra fidē peccat, qui fidei renititur susceptę, quam qui renititur fidei nondum susceptę, sicut grauius peccat, qui nō implet, quod promisit, quam si non impleat, quod nunquā promisit; & secundum hoc infidelitas hęreticorum, qui profitentur fidem Euangelij, & ei renituntur eam corrompētes,

grauius

grauius peccant, quam Iudæi, qui fidem Euangelij nunquam susceperūt, sed quia susceperunt eius figuram in veteri lege, quam malè interpretantes corrumpunt, ideo etiam eorum infidelitas est grauius peccatum, quam infidelitas Gentilium, qui nullo modo fidem Euangelij susceperunt, aliud quod in infidelitate consideratur, est corruptio eorum, quæ ad fidē pertinent, & secundum hoc, cum in pluribus errent Gentiles, quā Iudæi, & Iudæi, quā hæretici, grauior est infidelitas Gentilium, q̃ Iudæorū, & Iudæorū, q̃ hæreticorū, nisi fortè quorūdā puta Manichæorū, qui etiā circa credibilia plus errant, quam Gentiles: harum tamen duarum grauitatum prima præponderat secundæ quantùm ad rationem culpæ, quia infidelitas habet rationem culpæ magis ex hoc, quod renititur fidei, quam ex hoc, quod non habet ea, quæ sunt fidei, hoc enim videtur magis ad rationem pœnæ pertinere, vndè simpliciter loquendo infidelitas hæreticorum est pessima. 2. 2. q. 10. a. 6. in corp.

Quæritur à quo peccato Capitali oriatur infidelitas.

6 Respondeo dicendum, quòd infidelitas secundum quòd est peccatum, oritur ex superbia, ex qua cōtingit, quod homo intellectum suum non vult subijcere regulis fidei, & sano intellectui Patrū, vndè Gregorius dicit 31. moralium, quod ex inani gloria oriuntur nouitatum præsumptiones, quamuis possit dici, sicut virtutes Theologicæ non reducuntur ad virtutes Cardinales, sed sunt priores eis, ita etiam vitia opposita virtutibus Theologicis non reducuntur ad vitia capitalia. 2. 2. q. 10. a. 1. ad 3.

Quæritur an infidelitas opponatur Charitati.

7 Respondeo dicendum, quòd fides, & spes sunt præambula ad Charitatē, vndè infidelitas, quæ opponitur fidei, & desperatio, quæ opponitur spei, maximè opponuntur Charitati, quia radicitus eam euellunt. q. 2. de malo a. 10. ad 2.

Quæritur vbi nam possit reperiri subreptio infidelitatis.

8 Respondeo dicendum, quòd subreptio infidelitatis non semper est in superiori ratione, sed quandoq; potest esse in imaginatione, puta cum aliquis immaginatur tres personas in Diuinis, sicut tres homines, & mouetur subito ad credendum; quandoque autem in ratione inferiori, puta cum aliquis considerat aliquā in creaturis repugnantia fidei Trinitatis; quandoque autem in superiori ratione, puta cum aliquis subito immediatè incipit cogitare de Trinitate personarum in Diuinis, talis subreptio est in superiori ratione, & est peccatum veniale, consensus autem superueniens est alius motus. q. 7. de malo. ar. 3. ad 6.

Quæritur an nutriti in syluis, qui nihil de fide audierunt, excusentur à peccato infidelitatis.

9 Respondeo dicendum, quòd secundùm sententiam Domini, quæ habetur Ioannis 17. illi, qui loquentem Dominum per se, vel per eius discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei consequentur, vt scilicet iustificentur ab alijs peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel malè viuendo addiderunt, & pro his merito damnantur; si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiā prouidisset mittēdo eis Prædicatorē fidei, sicut Petrus Cornelio actuū 10. & Paulus macedonibus actuum 16. sed tñ hoc ipsū,

quod aliqui faciunt, quod in se est conuertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est mouente corda ipsorum ad bonum, Trenorum 6. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. lect. 3. cap. 10. ad Romanos [lect. 3. cap. 10. ad heb. [2. sent. d. 28. a. 4. ad 4. [3. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1. & 2. [a. 2. quæstiunc. 2. in corp. [q. 14. de verit. a. 11. ad 1.

INFIRMITAS ANIMAE.

1 *Quid sit infirmitas animæ.*
Peccare ex passione est peccare ex infirmitate.
2 *Vnde cognoscatur, quod aliquis peccet ex malitia, vel ex infirmitate.*
3 *Infirmitas alleuiat, & non aggrauat peccatum.*
4 *Infirmitas in malis voluntarijs nõ tollit, nec minuit rationem culpæ.*
5 *Peccatũ ex infirmitate potest esse mortale.*
6 *Si passio aufert totaliter vsum rationis, & à principio fuit voluntaria, actus ab ipsa precedens imputatur ad culpam.*
Si passio auferens totaliter vsum rationis fuit naturalis, omnino excusat à peccato.
Si passio non omnino aufert vsum rationis, non totaliter excusat à peccato.

Quæritur an peccatum ex passione sit peccatũ ex infirmitate.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd causa peccati propria est ex parte animæ, in qua principaliter est peccatũ, potest autem dici infirmitas in anima ad similitudinẽ infirmitatis corporis, dicitur autem corpus hominis esse infirmũ, quãdo debilitatur, vel impeditur in executione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partiũ corporis, ita scilicet quod humores & membra hominis non subdantur virtuti Regitiuę, & motiuæ corporis, vndè & membrum dicitur esse infirmum quando non potest perficere operationẽ membri sani, sicut oculus quando nõ potest clarè videre, vt dicit Phylosophus in 10. de historijs animalium, vndè & infirmitas animę dicitur quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partiũ ipsius; sicut autẽ partes corporis dicuntur esse inordinatę quando nõ sequuntur ordinem naturæ, ita & partes animæ dicuntur esse inordinatę quãdo nõ subduntur ordini rationis, ratio enim est uis regitiua partium animæ; sic ergo quando extra ordinem rationis vis concupiscibilis, aut irascibilis aliqua passione afficitur, & per hoc impedimentum præstatur modo prædicto debitæ rationi hominis, dicitur peccatũ esse ex infirmitate, vndè & Phylosophus in primo ethi. comparat incontinentem paralitico, cuius partes mouentur in contrarium eius, quod ipse disponit. p. 2. q. 77. a. 3. in corp.

Quæritur vndè cognoscatur, quod aliquis peccet ex infirmitate.

2 Respondeo dicendum, quòd si aliquis frequenter, & quasi in prohibitè sine freno in aliquod peccatũ lapsus est, signũ est, quod ex malitia, vel electione peccat, & non facile emendatur; si autem semel occasione peccandi oblata in peccatum ruit, & postea tristitiam, & verecundiam de peccato ostenderit, signum est, quod sit peccatum ex passione, vel ex infirmitate, & quod de facili emendetur. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæritur an infirmitas alleuiet, vel aggrauet peccatum.

3 Respondeo dicendum, quòd peccare ex infirmitate est peccare ex passione, vt dictum est, passio autem appetitus sensitiui dupliciter se habet ad motum volũtatis, vno modo vt præcedens, alio modo vt consequens; vt præcedens quidẽ sicut cum propter passionem inclinatur volũ-

tas

tas ad aliquid volendum, sic passio diminuit rationem meritis, & rationem demeriti, quia meritum, & demeritum in electione consistit ex ratione præcedente; passio autem obnubilat, vel etiam ligat iudicium rationis, quanto autem iudiciū rationis fuerit purius, tanto electio est perspicacior ad merendum, vel demerēdum, vndè qui inducitur ad benefaciendum ex iudicio rationis laudabilius operatur, quam qui inducitur adhoc idem ex sola animi passione, hic enim interdū errare potest indebitè miserēdo; & similiter ille, qui inducitur ad peccandum ex deliberatione rationis, magis peccat, quam ille, qui inducitur ad peccandū ex sola animi passione; vt consequens autem consideratur passio quando ex forti motu voluntatis commouetur appetitus inferior ad passionem, & sic passio addit ad meritum, vel demeritum, quia est signum passio, quod motus voluntatis sit fortior, & hoc modo verum est, quod ille, qui cū maiori compassione facit eleemosinam magis meretur, qui cum maiori libidine facit peccatū, magis peccat, quia hoc est signum, quod motus volūtatis sit fortior, sed hoc nō est ex passione benefacere, vel peccare, sed potius pati ex electione boni, vel mali. q. 3. de malo a. 11. in corp.

Quæritur an infirmitas in malis voluntarijs tollat, vel minuat rationem culpæ.

4 Respondeo dicendum, quòd illa infirmitas, quæ est in malis voluntarijs, subiacet potestati hominis, & ideo nec tollit, nec diminuit rationem culpæ. p. 2. q. 21. a. 2. ad 3.

Quæritur quando infirmitas sit mortalis.

5 Respondeo dicendum, quòd peccatū mortale consistit in auersione ab vltimo fine, qui est Deus, quæ quidem auersio pertinet ad rationem deliberantem, cuius etiam est ordinare in finem: hoc igitur solummodo potest contingere, quod inclinatio animæ in aliquid, quod contrariatur vltimo fini, non sit peccatū mortale, quia ratio deliberans nō potest occurrere, quod contingit in subitis motibus; cum autē ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad cōsensum deliberatum, hoc non fit subito, vndè ratio deliberās potest hic occurrere; potest enim excludere, vel saltem impedire passionem, vndè si non occurrat, est peccatū mortale, sicut videmus, quod multa homicidia, & multa adulteria per passionē committuntur. p. 2. q. 77. a. 8. in corp. & q. 3. de malo a. 10. ad 4. & in corp.

Quæritur an infirmitas excuset totaliter à peccato.

6 Respondeo dicendum, quòd secundum hoc solum actus aliquis, qui de genere suo est malus, totaliter à peccato excusatur, quod totaliter inuoluntarius redditur, vndè si sit talis passio, quæ totaliter inuoluntarium reddat actū sequentē, totaliter à peccato excusat, alioquin non totaliter; circa quod duo consideranda videntur, primò quidem quod aliquid potest esse voluntarium, vel secundum se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur, vel secundum suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum, vt patet in eo, qui voluntariè inebriatur, ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit; secundò considerandum est, quod aliquid dicitur voluntarium directè, vel indirectè; directè quidem id, in quod voluntas fertur, indirectè autem illud, quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet; secundùm hoc igitur distinguendum est, quia passio quandoque quidem est tanta, quod totaliter aufert vsum rationis, sicut patet in his, qui

Mm 2 prop-

propter amorem, vel iram insaniunt, & tunc si talis passio à principio fuerit voluntaria imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa, sicut etiam de ebrietate dictum est; si verò causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, puta cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua huiusmodi causa incidit in talem passionem, quæ totaliter auffert vsum rationis, actus omnino redditur inuoluntarius, & per consequens totaliter, & à peccato excusatur, quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat vsum rationis, & tunc ratio potest passionem excludere diuertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum, quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis, vndè talis passio non totaliter excusat à peccato. p. 2. q. 77. a. 7. in corp.

INGRATITVDO.

De ingratitudine, quæ est speciale peccatum. Cap. I.

Quæritur quis dicatur ingratus.

1 Respondeo dicendum, quòd ingrat' est, qui sibi attribuit, quod ab alio habet, vndè duæ primæ superbiæ species ad ingratitudinem pertinẽt. 2. 2. q. 162 a. 4. ad 1.

Quæritur an sit ingratus, qui ignorando beneficium non recompensat.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui ignorat beneficium, non est ingratus, si beneficium non recompenset, dummodo sit paratus recompensare, si posset; est autem laudabile quãdoq; vt ille, cui prouidetur, beneficium ignoret, tum propter inanis glorię vitationem, sicut Beatus Nicolaus aurum furtim in domũ proijciens vitare voluit humanum fauorẽ, tùm etiam quia in hoc ipso amplius beneficiũ facit, quod consulit verecundiæ eius, qui beneficium accipit. 2. 2. q. 107. a. 3. ad 4.

Quæritur an ille censeatur ingratus, qui non potest reddere, vel qui obliuiscitur beneficij accepti.

3 Respondeo dicendum, quòd nullus propter impotentiam reddendi ab ingratitudine excusatur, ex quo ad debitum gratitudinis reddendum sufficit sola voluntas: obliuio autem beneficij

ad

ad ingratitudinem pertinet, non quidem illa, quæ prouenit ex naturali defectu, qui non subiacet voluntati, sed illa, quæ ex negligentia prouenit, vt enim dicit Seneca in 3. de beneficijs, apparet illum nõ sæpè de reddẽdo cogitasse, cui abrepserit obliuio. 2.2.q.107.a.1.ad 2.

Quæritur an gratitudo sit habenda erga eum, qui auxiliatus est in malo, ita vt sit ingratus, si non reddat.

4 Respondeo dicendum, quòd gratitudo respicit beneficium, ille autem, qui alicui auxiliatur ad peccandum, non cõfert beneficium, sed magis nocumentum, & ideo non debetur ei gratiarum actio, nisi fortè propter voluntatem bonam, si sit deceptus, dum credidit adiuuare ad bonum, & adiuuit ad peccandum, & tunc non debetur talis recompensatio, vt adiuuetur ad peccandum, quia hoc nõ esset recompensare bonum, sed malum, quod cõtrariatur gratitudini. 2.2.q.107.a.1.ad 1.

Quæritur an ingratitudo reperiatur in quolibet peccato.

5 Respondeo dicendum, quòd in quolibet peccato est materialis ingratitudo ad Deum, inquantùm scilicet facit homo aliquid, quod potest ad ingratitudinem pertinere; formaliter autem ingratitudo est quando actualiter beneficium contemnitur, & hoc est speciale peccatum. 2.2.q.107.a.2.ad 1.

Quæritur an omnis ingratitudo sit peccatum.

6 Respondeo dicẽdum, quòd debitum gratitudinis est quoddam debitum honestatis, quam virtus requirit, ex hoc autem aliquid est peccatũ, quod repugnat virtuti, vnde manifestum est, quod omnis ingratitudo est peccatum. 2.2.q.107.a.1.in corp.

F. Francisci Ghetij.

Quæritur an ingratitudo sit speciale peccatum.

7 Respondeo dicendum, quòd omne vitium ex defectu virtutis nominatur, quod magis virtuti opponitur, sicut illiberalitas magis opponitur liberalitati, quam prodigalitas; potest autem virtuti gratitudinis aliquod vitium opponi per excessum puta, si recompensatio beneficij fiat, vel pro quibus non debet, vel citius quam debet, sed magis opponitur gratitudini vitium, quod est per defectũ, quia virtus gratitudinis in aliquid amplius tendit, & ideo propriè ingratitudo nominatur ex gratitudinis defectu, omnis autem defectus, seu priuatio speciem sortitur secundum habitum oppositum; differunt enim cæcitas, & surditas secundum differentiam visus, & auditus, vndè sicut gratitudo, vel gratia est vna specialis virtus, ita etiam ingratitudo est vnum speciale peccatum, habet tamen diuersos gradus secundum ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requiruntur, in qua primũ est, quod homo acceptum beneficium recognoscat; secundum est, quod laudet, & gratias agat; tertium est, quod retribuat pro loco, & tempore secundum suam facultatem, sed quod est vltimum in generatione, est primum in resolutione, ideo primus ingratitudinis gradus est, vt homo beneficium nõ retribuat; secundus est, vt dissimulet, quasi nõ demonstrans se beneficium accepisse; tertium, & grauissimum est, quod non recognoscat, siue per obliuionẽ, siue quocũq; alio modo, & quia in affirmatione opposita intelligitur negotio, ideo ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quod aliquis retribuat mala pro bonis; ad secundum quòd benefitium vituperet; ad tertium quòd benefitium, quasi maleficium reputet. 2.2.q.107.a.2.in corp. [4. sent.d.22.q.1.a.2.quæstiunc.1.in corp.

Quaritur an ingratitudo semper sit peccatum mortale.

8 Respondeo dicẽdum, quòd ingratus dicitur aliquis dupliciter, vno modo per solam omissionem, puta quia non recognoscit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto, & hoc non semper est peccatum mortale, quia debitum gratitudinis est, vt homo etiam aliquid liberaliter tribuat, ad quod non tenetur, & ideo si illud prætermittit, non peccat mortaliter, est tamen peccatum veniale, quia hoc prouenit ex negligẽtia quadam, aut ex aliqua in dispositione hominis ad virtutem; potest tamen contingere, quod etiã talis ingratitudo sit mortale peccatum, vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem eius, quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur beneficio, siue simpliciter, siue in aliquo necessitatis casu; alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non solum prætermittit implere gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit, & hoc etiam secundum conditionẽ eius, quod agitur, quandoq; est peccatum mortale, quandoq; veniale; sciendũ tamen, quod ingratitudo, quæ prouenit ex peccato mortali habet perfectam ingratitudinis rationem, illa vero, quæ prouenit ex peccato veniali, imperfectam. 2 2. q. 107. a. 3. in corp.

Quaritur cuj virtuti opponatur ingratitudo.

9 Respondeo dicendum, quòd ingratitudo gratiarum actionem tollit, quæ est actus iustitiæ, quia ille, qui prius dedit, debitorem sibi cõstituit illum, qui retribuit, quamuis hoc nõn intenderet, vndè opponitur iustitiæ. 4. sent. d. 22, q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Quęritur an ingratis sint beneficia subtrahẽda

10 Respondeo dicendum, quòd circa ingratum duo consideranda sunt, primo quid est, quod ipse dignus sit pati, & sic certum est, quod meretur beneficij subtractionem; alio modo considerandum est, quod oporteat beneficium facere, primo namq; non debet esse facilis ad ingratitudinem iudicandam, quia frequenter aliquis, vt Seneca dicit, qui non reddidit, gratus est, quia fortè nõ occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi; secundò debet tẽdere ad hoc, quod de ingrato, gratum faciat, quod si nõn potest primo beneficio satisfacere, fortè faciet secũdo: si vero ex beneficijs multiplicatis ingratitudinem augeat, & peior fiat, debet à beneficiorum exhibitione cessare. 2. 2. q. 107. a. 4. in corp.

De ingratitudine consequente omne peccatum. Cap. II.

1 *Peccata dimissa dicuntur redire per ingratitudinem, quæ specialiter est secundum odium fraternum, Apostasiam à fide, cõtemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia habita.*

2 *Peccata venialia, & peccatum originale redeunt per ingratitudinem.*

Per peccatum veniale quis non incurrit ingratitudinem.

Per peccatum veniale non redeunt peccata dimissa.

3 *In quo sensu peccata dimissa dicantur redire.*

4 *Non est necesse, quod propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum.*

Necesse est, quod proportionaliter quanto peccata prius dimissa fuerunt plura, & maiora, tanto redeat maior reatus per quodcunq; sequens peccatum mortale.

5 *Ingratitudo aliquando est speciale peccatum, & aliquando est circumstantia consequens omne peccatum.*

6 *Magis*

6 *Magis est ingratus, qui peccat post pænitẽtiam, quam qui peccat post innocentiã.*

Quæritur an peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quæ specialiter est secundum quattuor genera peccatorum, scilicet secundum odium fraternum, Apostasiam à fide, Contemptum confessionis, & dolorem de pænitentia habita, secundum quod quidam metrice dixerunt.

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pænituisse piget, pristina culpa redit.

1 RESpondeo dicendum, quòd peccata dimissa per pænitentiam redire dicuntur inquantùm reatus eorũ ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti, ingratitudo autem potest committi dupliciter, vno modo ex eo, quod aliquid fit contra beneficium, & hoc modo per omne peccatũ mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remisit, & sic per quodlibet peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa ratione ingratitudinis; alio modo committitur ingratitudo non solum faciẽdo contra ipsum beneficium, sed etiam faciendo contra formam beneficij præstiti, quæ quidem forma, si attenditur ex parte benefactoris est remissio debitorum, vndè contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniã nõ remittit, sed odium tenet; si autem attendatur ex parte pænitentis, qui recipit hoc beneficium, inuenitur ex parte eius duplex motus liberi arbitrij, quorum primus est motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei formatæ, & contra hoc facit homo apostatando à fide; secundus autẽ est motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus pænitentiæ, ad quẽ primo pertinet, quod homo detestetur peccata præterita, & contra hoc facit ille, qui dolet se pænituisse; secundò pertinet ad actum pænitentiæ, vt pænitens proponat se subijcere clauibus Ecclesiæ per confessionem secundum illud Psalm. 31. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatẽ peccati mei, & contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri secundum quòd proposuerat, & ideo dicitur, quod specialiter ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata prius dimissa. 3. p. q. 88. a. 2. in corp. [4. sent. d. 22. q. 1. a. 1. in corp. [a. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an peccata venialia, & peccatum originale redeant per ingratitudinem.

2 Respondeo dicendum, quòd etiam peccata venialia, & ipsum originale redeunt modo prædicto, sicut & peccata mortalia inquantùm contemnitur Dei beneficium, quo hæc peccata sunt remissa, non tamen per peccatum veniale aliquis incurrit ingratitudinem, quia homo peccando venialiter non facit contra Deum, sed præter ipsum, & ideo per peccata venialia, nullo modo peccata dimissa redeunt. 3. p. q 88. a. 2. ad 2. [4. sent. d. 22. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur quomodo peccata remissa redeant in eo, qui recidiuat.

3 Respondeo dicendum, quòd aliquid potest redire dupliciter, vel in se, & sic peccata dimissa nullo modo redeũt quãtùm ad maculam, & per consequens, nec quantùm ad reatum; vel in suo effectu, & hoc modo peccata dimissa redeunt inquantùm ex dimissis peccatis aliquid in sequentibus relinquitur; ex hoc enim quod homo Deum per peccatum offendit post remissionem præcedentium peccatorum quandam deformitatem ingratitudinis actus sequentis peccati acquirit, & ideo dicitur communiter, quod redeunt quantùm ad ingratitudinem. 4. sent. d. 22. q. 1. a. 1. in fine corporis.

Quæritur an per ingratitudinẽ peccati sequẽtis consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimissorum.

4 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quod ex peccato sequẽti propter ingratitudinem consurgit tantus reatus, quãtus fuit reatus peccatorum prius dimissorum super reatum propriũ huius peccati, sed hoc nõ est necessarium, quia reatus præcedentium peccatorum non redit per peccatum sequens inquantùm sequebatur ex actibus præteritorũ peccatorum, sed inquantùm cõsequitur actũ sequentis peccati; & ideo oportet, quod quantitas reatus redeuntis sit secundum grauitatem peccati subsequentis, potest autem contingere, quod grauitas peccati subsequentis adęquetur grauitati omniũ peccatorum præcedentium, sed hoc non semper est necesse, siue loquamur de grauitate eius, quam habet ex sua specie (cũ quandoq; peccatum sequens sit fornicatio simplex, peccata vero præterita fuerunt adulteria, vel homicidia, seu sacrilegia) siue etiam loquamur de grauitate, quam habet ex ingratitudinę annexa, nõ enim oportet, quod quantitas ingratitudinis sit absolutè æqualis quantitati beneficij suscepti, cuius quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum prius dimissorum, contingit enim, quod cõtra idem beneficium vnus est multum ingratus, vel secundum intensionem cõtemptus beneficij, vel secundum grauitatem culpæ cõtra benefactorem comissæ, alius autẽ parum, vel quia minus contemnit, vel quia minus cõtra benefactorem agit, sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficij; supposito enim ęquali contemptu beneficij, vel offensæ benefactoris tanto erit grauior ingratitudo, quanto beneficium fuit maius; vndè manifestum est, quod nõ est necesse, quod propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum, sed necesse est, quod proportionaliter quanto peccata prius dimissa fuerunt plura, & maiora, tanto redeat maior reatus per qualecũq; sequens mortale peccatum. 3.p. q. 88.a. 3. in corp. [4.sent.d. 22. q. 1. a. 2. quæstiunc.3.in corp.

Quęritur an ingratitudo, ratione cuius sequẽs peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum.

5 Respondeo dicendum, quod ingratitudo peccãtis quandoq; est speciale peccatum, quandoq; autem non, sed est circonstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur, peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis, vndè vt Phylosophus dicit in 5.eth. ille, qui mechatur, vt furetur, magis est fur, quam mechus; si igitur aliquis peccator in cõtemptum Dei, & suscepti beneficij aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitudinis, & hoc modo ingratitudo peccantis est speciale peccatum, si verò aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium, aut adulterium non retrahatur ab hoc, propter quod pertinet ad contemptum Dei, ingratitudo nõ erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circonstantia quædam, vt autẽ Augustinus dicit in lib. de natura, & gratia non omne peccatum est ex contemptu, & tamen in omni peccato Deus contemniter in suis pręceptis, vndè manifestum est, quod ingratitudo peccantis quandoq; est speciale peccatũ, sed non semper. 3.p.q.88.a. 4. in cocp.

Quæritur qui nam sit magis ingratus, an peccans post innocentiam, an peccans post pænitentiam.

6 Respondeo dicendum, quòd benefi-
cium

cium aliquod poteſt penſari dupliciter, vno modo ex quantitate ipſius beneficij, & ſecundùm hoc innocentia eſt maius Dei beneficium, quam pœnitentia, quæ dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, alio modo poteſt penſari beneficium ex parte recipientis, qui minus eſt dignus, & magis fit ſibi gratia, vndè & ipſe magis eſt ingratus, ſi contemnat, & hoc modo beneficium remiſſionis culpæ eſt maius inquantùm præſtatur totaliter indigno, & ideo ex hoc ſequitur maior ingratitudo. 3.p.q.88.a.2. ad 3. [4.ſent.d.22.q.1. a.2.quæſtiunc.2.in corp.

INHVMANITAS.

1 *Quid ſit inhumanitas.*
2 *Inhumanitas oritur ex auaritia.*

Quæritur quid ſit inhumanitas?

1 Reſpondeo dicēdum, quòd inhumanitas eſt idem quòd obſeruatio contra miſericordiam. 2.2. q. 118. a.8.ad 3.

Quæritur cuius vitij ſit filia inhumanitas?

2 Reſpondeo dicendum, quòd inhumanitas oritur ex auaritia, quia oritur ex auaritia obduratio contra miſericordiam, quia ſcilicet Cor eius miſericordia non emollitur, vt de diuitijs ſuis ſubueniat miſeris. 2.2.q.118.a.8.in corp.

INIMICVS.

Quæritur quibus rationibus inducamur ad dilectionem inimici.

Reſpondeo dicendum, quòd multæ rationes adhoc nos inducunt, prima eſt propriæ dignitatis conſeruatio, diuerſæ enim dignitates diuerſa ſigna habent, nullus autem propriæ dignitatis ſigna dimittere debet, inter omnes autē dignitates maior eſt, quod quis ſit filius Dei, huius autem dignitatis ſignum eſt, ſi diligis inimicum Matthæi 5. diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt; ſecunda eſt Victoriæ acquiſitio, omnes enim hoc naturaliter deſiderant, oportet ergo quod vel trahas eum, qui te offendit ad dilectionem bonitate tua, & tunc vincis, vel quod alius trahat te ad odium, & tunc perdis; tertia eſt multiplicis vtilitatis conſecutio, acquirit enim ex hoc amicos Rom. 12. ſi eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis cōgeres ſuper caput eius, Auguſtinus nulla maior prouocatio ad amorem, quam præuenire amādo, nullus enim eſt ita durus, qui etſi nolit dilectionem impendere, nolit tamen rependere: quarta eſt, quia ex hoc preces ſuæ facilius exaudiuntur, Beatus enim Stephanus orando pro inimicis magnā vtilitatem fecit Eccleſiæ, quia Paulum conuertit; quinta eſt peccati euaſio, quam maximè deſiderare debemus, hoc autem conſequimur, ſi inimicum ad nos trahimus primo remittentes, quia vt dicitur Lucæ 6. eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis, & ibidem, dimittite, & dimittemini, & Matthæi 5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiā conſequentur, nulla eſt enim maior miſericordia, quam offendenti dimittere. opuſculo 4, cap.9.

INIQVITAS.

Iniquitas propriè, & peccatum propriè differunt.
Iniquitas, & peccatū cōmuniter ſunt idem

Quæritur quid ſit iniquitas?

Reſpondeo dicendū, quòd differunt iniquitas, & peccatum, quia iniquitas

tas opponitur iustitiæ, quæ quidem propriè, seu per est ad alium, ideo iniquitas dicitur, qua quis nocet alteri, Iob. 35. homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua; peccatum autem dicitur omnis defectus actionis, quia importat deordinationem, & sic iniquitas propriè est in proximum, sed peccatum est in seipsum, & hoc propriè loquendo; largè tamen idē est iniquitas, & peccatum. lect. 3. cap. 8. ad hæbreos.

INIVSTITIA.

1 *Omne peccatum est iniustitia.*

Quid sit iniustitia.

2 *Facere iniustum ex intentione est propriū iniusti.*

Potest quis facere iniustum præter intentionem absq; habitu iniustitiæ.

3 *Si persona singularis secundum se sumpta sibi nocumentum aliquod inferat, hoc nō habet rationem iniustitiæ.*

Qui sibi, vt est pars Ciuitatis, vel aliquid Dei, nocumentum infert, iniuriam facit Deo, Reipublicæ, & punitur secundum legem diuinam, & humanam.

4 *Super excessus pænarum pertinet ad iniustitiam.*

5 *Iniustitia est circa exteriores operationes.*

6 *Nullus potest facere iniustum, nisi volens per se loquendo, nec pati, nisi nolens.*

Per accidens potest quis facere iniustum nolens, & pati iniustum volens.

7 *Aliquem facere iniustum, & alium pati iniustum materialiter se concomitantur.*

Formaliter aliquis potest intendens iniustum facere, tamen alius non patietur iniustum, & è conuerso.

8 *Iniustitia illegalis est peccatum speciale quo ad essentiam suam, sed quoad intentionem est vitium generale.*

Iniustitia vt dicit inæqualitatem quamdā ad alterum est speciale peccatum.

9 *Facere iniustum ex genere suo est peccatū mortale.*

10 *Facere iniustum in minimis est peccatū veniale.*

Quæritur an omne peccatum sit iniustitia.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut omnis virtus est iustitia quodā modo, vt dicit Phylosophus in 5. eth. ita omne peccatum est iniustitia, iniustitia autem est ex hoc, quod detrahitur alicui, quod sibi debetur, & ideo iniustitia habet, quasi obiecta scilicet illud, quod detrahitur, & hoc est propriè materia actus, & vnde peccatum specificatur, & ille, cui detrahitur, sicut homo, cui per iniustitiam auffertur res sua. 2. sent. d. 42. ar. 2. quæstiunc. 2. in corp. [p 2. q. 113. ar. 1. ad 1.

Quæritur an aliquis dicatur iniustus ex hoc, quod facit iniustum.

2 Respondeo dicendum, quòd sicut obiectum iustitiæ est aliquid æquale in rebus exterioribus; ita etiam obiectum iniustitiæ est aliquid inæquale, prout scilicet alicui attribuitur plus, vel minus, quam sibi competat; ad hoc autem obiectum comparatur habitus iniustitiæ mediante proprio actu, qui vocatur iniustificatio; potest ergo contingere, quod qui facit iniustum, non est iniustus dupliciter, vno modo propter defectum comparationis ipsius operationis ad proprium obiectum, quæ quidem recipit speciem, & nomen à per se obiecto, non autem ab obiecto per accidens; in his autem, quæ sunt propter finē per se dicitur aliquid, quod est intentum, per accidens autem, quod est præter intentionem; & ideo si aliquis faciat aliquod, quod est iniustū, non intendens iniustum facere, puta cum hoc facit per ignorantiam non existimās se iniustum facere, tunc non facit iniustū per se, & formaliter loquendo, sed solum per accidens, & quasi materialiter faciēs

id,

id, quod est iniustum, vnde & talis operatio non denominatur iniustificatio; alio modo potest contingere propter defectũ comparationis ipsius operationis ad habitum, potest enim iustificatio procedere quandoq; quidem ex aliqua passione puta iræ, vel concupiscentiæ, quandoq; autem ex electione, quando scilicet ipsa iustificatio per se placet, & tunc propriè procedit ab habitu, quia vnicuiq; habẽti habitũ aliquem, est secundùm se acceptum, quod conuenit illi habitui; facere ergo iniustum ex intentione, & electione est proprium iniusti secundùm quòd iniustus dicitur, qui habet iniustitiæ habitum; sed facere iniustum præter intentionẽ, vel ex passione potest aliquis absq; habitu iniustitiæ. 2.2.q.59.a.2.in corp.

Quæritur an ille, qui sibi aliquod nocumentum infert, faciat iniustitiam.

3 Respondeo dicendum, quòd aliqua persona singularis potest dupliciter considerari, vno modo secundùm se, & sic si sibi aliquod nocumentum inferat, potest quidem habere rationem alterius peccati puta intemperantiæ, vel imprudentiæ, nõ tamen rationem iniustitiæ, quia sicut iustitia semper est ad alterum, ita & iniustitia: alio modo potest considerari aliquis homo inquantùm est aliquid Ciuitatis, scilicet pars, vel inquantum est aliquid Dei, scilicet Creatura, & imago, & sic qui se ipsum occidit, iniuriam quidẽ facit nõ sibi, sed Ciuitati, & Deo, & ideo punitur, tàm secundùm legem Diuinam, quàm secundum legem humanam, sicut de fornicatione Apostolus dicit, si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. 2.2.q.59.a.3.ad 2.

Quæritur an excessus in pœnis insligendis pertineat ad iniustitiam.

4 Respondeo dicẽdum, quòd sicut diminutio pœnarum, quæ est secundum rationem pertinet ad epicheiam, sed ipsa dulcedo affectus, ex qua homo adhoc inclinatur pertinet ad Clemẽtiam, ita etiã super excessus pœnarum quantùm ad id, quod exterius agitur pertinet ad iniustitiam, sed quantùm ad austeritatem animi, per quam aliquis fit promptus ad pœnas augendas pertinet ad crudelitatem. 2.2.q.159.a.1.ad 1.

Quæritur circa quæ sit iniustitia.

5 Respondeo dicendum, quòd iustitia, & iniustitia est circa exteriores operationes. 2.2.q.60.a.3.ad 3.

Quæritur an aliquis possit pati iniustũ volens.

6 Respondeo dicendum, quòd actio de sui ratione procedit ab agente, passio autem secundùm propriam rationem est ab alio, vndè non potest esse idem secundùm idem agens, & paciens, vt dicitur in 3. & 8. Physicorum, principium autem proprium in hominibus est voluntas, & ideo illud propriè, & per se homo facit, quod volens facit, & è contrario illud propriè homo patitur, quod præter voluntatem suam patitur, quia inquantùm est volens, principium est ex se ipso, & ideo inquantùm huiusmodi magis est agens, quam paciens: dicendum est ergo, quod iniustum per se, & formaliter loquendo nullus potest facere, nisi volens, nec pati, nisi nolens; per accidens autẽ, & quasi materialiter loquendo potest aliquid id, quod est de se iniustum, vel facere nolens, sicut cum quis præter intentionem operatur, vel pati volens, sicut cum aliquis plus alteri dat sua volũtate, quam debeat. 2.2.q.59.a.3.in corp.

Quæritur an aliquis possit facere iniustum nullo patiente iniustum.

7 Respondeo dicẽdum, quòd aliquem facere

facere iniustum, & alium pati iniustum materialiter loquendo semper se concomitantur, sed si formaliter loquamur facere aliquis potest iniustum intendens iniustum facere, tamen alius non pacietur iniustum, quia volens pacietur, & è conuerso potest aliquis pati iniustum, si nolens id, quod est iniustum, paciatur, & tamen ille, qui hoc facit ignorans, non faciet iniustum formaliter, sed materialiter tantum. 2.2.q.59.a.2.ad 3.

Quaritur an iniustitia sit peccatum speciale.

8 Respondeo dicendum, quòd iniustitia est duplex, vna quidem illegalis, quæ est speciale vitium, inquantùm respicit speciale obiectum scilicet bonum commune, quod contemnit, sed quantùm ad intentionem est vitium generale, quia per contemptum boni communis potest homo ad omnia peccata deduci, sicut etiam omnia vitia inquantùm repugnãt bono communi iniustitiæ habent rationẽ, quasi ab iniustitia deriuata; alio modo dicitur iniustitia secundum inæqualitatem quandam ad alterum, prout scilicet homo vult habere plus de bonis, puta diuitijs, & honoribus, & minus de malis, puta laboribus, & damnis, & sic iniustitia habet materiam specialem, & est particulare vitium iustitiæ particulari oppositum. 2.2.q.59.a.1.in corp.

Quaritur an quicunq; facit iniustum peccet mortaliter.

9 Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale est, quod contrariatur Charitati, per quam est animę vita, omne autem nocumentum alteri illatum ex se Charitati repugnat, quæ mouet ad volẽdum bonum alterius, & ideo cum iniustitia semper consistat in nocumento alterius, manifestum est, quod facere iniustum ex genere suo est peccatum mortale. 2.2.q.59.a.4.in corp.

Quæritur an ille, qui alteri paruum nocumentum infert, peccet mortaliter.

10 Respondeo dicendum, quòd ille, qui in paruis facit iniustitiam deficit à perfecta ratione eius, quod est iniustum facere, inquantùm potest reputari non esse omnino contra voluntatem eius, qui hoc patitur, puta si auferat aliquis alicui vnum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile est, quod ille inde non lædatur, nec ei displiceat, & ideo non peccat mortaliter. 2.2.q.59.a.4.ad 2.

INOBEDIENTIA.

1 *Peccatum veniale non est inobedientia.*
Non omne peccatum mortale est inobedientia per se loquendo.
Quando peccatum mortale sit inobedientia formaliter, & quando materialiter.

2 *Subditus non dicitur inobediens, quando non obseruat tot præcepta sui superioris quæ non potest obseruare.*
Prælati debẽt abstinere à multitudine præceptorum.

3 *Est peccatum mortale inobedientem esse præceptis Diuinis.*
Inobedientem esse præceptis suorum prælatorum est peccatum mortale.

4 *Inobedientia quando sit peccatum speciale, & quando sit generale.*

5 *Nõ omnis inobediẽtia est æquale peccatũ*
Vna inobedientia est grauior altera dupliciter, scilicet ex parte præcipientis, & ex parte præceptorum.

6 *Inobedientia cum obstinatione est peccatũ in Spiritum Sanctum.*

7 *Inobedientia oritur ex inani gloria.*

Quæritur an peccatum veniale sit inobediẽtia, & an omne peccatũ mortale sit inobediẽtia.

1 RESpondeo dicendum, quòd peccatum veniale nõ est inobediẽtia,

tia, quia non est contra præceptum, sed præter præceptum; nec etiam omne peccatum mortale est inobedientia propriè, & per se loquendo, sed solum tunc quando aliquis præceptum contemnit, quia ex fine morales actus speciem habent; cũ autem facit aliquid contra præceptum non propter præcepti contemptum, sed propter aliquid aliud est inobedientia materialiter tantum, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati. 2.2.q. 105.a.1.ad 1.

Quæritur an subditus dicatur inobediens, si semper Prælato non obediat.

2 Respondeo dicendum, quòd nullus obligatur ad impossibile, & ideo si tot præcepta Prælatus aliquis ingerat, seu iniungat, quod subditus ea implere non possit, excusatur à peccato, & ideo Prælati abstinere debent à multitudine præceptorum. 2.2.q.105.a.1.ad 3.

Quæritur an inobedientia sit peccatũ mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd peccatũ mortale est, quod contrariatur Charitati, per quam est spiritualis vita, Charitate autem diligitur Deus, & proximus; exigit autem Charitas Dei, vt eius mandatis obediatur, & ideo inobedientem esse Diuinis præceptis est peccatum mortale, quasi Diuinæ dilectioni contrarium; in præceptis autem Diuinis continetur quòd etiam superioribus obediatur, & ideo etiam inobedientia, qua quis inobediens est præceptis superiorum, est peccatum mortale, quasi Diuinæ dilectioni contrarium secundum illud ad Rom. 13. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; contrariatur insuper dilectioni proximi, inquantùm superiori proximo subtrahit obedientiam, quam ei debet. 2.2.q.105.a.1.in corp.

Quæritur an inobedientia sit speciale, an generale peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd peccatũ dicitur esse speciale ex intentione specialis finis, vndè quando aliquis non seruat præceptum hac intentione, vt contemnat præceptum, sic est speciale peccatum, sed quando ex aliqua causa, puta quando ex concupiscentia, tunc est conditio consequens peccatum, non tamen speciale peccatum. lect. 1.cap. 2. ad hebreos. [2. 2. q. 105. a. 2. ad 3.

Quæritur an inobedientia sit grauissimum peccatorum.

5 Respondeo dicendum, quòd non omnis inobedientia est æquale peccatum, potest enim vna inobediẽtia esse grauior altera dupliciter, vno modo ex parte præcipientis, quamuis enim omnem curam homo apponere debeat adhoc, quod cuilibet superiori obediat, tamen magis est debitum, quod homo obediat superiori, quam inferiori potestati, cuius signũ est, quod præceptum inferioris prætermittitur, si sit præcepto superioris cõtrarium, vndè consequens est, quod quanto superior est ille, qui præcipit, tanto ei inobedientem esse sit grauius, & sic inobedientem esse Deo est grauius, quã inobedientẽ esse homini; secundò ex parte præceptorum, non enim præcipiens æqualiter vult impleri omnia, quæ mandat, magis .n. vnusquisq; præcipiẽs vult finẽ, quã id, quod est fini propinquũ, & ideo tanto est inobedientia grauior, quãto præceptum, ꝙ quis præterit, magis est de intentione illius, qui præcipit; & in præceptis quidẽ Dei manifestum est, ꝙ quãto præceptum datur de meliori, tãto est ei' inobediẽtia grauior, quia cum voluntas Dei ꝑ se feratur ad bonum, quanto aliquid est melius, tãto Deus vult illud magis impleri, vndè qui inobediens est præcepto de dilectione Dei, graui' peccat, quã qui inobediẽs

est

est præcepto de dilectione proximi, voluntas autem hominis non semper magis fertur in melius, & ideo vbi obligamur ex solo hominis precepto non est grauius peccatum ex eo, quod maius bonũ prætermitur, sed ex eo, quod præteritur illud, quod est magis de intentione præcipientis, sic ergo oportet secundùm diuersos inobedientiæ gradus diuersis peccatorũ gradibus comparare, nam inobedientia, qua contemnitur Dei præceptum ex ipsa ratione inobedientiæ grauius est peccatum, quam peccatum, quo peccatur in hominem, si secerneretur inobedientia Dei, & hoc ideo dico, quia qui cõtra proximum peccat, etiam contra præcepta Dei agit; si tamen in aliquo potiori preceptum Dei contemneret, adhuc peccatum grauius esset; inobedientia autem, qua contemnitur præceptum hominis, leuior est peccato, quo contemnitur ipse præcipiens, quia ex reuerentia præcipiẽtis procedere debet reuerẽtia præcepti; & similiter peccatum, quod directè pertinet ad contemptum Dei, sicut blasphemia, vel aliquid huiusmodi grauius est etiam semota per intellectum inobediẽtia à peccato, quam esset illud peccatũ, in quo contemnitur solum Dei præceptum. 2.2.q.105. a.2.in corp.

Quæritur an omnis inobedientia sit peccatum in Spiritum Sanctum.

6 Respondeo dicẽdum, quòd non omnis inobedientia est peccatum in Spiritum Sanctum, sed solum illa, cui obstinatio adhibetur, non enim contemptus cuiuscunq; quod peccatum impedit, constituit peccatum in Spiritum Sanctum, alioquin cuiuslibet boni contemptus esset peccatum in Spiritum Sanctum, quia per quodlibet bonum potest homo impediri à peccato, sed bonorum illorum contemptus facit peccatum in Spiritum Sanctum, quę directè ducunt ad pænitentiam, & remissionem peccatorum. 2.2.q. 105.a.2.ad 2.

Quæritur à quo peccato oriatur inobedientia.

7 Respondeo dicendum, quòd Gregorius dicit 31. moralium, quod inobedientia oritur ex inani gloria, quæ appetit manifestationem alicuius excellentiæ, quia videtur ad quamdam excellentiam pertinere, quod homo præceptis alterius non subdatur, inde est, quod inobediẽtia ex inani gloria oritur, nihil autem prohibet ex peccato veniali oriri mortale, cũ veniale sit dispositio ad mortale. 2.2.q. 105.a.1.ad 2. [4.sent.d.42.q.2.a.4.ad 5.

INSANABILE PECCATVM.

Auaritia, & peccatum in Spiritum Sanctum sunt peccata insanabilia.
Diuersa ratione dicitur auaritia peccatum insanabile à peccato in Spiritum Sanctũ

Quæritur quod nam dicatur peccatum insanabile.

Respondeo dicendum, quòd auaritia, & peccatum in Spiritum Sanctum dicuntur insanabilia peccata, sed alio modo est insanabilis auaritia, & alio modo peccatum in Spiritum Sanctum; peccatum enim in Spiritum Sanctum dicitur esse insanabile ex perfecta inhæsione voluntatis ad peccatũ, qui enim peccat per ignorantiam non eligit peccatũ, nisi per accidens, eligit enim id, quod est peccatum, quod tamen nescit esse peccatum; qui verò peccat per infirmitatem eligit, quod est peccatũ per se, sed tamen ex causa de facili transeunte scilicet ꝓpter impetum passionis; sed ille, qui ex certa malitia peccat, eligit peccatum, vt secundum se appetibile, & ideo talis insanabilitas pertinet ad grauitatem peccati; sed auaritia dicitur esse insanabilis propter

Propter conditionem subiecti, quia humana vita continuè vergit in defectum, omnis autem defectus incitatiuus est ad auaritiam, propter hoc enim temporalia bona quæruntur, vt subueniatur defectibus præsentis vitæ. q. 13. de malo a. 2. ad 8

INSANIA.

Insania dicitur cum quis amittit vsum rationis, & cum amittit affectum humanũ.
Insania primo modo opponitur prudentiæ.
Insania secundo modo opponitur Clementiæ

Quæritur quotuplex sit insania.

RESpondeo dicendum, quòd insania dicitur per corruptionem sanitatis, sicut autẽ sanitas corporalis corrumpitur per hoc, quod corpus recedit à debita complexione humanæ speciei, ita etiam insania secundùm animam accipitur per hoc, quod anima humana recedit à debita dispositione humanæ speciei, quod quidem contingit, & secundum rationem, puta cum aliquis vsum rationis amittit, & quantùm ad vim appetitiuam, puta cũ aliquis amittit affectum humanum, secundum quem homo est naturaliter omni homini amicus, vt dicitur in 8. eth. insania autem, quæ excludit vsum rationis opponitur prudentiæ, sed quod aliquis delectetur in pœnis hominum dicitur esse insania, quia per hoc videtur homo priuatus affectu humano, quem sequitur Clementia. 2. 2. q. 157. a. 3. ad 3.

INSENSIBILITAS.

1 *Insensibilitas nomine proprio caret.*
2 *Insensibilitas est vitium, & quid sit.*
Laudabile aliquando est abstinere à delectationibus consequentibus operationes necessarias ad vitam hominis.
3 *Vitium oppositum luxuriæ continetur sub insensibilitate.*

Cui accidat hoc vitium.

Quæritur an insensibilitatis vitium proprio gaudeat nomine.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd Philosophus dicit in 3. eth. quod insensibilitas, quæ opponitur temperantiæ non multum contingit, & ideo tàm ipsa, quàm omnes eius species, quę opponuntur diuersis speciebus temperantiæ, nomine carent. 2. 2. q. 150. a. 1. ad 1.

Quæritur an insensibilitas sit vitium.

2 Respondeo dicendum, quòd omnẽ illud, quod contrariatur ordini naturali est vitiosum, natura autem delectationẽ apposuit operationibus necessarijs ad vitam hominis, & ideo naturalis ordo requirit, vt homo intantùm huiusmodi delectationibus vtatur, quantùm necessariũ est saluti humanæ, vel quantùm ad conseruationem indiuidui, vel quantùm ad conseruationem speciei; si quis ergo intantùm delectationem refugeret, quod prætermitteret ea, quę sunt necessaria ad conseruationem naturæ, peccaret, quasi ordini naturali repugnans, & hoc pertinet ad vitium insensibilitatis: sciendum tamen, quod ab huiusmodi delectationibus consequẽtibus huiusmodi operationes quandoq; laudabile, vel etiam necessarium est, abstinere propter aliquẽ finẽ, sicut propter sanitatem corporalem aliqui abstinent à quibusdam delectationibus potus, & venereorum, & etiam propter alicuius officij executionem, sicut atletas, & milites necesse est à multis delectationibus abstinere, vt officium proprium exequantur; & similiter pænitentes ad recuperandum animæ sanitatem abstinentia delectabilium, quasi quadam dieta vtuntur, & homines volentes contemplationi, & rebus Diuinis vacare, oportet quod se magis à carnalibus desiderijs

derijs abstrahant; nec aliquid prædictorum ad insensibilitatis vitium pertinet, quia sunt secũdum rationem rectam. 2. 2. q. 142. a. 1. in corp.

Quæritur an vitium oppositum luxuriæ contineatur sub insensibilitate.

3 Respondeo dicendum, quòd oppositum luxuriæ non contingit in multis eo quod homines magis sunt proni ad delectationes, & tamen oppositum vitium cõtinetur sub insensibilitate, & accidit hoc vitium in eo qui intãtùm detestatur mulierum vsum, quod etiam vxori debitum non reddit. 2. 2. q. 153. a. 3. ad 3.

INTEMPERANTIA.

1 *Peccata intemperantiæ sunt minoris culpæ, & maioris infamiæ.*
2 *Intemperantia est maximè ex probabilis.*
3 *In quo sensu dicuntur huiusmodi peccata maximè ex probabilia.*
4 *Quænam peccata inter peccata intemperantiæ sint maximè exprobabilia.*
5 *Quod nam sit remedium contra intemperantiam.*

Quæritur an peccata contenta sub intemperãtia sint infamatoria.

1 Respondeo dicendum, quòd vitia carnalia, quæ sub intemperantia continentur, licet sint minoris culpæ, sunt tamen maioris infamię, nam magnitudo culpæ respicit deordinationem à fine, infamia autem respicit turpitudinem, quæ maximè consideratur secundùm indecentiam peccantis. 2. 2. q. 142. ar. 4. ad 1.

Quæritur an peccatum intemperantiæ sit maximè exprobabile.

2 Respondeo dicendũ, quòd exprobatio opponi videtur honori, & gloriæ; honor autem excellentiæ debetur, gloria autem Claritatem importat, est ergo intemperantia maximè exprobabilis propter duo; primò quidem quia maximè repugnat excellentiæ hominis, est enim circa delectationes communes nobis, & Brutis; secundò quia maximè repugnat eius claritati, vel pulcritudini, inquãtùm scilicet in delectationibus, circa quas est intemperantia, minus apparet de lumine rationis, ex qua est tota Claritas, & pulcritudo virtutis, vndè & huiusmodi delectationes dicuntur seruiles. 2. 2. q. 142. a. 4. in corp.

Quæritur quomodo intelligatur, quod intemperantia sit maximè exprobabilis.

3 Respondeo dicendum, quòd cum dicitur intemperantia esse maximè exprobabilis, est intelligendum inter vitia humana, quæ scilicet attenduntur secundũ passiones humanæ naturæ aliqualiter cõformes, sed illa vitia, quæ excedunt modum humanæ naturæ, sunt magis exprobabilia, & tamen etiam illa videntur reduci ad genus intemperantiæ secundùm quemdam excessum, sicut si aliquis delectaretur in comestione carnium humanarum, aut in coitu bestiarum, aut masculorum. 2. 2. q. 142. a. 4. ad 3 [q. 144. a. 1. ad 2. [q. 151. a. 4. ad 2. & 4.

Quæritur quænam peccata inter peccata intemperantię præcipuè sunt exprobabilia.

4 Respondeo dicendum, quòd inter vitia intemperantiæ præcipuè sunt exprobabilia peccata venerea, tũ propter inobedientiam genitalium membrorum, tũ etiã ꝓpter hoc quòd ratio ab huiusmodi maximè absorbetur. 2. 2. q. 151. a. 4. ad 3.

Quæritur quodnam sit remedium contra intemperantiam.

5 Respondeo dicendũ, quòd ad vitãdum

dum intemperantiam maximũ remediũ est, vt nõ immoretur homo circa singularium cõsiderationẽ.2.2.q.142.a.3.ĩ corp.

INTENTIO.

1 *Intentio mala sufficit ad malitiam operationis.*

2 *Effectus sequens actũ voluntatis, si est praecogitatus addit ad bonitatem, vel malitiam eius.*

Si non est praecogitatus, & tamen sequitur per se, & vt in pluribus talem actum, addit ad bonitatem, vel malitiam eius.

Si est praecogitatus & tamen sequitur actũ talem per accidens, & raro non addit ad bonitatem, vel malitiam eius.

3 *Si bono intẽto ab aliquo adiungatur malũ vt in paucioribus, excusatur ille à peccato*

Si verò bono intento adiungatur malũ semper, vel vt in pluribus, non excusatur à peccato.

Quaeritur an intentio mala sufficiat ad constituendam malam operationem.

1 Respondeo dicẽdum, quòd actus habet malitiam ex fine, quia si finis intẽtus est malus, voluntas mala est, quantumcunq; sit bonum illud, quod ad talem finem ordinatur, eo quod vnus particularis defectus sufficit ad malitiam. 2. sent.d.38.a.5. in corp.

Quaeritur an effectus sequens actum voluntatis addat ad bonitatem, vel malitiam eius.

2 Respondeo dicendum, quòd euentus sequens, aut est praecogitatus, aut non; si est praecogitatus, manifestum est, quod addit ad bonitatem, vel malitiam, cum enim aliquis cogitans, quod ex opere suo multa mala possũt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas eius esse magis inordinata; si autem euentus sequens non sit praecogitatus, tunc distinguendũ est, quia si per se sequitur ex tali actũ, & vt in pluribus, secundum hoc euẽtus sequens addit ad bonitatem, vel malitiã actus; manifestum est enim meliorem actum esse ex suo genere, ex quo possunt plura bona sequi, & peiorem, ex quo nata sũt plura mala sequi; si vero per accidens, & vt in paucioribus, tunc euentus sequens non addit ad bonitatem, vel malitiam actus, nõ enim datur iudicium de re aliqua secundũ illud, ꝙ est per accidẽs sed solum secundũ illud, quod est p se. p. 2.q.20.a.5.ĩ corp. 2.sẽt.d.40.a.3. ĩ corp.

Quaeritur an intendens bonum per se excusetur à malo, quod sequitur.

3 Respondeo dicendum, quòd si bono, quod voluntas intendit, adiungitur aliquod malum, vt in paucioribus potest excusari à peccato, sicut si aliquis incidens lignum interficiat hominem, sed si sẽper, vel vt in pluribus adiungatur malum bono, quod per se intendit, non excusatur à peccato, licèt illud malum non per se intendat. q.1. de malo.a.3.ad 15.

Quaeritur an intendens peccare mortaliter, per hoc peccet mortaliter.

Respondeo dicẽdum sicut verbo. Peccatum.cap.5.q.3.

INTERDICTVM.

Quaeritur an Regnum possit interdici pro peccatis Regis.

Respondeo dicendũ ꝙ totum Regnũ supponitur interdicto pro peccatis Regis.4.sẽt.d.18.q.2.a 3.quaestiũ.2.ad 2.

INTERPRETATIO.

1 *In dubijs opus est interpretatione.*

In manifestis opus est excusatione.

2 *Quando nõ sunt manifesta indicia de mali-*

cia alicuius, debemus eum vt bonum habere, & dubia in meliorem partem sunt interpretanda.

3 *Interpretari aliquid in meliorem, vel in deteriorem partem flat dupliciter, scilicet supponendo, & diffiniendo.*

Quomodo sit interpretandum diffiniendo in iudicio rerum, & personarum.

Quaritur in quibus habeat locum interpretatio.

1 Respondeo dicendum, quòd interpretatio locum habet in dubijs, in quibus non licet absq; determinatione Principis à verbis legis recedere; sed in manifestis non est opus interpretatione, sed excusatione. 2.2.q.120.a.1.ad 3

Quaritur an dubia sint in meliorem partem interpretanda.

2 Respondeo dicendum, quòd ex hoc ipso quod aliquis habet malam opinionē de alio absq; sufficienti causa, iniuriatur ei, & contemnit ipsum, nullus autē debet alium contemnere, vel nocumentū quandoq; inferre absq; causa cogente, & ideo vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum, vt bonū habere in meliorem partem interpretando, quod dubiū est. 2.2.q.60.a.4. in corp.

Quaritur quot modis contingat interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem.

3 Respondeo dicēdum, quòd interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem contingit dupliciter, vno modo per quandam suppositionem, & sic cum debemus aliquibus malis adhibere remediū siue nostris, siue alienis, expedit adhoc, vt securius remedium apponatur, quod supponatur id, quod est deterius, quia remedium, quod est efficax contra maius malum, multo magis est efficax cōtra minus malum; alio modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum diffiniendo, siue determinando. & sic in rerū iudicio debet aliquis niti adhoc, vt interpretetur vnumquodq; secundum quod est; in iudicio autem personarum, vt interpretetur in melius. 2.2.q.60.a.4. ad 3.

Quaritur an sit melius sapius falli interpretando in bonam partem ea, qua sunt proximi mali quam falli interpretando in malam partem ea, qua sunt proximi boni.

Respondeo dicendum sicut verbo Dubitatio. q. 3.

INTIMIDITAS.

1 *Esse inpauidum est vitiosum, siue causetur ex defectu amoris, siue ex elatione animi, siue ex stoliditate.*

Si tamen stoliditas sit inuincibilis, excusat à peccato.

2 *Intimiditas apponitur fortitudini.*

Quaritur an intimiditas sit peccatum.

1 Respondeo dicēdum, quòd quia timor ex amore nascitur, idem iudicium videtur esse de amore, & timore, agitur autē nunc de timore, quo mala temporalia timentur, qui prouenit ex bonorum temporalium amore, inditum autem est, & vnicuiq; naturaliter, vt propriam vitam amet, & ea, quæ ad ipsam ordinantur cū debito modo, vt scilicet amentur huiusmodi non quasi finis cōstituatur in eis, sed secundum quod eis vtēdum est propter vltimum finem, vndè quòd aliquis deficiat à debito modo amoris ipsorum est cōtra naturalem inclinationem, & per consequens est peccatū, nunquam tamen à tali amore aliquis totaliter decidit, quia id, quod est naturale totaliter

taliter perdi non potest, propter quod Apostolus dicit ad Ephesios 5. nemo vnquam carnem suam odio habuit, vndè et illi, qui seipsos intermunt, ex amore carnis suæ hoc faciunt, quam volunt præsentibus angustijs liberare; vndè contingere potest, quod aliquis minus, quā debet, timeat mortem, & alia temporalia mala ꝑpter hoc, quod minus debito amet ea, sed quod nihil horum timeat, non potest ex totali defectu amoris contingere, sed ex eo, quod estimat mala opposita bonis, quæ amat, sibi subuenire non posse, quod quandoq; contingit ex superbia animi de se præsumentis, & alios contemnentis secundum quod dicitur Iob. 41. factus est vt nullum timeret, omne sublime videt; quandoq; autem contingit ex defectu rationis, sicut Phylosophus dicit in 3. eth. quod stulti propter stultitiā nihil timēt, vndè patet, ꝙ esse inpauidū est vitiosum, siue causetur ex defectu amoris, siue causetur ex elatione animi, siue causetur ex stoliditate, quę tamen excusat à peccato, si sit inuincibilis. 2. 2. q. 126. a. 1. in corp.

Quarit an intimiditas opponatur fortitudini.

2 Respondeo dicendum, quòd fortitudo est circa timores, & audacias, omnis autem virtus moralis ponit modum rationis in materia, circa quam est, vndè ad fortitudinem pertinet timor moderatus secundum rationem, vt scilicet homo timeat, quod oportet, & quando oportet, & similiter de alijs; hic autem modus rationis corrumpi potest sicut per excessū, ita & per defectum, vndè sicut timiditas opponitur fortitudini per excessum timoris, inquantùm scilicet homo timet, quod non debet, vel secundum quod non debet, vel secundum quod non oportet, ita etiam inpauiditas opponitur ei per defectum timoris, inquātùm scilicet aliquis non timet, quod oportet timere, 2. 2. q. 126. a. 2. in corp.

INVENTA.

Quæritur quid debeat facere quis circa inuenta.

RESpondeo dicendum sicut verbo Furtum. q. 11.

INVIDIA.

1 *Quid sit inuidia.*
2 *Homo non inuidet alijs à se multum distantibus loco, vel tempore, vel statu, sed propinquis.*
3 *In pueris non habentibus vsum rationis inuidia non est peccatum mortale.*
4 *Senes inuidi sunt iuuenibus, & qui multum expēderunt, vt aliquod consequerētur, inuident his, qui parū expenderunt.*
5 *Inuidia est tristitia de bono alterius.*
Tristitia de bono alterius fiat quadrupliciter
Quæ tristitia de bono alterius fit sine peccato, & quæ cum peccato, & quæ propriè fit inuidia.
6 *Inuidia ex genere suo est peccatū mortale.*
Primi motus inuidię sunt peccata venialia
7 *Inuidia opponitur Nemesi, & misericordiæ, siue charitati secundum diuersa.*
8 *Inuidia est vitium Capitale.*
9 *Quæ sint filiæ inuidiæ.*
10 *Inuidia non est maximum peccatorum.*
Inuidia fraterna gratiæ est inter grauissimā peccata.

Quæritur an inuidia sit tristitia.

1 RESpondeo dicendū, quòd obiectū tristitiæ est malum propriū, contingit autē id, ꝙ est alienū bonū, apprehēdi, vt malū proprium, & secundum hoc de bono alieno potest esse tristitia, sed hoc contingit dupliciter, vno modo quando quis tristatur de bono alicuius, inquantùm imminet sibi ex hoc periculū alicuius nocumenti, sicut cum homo tristatur de exaltatione inimici sui, timens

ne eum lædat,& talis tristitia non est inuidia,sed magis timoris effectus, vt Phylosophus dicit in 2. Rethoricorum; alio modo bonum alterius æstimatur, vt malum proprium,inquãtùm est diminutiuũ propriæ gloriæ, vel excellentiæ, & hoc modo de bono alterius tristatur inuidia, & ideo præcipuè de illis bonis homines inuident,in quibus est gloria, & in quibus homines amant honorari, & in opinione esse,vt Phylosophus dicit in 2.reth. 2.2.q.36.a.1.in corp.

Quæritur ad quòs sit inuidia.

2 Respondeo dicendum,quòd quia inuidia est de gloria alterius inquantùm diminuit gloriam,quã quis appetit, consequẽs est,vt ad illos,tantùm inuidia habeatur,quibus homo vult se æquare, vel præferre in gloria,hoc autem non est respectu multum à se distantiũ,nullus enim nisi insanus studet se ęquare,vel pręferre in gloria his,qui sunt multo eo maiores, puta plebeius homo Regi,vel etiam Rex plebeo, quẽ multum excedit,& ideo his, qui multum distant,vel loco, vel tẽpore, vel statu homo non inuidet, sed his, qui sunt propinqui,quibus se nititur æquare, vel præferre,nã cum illi excedunt in gloria,accidit hoc contra nostrã vtilitatẽ,& inde causatur tristitia.2.2.q.36.a.1.ad 2.

Quæritur an in paruulis possit esse inuidia.

3 Respondeo dicẽdum,quòd dicit Augustinus in primo cõfessionum,vidi ego, & expertus sum zelãtem puerum, nondũ loquebatur,& intuebatur pallid⁹ amaro aspectu collactaneum suum, sed talis inuidia nòn est peccatum mortale, quia in illis nõ est vsus rationis.2.2.q.36.a.3.ad 2

Quæritur quinam dicantur inuidi.

4 Respondeo dicendum, quòd dicit Phylosophus in 2.Reth. quod senes inuident iunioribus,& illi,qui multum expenderunt ad aliquid consequendum, inuident his, qui paruis expensis illud sunt cõsequuti,dolent enim de amissione suorum bonorum,& de hoc,quod alij consecuti sunt bona.2.2.q.36.a.1.ad 4.

Quæritur an inuidia sit peccatum.

5 Respondeo dicendum,quòd sicut dictum est,inuidia est tristitia quædam de alienis bonis,sed hæc tristitia potest contingere quattuor modis, vno quidẽ modo cum aliquis dolet de bono alicuius inquantùm ex eo timetur nocumentum, vel sibi ipsi,vel etiam de alijs bonis,& talis tristitia non est inuidia,vt dictum est, & potest esse sine peccato,vndè Gregori⁹ 22.moralium ait,euenire plerumq; solet, vt non amissa Charitate, & inimici nos ruina lætificet,& rursum eius gloria sine inuidiæ culpa contristet, cum & ruente eo quosdam benè erigi credimus, & proficiente illo plerosq; iniustè opprimi formidamus; alio modo potest aliquis tristari de bono alterius nõ ex eo, quod ipse habet bonum,sed ex eo quod nobis deest bonum illud,quod ipse habet,& hoc propriè est zelus,vt Phylosophus dicit in 2. reth.& si iste zelus sit circa bona honesta laudabilis est secundum illud primæ ad Corinth.14.æmulamini spiritualia; si autẽ sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato,& sine peccato; tertiò modo aliquis tristatur de bono alterius, inquãtùm ille,cui accidit bonum,est eo indignus; quæ quidem tristitia non potest oriri ex bonis honestis, ex quibus aliquis iustus efficitur,sed sicut Phylosoph⁹ dicit in 2 reth. est de Diuitijs, & talibus, quæ possũt ꝓuenire dignis,& indignis,& hęc tristitia secundũ ipsũ vocatur Nemesis, & pertinet ad bonos mores,sed hoc ideo dicit,qa cõsiderabat ipsa bona tẽporalia secundũ se, ꝓut possunt magna videri nõ respi-

respicientibus ad æterna; sed secundum doctrinam fidei temporalia bona, quæ indignis proueniunt ex iusta Dei ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem, & huiusmodi bona quasi nihil sunt in cōparatione ad bona futura, quæ seruātur bonis, & ideo huiusmodi tristitia prohibetur in scriptura Sacra secundum illud Psalm. 36 noli æmulari in malignātibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem, & alibi 72. Psalm. pænè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns; quartò modo aliquis tristatur de bonis alicuius inquantùm alter excedit ipsum in bonis, & hoc propriè est inuidia, & illud semper est prauū vt Phylosophus dicit in 2. reth. quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi. 2.2.q.36.ar. 2. in corp. [q. 10. de malo. a. 1. in corp.

Quæritur an inuidia sit peccatum mortale.

6 Respondeo dicendum, quòd inuidia ex genere suo est peccatum mortale, genus autem peccati ex obiecto consideratur, inuidia autē secundum rationem sui obiecti contrariatur Charitati, per quā est vita animę spiritualis secundum illud primæ Ioannis 3. nos fuimus, quoniam translati: sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; vtriusq; autem obiectum, & Charitatis, & inuidię est bonum proximi, sed secundum contrarium motum, nā Charitas gaudet de bono proximi, inuidia autē de eodē tristatur, vndè manifestum est, quod inuidia ex suo genere est peccatum mortale; sed in quolibet genere peccati mortalis inueniuntur aliqui imperfecti motus in sensualitate existētes, qui sunt peccata venialia, sicut in genere adulterij primus motus cōcupiscentiæ, & in genere homicidij primus motus iræ, ita etiam in genere inuidiæ inueniuntur aliqui primi motus, quandoque etiam in viris perfectis, quæ sunt peccata venialia. 2.2.q.36. ar. 3. in corp. q. 10. de malo. a. 2. in corp.

Quæritur cui virtuti opponatur inuidia.

7 Respondeo dicendum, quòd inuidia secundum Phylosophum in 2. reth. opponitur, & Nemesi, & misericordiæ, sed secundum diuersa, nā misericordiæ opponitur directè secundum contrarietatem principalis obiecti, inuidus enim tristatur de bono proximi, misericors autem tristatur de malo proximi, vndè inuidi non sunt misericordes, sicut ibidem dicitur, nec è conuerso: ex parte vero eius, de cuius bono tristatur inuidus, opponitur inuidia Nemesi, Nemesicus enim tristatur de bono indignè agentium secundùm illud Psalm. 72. zelaui super iniquos pacem peccatorum videns, inuidus autē tristatur de bono eorum, qui sunt digni, vndè patet, quod prima contrarietas est magis directa, quam secunda; misericordia autem quędam virtus est, & Charitatis proprius effectus, vndè inuidia misericordiæ opponitur, & Charitati. 2. 2. q. 36. a. 3. ad 3.

Quæritur an inuidia sit vitium Capitale.

8 Respondeo dicendum, quòd sicut accidia est tristitia de bono spirituali Diuino, ita inuidia est tristitia de bono proximi; dictum est autem supra accidiam esse vitium capitale ea ratione quia ex accidia homo impellitur ad aliqua faciēda, vel vt fugiat tristitiam, vel vt tristitiæ satisfaciat, vndè eadem ratione inuidia ponitur vitium capitale. 2. 2. q. 36. ar. 4. in corp. [q. 10. de malo a. 3. in corp.

Quæritur quænam sint filiæ inuidiæ.

9 Respondeo dicendum, quòd filiæ inuidiæ assignātur à Gregorio in 31. mora-

 lium.

lium, vbi dicit, quod de inuidia oritur odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, & afflictio in prosperis 2.2.q.36.a.4. ad 3. [q. 10. de malo ar. 3. in corp.

Quæritur an inuidia sit maximum peccatorũ.

10 Respondeo dicendum, quòd inuidia non est maximum peccatorum; est tamen quædam inuidia, quæ inter grauissima peccata computatur, scilicet inuidia fraternæ gratiæ secundùm quòd aliquis dolet de ipso augmento gratiæ Dei, non solum de bono proximi, vndè ponitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia per hanc inuidẽtiam homo quodãmodo inuidet Spiritui Sancto, qui in suis operibus glorificatur. 2.2.q.36.a.4. ad 2.

INVOCARE DAEMONES.

Quæritur an liceat inuocare Dæmones?

RESpondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt supra facultatem humanam, & naturæ, à solo Deo requirenda sunt, & ideo sicut grauiter peccat, q illud, quod est Dei, Creaturæ impendit per idolatriẹ cultum, ita etiam grauiter peccant, qui ea, quæ à Deo expetenda sunt, auxilio Dæmonum implorant, & huiusmodi est vaticinatio de futuro, vndè dicitur Esaiẹ 8. nunquid non populus à Deo suo &c. & similiter etiam alijs operibus magicis, in quibus complementum operis ex virtute Demonum expectatur, in his enim omnibus est apostasia à fide per pactum initũ cum Dæmone, vel verbotenus, si inuocatio intersit, vel facto aliquo, etiam si sacrificia desint, non enim potest homo duobus Dominis seruire, vt dicitur Matthæi 7. 2. sent. d. 7. q.3.a.2.in corp.

IOCOSVM VERBVM.

Magis est peccatum veniale verbum ociosum quam factum ociosum.
Quid sit ociosum.
Non omne verbum iocosum est ociosum, si ad recreationem referatur.

Quæritur an iocosum verbum possit esse sine peccato.

REspondeo dicendum, quòd verbum ociosum magis est peccatum veniale, quam factum ociosum, sciendũ tamen, quod secundum Gregorium ociosum est, quod caret intentione piæ voluntatis ad rationem iustæ necessitatis, vndè nõ omne verbum iocosum est ociosum, si ad recreationem referatur, quia etiam in iocis contingit esse virtutum Eutrapeliam, de qua Phylosophus in 4. eth. determinat. 2.sent.d.4.a.5.ad 8.

IPOCRISIS.

1 *Vndè sit tractum nomen Ipocrisis.*
Quid sit Ipocrisis.
2 *Simulare Sanctitatem, quam quis non curauit habere, est peccatum mortale.*
Simulare Sanctitatem malo fine, & contrario Charitati est peccatum mortale.
Simulare Sanctitatem fine non contrario Charitati est peccatum veniale.
Simulare perfectionem Sanctitatis, quæ nõ est de necessitate salutis, nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali.
3 *Ipocrisis est speciale peccatum.*
4 *Ipocrisis semper est peccatum.*
5 *Ipocrisis directè opponitur veritati.*
6 *Ipocrisis inter alia vitia etiam grauiora impedit pænitentiæ effectum.*

Quæritur quid sit Ipocrisis.

1 REspondeo dicendũ, quòd sicut Isidorus dicit nomen Ipocritæ tractum

tractum est à specie eorum, qui in spectaculis contecta facie intendunt, distinguẽtes vultum vario colore, vt ad personæ, quam simulant, colorem perueniãt modo in specie viri, modo in specie fæminæ, vt in ludis populum fallant; vndè Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in monte, quod sicut Ipocritæ simulatores aliarum personarum agunt partes illius, quod non sunt (non enim qui agit partes agamemnonis, verè ipse est, sed simulat eum) sic in Ecclesijs, & in omni vita humana, qui se vult videri, quod nõ est, Ipocrita est, simulat enim se iustum, non exhibet: sic igitur dicendũ est, quod Ipocrisis simulacio est, non autem omnis simulacio, sed solum illa, qua quis simulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam iusti. 2. 2. q. 111. ar. 2. in corp.

Quæritur an Ipocrisis semper sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd in Ipocrisi duo sunt, scilicet defectus Sanctitatis, & simulacio ipsius; si ergo Ipocrita dicatur ille, cuius intẽtio fertur ad vtrũque, vt scilicet aliquis non curet Sanctitatem habere, sed solum Sanctus apparere, sicut consueuit accipi in sacra scriptura, sic manifestum est, quod est peccatum mortale, nullus enim totaliter priuatur Sanctitate nisi per peccatum mortale; si autem dicatur Ipocrita, qui intẽdit simulare Sanctitatem, à qua defficit per peccatum mortale, tunc quamuis sit in peccato mortali, ex quo priuatur Sanctitate, non tamen semper ipsa simulacio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale, quod discernendum est fine, qui si repugnat Charitati Dei, vel proximi erit peccatum mortale, puta cum simulat Sanctitatem, vt falsam doctrinam disseminet, vel vt adipiscatur Ecclesiasticã dignitatem indignus, vel quæcunq; alia temporalia bona, in quibus finem constituit; si vero finis intentus non repugnet Charitati, erit peccatum veniale, puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur, de quo dicitur 4. eth. quod magis videtur vanus, quam malus, eadem enim ratio est de mendacio, & simulacione; contingit tamẽ quandoq; quod aliquis simulat perfectionem Sanctitatis, quæ non est de necessitate salutis, & talis simulacio, nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali. 2. 2. q. 111. a. 4. in corp. [4. sent. d. 16. q. 4. ar. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an Ipocrisis sit speciale peccatum, an generale.

3 Respondeo dicendũ, quòd illud peccatum est generale, quod auffert aliquam conditionem, quæ requiritur in qualibet virtute, sicut inobedientia, prout est generale peccatum, Ipocrisis autem auffert conformitatem signi ostendentis conditionem personę ad rem significatam, quę quidem conformitas ad vnam virtutem specialiter pertinet, scilicet veritatem, & ideo est speciale peccatum. 4. sent. d. 16. q. 4. a. 1. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an Ipocrisis sit semper peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd Ipocrisis gręcè, latinè dicitur simulator, & quia ostentare de se melius, quam sit, est vitiũ iactantię, siue verbis, siue factis fiat, vt dicitur in 4. eth. ideo Ipocrisis semper est peccatum. 4. sent. d. 16. q. 4. a. 1. quęstiunc. 1. in corp.

Quæritur an Ipocrisis opponatur virtuti veritatis.

5 Respondeo dicendum, quòd secundum Phylosophum in 10. Metaph. contrarietas est oppositio secundum formã,

à qua scilicet res speciem habet, & ideo dicendum est, quod simulatio, siue Ipocrisis potest opponi alicui virtuti dupliciter, vno modo directè, alio modo indirectè; directa quidem oppositio eius, siue eius contrarietas est attendenda secundum ipsam speciem actus, qui accipitur secundum proprium obiectum; vndè cum Ipocrisis sit quædam simulacio, quia quis simulat se habere personam, quam non habet, consequens est, quod directè opponatur veritati, per quã aliquis exhibet se talem vita, & sermone, qualis est, vt dicitur in 4. eth. indirecta autẽ oppositio siue contrarietas Ipocrisis potest attendi secũdum quodcunq; accidens, puta secũdum aliquẽ finem remotum, vel secundũ aliquod instrumentũ actus, vel quodcũq; aliud huiusmodi. 2. 2. q. 111. a. 3. in corp.

Quæritur an Ipocrisis debeat poni impedimentum pænitentiæ præ alijs vitijs.

6 Respondeo dicendum, quòd opera pænitentiæ exteriora præcipuè nata sunt Sanctitatem ostendere, & ideo eis vtitur Ipocrisis intentionem pænitentiæ rectæ excludens, & propter hoc directius impedit pænitentiæ effectum, quam alia vitia, etiam grauiora. 4. sent. d. 16. q. 4. a. 1. quæstiunc. 4. in corp.

IRA.

1 *Quid sit ira.*
Ira quando sit illicita, & quãdo laudabilis.
2 *Non licet appetere vindictam propter malum illius, qui punitur.*
Laudabile est appetere vindictã ad cõseruationẽ iustitiæ, & correctionem vitiorum.
3 *Ira per zelum est laudabilis.*
Ira per vitium est peccatum.
Ira non est absq; peccato, si non seruetur debitus modus.
4 *Ira vt dicit appetitum vindictæ iniustæ est peccatum mortale ex suo genere,*
Potest tamen esse veniale ex imperfectione actus, vel appetibilis.
Inordinatus modus irascendi non est peccatum mortale ex suo genere, si tamen in modo non seruetur dilectio Dei, *& proximi, erit peccatum mortale.*
5 *Ira ex parte appetibilis non est maximum peccatorum.*
Ira qu ad modum habet quandã excellentiã
6 *Ira est vitium capitale.*
7 *Sex sũt filiæ iræ, scilicet rixa, tumor mẽtis, cõtumelia, clamor, indignatio, blasphemia*
8 *Quid sit tumor mentis.*
9 *Tres sunt species iræ, & quæ.*
10 *Tres sunt gradus iræ.*
11 *Ira est minus peccatum odio, inuidia, & concupiscentia.*
12 *Incontinentia concupiscentiæ quo ad passionem turpior est, quã incontinẽtia iræ.*
Incontinentia iræ quo ad effectum est grauior, quam incontinentia concupiscentiæ
13 *Difficilius est pugnare assiduè contra concupiscentiam, quam contra iram.*
Ad horam difficilius est resistere iræ, quam concupiscentiæ.
14 *Quid pertineat ad iram essentialiter, antecedenter, & consequenter.*
15 Quod *nam sit remedium contra iram.*
16 *Defectus iræ vt est actus voluntatis, vt quo aliquis non ex passione, sed ex iudicio rationis pænam infligit est vitiosus.*

Quæritur an irasci sit licitum.

1 Respondeo dicendum, quòd ira propriè loquẽdo est passio quędam appetitus sensitiui, à qua vis irascibilis denominatur; est autem hoc cõsiderandum circa passiones animæ, quod dupliciter potest in eis malum inueniri, vno modo ex ipsa specie passionis, quæ quidẽ consideratur secundum obiectum passionis, sicut inuidia secũdum suam speciem importat quoddam malum, est enim tristitia de bono aliorum, quod secũdum se rationi repugnat, & ideo inuidia mox nomi-

nominata sonat aliquid mali, vt Phylosophus dicit in 2. eth. hoc autem non competit iræ, quæ est appetitus vindictæ, potest enim vindicta, & benè, & malè appeti, alio modo inuenitur malum in aliqua passione secundum quantitatem ipsius, idest secundùm superabundantiam, vel defectũ ipsius, & sic potest malum in ira inueniri, quãdo scilicet aliquis irascitur plus, vel minus præter rationẽ rectam; si autem aliquis irascitur secundum rationem rectã, tũc irasci est laudabile. 2.2.q. 158.a.1.ĩ corp. [q.12.de malo a.1.ĩ corp.

Quæritur an liceat appetere vindictam contra aliquem.

2 Respondeo dicendum, quòd appetere vindictam propter malũ eius, qui puniendus est, illicitũ est, sed appetere vindictam propter vitiorum correctionem, & bonum iustitię conseruandũ, laudabile est, & in hoc potest tendere appetitus sẽsitiuus, inquantùm mouetur à ratione, & dum vindicta secundũ ordinẽ iudicij fit, à Deo fit, cuius minister est potestas puniẽs, vt dicit Rom. 13. 2.2.q.158.a.1.ad 3.

Quæritur an ira sit peccatum.

3 Respondeo dicendum, quòd ira sicut dictum est propriè nominat quandã passionem, passio autem appetitus sensitiui intantùm est bona, inquantùm ratione regulatur, si autem ordinem rationis excludat, est mala, ordò autem rationis in ira potest attẽdi quantùm ad duo, primò quidem quantùm ad appetibile in quod tendit, quod est vindicta, vndè si aliquis appetat, quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum; si autem aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercunq; contra ordinem rationis, puta si appetat puniri eum, qui nõ meruit, vel vltra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conseruatio iustitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, & nominatur ira per vitium; alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantum ad modum irascẽdi, vt scilicet motus iræ non immoderatè feruescat, nec interiꝰ, nec exterius, q̃ quidẽ si prætermittatur, non erit absq; peccato, ẽt si aliquis appetat iustã vindictã. 2.2.q. 158.a.2.ĩ corp. [q.12 de malo a.2. ĩ corp.

Quæritur an omnis ira sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd motus irę potest esse inordinatus, & peccatũ dupliciter, vno modo ex parte appetibilis, vt potè cum aliquis appetit iniustã vindictam, & sic ex genere suo ira est peccatũ mortale, quia contrariatur Charitati, & iustitiæ, potest tamẽ contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, quæ quidẽ imperfectio attenditur, vel ex parte appetẽtis, puta cum motus iræ præuenit iudiciũ rationis, vel ẽt ex parte appetibilis, puta cũ aliq̃s appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita etiam, quod si actu inferatur, nõ esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahit puerum aliquem per capillos, vel aliquid huiusmodi, alio modo potest esse motus iræ inordinatus quãtùm ad modũ irascendi, vt potè si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ, & sic ira secundum se nõ habet de suo genere rationem peccati mortalis, potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale, puta si ex vehemẽtia iræ aliquis excidat à dilectione Dei, & proximi. 2.2.q.158.a.3.in corp. [q.12. de malo a.3.in corp.

Quæritur an ira sit grauissimum peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd inordinatio iræ secundũ duo attenditur, secundũ indebitũ appetibile, & secundũ indebitum

bitum

bitum modum irascendi; quantùm igitur ad appetibile, quod iratus appetit, videtur ira esse minimum peccatorum, appetit enim ira malum pœnæ alicuius sub ratione boni, quod est vindicta, & ideo ex parte mali, quod appetit, conuenit peccatum iræ cum illis peccatis, quæ appetunt malum proximi, puta cum inuidia, & odio; sed odium appetit absolutè malum alterius inquantùm huiusmodi, inuidus autem appetit malum alicuius propter appetitum propriæ glorię, sed iratus appetit malum alicuius propter appetitum propriæ gloriæ, sed iratus appetit malum alterius sub ratione iustę vindictæ, ex quo patet, quod odium est grauius, quam inuidia, & inuidia, quam ira, quia peius est appetere malum sub ratione mali, quam sub ratione boni, & peius appetere malum, sub ratione boni exterioris, quod est honor, vel gloria, quam sub ratione rectitudinis iustitiæ; sed ex parte boni, sub cuius ratione iratus appetit malum conuenit ira cum peccato concupiscentiæ, quod tendit in aliquod bonum, & quantùm adhoc etiam absolutè loquendo peccatum iræ videtur esse minus, quam concupiscentiæ, quanto melius est bonum iustitiæ, quod appetit iratus, quam bonum delectabile, vel vtile, quod appetit concupiscens, vndè Phylosophus dicit in 7. eth. quod incontinens concupiscentiæ est turpior, quam incontinens iræ; sed quãtùm ad inordinationem, quæ est secundum modũ irascendi, ira habet quandam excellentiam propter vehementiam, & velocitatẽ sui motus secundum illud Prouerb. 27. ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum cõcitati spiritus ferre quis poterit? vndè Gregorius dicit 5. moralium irę suæ stimulis accensum Cor palpitat, corpus tremit, lingua se prepedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti, ore quidem clamorẽ format, sed sensus quid loquitur, ignorat. 2.2.q.158.a.4.in corp.

Quæritur an ira sit vitium capitale.

6 Respondeo dicendum, quòd vitium capitale dicitur ex quo multa vitia oriũtur, habet autem hoc ira, quod ex ea multa vitia oriri possunt duplici ratione, primo ex parte sui obiecti, quod multũ habet de ratione appetibilitatis, inquantũ scilicet vindicta appetitur sub ratione iusti, vel honesti, quia sua dignitate allicit; alio modo ex suo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quæcunq; agenda, vndè manifestum est, quod ira est vitiũ capitale. 2.2.q.158.a. 6. in corp. [q.12. de malo.a.5.in corp.

Quæritur quot, & quæ sint filiæ iræ?

7 Respondeo dicendum, quòd filiæ iræ sunt istæ sex, scilicet Rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia, ira enim potest tripliciter considerari, vno modo secundum quod est in corde, & sic ex ira nascuntur duo vitia, vnum quidem ex parte eius, contra quẽ irascitur, quem reputat indignum, vt sibi tale quid fecerit, & sic ponitur indignatio, aliud autem vitium est ex parte sui ipsius, inquantùm scilicet excogitat diuersas uias vindictę, & talibus cogitationibus animũ suum replet secundũ illud Iob.15. nunquid sapiens implebit ardore stomacum suum, & sic ponitur Tumor mentis; alio modo consideratur ira secundum quod est in ore, & sic ex ira duplex inordinatio procedit, vna quidem secundum hoc, quod homo in modo loquendi iram suam demonstrat, sicut qui dicit fratri suo Rachá, & sic ponitur Clamor, per quem intelligitur inordinata, & conficta locutio; alia etiam est inordinatio secundum quod aliquis prorumpit in verba iniuriosa, quæ quidem si sint

contra

contra Deum, erit blasphemia, si autem contra proximũ, contumelia; tertiò modo consideratur ira secundum quod procedit vsq; ad factum, & sic ex ira oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira. 2. 2. q. 158. a. 7. in corp.

Quęritur quid sit tumor mentis.

8 Respondeo dicendum, quòd tumor mentis non accipitur hic pro superbia, sed pro quodam conatu, siue audacia hominis intentantis vindictam. 2. 2. q. 158. ar. 7. ad 3.

Quæritur quot sunt species iræ.

9 Respondeo dicendum, quòd Gregorius Nissenus dicit, quod tres sunt irascibilitatis species, scilicet ira, quæ vocatur Fellea, & Mania, quæ vocatur insania, & furor, quæ tria videntur esse eadem cum tribus speciebus iracundię positis à Phylosopho in 4. eth. vbi dicit, quod iracundorum quidam sunt acuti, quidam amari, quidam difficiles, siue graues, nam irã felleam dicit esse, quæ principium, & motum habet, quod Phylosophus attribuit acutis; Maniam vero dicit esse irã, quæ permanet, & in vetustatem deuenit, quod Phylosophus attribuit amaris; furorem autem dicit esse iram, quæ obseruat tempus in supplicium, quod Phylosophus attribuit difficilibus; & eandẽ etiã diuisionem ponit Damascenus in 2. lib. ratio horum est, quia potest inordinatio iræ ex duobus attendi, primò quidem ex ipsa iræ origine, & hoc pertinet ad acutos, qui nimis cito irascuntur, & ex qualibet leui causa; alio modo ex ipsa iræ duratione, eo scilicet quod ira nimis perseuerat, quod quidem potest esse dupliciter, vno modo quia causa iræ, scilicet iniuria illata nimis manet in memoria hominis, vndè ex hoc homo diutinam tristitiam concipit, & ideo sunt sibi ipsis graues, & amari; alio modo contingit ex parte ipsius vindictę, quam aliquis obstinato appetitu quęrit, & hoc pertinet ad difficiles, siue graues, qui non dimittunt iram quousq; puniant. 2. 2. q. 158. a. 5. in corp. [p. 2. q. 46 a. 8.

Quæritur quot sint gradus iræ.

10 Respondeo dicendum, quòd Dominus Matthęi 5 ponit tres gradus irę, cum dicit, qui irascitur fratri suo; qui dixerit fratri suo Rachà; qui dixerit fratri suo, fatue, & isti gradus iræ non pertinent ad diuersas iræ species, sed accipiuntur secundum processum humanorum actuũ, in quibus primo aliquid in corde concipitur, & quantùm ad hoc dicit, qui irascitur fratri suo; secundum autem est, cũ per aliqua signa exteriora manifestatur exterius, etiam antequam prorumpat in effectum, & quantùm ad hoc dicit, qui dixerit fratri suo Rachà, ꝙ est interiectio irascentis; tertius gradus est, quando peccatum interius conceptum ad effectum perducitur; est autem effectus irę nocumentum alterius sub ratione vindictę, minimum autem nocumentum est, quod fit solo verbo, & ideo quantũ adhoc dicit, qui dixerit fratri suo, Fatue, & sic patet, quod secundum addit supra primum, & tertium supra vtrumq;; vndè si primum est peccatum mortale in casu, in quo Dominus loquitur, multo magis alia. 2. 2. q. 158. a. 5. ad 3.

Quęritur an ira sit leuius peccatum odio, & inuidia, & huiusmodi.

11 Respondeo dicẽdum, quòd ibi quęrenda est differentia, vbi aliqua conuenientia inuenitur, peccatum autem irę conuenit cum tribus peccatis in obiecto, est enim obiectum irę malũ aliquod inferendum sub ratione cuiusdam boni,

ex

ex parte ergo mali conuenit cum odio, quod appetit malum alicuius,& cum inuidia,quæ dolet de bono; ex parte vero boni desiderati conuenit cum concupiscentia,quæ etiam est inordinatus appetitus boni,sed absolutè loquendo ira deficit in grauitate à trib' prædictis vitijs, nam odium quærit malum proximi sub ratione boni,ira autem non quærit malũ proximi,nec impedit bonum eius, nisi sub ratione boni, quod est iustum vindicatiuum,& ita illud, quod facit odium, & inuidia per se intendens ad malum,vel ad impedimentum boni, hoc facit ira per se intendens ad bonum,per accidens autem ad malum; semper autẽ id, quod est per se,potius est eo,quod est per accidens,& ideo inuidia,& odium excedunt in malitia peccatum iræ; similiter etiam peccatum cõcupiscentiæ est ex hoc,quod tendit in bonum, quod est delectabile secundum sensum,ira autem tendit inordinatè in bonum, quod est apparens iustum, quod est secundum rationem,& ideo,cum bonum rationis sit melius,quã bonum sensus, motus iræ magis accedit ad virtutem, quam motus concupiscentiæ,& ideo simpliciter loquendo est minus peccatum, vndè Phylosophus dicit in 7. eth. quod incontinens concupiscentiæ est turpior, quam incontinens iræ,& hæc quidem comparatio attenditur secundum ipsa genera peccatorum, nihil enim prohibet secundum aliquas superuenientes circonstantias iram esse alijs grauiorem. q. 12. de malo. a. 5. in corp. [p.2.q.46.a.6.in corp.

Quæritur quisnam sit peior, incontinens iræ, an incontinens concupiscentiæ.

12 Respondeo dicendum,quòd peccatum incõtinentiæ potest considerari dupliciter,vno modo ex parte passionis, ex qua ratio superatur, & sic incontinentia concupiscentiæ turpior est, quam incontinentia iræ, quia motus concupiscentiæ habet maiorem inordinationem, quam motus iræ,& hoc propter quattuor, quæ Phylosophus tangit in 7. eth. primo quidem quia motus iræ participat aliqualiter ratione,inquantùm scilicet iratus tẽdit ad vindicandum iniuriam sibi factã, quod aliqualiter ratio dictat,sed nõ perfectè,quia non intendit debitũ modum vindictæ,sed motus concupiscentię totaliter est secundum sensum,& nullo modo secundum rationẽ; secundò quia motus iræ magis consequitur corporis complexionem propter velocitatem motus choleræ,quæ tendit ad iram, vndè magis est in promptu,quod ille, qui est secundum complexionem corporis dispositus ad irascendum,irascatur,quam ille, qui est dispositus ad concupiscendum, concupiscat,vndè etiam frequentius ex iracũdis nascuntur iracundi, quam ex concupiscentibus concupiscentes; quod autem prouenit ex naturali corporis dispositione reputatur magis venia dignum;tertiò quia ira quærit manifestè operari, sed concupiscentia quærit latebras,& dolosè subintrat; quartò quia concupiscens delectabiliter operatur,sed irat' quasi quadam tristitia præcedente coactus; alio modo potest considerari peccatum incõtinentiæ quantùm ad malũ,in quod quis incidit à ratione discedens, & sic incontinẽtia iræ est vt plurimum grauior,quia ducit in ea, quæ pertinent ad proximi nocumentum. 2. 2. q. 156. a. 4. in corp.

Quæritur quodnam sit difficilius, pugnare contra delectationem, an contra iram.

13 Respondeo dicendum, quòd difficilius est assiduè pugnare contra delectationem,quam contra iram, quia concupiscentia est magis continua,sed ad horã difficilius est resistere iræ propter eius impetum. 2. 2. q. 156. a. 4. ad 1.

Quæritur quot modis aliquis actus pertineat ad iram.

14 Respondeo dicendum, quòd aliquis actus potest ad aliquod vitium pertinere tripliciter, vno modo directè, alio modo antecedenter, & tertio modo consequenter; ad iram directè essentialiter pertinet, quod sit appetitus vindictæ, antecedenter autem, quod tristetur de aliqua iniuria illata, consequenter autem quod delectetur de punitione eius, qui iniuriam intulit. q. 8. de malo ar. 3. ad 7.

Quæritur quodnam sit remedium contra iram.

15 Respondeo dicendum, quòd contra iram optimum remedium est recognitio fragilitatis propriç. lect. 1. cap. 3. ad Titũ.

Quæritur an sit aliquod vitium oppositum iræ proueniens ex defectu iræ.

16 Respondeo dicendum, quòd ira dupliciter potest intelligi, vno modo simplex motus voluntatis, quo aliquis non ex passione, sed ex iudicio rationis pœnã infligit, & sic defectus iræ absq; dubio est peccatum; & hoc modo ira accipitur in verbis Chrisostomi super Matthæum vbi dicit, qui cum causa irascitur peccat, patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos inuitat ad malũ, & subiungit. iracundia, quæ cum causa est, non est iracundia, sed iudicium, iracundia enim propriè intelligitur, commotio passionis, qui autem cum causa irascitur, ira illius non est ex passione, ideo iudicare dicitur, non irasci; alio modo accipitur ira pro motu appetitus sensitiui, qui est cum passione, & transmutatione corporali, & hic quidem motus ex necessitate consequitur in homine ad simplicem motum voluntatis, quia naturaliter appetitus inferior sequitur motum appetitus superioris, nisi aliquid repugnet, & ideo non potest totaliter deficere motus iræ in appetitu sensitiuo, nisi per subtractionem, vel debilitatem voluntarij motus; & ideo ex consequenti etiam defectus passionis iræ vitiosus est, sicut & defectus voluntarij motus ad puniendum secundum iudicium rationis. 2.2.q.158.a.8.in corp.

IRONIA.

1 *Quid sit ironia.*

Asserere de se minora, quę quis recognoscit in se ipso, non est peccatum, nec est ironia.

Asserere de se minora sine veritate, vel negare aliquod magnũ, quod recognoscit in se ipso, semper est peccatum.

2 *Quando ironia sit æquale peccatum cum iactantia, & quando sit minus, & quando grauius peccatum.*

Quæritur an ironia, per quam aliquis de se fingit minora, sit peccatum.

1 Respondeo dicendum, quòd hoc quod aliqui minora de se dicãt potest contingere dupliciter, vno modo salua veritate, dum scilicet maiora, quæ sunt in se ipsis retinent, quędam verò minora detegunt, & de se proferunt, quæ tamen in se esse recognoscunt, & sic minora de se dicere non pertinet ad ironiã, nec est peccatum secundum genus suum, nisi per alicuius circonstantię corruptionem; alio modo aliquis dicit minora à veritate declinans, puta cum asserit de se aliquid vile, quod in se nõ recognoscit, aut cum negat de se aliquid magnum, quod tamen percipit in se ipsó esse, & sic pertinet ad ironiam, & est semper peccatum. 2.2.q.113. a. 1. in corp.

Quę-

Quaritur an Ironia sit minus peccatum, quam iactantia.

2 Respondeo dicendum, quòd vnum mendacium est grauius altero quandoq; quidem ex materia, de qua est, sicut mẽdacium, quod fit in doctrina Religionis est grauissimum, quandoq; autem ex motiuo ad peccandum, sicut mendaciũ perniciosum est grauius, quam officiosum, vel iocosum, ironia autem, & iactantia circa idem mentiuntur, vel verbis, vel quibuscunq; exterioribus signis, scilicet circa conditionem personæ, vndè quantùm ad hoc æqualia sunt, sed plurimum iactantia ex turpiori motiuo procedit, scilicet ex appetitu lucri, vel honoris, ironia vero ex hoc, quod fugit, licet inordinatè, per elationem alijs grauis esse, & secundum hoc Phylosophus dicit, quod iactantia est grauius peccatum, quã ironia, contingit tamen quandoque, quod aliquis minora de se fingit ex aliquo alio motiuo, puta ad dolosè decipiendum, & tunc ironia est grauius. 2.2.q. 113. ar. 2. in corp.

IRREGVLARITAS.

1 *Irregularitas non incurritur tantũ propter peccatum,*

Irregularitas principaliter incurritur ꝑpter ineptitudinem personæ ad ministrandum Euchareſtiam.

2 *Qui causaliter occidit aliquem nõ est irregularis.*

Si tamen dabat operam rei illicitę, vel si omisit debitam diligentiã est irregularis

Irregularitas sine culpa incurritur.

3 *Qui percutit aliquem, & iudex dans sententiam mortis, quæ tamen non sequitur, non sunt irregulares.*

4 *Si quis percussus in bello mortuus fuerit, omnes qui sunt in bello sunt irregulares, nisi sciatur certo, quis percusserit eum.*

Quaritur an irregularitas incurratur propter peccatum tantum.

1 Respondeo dicendum, quòd irregularitas non incurritur ꝑpter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum Eucharistiæ ministrandum, & ideo Iudex, & omnes, qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares propter hoc, quod effusio sanguinis non decet ministros dicti Sacramenti. 4. sent. d.45.q.2.a.2 quæstiunc. 2. ad 2. [p. 2. q. 20.a.5.ad 4. [2.2.q.64.a.7.ad 3. [q. 108. a.4.ad 2. & 3.

Quęritur an irregularitas incurratur propter bigamiam, & an talis irregularitas tollatur per Baptismum, & quis possit ab ea absoluere.

Respondeo dicendum sicut verbo Bigamia q.2.9.10.

Quęritur an ille, qui casu occidit aliquem, fiat irregularis.

2 Respondeo dicendum, quòd nullus facit, nisi illud, cuius causa est, quod est voluntarium in homine, & ideo ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi dederit operã rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia iam quodammodo efficitur volũtarium, nec hoc est propter hoc, quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. 4. sent. d.25. q.2. a.2. quæstiunc.2. ad 3.

Quęritur an ille, qui percussit aliquem, vel iudex, qui dedit sententiam mortis quæ tamen non est secuta, incurrant irregularitatem.

3 Respondeo dicendum, quòd supradicti non incurrunt irregularitatem, quia irre-

irregularitas non sequitur culpam, sed factum propter aliquem defectum Sacramenti. p.3.q.20.a.5.ad 4.

Quæritur an si moriatur aliquis percussus in bello, omnes, qui in bello interfuerunt, sint irregulares.

4 Respondeo dicẽdum, quòd si aliquis percussus in bello moriatur, si ignoretur quis eum percusserit, propter dubiũ quilibet, qui in bello interfuit, irregularis habetur secundũ iura. quodlibeto 4.a.12

Quæritur an procurans aborsũ fiat irregularis

Respondeo dicendum sicut verbo Aborsus q.2.

IRRELIGIOSITAS.

1 *Irreligiositas habet cõtrarietatem ad Religionem.*
2 *Quattuor sunt species irreligiositatis.*
3 *Quod damnum faciat irreligiositas.*

Quæritur quid sit irreligiositas.

1 Respondeo dicendum, quòd irreligiositas manifestam habet cõtrarietatem ad Religionem per contemptum, & irreuerentiam Dei, & rerum Sacrarum. 2.2.q.92.& 97. in principio.

Quæritur quot, & quæ sint species irreligiositatis.

2 Respondeo dicendum, quòd species irreligiositatis sunt quattuor, scilicet tẽtatio Dei, periurium, sacrilegiũ, & simonia. 2.2.q.97.& 99. in principio.

Quæritur quæ damna faciat irreligiositas.

3 Respondeo dicẽdum, quòd per irreligiositatem impeditur Religio quãtùm adhoc, ne Deus postquam susceptus est honoretur, prius autem est Deum suscipere ad colendum, quam eum susceptum honorare, & ideo à Deo præmittitur præceptum, quo prohibetur superstitio; secundò præceptum, quo prohibetur periurium ad irreligiositatẽ pertinens. 2.2. q.122.a.3.in corp.

IRREMISSIBILE PECCATVM.

Peccatum aliquod potest dici irremissibile dupliciter, scilicet ex genere, vel ex statu peccantis.

Quæritur quomodo dicatur irremissibile aliquod peccatum.

Respondeo dicendum, quòd peccatũ aliquod potest esse irremissibile dupliciter vel ex genere peccati, & sic peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile dicitur, vel ex statu peccantis, & sic omne peccatum in Spiritum Sanctum, in quo via finitur, est irremissibile, siue sit hominis, siue Angeli, & secundum hoc accipitur differentia hominis, & Angeli, quia status viæ in Angelis finitur statim post primam electionem, non autem sic est in hominibus. 2.sent.d.43.a.4.ad 4.

IVDAEI.

1 *Iudæi, qui nunquam susceperunt fidẽ, non sunt cogendi ad fidem.*
Iudæi, qui semel susceperunt fidem, cogendi sunt ad fidem retinendam.
2 *Iudæi sunt compellendi à fidelibus, ne fidẽ impediant.*
3 *Iudæi vtriusque sexus tenentur deferre signum distinctiuum à cæteris.*
4 *Ecclesia permittit fideles colere terras Iudæorum.*
5 *Principes possunt facere exactiones in Iudæos secundum consuetudinem prædecessorum suorum.*

Prin-

Principes non possunt retinere accepta à Iudęis, & per vsuras acquisita.

Possunt retinere ea, si Iudęi extorserunt ab ipsis Principibus, vel eorum antecessoribus.

Principes debent restituere exacta à Iudęis, & per vsuras acquisita illis, quorum sunt, si inueniantur.

Si non inueniuntur, debent conuerti in pios vsus secundum consilium Episcopi Diœcesani.

Non est illicitum Principes de nouo facere exactiones in Iudæos, vt in pios vsus conuertantur.

6 *Si Iudęus habebat aliquid aliud pręter vsurarium lucrum, potest retineri.*

In quibusdam alijs etiam casibus possunt retineri.

7 *Iudæus puniendus est pœna pecuniaria, cum deliquerit.*

Pecuniariæ pœnæ debent super addi aliæ pœnæ.

Tales pecunię in vsus pios debent expendi.

Obseruent Principes circa Iudęos.

8 *Licet accipere pecuniam, vel aliquid aliud vltrò oblatum à Iudęis, & istud debet restitui, quibus est debitum.*

Quęritur an Iudęi sint cogendi ad fidem.

1 RESpondeo dicendũ, quòd Iudęi, si nullo modo acceperunt fidem, nullo modo sunt cogendi ad fidem, nam in Decret. disti. 45. sic dicitur, de Iudæis præcipit Sancta Sinodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; si autẽ acceperunt fidem oportet, vt fidẽ necessitate cogantur retinere, sicut eodẽ cap. dicitur. 2.2.q.10.a.8. ad 2.

Quęritur an Iudæi à fidelibus sint compellendi, ne fidem impediant.

2 Respondeo dicendum, quòd Iudæi sunt compellendi à fidelibus, si adsit facultas, vt fidem non impediant, vel blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. 2.2.q.10. a. 8. in corp.

Quęritur an Iudęi debeant cogi ad deferendum signum distinctiuum ipsorum ab alijs.

3 Respondeo dicendum, quòd secundũ statutũ Concilij Generalis Iudęi vtriusq; sexus in omni Christianorum prouincia, & in omni tẽpore aliquo habitu ab alijs populis debent distingui; hoc eis etiam in lege eorum mandatur, vt scilicet faciant fimbrias per quattuor angulos palliorum, per quos ab alijs discernantur. opusculo 21. in fine.

Quęritur an Christiani possint colere terras Iudęorum.

4 Respondeo dicendum, quòd permittit Ecclesia, quod Christiani possint colere terras Iudæorum, quia per hoc non habent necesse conuersari cum eis; Salomon etiam expetijt à Rege Tiri magistros operum ad ligna cædenda, vt habetur 3 Reg. 6. & tamen si ex tali communicatione, vel conuictu subuersio fideliũ timeretur, esset penitus interdicendum. 2.2.q.10.a.10. ad 3.

Quęritur an liceat Principibus exactionem facere in Iudęos.

5 Respondeo dicendum, quòd licet, vt iura dicunt, Iudæi merito culpæ suę sint, vel essent perpetuæ seruituti addicti, & eorum res terrarũ Domini possint accipere tanquam suas, hoc tamen seruato moderamine, vt necessaria vitæ subsidia eis nullatenus subtrahantur, quia tamen oportet nos honestè ambulare etiam ad eos, qui foris sunt, ne nomen Domini blasphemetur, vt Apostolus admonet suo exemplo, vt sine offensione simus Iudęis, ac Gentibus, & Ecclesiæ Dei, hoc seruandum

dum videtur, vt ficut iura determinant ab eis coacta seruitia non exigantur, quæ ipsi præterito tempore facere non consueuerunt, quia ea, quæ sunt insolita magis solent animos hominum perturbare; secundùm igitur huius moderationis sẽtentiam possunt Princeps secundùm cõsuetudinem prædecessorum suorum exactionem in Iudæos facere, si tamen aliud non obsistat, sed circa hoc dubitatio augetur, quia Iudæi non videntur habere, nisi quod acquisierunt per vsurariam prauitatem, & sic extorta restituenda sunt, & consequenter ab eis aliquid exigi nõ potest: respondeo dicendum, quod cum ea, quæ Iudæi per vsuras ab alijs extorserunt, non possint licitè retinere, consequens est, vt si etiam Principes hæc acceperint ab eis, non possint licitè retinere, nisi forsan essent talia, quæ à Principibus, vel antecessoribus eorum hactenus extorsissent; si qua verò habent, quæ extorserunt ab alijs, hæc ab eis exacta illis debent restitui, quibus Iudæi restituere tenebantur, vndè si inueniuntur certæ personæ, à quibus extorserunt vsuras, debent eis restitui, alioquin debent in pios vsus secundùm consilium Diœcesani Episcopi, & aliorum proborum, vel etiam in communem vtilitatem terræ, si necessitas immineat, vel exposcat Communis vtilitas, erogari; nec esset illicitum, si à Iudæis exigerentur talia de nouo seruata consuetudine prædecessorum Principum hac intentione, vt in prædictos vsus expenderentur. opusculo 21.

Quæritur si plus accipiatur à Iudęo, quam ab eo Christiani requirant, quid sit de residuo faciendum.

6 Respondeo dicendum, quòd Christiani minus requirant, potest esse propter duo, vel quia fortè Iudæus aliquid habebat præter vsurarium lucrum, & in tali casu licet illud retinere seruato moderamine supradicto, & idem videtur dicendum, si extorserint vsuras eis, qui postea bona voluntate donauerunt, cum tamen Iudæi promptè se offerunt ad restituendum vsuras; vel potest contingere, quod illi, à quibus acceperunt, sint sublati de medio, vel per mortem, vel in terris alijs morantes, & tunc ipsi debent restituere, si tamen non apparent certæ personæ, quibus restituere teneantur, procedendum est vt supra, quòd autem de Iudæis dictum est, intelligendum est, & de Cauorsinis, vel quibuscunque alijs insistentibus vsurariæ prauitati. opusculo 21.

Quæritur an si Iudæus deliquerit, pæna pecuniaria sit puniendus à Principibus, cum nihil habeant præter vsuras.

7 Respondeo dicendum, quòd expedit eum pæna pecuniaria puniri, ne ex sua iniquitate commodum reportet; videtur etiam mihi, quod esset maiori pœna puniendus Iudæus, vel quicunq; alius vsurarius, quàm aliquis alius, quanto pecunia, quæ auffertur ei, minus ad eum noscitur pertinere; potest etiam pecuniariæ alia pœna superaddi, ne hoc solum ad pœnã sufficere videatur, quod pecuniam alijs debitam desinit possidere; pecunia autem pœnæ nomine ab vsurarijs oblata retineri non potest, sed in vsus prædictos debet expendi, si nihil habeant aliud, quàm vsuras; si vero dicatur, quod ex hoc Principes terrarum damnificantur, hoc damnum sibi imputent, vt potè ex negligẽtia eorum proueniens, melius .n. esset, vt Iudæos laborare compellerẽt ad proprium victum lucrandum, sicut in partibus Italiæ faciunt, quã quod ociosi viuentes solis vsuris ditentur, & sic eorũ Domini suis redditibus defraudentur; ita enim, & per suam culpam Principes defraudarentur redditibus proprijs, si

permitterent suos subditos ex solo latrocinio, vel furto lucrari, tenentur enim ad restitutionem eius, quodcunq; ab eis exigerent opusculo 21.

Quæritur an liceat pecuniam, vel aliquid aliud à Iudæis oblatam vltro, accipere.

8 Respondeo dicendum, quòd licet recipere, sed expedit, quod sic acceptũ reddatur his, quibus debetur, vel aliter vtsupra dictum est, expendatur, si nihil aliud habeant, quam vsuras, opusculo 21.

Iudex. Cap. I.

1 *Iudex debet esse sapiens, & iustus.*
2 *Iudex debet esse facilior ad absoluendum, quam ad condemnandum.*
3 *Iudex non peccat malos puniendo.*
4 *Iudex debet iudicare secundũ allegata, & probata licet ipse sciat oppositũ esse verũ*
Potest tamen districtius discutere probationes.
5 *Iudex non potest in criminibus aliquem condemnare, nisi prius adfuerit accusator tanquam actor.*
6 *Non potest homo simul esse accusator, testis, & index.*
7 *Iudex quando ad habendam veritatem ab aliquo, subijciet eum tormentis.*
8 *Iudex non potest absoluere reum à pæna ratione accusatoris, & Reipub.*
Princeps potest absoluere à pæna reum, si hoc non vergat in detrimentum Reipublicæ, & ille, qui est passus iniuriam, velit ei remittere offensam.
9 *Iudex potest facere misericordiam in his, quæ sunt sui arbitrij.*
Iudex non potest facere misericordiã in his, quæ sunt determinata secundum legem Diuinam, & humanam.

Quæritur quot, & quæ requirantur ad Iudicẽ.

1 Respondeo dicendum, quòd duo requiruntur ad idoneitatẽ Iudicis, scilicet vt sit sapiens, & vt sit iustus, in Psalm. 7.

Quæritur an Iudex debeat esse facilior ad absoluendum, quam ad condemnandum.

2 Respondeo dicendum, quòd facilior debet esse Iudex ad absoluendum, quam ad condemnandum, nisi fortè in causis fauorabilibus, sicut est causa libertatis, & huiusmodi. 2.2.q.70.a.2.ad 2.

Quæritur an iudex peccet iustè infligendo pænas.

3 Respondeo dicendum, quòd per Diuinam prouidentiam ordinatum est, vt in terris sint homines, qui per pœnas sensibiles, & præsentes alios ad obseruantiã iustitiæ cogant, quos manifestum est nõ peccare, dum malos puniunt, nullus enim peccat ex hoc, quod iustitiam facit, iustum autem est malos puniri, quia per pœnam culpa ordinatur, non igitur Iudices peccant malos puniendo. 3. contra Gentes cap. 146. & lect. 3. cap. 12. ad Romanos.

Quæritur an Iudici liceat iudicare contra veritatem, quam nouit propter ea, quæ in contrarium proponuntur.

4 Respondeo dicẽdum, quòd iudicare pertinet ad Iudicem secũdum quod fungitur publica potestate, & ideo informari debet in iudicando non secundum id, quod ipse nouit tanquam priuata persona, sed secundum id, quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ; hoc autem innotescit sibi, & in communi, & in particulari; in communi quidem per leges publicas, vel Diuinas, vel humanas, cõtra quas nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio aliquo per instrumenta, testes, & alia huiusmodi legitima documenta, quæ debet

sequi

sequi in iudicando magis, quam id, quod ipse nouit tanquam priuata persona; ex quo tamen adhoc adiuuari potest, vt districtius discutiat probationes inductas vt possit earum defectum repellere, debet eas in iudicando sequi. 2. 2. q. 67. a. 2. in corp.

Quæritur an Iudex possit aliquem condemnare, etiam si non sit aliquis accusator.

5 Respondeo dicendum, quòd Iudex est interpres iustitiæ, vndè sicut Phylosophus dicit in 5. eth. homines ad Iudicem confugiunt, sicut ad quandam iustitiam animatam, iustitia autē non est ad se ipsum, sed ad alterū, & ideo oportet, quod Iudex inter aliquos duos diudicet, quod quidem fit, cum vnus est actor, & alius est reus, & ideo in criminibus non potest aliquem iudicio cōdemnare Iudex nisi habeat accusatorem secūdum illud actuum 25. non est consuetudo romanis damnare aliquem hominem priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur. 2. 2. q. 67. a. 3. in corp.

Quæritur an idem possit esse accusator, testis, & Iudex.

6 Respondeo dicendum, quòd Deus in hoc differt ab homine in iudicio, quod Deus in suo iudicio procedit ex propria notitia veritatis, non autem homo, & ideò homo non potest simul esse accusator, & testis, & Iudex, sicut Deus. 2. 2. q. 67. a. 3. ad 3.

Quæritur quid facere debeat Iudex, vt habeat veritatem ab accusato.

7 Respondeo dicendum, quòd quando aliquis innocens falso apud Iudicem accusatur, Iudex ad exquirendam veritatē cum tormentis subijcit secundum iustitiam agens. lect. 1. super cap. 10. Iob.

Quæritur an Iudex licitè possit pænam remittere reo.

8 Respondeo dicendum, quòd duo sunt quantùm ad propositum pertinet circa Iudicem consideranda, quorum vnū est, quod ipse habet iudicare inter accusatorem, & reum; aliud autē est, quod ipse non infert iudicij sententiam quasi ex propria, sed quasi ex publica potestate; duplici ergo ratione impeditur Iudex, ne reum à pæna absoluere possit, primò quidem ex parte accusatoris, ad cuius ius quandoq; pertinet, vt reus puniatur, puta propter aliquam iniuriam in ipsum commissam, cuius relaxatio non est in arbitrio alicuius iudicis, quia quilibet Iudex tenetur ius suum reddere vnicuique; alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cuius potestate fungitur, ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniātur; sed tamen quantùm adhoc differt inter inferiores Iudices, & supremum Iudicem, scilicet Principem, cui est potestas publica commissa, iudex enim inferior non habet potestatem absoluendi reum à pœna contra leges à superiore sibi impositas, vndè super illud Ioannis 19. non haberes aduersum me potestatē vllam dicit Augustinus, talem Deus dederat Pilato potestatem, vt esset sub Cæsaris potestate, ne ei omnino liberum esset accusatum absoluere; sed Princeps, qui habet plenariam potestatem in Republica, si ille, qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licitè absoluere, si hoc publicæ vtilitati viderit non esse nocumentum. 2. 2. q. 67. a. 4. in corp. [4. sent. d. 46. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Quæritur an Iudex possit facere misericordiam cum reo.

9 Respondeo dicendum, quòd misericordia Iudicis habet locum in his, quæ arbitrio Iudicis relinquuntur, in quibus boni viri est, vt fit diminutiuus pænarum, sicut Phylosophus dicit in 5. eth. in his autem, quæ sunt determinata secundum legem Diuinam, vel humanam non est suum misericordiam facere. 2.2. q. 67.a.4.ad 1.

Quos debeat iudicare Iudex. Cap. II.

1 *Nullus est iudex sui ipsius, nec licet se ipsum iudicare.*

Licet tamen se ipsum submittere iudicio alterius.

2 *Potest aliquis iudicare seipsum tripliciter, scilicet discutiendo, sententialiter absoluendo, & reprehendendo.*

3 *Inferior non potest iudicare superiorem auctoritate propria, potest tamen auctoritate superioris.*

4 *Tenetur quis se subijcere potestati inferiori, si seruet ordinem superioris.*

Si relinquat ordinem superioris, potest ab eo appellari ante, vel post sententiam.

Non licet Catholico appellare ad iudicem infidelem.

Quæritur an aliquis possit esse iudex sui ipsius.

1 Respondeo dicendum, quòd ille, qui habet publicam potestatem, potest licitè malefactorem occidere, per hoc quod potest de ipso iudicare; nullus autem est iudex sui ipsius, vndè non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcunq; peccatum; licet tamen ei se committere iudicio aliorum, sicut Christus propria spontè humano iudicio se subdidit, sicut etiam & Leo Papa se iudicio Imperatoris subdidit. 2.2.q.64.a.5. ad 2. [q.67] ar. 1. ad 2.

Quæritur qualiter quis debeat iudicare se ipsum.

2 Respondeo dicendum, quòd aliquis potest seipsum iudicare tripliciter, vno modo discutiendo, & sic aliquis debet iudicare seipsum, & quantùm ad opera præterita, & quantùm ad futura secundùm illud Galat. vltimo, opus suum probet vnusquisque; alio modo sententialiter seipsum absoluendo, quasi iudicando se innocentem quantùm ad præterita, & secundùm hoc nullus debet iudicare seipsum, vt scilicet se innocentem iudicet secundùm illud Iob. 9. si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, tertio modo reprehendendo, vt scilicet faciat aliquid, quod ipse indicat esse malum, debet ergo quilibet seipsum iudicare reprehendendo, & puniendo pro maleficijs. lect. 7. cap. 11. primæ ad Corinthios [lect. 1. cap. 4. primæ ad Corinthios.

Quæritur an Episcopus possit iudicare homines alterius Diœcesis, & exemptos.

Respondeo dicendũ, sicut verbo Episcopus cap. 1. cap. 8.

Quæritur an inferior possit iudicare superiorem.

3 Respondeo dicendum, quòd inferior non potest iudicare superiorem auctoritate propria, sed tamen auctoritate superioris potest, sicut patet in iudicibus delegatis. 4. sent. d. 47. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 2. ad 5.

Quan-

Quæritur an liceat subterfugere iudicium iudicis inferioris.

4 Respondeo dicēdum, quòd potestati inferiori intantùm aliquis subijci debet, inquantùm ordinem superioris seruat, à quo si exorbitauerit, ei subijci non oportet, puta si aliud iusserit proconsul, & aliud Imperator, vt patet per Glos. Rom. 13. Cum autem iudex aliquem iniustè aggrauat, quantùm adhoc relinquit ordinem superioris potestatis, secundùm quam necessitas sibi iustè iudicandi imponitur. Et ideo licitum est ei, qui contra iustitiam grauatur ad directionem superioris potestatis recurrere appellando, vel antè sententiam, vel post. Et quia non præsumitur esse rectitudo, vbi vera fides non est, ideo non licet catholico ad infidelem iudicem appellare secundùm illud, 2. q. 6. Catholicus, qui causam suam, siue iustam, siue iniustam ad iudicium alterius fidei Iudicis prouocauerit, excommunicetur, nam & Apostolus arguit eos, qui iudicio contendebant apud infideles. 2. 2. q. 69. a. 3. ad 1.

IVDICIVM.

1 *Quid sit iudicium.*

2 *Iudicium quo ad rem iudicatam consideratum pertinet ad iustitiam commutatiuam, & distributiuam.*

Iudicium quo ad formam pertinet ad distributiuam iustitiam.

3 *Ad rectum iudicium tria requiruntur.*

4 *Iudicium humanum debet immitari Diuinum in manifestis.*

5 *Tria requiruntur ad iudicium licitum, & quæ.*

Ex defectu vnius horum trium redditur illicitum iudicium.

Quid sit iudicium peruersum, vsurpatum, & temerarium.

6 *Iudicium est in Principe, & in subditis diuersimodè.*

7 *Qui sunt in grauioribus peccatis publicis non debent iudicare eos, qui sunt in eisdem, vel in leuioribus peccatis.*

Si peccata sunt occulta potest cum humilitate, & timore alios arguere, et iudicare.

8 *Iudicium debet fieri secundum legis scripturam.*

9 *Non est iudicandum secundum legem scriptam cōtinentem aliquid contra ius naturale.*

10 *In aliquibus casibus non est iudicandum secundum leges scriptas, sed recurrendum est ad æquitatem.*

11 *Iudicium non potest ferri nisi publica auctoritate.*

12 *Quando Iudex cognoscit innocentem conuinci per falsos testes, debet diligentius examinare testes, vt inueniat occasionē liberandi eum.*

Si hoc non potest, debet eum superiori remittere.

Si hoc adhuc non potest, non peccat, si ferat sententiam secundum allegata, & probata.

13 *In foro iudiciali creditur reo contra se, non pro se.*

In foro pænitentiali creditur ei, & contra se, & pro se.

14 *Iudex debet subuenire pauperes in iudicio sine tamen læsione iustitiæ.*

15 *Iudex spiritualis potest iudicare de temporalibus in aliquibus casibus.*

16 *Quid sit suspicio.*

Ex tribus prouenit, quod aliquis suspicetur malum de alio.

Triplex est gradus suspicionis.

Quæ suspicio sit peccatum mortale, & quæ veniale.

Quæritur quid sit iudicium.

1 RESpondeo dicendum, quòd iudiciū propriè nominat actū iudicis inquantùm iudex est. Iudex autem dicitur quasi ius dicens, ius autem dicitur obiectū iustitiæ, & ideo iudiciū importat

secundum primum nominis impositionem, diffinitionem, vel determinationem iusti, vel iuris; quod autem aliquis benè diffiniat aliquid in oper. b' virtuosis, propriè procedit ex habitu virtutis, sicut castus rectè determinat ea, quæ pertinet ad castitatem, & ideo iudicium, quod importat rectam determinationem eius, quod est iustum, propriè pertinet ad iustitiam, propter quod Phylosophus in 5. eth. dicit, quod homines ad Iudicé confugiunt, sicut ad quamdam iustitiam animatam. 2.2.q.60.a.1.in corp.

Quæritur ad quam iustitiā pertineat iudiciū.

2 Respondeo dicendum, quòd iudiciū dupliciter potest considerari, vno modo quantùm ad ipsam rem iudicatam, & sic iudicium se habet communiter ad commutatiuam, & ad distributiuam iustitiā, potest enim iudicio diffiniri qualiter aliquid commune sit distribuendum in multos, & qualiter alteri vnus restituat, quod ab eo accepit: alio modo potest considerari quantùm ad ipsam formam iudicij, prout scilicet iudex etiam in ipsa cōmutatiua iustitia ab vno accepit, & alteri dat, & hoc pertinet ad distributiuam iustitiam. 2.2.q.63.a.4.ad 1.

Quæritur quot, & quæ requirantur ad verum iudicium.

3 Respondeo dicendum, quòd tria requiruntur in iudicio, primò quod Iudex sumat iudicandum, idest assumat animū iudicandi, secundò quod consideret merita causæ, tertiò quod proferat sententiam iustam. super Psalm.34.

Quæritur an iudicium humanum debeat immitari Diuinum iudicium.

4 Respondeo dicēdum, quòd sicut Augustinus dicit, iudicium humanum debet immitari Diuinum iudicium in manifestis Dei iudicijs, quibus homines spiritualiter damnat pro peccato proprio; occulta vero Dei iudicia, quibus temporaliter aliquos punit absq; culpa non potest humanum iudicium immitari, quia homo non potest comprehendere horum iudiciorum rationes, vt sciat, quid expediat vnicuique, & ideo nunquam secundum humanum iudicium aliquis debet puniri sine culpa pœna flagelli, vt occidatur, vel mutiletur, vel verberetur; pęnâ autem damni punitur aliquis etiam secundum humanum iudicium etiam sine culpa, sed non sine causa, & hoc tripliciter, vno modo ex hoc quòd aliquis ineptus redditur sine sua culpa ad aliquod bonum habendum, vel consequendum, sicut propter vitium lepræ aliquis remouetur ab administratione Ecclesiæ; & propter bigamiam, vel iudicium sanguinis aliquis impeditur à sacris ordinibus; secundùm quia bonū, in quo damnificatur, non est proprium bonum, sed commune sicut quòd aliqua Ecclesia habet Episcopatum, pertinet ad bonum totius Ciuitatis, non autem ad bonum Clericorum tantum; tertiò quia bonum vnius dependet ex bono alterius, sicut in crimine læsæ Maiestatis filius amittit hereditatem pro peccato parentis. 2.2.q.108 ar. 4. ad 2.

Quæritur an sit licitum iudicare.

5 Respondeo dicendum, quòd iudiciū intantùm est licitum, inquantùm est iustitiæ actus, adhoc autem quòd iudicium sit actus iustitiæ tria requiruntur, primò quidem vt procedat ex inclinatione iustitiæ, secundò quod procedat ex auctoritate præsidentis; tertiò quod proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ, quodcunq; autem horum defuerit, iudicium erit vitiosum, & illicitum, vno quidem modo quando est contra rectitudinem

tudinem iustitiæ, & sic dicitur iudicium peruersum, vel iniustum, alio modo quã do homo iudicat in his in quib' nõ habet auctoritatem, & sic dicitur iudiciũ vsurpatum; tertiò modo quando deest certitudo rationis puta cũ aliquis de his iudicat, quæ sunt dubia, vel occulta propter aliquas leues coniecturas, & sic dicitur iudicium suspiciosum, vel temerariũ. 2.2.q.60.a.2.in corp.

Quæritur an iudicium pertineat ad solos Iudices,

6 Respondeo dicendum, quòd iustitia in Principe quidem est, sicut virtus architectonica, quasi imperans, & præcipiens, quod iustum est, in subditis autem est tanquam virtus executiua, & ministrans, & ideo iudicium, quod importat diffinitionem iusti pertinet ad iustitiam secundùm quod est principaliori modo in Præsidente. 2.2.q.60.a.1.ad 4.

Quæritur an existens in peccatis grauibus debeat alios iudicare,

7 Respondeo dicendum, quòd illi, qui sunt in grauibus peccatis, non debent iudicare eos, qui sunt in eisdem peccatis, vel minoribus, vt Chrysostomus dicit super illud Matthæi 7. nolite iudicare; & præcipuè hoc est intelligendum, quando illa peccata sunt publica, quia ex hoc generatur scandalum in cordibus aliorum, si autem nón sunt publica, sed occulta, & necessitas iudicandi immineat propter officium, potest cum humilitate, & timore, vel arguere, vel iudicare, vndè Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in mõte si inuenerimus nos in eodem vitio esse, congemiscamus, & ad pariter conãdum inuitemus; nec tamen propter hoc homò sic se ipsum condemnat, vt nouum condemnationis meritum sibi acquirat, sed quia condemnans alium ostendit se similiter condemnabilem esse, propter idem peccatum, vel simile. 2. 2 q. 60. ar. 2. ad 3.

Quæritur an sit semper iudicandum secundũ leges scriptas.

8 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, iudicium nihil aliud est, quam quędam diffinitio, vel determinatio eius, quod iustum est; fit autem aliquid iustũ dupliciter, vno modo ex ipsa natura rei, quod dicitur ius naturale, alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur ius positiuum; leges autem scribuntur ad vtriusq; iuris declarationem, aliter tamen, & aliter, nam legis scriptura ius quidem naturale continet, sed non instituit, non enim habet robur ex lege, sed ex natura; ius autem positiuum scriptura legis, & continet, & instituit dans ei auctoritatis robur, & ideo necesse est, quod iudicium fiat secundum legis scripturam, alioquin iudicium defficeret, vel à iusto naturali, vel à iusto positiuo. 2.2. q.60.a.5.in corp.

Quæritur an sit iudicandum secundum leges scriptas, quando ista continent iniustum.

9 Respondeo dicẽdum, quòd lex scripta sicut non dat robur iuri naturali, ita nec potest eius robur minuere, vel auferre, quia nec voluntas hominis potest immutare naturam, & ideo si scriptura legis contineat aliquid contra ius naturale, iniusta est, nec habet vim obligandi, ibi enim ius positiuum locum habet, vbi quantùm ad ius naturale nihil differt vtrum sic, vel aliter fiat, & ideo nec tales scriptę leges dicuntur, sed potius legis corruptiones, & ideo secundum eas non est iudicandum. 2.2.q.60.a.5.ad 1.

Quaritur an in omnibus, & singulis casibus, qui occurrunt sit iudicandum secundum leges scriptas.

10 Respondeo dicendum, quòd ficut leges iniquæ secundum se contrariantur iuri naturali, vel semper, vel vt in pluribus, ita etiam leges, quæ sunt rectè positæ in aliquibus casibus defficiunt, in quibus si seruarentur, essent contra ius naturale, & ideo in talibus non est secundum litteram legis iudicandum, sed recurrendum ad æquitatem, quam intendit legislator, vndè iurisperitus dicit, nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem. & in talibus etiam legislator aliter iudicaret, & si cōsideraffet, lege determinaffet. 2.2. q.60.a.5 ad 2.

Quaritur an iudicium per vsurpationem reddatur peruersum.

11 Respondeo dicendum, quòd cum iudicium sit ferendum secundum leges scriptas, vt dictum est, ille, qui iudicium fert, legis dictum quodammodo interpretatur applicando ipsum ad particulare negocium, cum autem eiusdem auctoritatis sit legem interpretari, & legem condere, ficut lex condi, non potest, nisi publica auctoritate, quæ quidem se extendit ad eos, qui communitati subduntur. Et ideo ficut iniustum esset, vt aliquis constringeret alium ad legem seruandam, quæ non esset publica auctoritate sancita, ita etiam iniustum est, si aliquis compellat aliquem ferre iudicium, quod publica auctoritate non fertur. 2.2.q.60. a.6.in corp.

Quaritur an peccet ille Iudex, qui iudicat condemnandum esse eum, quē cognoscit innocentem, qui tamen est conuictus per falsos testes.

12 Respondeo dicendum, quòd iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentius examinare testes, vt inueniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit, si autem hoc non potest, debet eū superiori relinquere iudicandum, si autem hoc nō potest, non peccat secundum allegata sē, tentiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui cum asserunt nocentem. 2.2.q.64.a.6.ad 3.

Quaritur an in iudicio sit credendum reo pro se.

13 Respondeo dicendum, quòd in foro iudiciali creditur homini contra se, sed non pro se, in foro autem pænitentiali creditur homini pro se, & cōtra se. quodlibeto 2.a.12.in corp.

Quaritur an iudex in iudicijs debeat subuenire pauperes.

14 Respondeo dicendum, quòd homo in iudicio debet pauperi subuenire quātùm fieri potest, tamen sine læsione iustitiæ, alioquin non haberet locum illud, quod dicitur exodi 23. Pauperis quoq; non misereberis in iudicio. 2.2.q. 63. a.4.ad 3.

Quaritur an spiritualis Prælatus possit iudicare de temporalibus.

15 Respondeo dicendum, quòd potestas sæcularis subditur spirituali, sicut Corpus animę, & ideo non est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittit de tēporalibus quantùm ad ea, in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel

vel quæ ei à sæculari potestate relinquũtur. 2.2.q.60.a.6.ad 3.

Quæritur an iudicium procedens ex suspicione sit licitum.

16 Respondeo dicendum, quòd sicut Tullius dicit, suspicio importat opinionem mali, quãdo ex leuibus indicijs procedit. Et contingit ex tribus. vno quidem modo ex hoc, quod aliquis ex se ipso malus est, & ex hoc ipso quasi conscius suæ malitiæ faciliter de alijs malũ opinatur secundũ illud Eccl. 10. in via stultus ambulans, cũ ipse sit insipiens omnes stultos estimat. alio modo ex hoc, quod aliquis malè afficitur ad alterum, cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquẽ, aut irascitur, vel inuidet ei, ex leuibus signis opinatur mala de ipso, quia vnusquisq; faciliter credit, quod appetit. Tertiò modo prouenit ex lõga experiẽtia. Vndè Physosophus dicit in 2. Reth. quod senes sunt maximè suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primæ autẽ duæ suspicionis causæ manifestè pertinent ad peruersitatem affectus, tertia vero causa diminuit rationem suspicionis, inquantùm experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis, & ideo suspicio vitium quoddam importat, & quanto magis procedit suspicio, tãto magis est vitiosum. Est autem triplex gradus suspicionis Primus quidẽ gradus est, vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat, & hoc est veniale, & leue peccatũ, pertinet enim ad tentationem humanã, sine qua vita ista non ducitur, vt habetur in glos. super illud primæ ad Corinthios 4. nolite ante tempus iudicare. Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius estimat ex leuib⁹ indicijs, & hoc si fit de aliquo graui, est peccatum mortale, inquantùm non est sine contemptu proximi, vnde gloss. ibidem subdit, si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamẽ, idest diffinitiuas, firmasq; sententias continere debemus. Tertius gradus est, cum aliquis Iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad iniustitiam pertinet, vndè est peccatũ mortale. 2.2.q.60.a.3.in corp.

Quæritur an in iudicijs locum habeat acceptio personarum.

Respondeo dicendum sicut verbo Acceptio personarum. q.10.

IVDICIVM TEMERARIVM.

1 *Datur duplex iudicium, scilicet de re, & de persona.*
Iudicium de re semper est peccatum mortale.
Iudicium de persona est peccatum, quando est temerarium omnino.
Iudicium temerarium aliquãdo est peccatum mortale.
2 *Iudicium per quid debeat regulari?*

Quæritur quotuplex sit iudicium, & quodnam sit mortale peccatum.

1 Respondeo dicendum, quòd iudicium est duplex, scilicet de rebus, & de personis Iudicium de rebus semper est mortale peccatum, putà dicere, quod dare eleemosinam sit malum. Iudicium autem de personis licet quãdoq; sit falsum, non tamen est peccatum, nisi quando est omnino temerarium, vndè Augustinus in sermone Domini in monte, si erramus in iudicio personarum, nõ erremus in indicio rerum, sed quando ex leui re iudicium procedit firmum in corde, aliquãdo est peccatum mortale, quia est cum contemptu proximi. quodlibeto 12.a.34.in corp.

Quæ-

Quæritur per quid debeat regulari iudicium.

2 Respondeo dicendum, quòd homo spiritualis ex habitu Charitatis habet inclinationem ad rectè iudicandum de omnibus secundum regulas Diuinas, ex quibus iudicium per Donum sapientiæ pronunciat, sicut iustus per virtutẽ prudentiæ pronunciat iudicium ex regulis iuris. 2.2.q.60.a.1.ad 2.

Iuramentum.
Cap. I.

1 *Iurare est assumere Deum in testem.*
Duplex iuramentum, scilicet assertorium, & promissorium.
2 *Inducere auctoritatem sacræ scripturæ non est iurare.*
3 *Iurare est de se licitum.*
Iuramentum factum sine necessitate est illicitum.
4 *Duplex modus iurandi.*
5 *Tres comites sunt iuramenti, scilicet iustitia, iudicium, & veritas.*
6 *Iurare est actus Religionis,*
7 *Iuramentum non est frequentandum, nec appetendum tanquam vtile, & bonum.*
8 *Licet iurare per Creaturas non secundum se sumptas, sed quatenus in eis relucet Diuina veritas.*
9 *Quomodo intelligatur, quod Christus prohibuerit iurare per Creaturas.*
10 *Iurans per Creaturas iurat per Deum.*
11 *Maius est iurare per Deum, quam per Euangelia absolutè loquendo.*
Quo ad modum iurandi potest esse maius iurare per Euangelia, quam per Deum.
12 *Per iuramentũ finitur omnis controuersia*
13 *Causæ, pro quibus licet iurare.*
14 *Iurare non est peccatum in viris perfectis*
15 *Qui iurat falsum, iniuriam facit Deo, sibi ipsi, & omnibus hominibus.*
16 *Iuramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter, scilicet vel quia ab ipso principio habet peiorem exitum, vel quia emergit de nouo aliquid impremeditatum.*
17 *Quare Apostolus iuret in Epistolis suis.*
18 *Potest homo exigere, & recipere iuramẽtum sine peccato seruatis debitis circonstantijs.*
19 *Non licet iuramentum exigere ab eo, quẽ scit, vel probabiliter credit periurare.*
In iudicio tamen potest.
20 *Licet recipere iuramẽtum per falsos Deos à parato adhuc.*
Non tamen licet inducere ad iurandum per falsos Deos.
21 *Qui iurat per Idola, peccat quo ad formã, non tamen quantùm ad assertionem viri, vel promissionem.*
Ratione primi non licet ei consentire; sed ratione secundi.

Quæritur quid sit iurare.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut Apostolus dicit ad heb. 6. iuramentum ad confirmationem ordinatur, confirmatio autem in scibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera; sed particularia facta contingentia hominum non possunt per rationem necessariam confirmari, & ideo ea, quæ de his dicuntur, solent confirmari per testes; sed humanum testimonium non est sufficiens ad huiusmodi confirmandum propter duo, primò quidem propter defectũ veritatis humanæ, quia plurimi in mendacium labuntur secundum illud Psalm. 16. os eorum locutum est mendacium; secundò propter defectum cognitionis, quia homines non possunt cognoscere, neq; futura, neq; cordium occulta, vel etiam absentia, de quibus tamen homines loquuntur, & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur, & ideo necessarium fuit recurrere ad Diuinum testimonium, quia Deus, neq; mentiri

tiri poteſt, neq; cum aliquid latet, aſſumere autem Deum in teſtem dicitur iurare, quia quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione Diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur Diuinum autem teſtimonium quandoq; inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita, & hoc dicitur iuramentum aſſertorium; quandoq; autem inducitur Diuinum iuramentum ad confirmandum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promiſſorium; ad ea vero quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inueſtiganda non inducitur iuramentum, deriſibile enim videretur, ſi quis in diſputatione alicuius ſcientiæ vellet propoſitum per iuramentum probare. 2.2.q 89.a.1.in corp. [3.ſét. d.39.a.1.in corp.

Quæritur an inducere auctoritatem ſacræ ſcripturę ſit iurare.

2 Reſpondeo dicendum, quòd aliud eſt teſtimonio Dei vti iam dato, quod fit, cũ aliquis auctoritatem ſacræ ſcripturæ inducit, & aliud eſt teſtimonium Dei implorare vt exhibendum, quod fit in iuramento. 2.2.q.89.a.1.ad 1.

Quæritur an ſit licitum iurare.

3 Reſpondeo dicendum, quòd nihil prohibet aliquid eſſe ſecundum ſe bonũ, quod tamen cedit in malum eius, qui nõ vtitur eo conuenienter, ſicut ſumere Euchareſtiam eſt bonum, & tamen qui indignè ſumit, iudicium ſibi manducat, & bibit, vt dicitur primę ad Corinthios 11. ſic ergo in propoſito dicendũ eſt, quod iuramentum ſecundum ſe eſt licitum, & honeſtum, quod patet ex origine, & fine; ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductũ ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem, & prouiſionem; ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias, vt dicitur ad heb. 6. ſed iuramentum cedit in malum alicui ex eo, quod malè vtitur eo, ideſt ſine neceſſitate, & cautela debita, videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtẽ inducit, quod non præſumeret etiã de aliquo viro honeſto; imminet etiam periculum periurij, quia de facili homo in verbo delinquit ſecundum illud Iacobi 3. ſi quis in verbo nõ offendit, hic perfectus eſt vir, vndè & Eccl. 23. dicitur iurationi nõ aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. 2.2.q.89.a.2. in corp. [3.ſét. d.39.a.2.in corp.

Quæritur quotuplex ſit modus iurandi.

4 Reſpondeo dicendum, quòd duplex eſt modus iurandi, vnus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem, ſicut cum aliquis dicit, eſt mihi Deus teſtis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idẽ eſt, vt dicit Auguſtinus; alius modus iurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verũ quod dicit. 2.2.q.89.a.1.ad 3. [lect.5.cap.1.ad Rom. [lect.4.cap.6.ad hebreos.

Quęritur an conuenienter ponũtur tres comites iuramenti, videlicet iuſtitia, iudicium, & veritas.

5 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupradictum eſt, iuramẽtum non eſt bonũ, niſi ei, qui benè vtitur iuramento; ad bonum autem vſum iuramenti duo requiruntur, primò quidem quod aliquis non leuiter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcretè iuret, & quantũm adhoc requiritur iudicium, ſcilicet diſcretionis ex parte iurantis; ſecundò quantùm ad id, quod per iuramẽtum confirmatur, vt ſcilicet neq; ſit falſum, neq; ſit aliquod illicitum, & quan-

quantùm adhoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat,quod verum est; & iustitia, per quam confirmat,quod licitum est; iudicio autem caret iuramentum incautum; veritate autem iuramentum mendax; iustitia autē iuramentum iniquum,siue illicitum.2.2.q.89.a.3.in corp. [quodlibeto.5.a. 27. in fine [quodlibeto 12.a.21.in corp.

Quæritur an iurare sit actus Religionis.

6 Respondeo dicendum, quòd ille,qui iurat inuocat Diuinum testimonium ad confirmandum ea,quæ dicit,nihil autem confirmatur nisi per aliquid, quod certius est,& poti',& ideo in hoc ipso, quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem,vt potè cuius veritas est indefectibilis, & cognitio vniuersalis, & sic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet, vndè & Apostolus dicit ad heb. 6. quod homines per maiores se iurant, & Hieronymus dicit super Matthæum, quod qui iurat,aut veneratur,aut diligit eū, p quē iurat,Phylosophus etiam dicit in primo Metaph. quod iuramentum est honorabilissimum; exhibere autem reuerentiā Deo pertinet ad Religionem, siue latriā, vndè manifestum est, quod iuramentum est actus Religionis, siue latriæ. 2. 2. q. 89. a. 4. in corp.

Quæritur an iuramentum sit appetendum, & frequentandum tanquam vtile,& bonū.

7 Respondeo dicendum,quòd id,quod non quæritur,nisi ad subueniendum alicui defectui non numeratur inter ea,quę sunt per se appetenda,sed inter ea, quæ sunt necessaria,sicut patet de medicina, quæ requiritur ad subueniendum alicui defectui, quo scilicet vnus homo alteri discredit,& ideo iuramentum nō est habendum inter ea,quæ sunt per se appetēda,sed inter ea,quæ sunt huic vitæ necessaria,quibus indebitè vtitur quicunq; eis vtitur vltra terminos necessitatis, vndè Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in monte,qui intelligit nō in bonis, idest per se appetendis,sed in necessarijs iurationem habendam,refrenet se quantùm potest,vt non ea vtatur, nisi necessitas cogat.2.2.q.89.a.5.in corp.

Quæritur an liceat per Creaturas iurare.

8 Respondeo dicēdum, quòd sicut supradictum est,duplex est iuramentum, vnum quidem,quod fit per simplicē contestationem,inquantùm scilicet testimonium Dei inuocatur,& hoc iuramentum innititur Diuinæ veritati, sicut & fides, fides autem est per se quidem, & principaliter de Deo,qui est ipsa veritas, secūdario autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet,& similiter iuramentū principaliter refertur ad ipsum Deum, cuius testimonium inuocatur,secundàrio autem assumitur ad iuramentum aliquæ creaturæ non secundum se, sed inquantùm in eis Diuina veritas manifestatur, sicut iuramus per Euangelium, idest per Deum,cuius veritas in Euāgelio manifestatur,& per Sanctos,qui hanc veritatem crediderunt,& obseruauerunt. Alius autem modus iurandi est per execrationē, & in hoc iuramento inducitur creatura aliqua,vt in qua Diuinum iudiciū exerceatur,& sic solet homo iurare per caput suum,aut per filium suum,aut per aliquā aliam rem,quam diligit,sicut & Apostolus iurauit secundæ ad Corinth. primo dicens,Ego testem Deum inuoco in animam meam; quod autem Ioseph per salutem Pharaonis iurauit,vtroq; modo intelligi potest,vel per modum execrationis,quasi salutem Pharaonis obligauerit Deo,vel per modum contestationis, quasi contestando veritatem Diuinę iustitię, ad cuius executionem Principes terræ constituuntur. 2. 2. q. 89. a. 6. in corp.

[3.sent.

3 sent. d.39.a. 1. in corp.

Quaritur quomodo intelligatur, quod Dominus prohibuerit iurare per creaturas.

9 Respondeo dicendum, quòd Dominus prohibuit iurare per creaturas, dum dixit Matthæi 5. ego dico vobis, non iurare omnino, neq; per cælum, neq; per terram, neq; per Hierosolymam, neq; per caput tuum, ita quod eis adhibeatur reuerentia Diuina, vndè Hieronymus dicit, quod Iudæi per Angelos &c. huiusmodi iurantes creaturas venerabantur Dei honore, & eadem ratione punitur secundum canones Clericus per creaturam iurans, quod ad blasphemiã infidelitatis pertinet, vndè dicitur, si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deũ vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur. 2.2.q.89.a.6.ad 1.

Quaritur an iurans per creaturas, iuret per Deum.

10 Respondeo dicendum, quòd quamuis aliquando iuretur per creaturas, tamen sciendum, quod in omnibus his non iuratur nisi per Deum, cum enim iuras per animam tuam, vel caput tuum idem est, quod eam obligare pœnæ infligendæ à Deo; item cum iuras per Euangelium, iuras per Deum, qui dedit Euangelium, & ideo peccant, qui iurant per Deum de facili, aut per Euangelium. opusculo 4. cap. de secundo præcepto.

Quaritur quodnam sit maius iurare per Deũ, an per Euangelium.

11 Respondeo dicendum, quòd iuramentum secundùm se consideratum tãto fortius est, & magis obligat, quanto maius est id, per quod iuratur, vt Augustinus dicit ad Publicolam, & secundùm hoc maius est iurare per Deum, quàm per Euangelia; sed potest esse è conuerso propter modum iurandi, vt potè si iuramentum, quod fit per Euangelia, fiat cum quadam deliberatione, & solemnitate, iuramentum autem, quod fit per Deum, fiat leuiter, & absq; deliberatione. 2.2.q.89.a.10.ad 2.

Quaritur quinam sit effectus iuramenti.

12 Respondeo dicendum, quòd effectus iuramenti in hoc consistit, quod per iuramentum finitur omnis controuersia, sicut enim in scientijs, quando resoluitur vsq; ad prima principia indemonstrabilia, quiescitur, ita Diuina lege introductum est, quod cum peruenitur ad primã veritatem, est status, quod fit, quando ipsa in testimonium inuocatur, exodi 22. applicabit ad Deos, & iurabit, & sic turpiter omnis quæstio, & controuersia. lect. 4. cap. 6. ad hebreos.

Quaritur quænam sint causæ, in quibus liceat iurare.

13 Respondeo dicendum, quòd causæ, in quibus licet iurare, hæ sunt, pro pace firmanda, sicut laban iurauit Genesis 30. secundò pro fama conseruanda; tertio pro fidelitate tenenda, sicut feudetarij iurant Dominis; quarto pro obedientia implenda, si præcipitur à superiori aliquid honestum; quinto pro seueritate facienda; sextò pro veritate attestanda, sic iurauit Apostolus Rom. 1. testis est mihi Deus &c. lect. 4. cap. 6. ad hebreos.

Quaritur an iuramentum sit peccatum in viris perfectis.

14 Respondeo dicendum, quòd cum Apostolus iurauerit, apparet, quod in viris perfectis iurare non est peccatum,

lect.

lect. 4. cap. 13. primæ ad Corinthios.

Quæritur quam grauiter peccet, qui iurat falsum.

15 Respondeo dicendum, quòd qui iurat falsum, facit iniuriam Deo, sibi ipsi, & omnibus hominibus; Deo quidē, quia cum iurare per Deum nil aliud sit, nisi inuocare eius testimonium, cum iuras falsum, aut credis Deum nescire verum, & sic ponis ignorantiam in Deo, cum tamen omnia nuda, & aperta sint oculis eius, vt dicitur ad heb. 4. aut quòd diligat mendacium, cum tamē odiat ipsum, aut derogas potentiæ, quasi non possit testimonium reddere, vel quasi non possit de eo punire; item facit iniuriā sibi ipsi, obligat enim se iudicio Dei, nihil est autem aliud dicere, per Deum ita est, nisi quod Deus puniat me, si non est ita; itē iniuriatur alijs hominibus, nulla enim inter aliquos societas durare potest, nisi credant sibi inuicem, dubia autem iuramentis confirmantur; iniuriatur ergo Deo, crudelis est sibi, & noxius est hominibus. opusculo 4. cap. de secundo præcepto.

Quæritur quot modis iuramentum possit vergere in deteriorem exitum.

16 Respondeo dicendum, quòd iuramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter, vno modo quia ab ipso principio habet peiorem exitum, vel quia est secundum se malum, sicut cum aliquis iurat se perpetraturum adulterium, siue quia est maioris boni impeditiuum, puta cum aliquis iurat se non intraturum Religionem, vel quod non fiet Clericus, aut quod non accipiet Prælationem, in quo expedit eum accipere, vel si quid aliud est huiusmodi, huiusmodi enim iuramentum ex principio est illicitum, differenter tamen, quia si quis iuret se facturum aliquod peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum seruādo; si quis autem iurat se non facturum aliquid melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, inquantùm ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator, non tamen peccat iuramentum seruando, sed multo melius facit, si nō seruet: alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid, quod de nouo emerserat, quod fuit inpræmeditatum, sicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puellæ saltāti se daturum, quod petijsset, hoc enim iuramentum poterat esse à principio licitum intellecta debita conditione, scilicet si peteret, quod dare poterat, sed impletio iuramenti fuit illicita, vndè Ambrosius dicit in primo de officijs, est contra officium non nunquam promissum soluere Sacramentum, sicut Herodes, qui necem Ioannis præstauit, ne promissum negaret. 2.2. q.89.a.7.ad 2. [quodlibeto. 5.a.27.in corp.

Quæritur quare Apostolus in epistolis suis aliquando iuret.

17 Respondeo dicendum, quòd Apostolus in epistolis suis iurans ostēdit quomodo accipiendum esset, quod dictū est, Dico vobis nō iurare omnino, ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur, & ex facilitate iurādi ad consuetudinem, & à consuetudine in periurium decidatur, & ideo non inuenitur iurasse, nisi scribens, vbi consideratio cautior nō habet linguam præcipitem. 2.2.q.89. a.2. ad 1. [lect. 5. cap. 1. ad Romanos.

Quæritur an liceat iuramentum recipere, vel exigere.

18 Respondeo dicendum, quòd sicut iurare non semper malum est, sed quandoq; est licitum, quando pro necessitate aliqua,

aliqua,& cum cautela iuratur, ita etiam iuramentum recipere,vel exigere ex causa necessaria,& alijs debitis circonstãtijs obseruatis potest esse sine peccato.3.sent. d.39.a.vltimo.quæstiunc. 2.in corp.

Quæritur an liceat iuramentum exigere ab eo, quẽ scit,vel probabiliter credit, peiurare.

19 Respondeo dicendum, quòd quando aliquis scit, vel probabiliter credit, quod aliquis deierabit, non licet ei iuramentum exigere nisi fortè sit in loco iudicij, quia iuramentum in iudicijs non tantum exhibetur propter iudicium, sed propter alios, vndè non est in potestate eius iuramentum remittere,quod secundum ordinem iuris exhibendum esset, similiter si sciat eum iuraturum verum, potest licitè iuramentum exigere nõ pro se,sed pro alijs,qui hoc nesciunt; si autẽ dubitet, dubitatio ex tanta suspicione procedere potest,quod cũ peccato erit, & ideo Augustinus non audet dicere, quod sit sine peccato, non tamen dicit, quod semper sit peccatum. 3. sent. d. 39. a.5. quæst.2.ad 2. [2.2.q.98.a.4. in corp.

Quæritur an liceat inducere aliquem ad iurandum per falsum Deum.

20 Respondeo dicendum, quòd licet eius,qui per falsos Deos iurare paratus est,iuramentum recipere,non tamẽ licet eum inducere adhoc, quod per falsos Deos iuret. 2.2.q 98.a.4.ad 4.

Quæritur an recipiens iuramentum per idola dicatur consentire peccato illius.

21 Respondeo dicẽdum, quòd ille, qui iurat per idola peccat quidem quantùm ad formam iuramenti, sed non quantùm ad assertionem veri, vel promissionem alicuius,quod redundat in bonum commune,& quantùm adhoc potest ei consentire sine peccato, sed non quantùm ad primum, & ideo iuramento eius vti possumus quandoq; sine peccato. 3.sent. d.39.a.5,quæstiunc.2.ad 3.

De obligatione iuramenti. Cap. II.

1 *Iuramentum siue assertorium,siue promissorium obligant,diuersimodè tamen si tamen adsint iudicium,& iustitia.*

2 *Votum est magis obligatorium, quam iuramentum.*

3 *Quando quis coactus iurat, per coactionẽ tollitur obligatio ad hominem, remanet tamen obligatio ad Deum.*

Potest tamen Prælato denunciare hoc, & ab eo petere iuramenti relaxationem.

Romani Pontifices relaxauerunt huiusmodi iuramenta.

4 *Qui iurat alia intentione ab intentione illius,cui fit iuramentum, si dolosè hoc faciat,obligatur ad seruandum iuramentum secundum intentionem eius, cui fit iuramentum.*

Si dolosè hoc non faciat, obligatur secundũ intentionem ipsius iurantis.

5 *A iuramento excluduntur pueri ante annos pubertatis.*

Periuri.

Personæ magnæ dignitatis.

Quæ tamen personæ in necessitate, vel pro magna vtilitate possunt iurare.

6 *Quando quis iurat se facturum voluntatẽ alterius,intelligi debet,si quod præcipitur, erit licitum,& honestum.*

7 *Qui accipiens doctrinam alicuius experimenti iurauit non communicare illam, peccat iurando, simpliciter loquendo, nec tenetur ad illud.*

Omne iuramentum,quod est contra aliquid de genere bonorum, est illicitum, & non est seruandum.

In casu quo ipse est præsens,vel alius habẽs talem doctrinam paratus vti illo experimento

mento in salutem corporis alicuius, tunc tenetur seruare iuramentum.

8 *Ciuis de nouo habitans in aliqua Ciuitate non tenetur ad iuramēta illius Ciuitatis*

Tenetur tamen ex quadam fidelitate.

9 *Canonicus, qui iurauit seruare statuta alicuius Ecclesiæ, non tenetur seruare statuta futura.*

Tenetur tamen, si intendebat se obligare ad omnia.

Quæritur an Iuramentum habeat vim obligandi.

1 Respondeo dicendū, quòd obligatio refertur ad aliquid, quod est faciendum, vel dimittendum; vndè non videtur respicere iuramentū assertorium, quod est de præsenti, vel de præterito, neq; etiam iuramētum de his, quæ sunt per alias causas fienda, sicut si quis iuramento assereret, quod cras pluuia esset futura, sed solùm in his, quæ sunt fienda per illum, qui iurat, sicut autem iuramentum assertoriū, quod est de præterito, vel de præsenti, debet habere veritatem, ita etiam, & iuramentum de his, quæ sunt fienda à nobis in futurum, & ideo vtrumq; habet quandam obligationem, diuersimodè tamen, quia in iuramento, quod est de præterito, vel præsenti obligatio est non respectu rei, quæ iam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, vt scilicet iuret id, quod iam verū est, vel fuit, sed in iuramento, quod præstatur de his, quę sunt fienda à nobis, obligatio cadit è contra super rem, quā aliquis iuramento firmauit, tenetur enim aliquis, vt faciat verum esse id, quod iurauit, alioquin deest veritas iuramento; si autem est talis res, quæ in eius potestate non fuit, deest iuramento discretionis iudicium, nisi fortè quod erat ei possibile, quando iurauit, reddatur ei impossibile per aliquem euentum, puta cum aliquis iurat, se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto subtrahitur; tunc enim videtur excusatus esse à faciēdo, quod iurauit, licet teneatur facere, quod in se est; si verò sit quidem possibile fieri, sed non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditiuum, tunc iuramento deest iustitia, & ideo iuramentum non est seruādum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditiuū, secundum enim Augustinum vtrūmque eorum vergit in deteriorem exitum: sic ergo dicendum est, quod quicunq; iurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum ad hoc quod veritas impleatur, si tamen alij duo comites adsint, scilicet iudicium, & iustitiā. 2.2.q.89.a.7.in corp.

Quæritur an maior sit obligatio iuramenti, quam voti.

2 Respondeo dicendum, quòd vtraque obligatio scilicet voti, & iuramenti causatur ex aliquo Diuino; aliter tamen, & aliter; nam obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt scilicet ei promissum soluamus, obligatio autem iuramenti causatur ex reuerentia, quam debemus ei, ex qua tenemur, quòd verificemus id, quod per nomē eius promittimus; omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, sed non cōuertitur, videtur enim infidelitas subiecti ad Dominum esse maxima irreuerentia, & ideo votum ex ratione sua magis est obligatorium, quam iuramentum. 2.2.q.89. ar. 8. in corp. & 4. sent. d. 38. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 3. ad 2.

Quæritur an qui coactus iurauit teneatur implere iuramentum.

3 Respondeo dicendum, quòd in iuramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio, vna quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille,

ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissum non seruetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientię, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare; potest tamen repetere in iudicio, quod soluit, vel Prælato denunciare non obstante quod contrarium iurauit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra iustitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiusmodi iuramentis homines absoluerunt, vt habetur extra de iure iu. c. Verum, non quasi decernentes huiusmodi iuramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes. 2.2.q.89.a. 7. ad 3. [3. sent.d.39 a.3.quæstiunc.2. in corp.

Queritur quomodo ille, qui dum iurat, aliud intendit, quam intendat ille, cui fit iuramentum, teneatur seruare iuramentum.

4 Respondeo dicendum, quòd quando non est eadem iurantis intentio, & eius, cui iurat, si hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum seruari secundum sanum intellectum eius, cui iuramentum præstatur. Vndè Isidorus dicit. Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut cui iuratur intelligit: Et quod hoc intelligatur de doloso iuramento patet per id, quod subditur: dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem iurantis, vndè Gregorius dicit 27. moralium. Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant. Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 4. [3. sent. d. 39. ar. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quæritur an iuramentum impediatur per aliquam conditionem personæ, vel temporis.

5 Respondeo dicendum, quòd in iuramento duo sunt consideranda. Vnum quidem ex parte Dei, cuius testimonium inducitur. Et quantùm adhoc debetur iuramento maxima reuerentia. Et propter hoc à iuramento excluduntur pueri antè annos pubertatis, qui non coguntur ad iurandum, quia nondum habent perfectum vsum rationis, quo possint cum reuerentia debita iuramentum præstare; & iterum periuri, qui ad iuramentum non admittuntur, quia ex retroactis prçsumitur, quod debitam reuerentiam iuramento non exhibebunt. Et propter hoc etiam vt iuramento debita reuerentia exhibeatur dicitur 22.q.5. Honestum est, vt qui in Sanctis audet iurare hoc ieiunus faciat cũ omni honestate, & timore Dei; Aliud autem est considerandum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur. Non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ, vt dubitetur de veritate corũ, quæ dicit, & ideo personis magnæ dignitatis non conuenit iurare, propter quod dicitur 2. q. 4. cap. si quis Presbyter; Quod Sacerdotes ex leui causa iurare non debent, tamen pro aliqua necessitate, vel magna vtilitate licitum est eis iurare, & præcipuè pro spiritualibus negocijs, pro quibus etiam iuramenta competit præstare in solemnibus diebus, quibus est spiritualibus rebus vacandum, non autem tunc sunt iuramenta præstanda pro rebus temporalibus, nisi fortè ex magna necessitate. 2. 2. q. 89. a. 10. in corp. & ad 3. [lect. 4. cap. 6. ad Hæbreos.

Quæritur quomodo debeat intelligi iuramentum. quo quis iurat se facturum voluntatem alterius.

6 Respondeo dicendum, quòd cum aliquis iurat, vel promittit se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio, si scilicet id, quod ei mandatur, licitum sit, & honestum, & portabile, siue moderatum. 2.2.q.98.a.2. ad 3.

Quæritur an accipiens doctrinam alicuius experimenti sub iuramento non communicãdi teneatur seruare iuramentum.

7 Respondeo dicendum, quòd aliter dicendum est hic simpliciter, & aliter in casu; simpliciter loquendo non tenetur, sed malè facit iurando, iuramentũ enim non solum amittit vim, quando iuramẽtum est illicitum, sed etiã quando iurando peiorat, quia iuramentum obligans debet habere iudicium, iustitiam, & veritatem, sed etsi viro quandoq; aliquid, ꝙ licet mihi nõ facere, puta non ire ad Ecclesiam, non licet tamẽ iurare, quia licet sit mihi licitum pro aliquo tẽpore facere, vel dimittere huiusmodi bonũ, quod est ad Ecclesiã ire, non tamen licet mihi iuramentum interponere, & animum obfirmare ad aliquod bonum nõ faciendũ, quia hoc est facere contra Spiritum Sanctum, & ideo iuramentum contra omne id, quod est de genere bonorum, est illicitum, & non est seruandum; tamen in casu seruare tenetur, puta si ille, vel alius sufficiens medicus præsens esset, & paratus esset curare, & vti illo experimento in salutem corporalem aliorũ. quodlibeto 12.a.21.

Quæritur an nouus ciuis in aliqua Ciuitate superueniens teneatur seruare iuramenta illius Ciuitatis.

8 Respondeo dicendum, quòd quia iuramentum est actio personalis, ille, qui de nouo fit Ciuis alicuius Ciuitatis, non obligatur quasi iuramento ad obseruanda illa, quæ Ciuitas se seruaturam iurauit; tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, vt sicut fit socius bonorum Ciuitatis, ita etiam fiat particeps onerum. 2.2.q.98.a.2.ad 4.

Quæritur an canonicus, qui iurauit se velle seruare statuta Ecclesiæ alicuius, teneatur seruare statuta, quæ imposterum fiunt.

9 Respondeo dicendum, quòd Canonicus, qui iurat se seruaturum statuta edita in aliquo collegio, non tenetur ex iuramento ad seruandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia statuta præterita, & futura; tenetur tamen ea seruare ex ipsa vi statutorum, quæ habent coactiuam virtutem. 2. 2. q. 98. ar. 2. ad 5.

De dispensatione iuramenti. Cap. III.

1 *Potest dispensari in iuramento.*
2 *Quomodo intelligatur dispensatio in iuramento promissorio.*
3 *Episcopus potest dispensare in iuramentis, de quibus dubitatur, an sint licita, vel illicita.*
In iuramentis de rebus licitis manifestè nõ debet fieri dispensatio, vel commutatio, nisi occurrat aliquid melius ad communem vtilitatem faciendum.
Hoc maximè spectat ad Papam, qui etiam potest absolutè relaxare in omnibus, quæ ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis.
Vnusquisq; potest irritare iuramenta, quæ à sibi subditis facta sunt circa ea, quæ eius potestati subduntur.

4 Quan-

4 *Quando promittitur aliquid alicui sub iuramento, quod est in vtilitatem eius, tunc ille, cui fit promissio, potest absoluere à iuramento.*

Quando promittitur alicui aliquid in honorem Dei, vel vtilitatem aliorum, non potest absoluere à iuramento ille, cui fit promissio.

Si tamen in iuramento posita fuit conditio (si tali placuerit) tunc poterit absoluere, si sibi non placuerit.

5 *Papa potest absoluere à iuramento coactè facto.*

Quæritur an possit dispensari in iuramentis.

1 Respondeo dicendum, quòd necessitas dispẽsationis, tã in lege, quàm in voto est propter hoc quod id, quod in se, vel vniuersaliter consideratũ est vtile, & honestum, secundum aliquem particularem euentum potest esse inhonestum, & nociuum, quod non potest cadere, nec sub lege, nec sub voto: quod autẽ aliquid sit inhonestum, vel nociuũ repugnat his, quæ debent attendi in iuramento, nam si sit inhonestũ, repugnat iustitiæ, si sit nociuum repugnat iudicio, & ideo pari ratione etiam in iuramento dispensari potest. 2.2. q. 189. a. 9. in corp.

Quæritur quomodo sit intelligenda dispensatio in iuramento.

2 Respondeo dicendum, quòd dispensatio, quæ fit in iuramento non se extendit adhoc, quod aliquid contra iuramentum fiat, hoc enim est impossibile, cum obseruatio iuramenti cadat sub præcepto Diuino, quod est indispensabile, sed adhoc se extendit dispensatio iuramenti, vt id, quod sub iuramento cadebat, sub iuramento non cadat, quasi non existens debita materia iuramenti; materia autem iuramenti assertorij, quod est de præterito, vel præsenti in quamdam necessitatem iam transit, & immutabilis facta est, & ideo dispensatio non referretur ad materiam, sed referretur ad ipsum actum iuramenti, vndè talis dispensatio directè esset contra præceptum Diuinum; sed materia iuramenti promissorij est aliquid futurum, quod variari potest, ita scilicet quod in aliquo euentu potest esse illicitum, & nociuum, & per consequens non esse debita materia iuramenti, & ideo dispensari potest in iuramento promissorio, quia talis dispensatio respicit materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto Diuino de iuramenti obseruatione. 2.2. q. 89. a. 9. ad 1.

Quæritur quinam possint dispensare in iuramentis.

3 Respondeo dicendum, quòd quãdoque illud, quod cadit sub iuramento promissorio est manifestè repugnans iustitiæ vel quia est peccatum, sicut cum aliquis iurat se facturum homicidium, vel quia est maioris boni impeditiuum, sicut cum aliquis iurat se non intraturum Religionem, & tale iuramentũ dispensatione nõ indiget, sed in primo casu tenet aliquis tale iuramentum non seruare, in secundo autẽ casu licitum est, & seruare, & nõ seruare; quandoq; vero aliquid sub iuramẽto promittitur, de quo dubium est, vtrum sit licitum, vel illicitum, proficuũ, vel nociuum, aut simpliciter, aut in aliquo casu & in hoc potest quilibet Episcopus dispẽsare; quandoq; vero sub iuramento promittitur aliquid, quod est manifestè licitum, & vtile, & in tali iuramento non videtur habere locum dispẽsatio, vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad cõmunem vtilitatem faciendũ, quod maximè videtur pertinere ad potestatẽ Papæ, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ; vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus

generaliter, quæ ad dispensationem rerũ ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis: Sicut & ad vnumquemq; pertinet irritare iuramentum, quod à sibi subditis factum est circa ea, quæ eius potestati subduntur, sicut pater potest irritare iuramentum puellæ, & vir vxoris, vt dicitur numeri 30. 2.2.q.89.a.9.ad 3.

Quæritur an ille, cui fit iuramentum possit dispensare in eo.

4 Respondeo dicendum, quòd homo potest alteri promittere aliquid sub iuramento dupliciter. Vno modo quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatẽ ipsius, puta si sub iuramento promittat se seruiturum ei, vel pecuniam daturum, & à tali ꝓmissione potest absoluere ille, cui promissio facta est, intelligitur enim iam ei soluisse promissum, quando facit de eo secundum eius vtilitatem; Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum, puta si aliquis sub iuramento promittat alicui se intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum, Et tunc ille, cui promittitur, non potest absoluere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo, nisi fortè sit interposita conditio, ratione cuius possit, scilicet si illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale. 2.2.q.89.a.9.ad 2.

Quæritur quisnam possit dispensare in iuramento coactè facto.

5 Respondeo dicendum, quòd qui coactè iurauit potest per auctoritatem Summi Pontificis ab obligatione iuramenti absolui, præsertim si coactus fuerit tali metu, qui cadere posset in constantem virum. 2.2.q.98.a.5.ad 1.

IVRISDICTIO.

1 *Nullus habet iurisdictionem in se ipsum, nec in superiorem, nec in æqualem.*

2 *Quicunque habet iurisdictionem potest ea, quæ sunt iurisdictionis alteri cõmittere.*

Quæritur an aliquis habeat iurisdictionem in se ipsum, vel superiorem, vel ęqualem.

1 Respondeo dicendum, quòd cum per iurisdictionem aliquis cõstituatur in gradu superioritatis respectu eius, in quem habet iurisdictionem, quia est iudex eius: ideo nullus habet in se ipsum, vel superiorem, vel ęqualem iurisdictionem, & per consequens nullus potest se ipsum excommunicare, vel superiorem, vel æqualem. 4. sent. d. 18. q. 2. a.3. quæstiunc.1. in corp.

Quęritur an quilibet habens iurisdictionem possit ea, quę sunt iurisdictionis committere.

2 Respondeo dicendum, quòd quicunq; habet iurisdictionem potest ea, quæ sunt iurisdictionis, committere. 4. sent. d. 17. q.3.a.3. quæstiunc.5. in corp.

IVRISTAE.

1 *Iuristę plus sequuntur ius humanum, quam diuinum, & huic plusquam illi est assentiendum.*

2 *In sacra doctrina non sunt adducendę iuristarum auctoritates.*

Quęritur quod nã ius magis sequãtur iuristę.

1 Respondeo dicendum, quòd Iuristæ plus sequuntur ius humanum, quam diuinum, cum tamen plus sit assentiendũ diuino, quam humano. quodlibeto 11.a.9.ad 1.

Quæ-

Quæritur an sint adducenda iuristarum auctoritates in disputationibus.

2 Respondeo dicendum, quòd inconsonum, & derisibile videtur, quod Sacræ doctrinę professores iuristarum glossulas in auctoritatem inducant, vel de eis disceptent. opusculo 17. a. 13.

I V S.

Quæritur quid sit ius.

1 RESpondeo dicendum, quòd cōsuetum est, quod nominā à sui prima impositione retorqueātur ad alia significanda, sicut nomen medicinæ impositum est primo ad significandum remedium, quod præstatur infirmo ad sanandum, deinde tractū est ad significandam artem, qua hoc fit, ita etiam hoc nomen ius primo impositum est ad significandam ipsam rem iustam, postmodum autem est deriuatum ad artem, qua cognoscitur, quid sit iustum, & vlterius ad significandū locum, in quo ius redditur, sicut dicitur aliquis comparere in iure. Et vlterius dicitur etiam ius, quod redditur ab eo, ad cuius officium pertinet iustitiam facere, licet etiam id, quod decernit, sit iniquum. 2. 2. q. 57. a. 1. ad 1.

Quæritur an ius conuenienter diuidatur in ius naturale, & positiuum.

2 Respondeo dicendum, quòd ius, siue iustum est aliquod opus adæquatum alteri secundum aliquem æqualitatis modum; Dupliciter autem potest alicui homini esse aliquid adęquatum. Vno quidē modo ex ipsa natura rei, puta cū aliquis tantum dat, vt tātundem recipiat, & hoc vocatur ius naturale; Alio modo aliquid est adæquatum, vel commensuratum alteri ex condicto, siue ex communi placito, quando scilicet aliquis reputat se cōtentum, si tantum accipiat. Quod quidē potest fieri dupliciter. Vno modo per aliquod priuatum condictum, sicut quod firmatur aliquo pacto inter priuatas personas. Alio modo ex cōdicto publico, puta cum totus populus consentit, quod aliquid habeatur quasi adæquatum, & commensuratum alteri, vel cum hoc ordinat Princeps, qui curam populi habet, & eius personam gerit, & hoc dicitur ius positiuum. 2. 2. q. 57. a. 2. in corp.

Quæritur an ius gentium sit idem cum iure naturali.

3 Respondeo dicendum, quòd ius, siue iustum

iustum naturale est, quod ex sui natura adæquatum, vel commensuratum est alteri, hoc autem potest contingere dupliciter. Vno modo secundum absolutã sui considerationem sicut masculus ex sui ratione habet commensurationem ad fæminam, vt ex ea generet, & parens ad filium, vt eũ nutriat. Alio modo aliquid est naturaliter alteri commensuratũ non secundum absolutam sui rationem, sed secundum aliquid, quod ex ipso sequitur, puta proprietas possessionũ. Si enim consideretur istæ ager absolutè non habet vndè magis sit huius, quam illius, sed si consideretur per respectum ad opportunitatem colendi, & ad pacificum vsum agri, secundùm hoc habet quandam cõmensurationem adhoc quòd sit vnius, & non alterius, vt patet per Phylosophum in 2. politicorum. absolutè autem apprehendere aliquid non solum conuenit homini, sed etiam alijs animalibus, & ideo ius, quod dicitur naturale secundũ primum modum cõmune est nobis, & alijs animalibus; à iure autem naturali sic dicto recedit ius gentium, vt iurisconsultus dicit, quia illud omnibus animalibus, hoc solum hominibus interse commune est. considerare autem aliquid cõparando ad id, quod ex ipso sequitur est proprium rationis, & ideo hoc idem est naturale homini secundùm rationem naturalem, quæ hoc dictat, & ideo dicit Caius iurisconsultus, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit id, quod apud omnes gentes custoditur, vocaturq; ius gentiũ. 2. 2. q. 57. a. 3. in corp.

Quæritur an debeat specialiter distingui in ius Paternum, & dominatiuum.

4 Respondeo dicendum, quòd ius, siue iustum dicitur per commensurationem ad alterum. Alterum autem potest dici dupliciter. Vno modo quòd simpliciter est alterum, sicut quod est omnino distinctum, sicut apparet in duobus hominibus, quorum vnus nõ est sub altero, sed ambo sunt sub vno Principe Ciuitatis, & inter tales secundùm Phylosophum in 5. eth. est simpliciter iustum. Alio modo dicitur aliquid alterum non simpliciter, sed quasi aliquid eius existens, & hoc modo in rebus humanis filius est aliquid Patris, quia quodammodo est pars eius, vt dicitur in 8. eth. & seruus est aliquid Domini, quia est instrumentum eius, vt dicitur in primo polit. & ideo Patris ad filium non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum, & propter hoc non est ibi simpliciter iustum, sed quoddam iustum, scilicet Paternum, & eadem ratione, nec inter Dominum, & seruum, sed est inter eos dominatiuum iustum; vxor autem quamuis sit aliquid viri, quia comparatur ad eam sicut ad propriũ corpus, vt patet per Apostolum ad ephesios 5. tamen magis distinguitur à viro, quam filius à Patre, vel seruus à Domino, assumitur enim in quandam socialẽ vitam matrimonij, & ideo vt Phylosophus dicit, inter virum, & vxorem plus est de ratione iusti, quam inter Patrem, & filium, vel Dominum, & seruum, quia cum vir, & vxor habeant immediatam relationem ad domesticam communitatem, vt patet in primo polit. ideo inter eos non est etiã simpliciter politicum iustum, sed magis iustum Oeconomicum. 2. 2. q. 57. ar. 4. in corp.

Quæritur quid sit ius naturale.

5 Respondeo dicendum, quòd ius naturale nihil est aliud, quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad conuenienter agendum in actionibus proprijs, siue competant ei ex natura generis, vt generare, comedere, & huiusmodi, siue ex natura speciei, vt ratiocinari, & similia. 4. sent. d. 33. q. 1. a. 1. in corp.

Quæ-

Quæritur quot modis dicatur ius naturale.

6 Respondeo dicendum, quòd ius naturale multipliciter accipitur. Primo .n. ius aliquod dicitur naturale ex principio, quia à natura est inditum, & sic diffinit Tullius in 2. rethoricorum dicens, Ius naturæ est quòd non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit. Et quia etiam in rebus naturalibus dicuntur aliqui motus naturales, non quia sint ex principio intrinseco, sed quia sūt à principio superiori mouente, sicut motus, qui sunt in elementis ex impressione corporum cælestium naturales dicuntur, ideo ea, quæ sunt de iure diuino, dicūtur esse de iure naturali, cum sint ex impressione, & infusione superioris principij scilicet Dei, & sic accipitur ab Isidoro, qui dicit quod ius naturale est, quod in lege, & in Euangelio continetur. Tertiò dicitur ius naturale non solum à principio, sed à natura, quia de naturalibus est. Et quia natura contra rationem diuiditur, à qua homo est homo, ideo strictissimo modo accipiendo ius naturale, illa, quæ ad homines tantùm pertinent, & si sint de dictamine rationis naturalis, non dicuntur esse de iure naturali, sed illa tantùm, quę naturalis ratio dictat de his, quę sunt homini, alijsq; communia, & sic in principio digestorum datur diffinitio iuris. Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit. 4. sēt. d. 33. q. 1. a. 1. ad 4.

Quæritur an ius naturale possit variari.

7 Respondeo dicendum, quòd ius naturale semper, & vbique quantùm est de se habet eandem potētiam, sed per accidens propter aliquod impedimentum quandoque, & alicubi potest variari sicut Phylosophus in 5. eth. exemplum ponit de alijs rebus naturalibus, semper enim, & vbique dextera est melior, quam sinistra secundùm naturam, sed per aliquod accidens cōuenit aliquem esse ambidexterum, quia natura nostra variabilis est, & similiter etiam est de naturali iusto, vt ibidem Phylosophus dicit. 4. sent. d. 33. q. 1. a. 2. ad 1.

Quæritur an possit esse aliquod iustum, quod sit contra ius naturale.

8 Respondeo dicēdum, quòd si aliquid de se repugnantiam habeat ad ius naturale, non potest voluntate humana fieri iustum, puta si statuatur, quod liceat furari, vel adulterium committere. Vndè dicitur Isaię 10. Veh qui condunt leges iniquas. 2. 2. q. 57. a. 2. ad 2.

Quæritur an quæ sunt de iure naturali indigeant determinatione.

9 Respondeo dicendum, quòd illa, quæ in communi sunt de iure naturali, indigent institutione quantùm ad eorum determinationem, quæ diuersimodè competit secundum diuersos status. 4. sent. d. 26. q. 2. a. 2. ad 1. [2. 2. q. 83. a. 1. ad. 1.

Quæritur an de iure naturali malefactores debeant puniri.

10 Respondeo dicendum, quòd malefactores puniantur habet lex naturalis, sed quod tali pæna, vel tali puniantur est ex cōstitutione Diuina, vel humana. 2. 2. q. 85. a. 1. ad 1. [quodlibeto 2. a. 8. in corp.

Quæritur quid sit ius Diuinum.

11 Respondeo dicendum, quòd ius Diuinum dicitur, quod diuinitus promulgatur, & hoc quidem partim est de his, quæ sunt naturaliter iusta: sed tamen eorum iustitia homines latet. Partim autē de his, quæ sunt iusta institutione diuina. Vndè etiam ius diuinum, per hęc duo distingui potest, sicut & ius humanū. Sūt

enim in lege Diuina quædam præcepta, quia bona,& prohibita quia mala. Quædam vero bona, quia præcepta, & mala quia prohibita.2.2.q.57.a.2.ad 3.

Quæritur an ius Diuinum possit tollere ius humanum.

12 Respondeo dicendum,quòd ius diuinum,quod est ex gratia non tollit ius humanũ,quod est ex naturali ratione. 2.2.q.10.a.10.in corp. & q.12.a. 2. in corp.

Quæritur quid sit ius positiuum.

13 Respondeo dicendum, quòd nihil est aliud ius positiuum, quam determinatio iuris naturalis,& ad quẽlibet Principem,qui potest leges condere,pertinet ius naturale commune per ius positiuum determinare.quodlibeto 2.a.8. in corp.

Quæritur quotuplex sit ius positiuum.

14 Respondeo dicendum,quòd diuiditur ius positiuum in ius gentium, & ius ciuile secũdum duos modos, quibus aliquid deriuatur à lege naturę,nam ad ius gentium pertinent ea,quæ deriuantur ex lege naturæ,vt iustæ emptiones, venditiones,& alia huiusmodi, sine quibus homines ad inuicem conuiuere nõ possunt, quod est de lege naturæ, quia homo est naturaliter animal sociale, vt probatur in primo Politicæ; quæ vero deriuãtur à lege naturæ per modum particularis determinationis pertinent ad ius ciuile secundũ ꝗ quęlibet ciuitas aliquid sibi accomodè determinat.p.2.q.95.a.4.i corp.

Quæritur an ius positiuum debeat aliquando variari.

15 Respondeo dicendum, quòd sicut lex naturalis secundum diuersos status recipit determinationes diuersas, ita & ius positiuum etiam variatur secundum diuersas hominum conditiones in diuersis temporibus.4.sent.d.34.a.1. ad 4.

Quęritur an ius humanum possit derogare iuri diuino,vel naturali.

16 Respondeo dicendum,quòd ea,quę sunt iuris humani non possunt derogare iuri naturali, vel iuri diuino. 2. 2. q 66. a.7. in corp.

IVS PATRONATVS.

Quæritur quid sit Ius Patronatus.

Respondeo dicendum, quòd ius patronatus est potestas præsentandi Clericum ad beneficium Ecclesiasticum. 4.sent.d.25.q.3.a.2.quæstiunc.3. in corp.

Quęritur an vẽdere ius patronatus sit simonia.

Respondeo dicendum sicut verbo Simonia.

IVSTITIA.

rationes sunt vsus, eadem materia est vtriusq; iustitia.

Si accipiamus vt materiam vtriusq; iustitiæ actiones ipsas principales, quibus vtimur personis, rebus, & operibus sic inuenitur diuersa materia vtriusque.

10 *Actus iustitiæ est meritorius.*

11 *Quattuor modis inquinatur opus iustitiæ.*

12 *Dupliciter corrumpitur iustitia.*

13 *In quo casu sit contra iustitiam reddere inæqualia æqualibus.*

14 *Est periculosum diuersa opinari circa cõmutatiuam iustitiam.*

15 *Iustitia semper accipitur in bono.*

Quæritur quid sit iustitia.

RESpondeo dicendum, quòd iustitia conuenienter diffinitur à iurisperitis. Iustitia est perpetua, & constans voluntas ius suũ vnicuiq; tribuens. 2.2.q.58.a.1.

Quæritur an iustitia sit virtus.

2 Respondeo dicendum, quòd Gregorius dicit in 2. moraliũ, quod in quattuor virtutibus scilicet temperantia, prudentia, fortitudine, & iustitia tota boni operis structura consurgit. 2.2.q.58 a.3.

Quæritur an iustitia sit virtus Generalis.

3 Respondeo dicendum, quòd Phylosophus dicit in 5. eth. quod iustitia est communis virtus. 2.2.q.58.a.5.

Quæritur an declinare à malo, & facere bonũ sint partes iustitiæ.

4 Respondeo dicẽdum, quòd si loquamur de bono, & malo in communi facere bonũ, & vitare malũ pertinet ad omnẽ virtutem, & secundum hoc non possunt poni partes iustitię, nisi fortè iustitia accipiatur, prout est omnis virt⁹. Quamuis autem iustitia hoc modo accepta respiciat quandam rationem boni specialem; prout scilicet est debitum in ordine ad legem diuinam, vel humanam. Sed iustitia secundum quod est specialis virtus respicit bonum sub ratione debiti in cõparatione ad proximum, & vitare malũ oppositum, scilicet quod est nociuũ proximo; Ad iustitiam vero generalẽ pertinet facere bonum debitum in ordine ad Communitatem, vel ad Deum, vel vitare malum oppositum. Dicuntur autem hæc duo partes iustitiæ generalis, vel specialis quasi integralis, quia vtrumq; eorũ requiritur ad perfectam actum iustitiæ. Ad iustitiam enim pertinet æqualitatem constituere in his, quæ sunt ad alterum: eiusdem autem est constituere aliquid, & constitutum conseruare in his, quę sũt ad alterum; Constituit autẽ quis æqualitatẽ iustitiæ faciendo bonũ, idest reddẽdo alteri, quod ei debetur, Conseruat autẽ æqualitatem iustitiæ iã constitutæ declinando à malo, idest nullũ nocumentũ proximo inferẽdo. 2.2.q.79.a.1. in corp.

Quæritur an sit aliqua iustitia particularis præter iustitiam legalem.

5 Respondeo dicendum, quòd iustitia legalis non est essentialiter omnis virtus, sed oportet præter iustitiam legalẽ, quæ ordinat hominem immediatè ad bonũ commune, esse alias virtutes, quæ immediatè ordinant hominem circa particularia bona. Quæ quidem possunt esse, vel ad se ipsum, vel ad alteram singularem personam. Sicut ergo præter iustitiã legalem oportet esse aliquas virtutes particulares, quæ ordinent hominem in se ipso, puta temperantiam, & fortitudinẽ, ita etiam pręter iustitiam legalem oportet esse particularem quandam iustitiã, quæ ordinet hominem circa ea, quę sunt ad alteram singularem personam. 2.2.q.58, a.7. in corp.

Quæ-

Quaritur quisnam sit proprius actus iustitię.

6 Respondeo dicendum, quòd materia iustitiæ est operatio exterior secundùm quòd ipsa, vel res, qua per eam vtimur, proportionatur alteri personæ, ad quam per iustitiam ordinamur, hoc autem dicitur esse suū vnuscuiusq; personæ, quod ei secundùm proportionis æqualitatem debetur, & ideo proprius actus iustitiæ nihil aliud est, quam reddere vnicuique, quod suum est. 2. 2. q. 58. a. 11. in corp.

Quaritur quot, & quæ sint species iustitia particularis.

7 Respondeo dicendum, quòd iustitia particularis ordinatur ad aliquam priuatam personam, quæ comparatur ad Communitatem, sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attēdi. Vnus quidem partis ad partem, cui similis est ordo vnius priuatæ personæ ad aliam, & hunc ordinem dirigit commutatiua iustitia, quæ consistit in his, quæ mutuo sunt inter duas personas ad inuicem. Alius ordo attenditur totius ad partes, & huic ordini assimilatur ordo eius, quod est commune ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiua, quæ est distributiua communium secundum proportionalitatem, & ideo duæ sunt iustitiæ species, scilicet distributiua, & commutatiua. 2. 2. q. 61. a. 1. in corp.

Quaritur an medium eodem modo accipiatur in iustitia distributiua, & commutatiua.

8 Respondeo dicendum, quòd in iustitia distributiua datur aliquid alicui priuatæ personæ, inquantùm id, quod est totius, est debitum parti. Quod quidem tanto maius est, quanto ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiua iustitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quāto illa persona maiorem habet principalitatem in cōmunitate. Quæ quidē principalitas in Aristrocatia communitate attenditur secundùm virtutem, in olycratia secundùm diuitias, in democratia secundum libertatem, & in alijs aliter. Et ideo in iustitia distributiua nō accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas: vt scilicet sicut vna persona excedit aliam, ita etiam res, quę datur vni personæ excedat rem, quæ datur alij. Et ideo dicit Phylosophus, quod tale medium est secundum Geometricā proportionalitatem, in qua attenditur æquale non secundùm quantitatem, sed secundum proportionem. Sicut si dicamus, quod sicut se habent sex ad quattuor, ita se habēt tria ad duo, quia vtrobique est sexquialtera proportio, in qua maius habet totum minus, & mediā partem eius. Non autem est æqualis excessus secundum quantitatem, quia sex excedit quattuor in duobus, tria vero excedunt duo in vno. Sed in commutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem eius, quæ accepta est, vt maximè patet in emptione, & venditione, in quibus primo inuestitur ratio commutationis, & ideo oportet adęquare rem rei, vt quanto iste plus habet, quā suum sit, de eo, quod est alterius, tātundem restituat ei, cuius est. Et sic fit ęqualitas secundùm aritmeticam medietatem, quæ attenditur secundum parem quantitatis excessum, sicut quinq; est medium inter sex, & quattuor, in vnitate enim excedit, & exceditur. Si ergo à principio vterq; habeat quinque, & vnus eorum accipit vnum de eo, quod est alterius, vnus scilicet accipiens habebit sex, & alij relinquentur quattuor. Erit ergo iustitia, si vterq; reducatur ad medium, vt accipiatur vnum ab eo, qui habet sex, & detur ei, qui habet quattuor, sic enim vterq;

vterq; habebit quinque, quod est mediũ. 2.2.q.61.a.2.in corp.

Quæritur an materia vtriusque iustitiæ sit diuersa.

9 Respondeo dicendum, quòd iustitia est circa quasdam operationes exteriores scilicet distributionem, & commutationem, quæ quidem sunt vsus quorumdam exteriorum, vel rerum, vel personarum, vel etiam operum. Rerum quidem sicut cum aliquis vel auffert, vel restituit alteri suam rem. Personarum auté, sicut cum aliquis in ipsam personam hominis iniuriam facit, puta percutiendo, vel cõuiciando, aut etiam cum irreuerentiam exhibet. Operum autem, sicut cum aliquis iustè ab alio exigit, vel alteri reddit aliquod opus. Si ergo accipiamus vt materiam vtriusq; iustitiæ ea, quorum operationes sunt vsus, eadem materia est distributiuæ, & commutatiuæ iustitiæ, nam & res distribui possunt à communi in singulos, & commutari de vno in alium, & etiam est quędam distributio laboriosorum operum, & recompensatio. Si autem accipiamus vt materiam vtriusq; iustitię actiones ipsas principales, quibus vtimur personis, rebus, & operibus, sic inuenitur vtrobiq; alia materia, nam distributiua iustitia est directiua distributionum, commutatiua vero iustitia est directiua commutationum, quæ attendi possunt inter duas personas. 2.2 q. 61. ar. 3. in corp.

Quæritur an actus iustitiæ sit laudabilis, & meritorius.

10 Respondeo dicendum, quòd etiam reddendo, quod debet, meretur aliquis, in hoc enim aliquis apud Deũ meretur, in quo etiam vita laudabilis apud homines constituitur, actus autem iustitiæ est laudabilis, sicut & aliarum virtutũ, vndè etiam actus iustitiæ meritorius est, quãuis quidam hoc quondam negauerunt, & tamen actus iustitiæ in redditione debiti, etiam quod homini debetur, consistit, quamuis enim illud, quod reddit, quod debitum est alteri, suum non sit, nihilominus tamen modus operationis, in quo fundatur, & ius merendi, & laus ipsius reddentis est, qui volontariè, & propter bonum iustitiæ reddit. 2. sent. d. 27. ar. 3. ad 3.

Quæritur quot modis inquinetur opus iustitię

11 Respondeo dicendum, quòd opus iustitiæ immundatur inquinamento; primò mortalis maculæ Eccl. 47. dedisti maculam in gloria tua; secundò commissæ negligentiæ Hierem. 48. maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter; tertiò intentionis peruersæ, Matthæi 6. si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abste; quartò insurgentis superbiæ. Isaiæ 57. omnes eos aufferet ventus. In Isaiam cap. 64.

Quæritur quot modis corrumpatur iustitia.

12 Respondeo dicendum, quòd iustitia dupliciter corrumpitur, scilicet per astutiam alicuius sapientis, & per violẽtiam alicuius potentis. lect. 1. cap. 8. Iob.

Quæritur in quo casu sit contra iustitiam reddere inæqualia æqualibus.

13 Respondeo dicendum, quòd non est contra iustitiam, quod inæqualia æqualibus dentur, nisi quando alicui redditur debitum; quod enim ex propria liberalitate datur, potest dari plus, vel minus secundum arbitrium dantis, & secundũ quod eius sapientia requirit. q. 3. de potentia a. 16. ad 19. p. p. q. 65. a. 2. ad 3. [lect. 3. cap. 9. ad Romanos.

Quæ-

Quaritur an sit periculosum diuersa operari circa iustitiam commutatiuam.

14 Respondeo dicendum, quòd in moralibus periculum est diuersa sentire, & opinari, & præcipuè in illa parte iustitię, quæ cōmutatiua dicitur à Phylosophis. opusculo 73. in principio.

Quæritur an iustitia aliquando accipiatur in malo, sicut prudentia.

15 Respondeo dicēdum, quòd iustitia, & temperantia in sui ratione important id, vndè virtus laudatur scilicet æqualitatem, & concupiscentiarum refrenationem, & ideo nunquam accipiuntur in malo, sed nomen prudentiæ sumitur à prouidendo, quod etiam ad mala extēdi potest, & ideo licet prudētia simpliciter dicta, in bono accipiatur, aliquo tamen addito potest accipi in malo, & secundū hoc dicitur prudentia carnis esse peccatum. 2.2.q.55.a.1.ad 1.

L A V S.

1 *Laudare aliquem aliquando pertinet ad virtutem amicitiæ, & aliquando ad adulationem.*

2 *Deus est laudandus.*

Laus oris necessaria non propter Deum, sed propter ipsum laudantem.

3 *Laus exterior sine interiori inutilis est laudanti.*

Ad quid laus exterior valeat.

4 *In Diuinas laudes cantus assumuntur, & quare.*

5 *Duplici ratione Ecclesia dimisit instrumenta musica, quibus olim vtebantur hebrei, & canticis vocis vtitur.*

Quæritur an liceat aliquem laudare.

1 Espondeo dicendum, quòd laudare aliquem cōtingit, & benè, & malè, prout scilicet debitæ circonstantię, vel seruantur, vel prætermittuntur, Si enim aliquis aliquem velit delectare laudando, vt ex hoc eum consoletur, ne in tribulationibus deficiat, vel etiam vt in bono proficere studeat alijs debitis circonstantijs obseruatis pertinebit hoc ad virtutem amicitiæ; Pertinet autem ad adulationem, si quis velit aliquem laudare, in quibus non est laudandus, quia fortè mala sūt secundū illud Psal. 9. Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ; vel quia non sunt certa secundum Eccl. 27. Ante sermonem non laudes virum, & iterum Eccl. 11. Non laudes virū in specie sua; vel etiam si timore possit, ne humana laude ad inanem gloriam prouocetur, vndè dicitur Eccl. 11. ante mortem ne laudes hominem. 2.2.q.115.a.1. ad 1.

Quæritur an Deus sit ore laudandus.

2 Respondeo dicendum, quòd verbis alia ratione vtimur ad Deum, & alia ratione ad hominem; Ad hominem enim vtimur verbis vt conceptum nostri cordis, quem non potest cognoscere, nisi verbis nostris ei exponamus, & ideo laude oris ad hominem vtimur, vt vel ei, vel alijs innotescat, quod bonam opinionem de laudato habemus, vt per hoc, & ipsū, qui laudatur ad meliora prouocemus, & alios, apud quos laudatur, in bonam opinionem, & reuerentiam, & immitationē ipsius inducamus. Sed ad Deum verbis vtimur non quidem vt ei, qui est inspector cordium, nostros cōceptus manifestemus, sed vt nos ipsos, & alios audientes ad eius reuerentiam inducamus. Et ideo necessaria est laus oris non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudātem, cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipsius secundum illud Psalm. 49. sacrificium laudis honorificabit me., & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, & inquantùm homo per diuinam laudē affectu ascendit in Deum, in tantùm per hoc

hoc retrahitur ab his, quę sunt cōtra Deū secundum illud Isaiæ 48. Laude mea infrenabo te, ne intereas; Prodest etiā laus oris adhoc, quod aliorum affectus prouocetur in Deum, vndè dicitur in Psalm. 33 semper laus ei' in ore meo. Et postea subditur. Audiant mansueti, & lętentur, magnificate Dominum mecū. 2.2.q.91.a.1. in corp.

Quęritur an laus exterior sine interiori valeat

3 Respondeo dicendum, quòd laus oris inutilis est laudanti si sit sine laude cordis. Tunc enim loquitur Deo laudem, dū magnalia operum eius recogitat cum affectu. Valet tamen exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis, & ad prouocandum alios ad laudem Dei. 2.2.q.91.a.1. ad 2.

Quęritur an in diuinis laudibus cantus sint assumendi.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, laus vocalis adhoc necessaria est vt affectus hominis prouocetur in Deū. Et ideo quæcunq; adhoc vtilia esse possunt, in diuinas laudes congruenter assumuntur. Manifestum est autem; quod secundum diuersas melodias sonorum animi hominum diuersimodè disponuntur, vt patet per Phylosophum in 8. Polit. & per Boetium in prologo musicę. Et ideo salubriter fuit institutum, vt in diuinas laudes cantus assumerentur, vt animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem. Vndè Augustinus dicit in 10. cōfessionum. Adducor cantandi consuetudine approbare in ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmorum animus in affectum pietatis assurgat. Et de se ipso dicit in 9. confess. Fleui in hymnis, & canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ tuę vocibus commotus acriter. 2. 2. q. 91. a. 2. in corp.

Quæritur, quare cum in veteri lege fuerint musica instrumenta, & cantica vocis, Ecclesia instrumenta dimiserit, hęc vero assumpserit.

5 Respondeo dicendum, quòd huius ratio duplex mystica assignatū. Quia erāt figuralia. Secunda ratio est, quod Deus laudatur mente, & voce, non instrumentis; Alia ratio habetur ex verbis Phylosophi, qui dicit, quod contra sapientiam est, quod homines instruantur in lyris, & musicis, quia occupant animū in sui operatione, sed simplex debet esse musica, vt à corporalibus retrahantur diuinis laudibus mancipati. Super Psalm. 32.

LECTORATVS.

1 *Lectoratus præcedit ordinem exorcistæ.*

2 *Ad Lectoratum non requiritur, quod sacram scripturā intelligat, sed quod sciat pronunciare rectè.*

Quæritur an Lectoratus debeat præcedere ordinem exorcistæ.

1 RESpondeo dicendum, quòd sicut exorcismus primo pertinet ad exorcistam, ita etiam primus ordo, qui habet actum in catechizando est ordo lectorum; quamuis hoc postea per superiores ordines compleatur. Et ideo sicut cathechismus præcedit exorcismū, ita ordo Lectoris præcedit ordinem exorcistę. 4. sent. d. 6. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. ad 2.

Quæritur quænam scientia requiratur in suscipiente Lectoratum.

2 Respondeo dicendum, quòd ad Lectorem non pertinet tradere intellectum Sacræ scripturæ populo: quia hoc est superiorum ordinum: sed solum pronunciare. Et ideo ab eo non exigitur, quod habeat tantum de scientia quod sacram scrip-

scripturam intelligat, sed solum quod rectè pronunciare sciat, & quia talis scientia de facili addiscitur, & à multis, ideo probabiliter æstimari potest, quod ordinatus talem scientiam acquiret, si etiam tunc eam non habeat, maximè si in via adhoc esse videatur. 4. sent. d. 24. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. ad 3.

LEGATVS.

1 *Legati officium cessat superueniente Domino.*

2 *Legatus visitans vnam partem suæ legationis potest accipere stipendia.*

Papa pro necessitate vnius Patriæ potest accipere subsidium ab omnibus partibus mundi.

Quæritur an superueniente Domino *cesset officium legati.*

1 Respondeo dicendum, quòd cessat officium legati Domino suo superueniente quamuis, & aliqua exerceat. 4. sent. d. 2. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 4. in corp.

Quæritur an legatus visitans partem suæ legationis possit accipere stipendia.

2 Respondeo dicendum, quòd legatus Papæ visitans vnam partem legationis potest accipere stipendia; & Dominus Papa pro necessitate vnius Patiæ potest accipere subsidiū ab alijs partibus mundi, ratio est, quia Ecclesia est sicut vnum corpus, videmus autem in corpore naturali, quod natura, quando dessicit virtus in vno membro, subministrat humores, & virtutem accipiet ab alijs membris. super cap. 11. primæ ad Corinthios.

LEGISLATOR.

1 *Voluntas Principis quomodo habeat vim legis, & iustitiæ.*

2 *Legislator non habet iudicare nisi de exterioribus.*

3 *Intentio legislatoris debet ordinari ad bonum commune, & ad ordinem iustitiæ.*

4 *Intentio legislatoris est facere subditos bonos.*

5 *Legislator non præcipit actus particulares vnius hominis, nisi secundum quod ad alium ordinantur.*

6 *Auctoritas legislatoris seruanda est secūdum intentionem eius.*

Moralia præcepta sunt semper seruanda, quia adhoc tendit intentio legislatoris.

Legalia non sunt modo obseruanda.

Qui nunc obseruaret legalia, iniuriam faceret Christo.

Quæritur quomodo voluntas Principis habeat vim legis, & iustitiæ.

1 Respondeo dicendū, quòd voluntas Principis licet habeat vim legis in cogendo ex hoc ipso quod volūtas est, non tamen habet rationem iustitiæ, nisi ex hoc quod vtitur ratione. q. 23. de verit. a. 6. ad 2. 1 p. 2. q. 90. a. 1. ad 3.

Quæritur de quibus debeat iudicare legislator humana.

2 Respondeo dicendum, quòd homo qui est legis lator humanæ, non habet iudicare nisi de exterioribus actibus, quia homines vident, quæ patent, vt dicitur primo Reg. 16. sed solius Dei, qui est lator legis diuinæ, est iudicare de interioribus motibus voluntatum secundū illud Psalm. 7. scrutans corda, & renes Deus. p. 2. q. 100. a. 9. in corp.

Quæritur ad quid debeat ordinari intentio legislatoris.

3 Respondeo dicendum, quòd intentio legislatoris cuiuslibet ordinatur, primò quidem,

quidem,& principaliter ad bonum commune, secundò autem ad ordinem iustitiæ,& virtutis, secundum quem bonum commune conseruatur,& ad ipsum peruenitur.p.2.q.100.a.8.in corp.

Quæritur an intentio legislatoris sit facere sibi subditos bonos.

4 Respondeo dicendum, quòd intentio cuiuslibet legislatoris est eos, quibus legem dat,facere bonos, vndè præcepta legis debent esse de actibus virtutum. 3. contra Gentes cap.115. [p.2.q.92. a. 1. in corp.

Quæritur an legislator præcipiat actus particulares vnius hominis.

5 Respondeo dicendum, quòd secundum Phylosophum in 5.eth.legislator intendit commune bonum per latioñe legis,& ideo actus particulares vnius hominis non præcipit, nisi secundum quod ad alium ordinantur. 3. sent.d.27. ar. 2. questiunc.ad 5.

Quæritur quomodo sit seruanda auctoritas legislatoris.

6 Respondeo dicendum, quòd semper auctoritas seruanda est legislatoris secũdum intentionem eius,sed legislator aliqua dicit, vt semper seruanda, & talia semper debent seruari, aliqua vero dicit, quæ sunt velut vmbra, vt habetur ad Coloss. 2. quæ sunt vmbra futurorum; moralia sunt mandata secundum intentionem legislatoris, vt semper seruentur, sed legalia pro tempore tantum,scilicet pro tempore ante Christum, vndè ante tempus illud debent seruari, post non, quia qui seruaret, iniuriam Christo faceret. Super cap.23.Matthæi.

LEGITIMATIO.

Quæritur an possit legitimari filius.

Respondeo dicendum, sicut verbo Illegitimus. q.4.

LEPROSVS.

1 *Leprosus non potest publicè celebrare. Potest tamen Missam dicere occultè.*
2 *Leprosus non remouetur ab administratione Ecclesiæ.*

Quæritur an leprosus possit celebrare.

1 Respondeo dicendum, quòd leprosus non debet publicè celebrare,potest tamẽ Missam dicere occultè,nisi lepra adeo inualuerit, quod per corrosionem membrorum eũ adhoc reddiderit impotentem.3.p.q.82.a.10.ad 3. [4.sent.d.9.a.4.quæstiunc.3.ad 3.

Quæritur an leprosus debeat admitti in administratione Ecclesiæ.

2 Respondeo dicendum, quòd propter vitium lepræ aliquis remouetur ab administratione Ecclesiæ. 2. 2. q. 108. ar. 4. ad 2.

LEX.

De Lege in Communi. Cap. I.

1 *Lex dicitur à ligando.*
2 *Quid sit lex.*
3 *Promulgatio est necessaria ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.*
4 *Promulgatio fit verbo,& scripto.*
5 *Præceptum de particulari opere non habet vim legis, nisi secundum ordinem ad bonum commune.*

6 Non

6 *Non omnia contenta in lege Ecclesiæ obligant ad mortale.*
7 *Peccat aliquis faciendo contra legem.*
Peccat aliquis faciendo contra conscientiam, licet illud non sit contra legem.
Non peccat quis faciendo, nec contra legẽ, nec contra conscientiam.
8 *Lex non imponitur nisi subditis.*
9 *Lex obligat in futurum.*
10 *Lex obligat etiam eos, coram quibus non fuit promulgata.*
11 *Condere legem spectat ad multitudinem. Vel ad personam vices gerentẽ multitudinis*
12 *Effectus legis est facere subditos bonos, vel simpliciter, vel secundum quid.*
13 *Actus legis sunt imperare, prohibere, permittere, & punire.*

Quæritur vndè dicatur Lex.

1 Respondeo dicendum, quòd dicitur lex à ligando; quia obligat ad agendum. p. 2. q. 90. a. 1. in corp.

Quæritur quid sit Lex.

2 Respondeo dicendum, quòd lex nihil est aliud, quam quædam ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata p. 2. q. 90. a. 4. in corp.

Quæritur an promulgatio sit de ratione legis.

3 Respondeo dicendum, quòd lex imponitur alijs per modum regulæ, & mensuræ, regula autem, & mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur, & mensurantur. Vndè adhoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum eã regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Vndè promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. p. 2. q. 90. a. 4. in corp.

Quæritur quomodo promulgatio fiat.

4 Respondeo dicendũ, quòd promulgatio fit verbo, & scripto. p. 2. q. 91. a. 1. ad 2.

Quæritur quando aliquod præceptum habeat vim legis.

5 Respondeo dicendum, quòd cum lex maximè dicatur secundum ordinem ad bonum commune. Quodcunq; aliud preceptum de particulari opere non habet rationem legis, nisi secundum ordinem ad bonum commune. Et ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur. p. 2. q. 90. a. 2. in corp.

Quæritur an omnia contenta in lege obligent ad mortale.

6 Respondeo dicendum, quòd nõ omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam. Sicut in lege ciuili non facit semper dignũ pœna mortis corporalis transgressio legalis statuti, ita nec in lege Ecclesiæ omnes ordinationes, vel publica statuta obligant ad mortale, & similiter nec omnia statuta regulæ. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 2.

Quæritur an omne, quod est contra legem, aut conscientiam, sit peccatum.

7 Respondeo dicendum, quòd duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Vno modo faciendo contra legem, vt cum aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem, vt si conscientia dictat alicui, quod leuare festucã de terra sit peccatum

catum mortale. Ex conſcientia autẽ obligatur aliquis ad peccatum, ſiue habeat certam fidem de contrario eius, quod agit, ſiue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autẽ quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundũ conſcientiã; & ſimiliter quod eſt contra cõſcientiam eſt malũ, quamuis non ſit contra legem, quod autẽ nec contra legem, nec contra conſcientiam eſt, non poteſt eſſe peccatũ. quodlibeto 8. a. 13. in corp.

Quaritur quibus imponatur lex.

8 Reſpondeo dicendum, quòd lex non imponitur ab aliquo domino niſi ſuis ſubditis. Et ideo præcepta legis præſupponunt ſubiectionem cuiuslibet recipiẽtis legem ad eum, qui dat legem. 2. 2. q. 16. a. 1. in corp.

Quaritur an lex obliget in futurum, cum promulgatio ad futuros non fiat.

9 Reſpondeo dicendum, quòd promulgatio pra ſens in futurum extenditur per firmitatem ſcripturæ, quæ quodammodo ſemper eam promulgat. Vnde Iſidorus dicit in primo etimol. Quod lex à legẽdo vocata eſt, quia ſcripta eſt. p. 2. q. 90. a. 4. ad 3.

Quęritur an illi, qui non audierunt promulgationẽ legis, teneantur ad obſeruantiã illius.

10 Reſpondeo dicendum, quòd illi, coram quibus lex nõ promulgatur, obligantur ad legem obſeruandam, inquantùm in eorũ notitiam deuenit per alios, vel deuenire poteſt promulgatione facta p. 2. q. 90. a. 4. ad 2.

Quaritur quorum ſit condere legem.

11 Reſpondeo dicendum, quòd lex propriè, primo, & principaliter reſpicit ordinem ad bonum cõmune: ordinare autẽ aliquid in bonũ commune eſt, vel totius multitudinis, vel alicuius gerentis vicem totius multitudinis. Et ideo condere legem, vel pertinet ad totam multitudinẽ, vel pertinet ad perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam habet: quia & in omnibus alijs ordinare in finem eſt eius, cuius eſt proprius ille finis. p. 2. q. 90. a. 3. in corp. [q. 98. a. 3. ad 3. [2. 2. q. 67. a. 1. in corp.

Quaritur an effectus legis ſit facere homines bonos.

12 Reſpondeo dicendum, quòd lex nihil aliud eſt, quam dictamen rationis in præſidente, quo ſubditi gubernantur, cuiuslibet autem ſubditi virtus eſt, vt benè ſubdatur ei, à quo gubernatur, ſicut virtus iraſcibilis, & cõcupiſcibilis in hoc conſiſtit, quod ſint benè obediẽtes rationi, & per hunc modum virtus cuiuslibet ſubiecti eſt, vt benè ſubijciatur principãti, vt Philoſophus dicit in primo politicę, Adhoc autem ordinatur vna queq; lex, vt obediatur ei à ſubditis. Vnde manifeſtũ eſt, quod hoc ſit proprium legis inducere ſubiectos ad propriam ipſorum virtutẽ, cum igitur virtus ſit, quæ facit bonũ habentem, ſequitur, quod proprius effectus legis ſit bonos facere eos, quibus datur, vel ſimpliciter, vel ſecundũ quid. Si enim intentio ferentis legẽ tendat in verũ bonum, quod eſt bonum commune ſecundũ iuſtitiam diuinam regulatum ſequitur, quod per legem homines fiant boni ſimpliciter; Si vero intẽtio legiſlatoris feratur ad id, quod non eſt bonũ ſimpliciter, ſed vtile, vel delectabile ſibi, vel repugnans iuſtitiæ diuinæ, tunc lex nõ bonos facit homines ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſcilicet in ordine ad tale regimen; Sic autẽ bonũ inuenitur ẽt in per ſe malis ſicut aliquis dicitur bon' latro, quia operatˀ accomodè ad finẽ, p. 2. q. 92. a. 1. ĩ corp.

Quæritur an legis actus sint imperare, prohibere, permittere, & punire.

13 Respondeo dicendum, quòd sicut enũciatio est rationis dictamen per modum enunciandi, ita etiam lex per modũ præcipiendi. Rationis autem propriũ est, vt ex aliquo ad aliquid inducat; vndè sicut in demonstratiuis scientijs ratio inducit, vt assentiatur conclusioni per quædam principia, ita etiã inducit, vt assentiatur legis præcepto per aliquid Præcepta autem legis sunt de actibus humanis, in quibus lex dirigit, Sunt autẽ tres differentiæ humanorum actuũ, Nã quidã actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum, & respectu horum ponitur legis actus præcipere, vel imperare, præcipit enim lex omnes actus virtutum, vt dicitur in 5. eth. Quidã vero sunt actus mali ex genere sicut actus vitiosi, & respectu horum lex habet prohibere. Quidã vero ex genere suo sunt actus indifferentes, & respectu horum lex habet permittere; & possunt etiam indifferentes dici omnes illi actus, qui sunt vel parum boni, vel parũ mali. Id autem, per quod inducit lex adhoc quod sibi obediatur, est timor pœnæ; & quantùm adhoc ponitur legis effectus punire. p. 2. q. 92. a. 2. in corp.

De Lege naturali. Cap. II.

1 *Quid sit lex naturalis.*
2 *Primum præceptum legis naturalis est, quod bonum est prosequendum, et malum fugiendum.*
Super hoc fundantur plura alia præcepta, quæ ordinantur secundum ordinem inclinationum naturalium.
3 *Actus omnes virtutum inquantũ virtuosi sunt de lege naturæ, non autem secundũ propriam speciem.*
4 *Lex naturæ quantum ad prima principia communia est eadem apud omnes, & secundum rectitudinẽ, & secundũ notitiã.*
Lex naturalis quo ad quædam propria est eadem apud omnes vt in pluribus secundum rectitudinem, & notitiam.
Lex naturalis quoad quędam propria potest defficere quo ad rectitudinem & notitiã.
5 *Lex naturalis fuit immutata per additionẽ*
Lex naturalis est omnino immutabilis quo ad prima principia per subtractionem.
Lex naturalis quo ad secunda præcepta est immutabilis, vt in pluribus, mutabilis vero vt in paucioribus.
6 *Lex naturalis quo ad prima principia cõmunia non potest aboleri in vniuersali.*
Deletur tamen in particulari operabili.
Lex naturalis quo ad præcepta propria potest aboleri à cordibus hominum.
7 *Præcepta legis naturæ manent eodem modo nunc, & in lege veteri.*
8 *Quomodo fiat promulgatio legis naturalis*
9 *Prima præcepta communia legis naturæ non egent promulgatione.*
10 *De lege naturæ parentes thesaurizare debent filijs, & filij sunt eorum hæredes.*
11 *Consuetudo non præiudicat legi naturæ quo ad prima præcepta communia.*
Consuetudo auget, vel minuit ea, quæ sunt secundaria præcepta.
12 *Quid phibeatur per pręcepta legis naturę*
13 *Quomodo lex scripta dicatur data ad correctionem legis naturæ.*

Quæritur quid sit lex naturæ.

1 Respondeo dicendum, quòd lex naturalis nihil aliud est, quam lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum, & quid malum. p. 2. q. 91. a. 2. in corp.

Quæritur an lex naturalis contineat plura præcepta, an vnum tantum.

2 Respondeo dicendum, quòd hoc est primum præceptum legis, quod bonũ est facien-

faciendum,& prosequendum, & malum vitandum,& super hoc fundantur omnia alia pręcepta legis naturę,vt scilicet omnia illa facienda, vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ,quæ ratio practica naturaliter appræhendit esse bona humana;quia vero bonum habet rationē finis,malum autem rationem contrarij, inde est,quod omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinationem ratio naturaliter appræhendit vt bona, & per cōsequens vt opere prosequenda,& contraria eorum vt mala,& vitanda; secundum igitur ordinem inclinationum naturaliū est ordo præceptorum legis naturę.Inest enim primo inclinatio homini ad bonū secundum naturā,in qua communicat cū omnibus substantijs,prout scilicet quęlibet substantia appetit conseruationē sui esse secundum suam naturā,& secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conseruatur,& contrarium impeditur.Secūdo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali,quę natura omnia animalia docuit,vt est comixtio maris,& fæminæ, & educatio liberorū,& similia. Tertio modo inest homini inclinatio secundum naturam rationis,quæ est sibi propria,sicut homo habet naturalem inclinationē ad hoc,quod veritatē cognoscat de Deo, & ad hoc quod in societate viuat, & secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea,quæ ad huiusmodi inclinationem spectant,vt potè quod homo ignorantiā vitet,quod alios non offendat,cum quibus debet conuersari,& cætera huiusmodi, quę adhoc spectant.p.2.q.94.a.2.in corp.

Quæritur an omnes actus virtutum sint de lege naturæ.

3 Respondeo dicendum, quòd de actibus virtuosis dupliciter loqui possumus. Vno modo inquantùm sunt virtuosi. Alio modo inquanùm sunt tales actus in proprijs speciebus considerati. Si igitur loquamur de actibus virtutum inquantùm sunt virtuosi, sic omnes actus virtutum pertinent ad legem naturæ, ad legem enim naturæ pertinet omne illud, ad quod homo inclinatur secundum suam naturam.Inclinatur autem vnum quodque naturaliter ad operationem sibi cōuenientem secundum suam formā, sicut ignis ad calefaciendum. Vnde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secūdum rationem, & hoc est agere secundum virtutem. Vndè secundum hoc omnes actus virtutum sunt de lege naturali, dictat enim hoc naturaliter vnicuique propria ratio,vt virtuosè agat; Sed si loquimur de actibus virtuosis secūdum se ipsos, prout scilicet in proprijs speciebus considerantur, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturæ, multa enim secundum virtutem fiunt, ad quæ natura non primo inclinat, sed per rationis inquisitionem ea homines adinuenerunt, quasi vtilia ad benè viuendum. p. 2. q. 94. ar. 3. in corp.

Quæritur an lex naturalis sit vna apud omnes.

4 Respondeo dicendum, quòd lex naturæ quantùm ad prima principia communia est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundum notitiā, sed quantùm ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorū communium,est eadem apud omnes etiam vt in pluribus, & secundum rectitudinē, & secundum notitiam,sed vt in paucioribus potest defficere, & quantùm ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta, sicut etiam naturæ gene-

rabiles, & corruptibiles deficiunt, vt in paucioribus propter impedimenta, & etiam quantùm ad notitiam, & hoc propter hoc quod aliqui habent deprauatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ, sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresè contra legem naturæ, vt refert Iulius Cæsar in lib. de bello Gallico. p. 2. q 94. a. 4. in corp.

Quaeritur an lex naturę mutari possit.

5 Respondeo dicendum, quòd lex naturalis potest intelligi mutari dupliciter. Vno modo per hoc quod aliquid ei addatur. & sic nihil prohibet legem naturalem mutari, multa enim supra legem naturalem superaddita sunt ad humanā vitam vtilia, tàm per legem diuinam, quàm etiam per leges humanas. Alio modo potest intelligi mutatio legis naturalis per modum subtractionis, vt scilicet aliquid desinat esse de lege naturali, quod prius fuit secundum legem naturalem. & sic quantùm ad prima principia legis naturæ, lex naturæ est omnino immutabilis; quantùm autem ad secunda pręcepta, quę diximus esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principijs, sic lex naturalis non immutatur quin vt in pluribus sit rectum semper, quod lex naturalis habet, potest tamen mutari, & in aliquo particulari, & in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes obseruantiam talium præceptorum. p. 2. q. 94. a. 5. in corp.

Quaeritur an lex naturę possit à corde hominis aboleri.

6 Respondeo dicendum, quòd ad legē naturalem pertinent primo quidem quędam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principijs. Quantùm ergo ad illa principia cōmunia lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in vniuersali, deletur tamen in particulari operabili secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem; Quantùm vero ad alia præcepta secundaria potest lex naturalis deleri de cordibus hominum: vel propter malas persuasiones eo modo quo etiam in speculatiuis errores contingunt circa conclusiones necessarias: vel etiam propter prauas consuetudines, vel habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apostolus dicit ad Rom. 1. [p. 2. q. 94. ar. 6. in corp.

Quęritur an pręcepta legis naturę maneant eodem modo in lege noua, & in lege Moysi.

7 Respondeo dicendum, quòd præcepta legis naturæ manent eodem modo in lege Moysi, & in lege noua. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 2. ad 2.

Quęritur quomodo fiat promulgatio legis naturalis.

8 Respondeo dicendum, quòd promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam. p. 2. q. 90. a. 4. ad 1.

Quęritur an prima pręcepta communia legis naturæ indigeant promulgatione.

9 Respondeo dicendum, quòd prima præcep-

præcepta communia legis naturæ sunt per se nota habenti rationem naturalē, & promulgatione non egent.p. 2. q. 100. a.4.ad 1.

Quæritur ad quid teneantur de lege naturæ Parentes erga filios.

10 Respondeo dicendum, quòd de lege naturæ est, quod Parentes filijs thesaurizent, & filij Parentum hæredes sint. 4. sent.d.3.q.2.a.1.in corp.

Quæritur an consuetudo possit præiudicare legi naturæ.

11 Respondeo dicendum, quòd consuetudo nō præiudicat legi naturæ quātùm ad prima præcepta ipsius quæ sunt quasi communes animi conceptiones in speculatiuis, sed ea, quæ ex ipsis trahuntur, vt conclusiones cōsuetudo auget, vt Tullius dicit in 2. Reth. & similiter minuit, sicut est præceptum legis naturæ de vnitate vxoris. 4.sent.d.33.q.1.a.1.ad 1.

Quæritur quid prohibeatur per præcepta legis naturæ.

12 Respondeo dicendum, quòd lex naturalis nihil est aliud quam cōceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad conuenienter agendū in actionibus proprijs, siue competat ei ex natura generis, vt generare, commedere, & huiusmodi, siue ex natura speciei, vt ratiocinari, & similia: omne autem illud, quod actionē inconuenientem reddit fini, quam natura ex opere aliquo intendit contra legē naturæ esse dicitur. Potest autem actio non esse conueniens fini vel principali, vel secundario, & fine sic, siue sic, hoc cōtingit dupliciter. Vno modo ex aliquo, quod omnino impedit finē, vt nimia superfluitas, aut defectus comestionis impedit salutem corporis, quasi principalem finem comestionis, & bonam habitudinē in negocijs exercendis, quæ est finis secundarius. Alio modo ex aliquo, quod facit difficilem, aut minus decentē peruentionē ad finē principalem, vel secundariū, sicut inordinata cōmestio quantū ad tempus indebitum. Si ergo actio sit incōueniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem directè, per legem naturę prohibetur primis præceptis legis naturæ, quæ sunt sicut communes cōceptiones in speculatiuis. Si autem sit incompetens fini secundario quocunq; modo, aut etiam principali, vt faciens difficilē, vel minus congruam peruentionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis pręceptis legis naturę, sed secūdis, quæ ex primis deriuantur, sicut conclusiones in speculatiuis ex principijs per se notis fidē habent, & sic dicta actio cōtra legem naturæ esse dicitur. 4. sent.d.33.q.1.a.1.in corp.

Quærit̄ an lex scripta corrigat legē naturalē.

13 Respondeo dicēdum, quòd lex scripta dicitur esse data ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptā suppletū est, quod legi naturali deerat, vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus quantū ad aliqua corrupta erat intātum, vt extimarent esse bona, quę naturaliter sunt mala, & talis corruptio correctione indigebat. p.2.q.94.a.5.ad 1.

De Lege Diuina. Cap. III.

1 *Necesse fuit dari legem diuinam præter naturalem.*
2 *Ad quid principaliter sit data lex diuina.*
3 *Lex diuina explicat institutum naturalē, eiusque defectus supplet.*
4 *Ea, quæ deriuabātur à principijs legis naturæ nō habuerunt vim coactiuā, nisi postq̄ fuerunt sancita per legem diuinam.*

5 *Quæ sunt necessaria ad salutẽ cadunt sub præcepto legis diuinæ.*

6 *In lege diuina quædam sunt præcepta qui bona, & quædã prohibita, quia mala. Quædam vero sunt bona, quia præcepta, & quædam mala, quia prohibita.*

7 *Per legem diuinam homo ordinatur ad proximum.*

8 *Lex diuina continet tria, scilicet testimonia, iudicia, & præcepta.*

9 *Lex diuina continet præcepta de actibus omnium virtutum. Quædam sine quibus non potest esse ordo virtutis qui est ordo rationis cadunt sub obligatione præcepti. Quædam vero quæ pertinent ad bene esse virtutis perfectæ cadunt sub consilio.*

10 *Finis legis diuinæ est perducere hominem ad finem fælicitatis æternæ.*

Quæritur an fuerit necessarium esse legem diuinam.

1 Respondeo dicendum, quòd præter legem naturalem, & legem humanam necessarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere legem diuinam. & hoc propter quattuor rationes. Primò quidem quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad vltimum finem, et siquidem homo ordinaretur tantùm ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret, quod homo haberet aliquid directiuum ex parte rationis supra legem naturalem, & legem humanitus positam, quę ab ea deriuatur. sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quę excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ideo necessarium fuit, vt supra legem naturalem, & humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege diuinitus data. Secundò quia propter incertitudinem humani iudicij præcipuè de rebus contingentibus, & particularibus contingit de actibus humanis diuersorum esse diuersa iudicia, ex quibus etiam diuersę, & contrarię leges procedunt. Vt ergo homo absq; omni dubitatione scire possit, quid ei sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, vt in actib' proprijs dirigeretur per legem diuinitus datam, de qua constat, quod non potest errare. Tertiò quia de his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare: iudicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionẽ virtutis requiritur, quod in vtrisq; actibus homo rectus existat: & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus: sed necessarium fuit, quod ad hoc superueniret lex diuina. Quartò quia sicut Augustin' dicit in primo de libero arbitrio, Lex humana nõ potest omnia, quæ malè fiunt punire, vel prohibere: quia dum aufferre vellet omnia mala, sequeretur quod etiã multa bona tollerentur, & impediretur vtilitas boni communis, quod est necessarium ad cõuersationem humanam. Vt ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, necessarium fuit superuenire legem diuinam, per quam omnia peccata prohibentur. p. 2. q. 91. a. 4. in corp.

Quęritur ad quid principaliter sit data lex Diuina.

2 Respondeo dicendum, quòd diuina lex est adhoc principaliter data, vt homo adhæreat Deo, & sic pertinet ad legem diuinam ordinare hominem circa corporalium, & sensibilium affectionem, & vsum. 3. contra gentes cap. 121.

Quęritur quid faciat lex diuina respectu legis naturalis.

3 Respondeo dicendum, quòd lex diuina non solum instinctum naturæ explicat,

cat, sed etiam defectus naturalis instinctus supplet. 3. contra gentes cap. 123.

Quæritur an lex naturalis habuerit vim coactiuam absq; lege Diuina.

4 Respondeo dicendum, quòd illa, quæ lex naturalis dictat, quasi ex primis principijs legis naturæ deriuata, non habent vim coactiuam per modum præcepti absolutè nisi postquam lege diuina, vel humana sancita sunt, & hoc est, quod dicit Augustinus, quod habendo plures vxores non faciebant contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. 4. sent. d. 33. q. 1. a. 1. ad 2.

Quæritur quid cadat sub præcepto legis Diuinæ.

5 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt necessaria ad salutem, cadunt sub pręcepto diuinę legis. 2. 2. q. 3. a. 2. i corp.

Quæritur quomodo se habeant contenta in lege Diuina.

6 Respondeo dicendum, quòd sunt in lege diuina quædam præcepta quia bona, & prohibita, quia mala; quædam vero bona, quia pręcepta, & mala, quia prohibita. 2. 2. q. 57. a. 2. ad 3.

Quęritur an per legem Diuinam homo ordinetur ad proximum.

7 Respondeo dicẽdum, quòd oportuit per legem diuinam iustitiæ præcepta dari, vt vnusquisq; alteri redderet, quod suum est, & abstineret à nocumentis ei inferẽdis. Inter homines autem maximè est aliquis parentibus debitor: & ideo inter præcepta legis, quæ hos ad proximũ ordinant Exodi 20. ponitur Honora patrem tuum, & matrem tuam, in quo intelligitur præcipi, vt tàm parentibus, quàm etiã alijs vnusquisq; reddat, quod debet secundum illud Rom. 13. Reddite omnibus debita. Deinde ponuntur præcepta, quibus præcipitur abstinendũ esse à nocumentis proximo inferẽdis, vt neq; factis eum offendamus in persona propria, quia dictum est; Nõ occides: neq; in persona coniuncta, quia scriptum est: Nõ mechaberis; neq; etiam in exterioribus rebus, quia scriptum est: Non furtum facies. Prohibemur etiam, ne contra iustitiam proximum verbo offendamus, quia scriptum est: Nõ loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Et quia Deus etiam cordium iudex est, prohibemur ne corde proximum offendamus cõcupiscendo scilicet vxorem, aut aliquam rem eius. Ad huiusmodi autem iustitiam obseruandam, quæ lege diuina statuitur, dupliciter homo inclinatur. Vno modo ab interiori. Alio modo ab exteriori, Ab interiori quidem dum homo voluntarius est ad obseruandum ea, quæ præcipit lex diuina: quod quidem fit per amorẽ hominis ad Deum, & proximum: qui enim diligit aliquem spontè, & delectabiliter ei reddit, quod debet, & etiam liberaliter superaddit: vndè tota legis impletio ex dilectione dependet secundùm illud Apostoli Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio, & Dominus dicit Matthęi 22. quod in duobus pręceptis scilicet in dilectione Dei, & proximi vniuersa lex pendet. Sed quia aliqui interius non sunt sic dispositi, vt ex se ipsis spontè faciant, quod lex iubet: ab exteriori trahendi sunt ad iustitiam legis implendam: quod quidem fit, dum timore pænarum non liberaliter, sed seruiliter legem implent. 3. contra gentes cap 128.

Quęritur quot, & quę contineat lex Diuina.

8 Respondeo dicendum, quòd continentur in lege tria, testimonia, iudicia, & præcepta; testimonia quia lex diuina pro-

Procedit ex necessitate super aliqua credulitate Heb. 11. accedẽtem ad Dominũ oportet credere; præcepta moralia, quæ fundantur in debito omnis virtutis; Iudicialia vero pręcepta, quæ fundantur in debito, quod est inter homines, quantum ad contractus. Super Psalm. 18.

Quæritur quę præcepta proponat lex diuina.

9 Respondeo dicendum, quòd lex diuina præcepta proponit de omnibus illis per quę ratio hominis benè ordinata est, hoc autem contingit per actus omnium virtutum, nam virtutes intellectuales ordinant benè actus rationis in se ipsis; virtutes autem morales ordinant benè actus rationis circa interiores passiones, & exteriores operationes. Et ideo manifestum est, quod lex diuina conuenienter proponit præcepta de actibus omniũ virtutum, ita tamen quod quædam sine quibus ordo virtutis, qui est ordo rationis, obseruari nõ potest, cadunt sub obligatione præcepti: quædam vero, quę pertinent ad benè esse virtutis perfectæ cadunt sub admonitione consilij. p. 2. q. 100. a. 2. in corp.

Quæritur quinam sit finis legis diuinæ.

10 Respondeo dicendum, quòd alius est finis legis humanæ, & alius legis diuinæ; legis enim humanæ finis est temporalis tranquillitas ciuitatis, ad quem finem peruenit lex cohibendo exteriores actus quantùm ad illa mala, quæ possunt perturbare pacificum statum ciuitatis, finis autem legis diuinæ est perducere hominem ad finem felicitatis æternę, qui quidem finis impeditur per quodcunque peccatum, & nõ solum per actus exteriores, sed etiam per interiores. Et ideo illud, quod sufficit ad perfectionem legis humanæ, vt scilicet peccata prohibeat, & pœnam opponat nõ sufficit ad perfectionem legis diuinæ, sed oportet, quod hominem totaliter faciat idoneum ad participationem fælicitatis æternæ, quod quidem fieri non potest, nisi per gratiam Spiritum Sancti. 2. 2. q. 98. a. 9. in corp.

De Lege noua. Cap. IIII.

1 *Lex noua omnibus locis proposita fuit, sed non omni tempore.*

2 *In Euangelio non continentur nisi ea, quæ pertinent ad gratiã Spiritus Sancti, vel dispositiua, vel ordinatiua ad vsum huius gratiæ.*

3 *Lex Euangelij iustificat ratione gratiæ, quæ principaliter pertinet ad eam.*

Lex Euangelij non iustificat ratione eorũ, quę secundario ad eam pertinent, vt sunt documenta fidei, & præcepta ordinãtia affectum humanum.

Quæritur an lex noua fuerit proposita omni loco.

1 Respondeo dicendum, quòd diuersitas locorum non variat diuersum statum humani generis, qui variatur per temporis successionẽ. Et ideo omnibus locis proponitur lex noua, non autem omnibus temporibus, licet omni tempore fuerint aliqui ad nouum testamentum pertinentes. p. 2. q. 106. a. 3. ad 2.

Quærit quid cõtineatur in lege noua Euãgelij.

2 Respondeo dicẽdum, quòd in scriptura Euangelij non continentur nisi ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritũ Sancti, vel sicut dispositiua, vel sicut ordinatiua ad vsum huius gratiæ. Sicut dispositiua quidem quãtum ad intellectum per fidẽ, per quam datur Spiritus Sancti gratia, continentur in Euangelio ea, quæ pertinent ad manifestãdum diuinitatem, vel huma-

humanitatem Christi; Secundū affectum vero continentur in Euangelio ea, quæ pertinent ad contemptū mundi, per quā homo fit capax Spiritus Sancti gratia, mundus enim idest amatores mundi nō possunt capere Spiritum Sanctum, vt habetur Ioannis 24. Vsus vero spiritualis gratiæ est in operibus virtutum, ad quæ multipliciter scriptura noui testamenti hominem exortatur. p. 2, q. 106. a. 1. ad 1.

Quæritur an lex noua iustificet.

3 Respondeo dicendum, quòd ad legē Euāgelij duo pertinent. Vnū quidē principaliter, scilicet ipsa gratia Spiritus Sācti interius data, & quantùm adhoc noua lex iustificat. Vnde Augustinus dicit in lib. de Spiritu, & littera. Ibi, scilicet, in veteri testamento lex extrinsecus est posita, qua iniusti terrerentur; hic, scilicet in nouo testamēto intrinsecus data est, qua iustificarentur. Aliud pertinet ad legē Euangelij secundario, scilicet documēta fidei, & præcepta ordinantia affectū humanum, & humanos actus, & quantùm adhoc lex noua non iustificat. Vnde Apostolus dicit 2. ad Corinth. 3. Litterā occidit, Spiritus autē viuificat, & Augustinus exponit in lib. de Spiritu, & littera, quod per litteram intelligitur qualibet scriptura extra homines existens etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Euangelio. Vnde etiam littera Euangelij occideret, nisi adesset interius gratia fidei sonans. p. 2. q 106. a. 2. in corp.

De Lege veteri.
Cap. V.

1 *Adueniente Christo cessant cæremoniæ veteris legis.*
2 *Nūc est peccatū mortale obseruare legalia*
3 *Præcepta iudicialia sunt euacuata per aduentum Christi.*

Præcepta iudicialia sunt mortua, non tamē sunt mortifera.
Si Princeps ordinat illa iudicialia obseruari, non peccaret obseruans illa,
Si quis tamen obseruaret ea tanquā habentia vim ex institutione legis veteris, peccaret mortaliter.

Quæritur an cæremoniæ veteris legis cessauerint in aduentu Christi.

1 Respondeo dicendū, quòd omnia præcepta cæremonialia veteris legis ad cultum Dei sunt ordinata, exterior autem cultus proportionari debet interiori cultui, qui consistit in fide, spe, & Charitate. Vnde secundum diuersitatem interioris cultus debuit diuersificari exterior cultus, potest autem triplex status distingui interioris cultus. Vnus quidem secundum quem habetur fides, & spes, & de bonis cælestibus, & de his, per quæ in cælestia introducimur, de vtrisq; quidem sicut de quibusdā futuris, & talis fuit status fidei, & spei in veteri lege. Alius autē est status interioris cultus, in quo habetur fides, & spes de cælestibus bonis, sicut de quibusdā futuris; scilicet de his per quæ introducimur in cælestia sicut de præsentibus, vel futuris, & iste est status legis nouæ; Tertius autē status est, in quo vtraq; habentur vt præsentia, & nihil creditur vt absens, neq; speratur vt futurum, & iste est status Beatorū. In illo ergo statu Beatorum nihil erit figurale ad diuinum cultum pertinens, sed solū gratiarū actio, & vox laudis. Et ideo dicitur Apocalipsis 21. de Ciuitate Beatorum, Templum non vidi in ea, Dominus .n. Deus omnipotens templū illius est, & Agnus; pari igitur ratione cæremoniæ primi stat', per quas figurabatur, & secūdus, & tertius veniēre secundo statu cessare debuerunt, & aliæ cæremoniæ induci, quæ conuenirent statui cultus diuini pro tempore illo, in quo bona cælestia sunt futura, beneficia autē Dei, p quæ ad cælestia

cælestia introducimur, sunt præsentia. p. 2.q.103.a.3.in corp.

Quæritur an post Passionem Christi legalia possint obseruari absq; peccato mortali.

2 Respondeo dicendum, quòd omnes cæremoniæ sunt quædam protestationes fidei, in qua consistit interior Dei cultus. Sic autem fidē interiorem potest homo ꝓtestari factis, sicut & verbis, & in vtraq; protestatione si aliquid homo falsū protestatur, peccat mortaliter. Quamuis autem sit eadem fides, quam habemus de Christo, & quā antiqui patres habuerūt, tamen quia ipsi præcesserunt Christum, nos autem sequimur, eadem fides diuersis verbis significatur à nobis, & ab eis; nam ab eis dicebatur, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, quæ sunt verba futuri temporis. nos autem idem repræsētamus per verba præsentis temporis dicentes, quod concepit, & peperit. Et similiter cæremoniæ veteris legis significabant Christum, vt nasciturum, & passurū: nostra autem Sacramenta significant ipsum, vt natū, & passum. Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando diceret Christum nasciturū, quod antiqui piè, & veraciter dicebant: ita etiā peccaret mortaliter, si quis nunc cęremonias obseruaret, quas antiqui piè, & fideliter obseruabant. Et hoc est, quod Augustinus dicit contra Faustum, Iā non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa sacramēta quodammodo personabant: sed annunciatur, quod natus sit, passus sit, resurrexit, quod hæc sacramenta, quæ à Christianis aguntur, iam personant. p. 2.q.103.a.4. in corp.

Quęritur an præcepta iudicialia veteris legis perpetuam obligationem habeant.

3 Respondeo dicendum, quòd iudicialia præcepta non habuerunt perpetuam obligationem, sed sunt euacuata per aduentum Christi, aliter tamen quam cęremonialia. nam cæremonialia adeo sunt euacuata, vt non solum sint mortua, sed etiā mortifera obseruantibus post Christum, maximè post Euangelium diuulgatum; præcepta autem iudicialia sunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi, non tamē sunt mortifera, quia si quis princeps ordinaret in regno suo illa iudicialia obseruari, non peccaret, nisi fortè hoc modo obseruarentur, vel obseruari mandarentur tanquam habētia vim obligandi ex veteris legis institutione. talis enim intentio obseruandi esset mortifera. Et huius differentię ratio potest accipi ex hoc quod præcepta cæremonialia sunt figuralia primo, & per se tanquam instituta principaliter ad figurādum Christi misteria, vt futura: & ideo ipsa obseruatio eorum præiudicat fidei veritati, secundum quam confitemur illa misteria iam esse completa; præcepta autem iudicialia non sunt instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum: & ideo mutato statu illius populi Christo iam veniente iudicialia præcepta obligationē amiserunt lex .n. fuit pedagogus ducēs ad Christū, vt dicitur ad Gal.3. Quia tñ huiusmodi iudicialia pręcepta non ordinantur ad figurandū, sed ad aliquid fiendum, ipsa eorum obseruatio absolutè non præiudicat fidei veritati: sed intentio obseruandi, tanquam ex obligatione legis præiudicat veritati fidei, quia per hoc haberetur, quod status prioris populi adhuc duraret, & quod Christus nondum venisset. p. 2. q. 104. a.3.in corp.

De Lege humana. Cap. VI.

1 *Necessarium fuit ad pacem hominum, & virtutem legem aliquam humanā poni.*

2 *Melius est lege omnia ordinari, quam ea dimittere Iudicum arbitrio.*

3 Quę-

3 Quę non possunt lege ordinari, relinquuntur arbitrio iudicum.
4 Lex humana intantum habet rationem legis, inquantum deriuatur à lege naturali.
5 Qualitates legis humanę describuntur ex Isidoro.
6. Lex humana vt deriuatur à lege naturę diuiditur in ius gentium, & ius ciuile.
Quid pertineat ad ius gentiũ, & ius ciuile.
Lex humana vt ordinatur ad bonum commune ciuitatis diuiditur secundum diuersitatem eorum, quę attendunt ad bonũ commune.
Lex humana vt instituitur à Gubernante communitatem ciuitatis diuiditur secũdum diuersa regimina ciuitatum.
Quid sit regnum, Aristocratia, Oligarchia, Democratia.
Ex tirannico dominio nõ sumitur aliqua lex
Lex humana vt directiua humanorũ actuũ diuiditur secundum res, de quibus feruntur leges.
7 Lex debet esse posita pro vtilitate cõmuni.
8 Tres sunt species iuris legalis.
9 Lex non datur propter vnum singularem actum.
Per quid regulentur singulares actus.
Lex est preceptum commune.
10 Lex debet fieri de his, quę in pluribus accidunt.
11 Lege humana non prohibentur omnia vitia, sed solum grauiora, & pręcipuè quę sunt in nocumentum aliorum.
12 Lex humana non est de omnibus actibus virtutum.
Lex humana est solum de illis actibus virtutum, qui ordinantur ad bonum commune vel mediatè, vel immediatè.
13 Leges humanę iustę habent vim obligatiuã in foro conscientię à lege æterna.
Lex dicitur iusta ex fine, ex actore, ex forma
Leges iniustę non obligant in foro conscientię nisi fortè ad vitandum scandalum.
Leges dicuntur iniustę per contrarietatem ad bonum humanum, vel ex fine, vel ex actore, vel ex forma, vel per contrarietatem ad bonum diuinum.
14 Non est obediendum legibus latis contrà mandatum Dei.
15 Omnes qui subduntur potestati subduntur legi, quam fert potestas, vt lex habet rationem regulæ.
Soli mali sunt sub lege, vt habet vim coactiuam.
16 Princeps non subditur legi quo ad vim coactiuam.
Princeps subditur legi pro voluntate quo ad vim directiuam.
17 Si obseruatio legis vergat in damnum salutis cõmunis, non est illa lex obseruãda.
Licet aliquando pręter verba legis facere.
18 In dubijs circa legem debet quis consulere superiorẽ, vel agere secundũ verba legis.
19 Lex humana potest mutari iustè duplici de causa, scilicet ex parte rationis, & ex parte hominum.
20 Lex humana non debet mutari nisi ratione maximè vtilitatis, aut necessitatis.
21 Lex humana non est mutanda pro quacũq; melioratione.
22 Dispensatio in lege non debet esse in pręiudicium boni communis.

Quęritur an fuerit necessarium leges aliquas poni ab hominibus.

1 Respondeo dicendum, quòd necessarium fuit ad pacem hominum, & virtutem, quod leges ponerẽtur: quia sicut Philosophus dicit in primo politicæ, sicut homo si sit perfectus virtute est optimum animalium: sic si sit separatus à lege, & iustitia est pessimũ omnium, quia homo habet arma rationis ad explendas concupiscentias, & sæuitias, quæ non habent alia animalia. p.2.q.95. a.1. in corp.

Quęritur an sit melius omnia ordinari lege, an ea dimittere Iudicum arbitrio.

2 Respondeo dicendum, quòd sicut Phi-

Philosophus dicit in primo reth. cap. 1. Melius est omnia ordinari lege, quam dimittere iudicum arbitrio, & hoc propter tria; Primò quidem, quia facilius est inuenire paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas, quam multos, qui requirerentur ad rectè iudicandum de singulis; Secundò quia illi, qui leges ponunt, ex multo tempore cõsiderant, quid lege ferendum sit, sed iudicia de singularibus factis fiũt ex casibus subito exortis; facilius autem ex multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quã solum ex vno aliquo facto; Tertiò quia legislatores iudicant in vniuersali, & de futuris, sed homines iudicijs presidentes iudicant de præsentibus, ad quæ afficiũtur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate, & sic eorum deprauatur iudicium; Quia ergo iustitia animata iudicis non inuenitur in multis, & quia flexibilis est, ideo necessarium fuit in quibuscunq; est possibile lege determinare, quid iudicãdum sit, & paucissima arbitrio hominum committere. p. 2. q. 95. a. 1. ad 2.

Quæritur quid faciendum in quibusdam casibus, qui non possunt lege comprehendi.

3 Respondeo dicendum, quòd quædã singularia, quæ non possunt lege comprehendi, necesse est committere Iudicibus, vt ibidem Philosophus dicit, puta de eo, quod est factum esse, vel non esse, & de alijs huiusmodi. p. 2. q. 95 a. 1. ad 3.

Quæritur an omnis lex humanitus posita à lege naturali deriuetur.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in primo de libero arbitrio Nõ videtur esse lex, quæ iusta non fuerit. vndè inquãtùm habet de iustitia, intantùm habet de virtute legis, In rebus autem humanis dicitur esse aliquid iustũ ex eo, quod est rectum secundum regulã rationis, Rationis autẽ prima regula est lex naturæ, vndè omnis lex humanitus posita intantùm habet de ratione legis, inquantùm à lege naturæ deriuatur. Si vero in aliquo à lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio Sed sciendum est, quod à lege naturali dupliciter potest aliquid deriuari. Vno modo sicut conclusiones ex principijs. Alio modo sicut determinationes quædam aliquorum communium; Primus quidem modus similis est ei, quo in scientijs ex principijs conclusiones demonstratiuè producuntur, Secundo vero modo simile est, quod in artibus formæ cõmunes determinantur ad aliquid speciale, sicut artifex ad formam communẽ domus necesse est, quod determinet ad hanc, vel illam figuram domus; Deriuãtur ergo quædam à principijs communibus legis naturæ per modum conclusionum, sicut hoc quod est non esse occidendũm. vt cum conclusio quædam deriuare potest ab eo, quod est nulli esse faciendum malum. Quædam vero per modum determinationis, sicut lex naturæ habet, quod ille, qui peccat, puniatur, sed quod tali pæna, vel tali puniatur, hoc est quędã determinatio legis naturę: Vtraq; igitur inueniuntur in lege humana posita: sed ea, quæ sunt primi modi continẽtur in lege humana non tanquã sint solũ lege posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali, sed ea, quæ sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent. p. 2. q. 95. a. 2. in corp.

Quæritur quænam sint qualitates legis humanæ ex Isidoro.

5 Respondeo dicendum, quòd debet lex esse honesta, iusta, possibilis, secũdum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco, temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, nè aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo

nullo priuato cõmmodo, sed pro cõmuni vtilitate ciuium scripta; nã vniuscuiusq; rei, quæ est propter finẽ necesse est, quod forma determinetur secundum proportionem ad finem, sicut forma serræ talis est, qualis conuenit sectioni, vt patet in 2. Physicorum; quælibet etiam res recta, & mensurata oportet, quod habeat formam proportionatam suæ regulæ, & mensuræ. Lex autem humana vtrumq; habet, quia & est aliquid ordinatũ ad finẽ, & est quædam regula, vel mensura regulata, vel mensurata quadam superiori mensura. quæ quidem est duplex, scilicet diuina lex, & lex naturæ, finis autem humanæ legis est vtilitas hominum, sicut etiam iurisperitus dicit. Et ideo Isidorus in conditione legis primo quidem tria posuit, scilicet quod religioni congruat, inquantùm scilicet est proportionata legi diuinæ; quod disciplinæ conueniat, inquantùm scilicet est proportionata legi naturæ; quod saluti proficiat, inquantùm est proportionata vtilitati humanæ. & ad hæc tria omnes aliæ conditiones, quas postea ponit reducuntur. Nam quod dicitur, Honesta, refertur adhoc, quod religioni congruat, quod autem subditur, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ: loco, temporique conueniens: additur adhoc, quod conueniat disciplinę. Attẽditur enim humana disciplina, Primum quidem quantum ad ordinem rationis, qui importatur in hoc, quod dicitur iusta, secundo quantum ad facultatem agentium, debet enim esse disciplina conueniens vnicuique secundum suam possibilitatem obseruata etiã possibilitate naturæ: non enim eadẽ sunt imponenda pueris, quæ imponuntur viris perfectis: & secundum humanam cõsuetudinem, non enim potest homo solus in societate viuere, aliorum morem non gerens, Tertio quantum ad debitas circonstantias dicit, loco, temporique conueniens. quod vero subditur, necessaria, vtilis &c. refertur adhoc, quod expediat saluti, vt necessitas referatur ad remotiorem malorum, vti vtilitas ad consecutionem bonorum, manifestatio vero ad cauendum nocumentũ, quod ex ipsa lege posset prouenire, & quia lex ordinatur ad bonũ commune, hoc ipsum in vltima parte determinationis ostenditur, dum dicitur, pro cõmuni vtilitate ciuiũ scripta. p. 2. q. 95. a. 3. in corp.

Quæritur an Isidorus conuenienter ponat diuisionem humanarum legum.

6 Respondeo dicendum, quòd vnum quodque potest per se diuidi secundum id, quod in eius ratione continetur, sicut in ratione animalis continetur anima, quæ est rationalis, vel irrationalis: & ideo animal propriè, & per se diuiditur secundum rationale, & irrationale, non autem secundum album, & nigrũ, quę sũt omnino præter rationem eius. Sunt autẽ multa de ratione legis humanæ, secundũ quorum quodlibet lex humana propriè, & per se diuidi potest. Est enim primo de ratione legis humanæ, quod sit deriuata à lege naturæ, & secundum hoc diuiditur ius positiuum in ius gentium, & ius ciuile secundum duos modos, quibus aliquid deriuatur à lege naturæ, nam ad ius gentium pertinent ea, quæ deriuãtur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principijs, vt iustæ emptiones, venditiones, & alia huiusmodi, sine quibus homines ad inuicẽ conuiuere nõ possunt, quod est de lege naturę, quia homo est naturaliter animal sociale, vt probatur in primo politicę cap. 2. Quæ vero deriuantur à lege naturæ per modũ particularis determinationis pertinent ad ius ciuile secundum ꝙ quęlibet ciuitas aliquid sibi accomodè determinat; Secundo est de ratione legis humanæ, quod ordinetur ad bonũ cõmunę ciuitatis, & secundũ hoc lex humana diuidi

diuidi poteſt ſecundum diuerſitatem eorum,qui ſpecialiter dant operam ad bonum commune, ſicut Sacerdotes pro populo Deum orantes,Principes populum gubernantes,& milites pro ſalute populi pugnantes. Et ideo iſtis hominibus ſpecialia quædam iura optantur. Tertio eſt de ratione legis humanæ,vt inſtituatur à Gubernante communitatem ciuitatis, & ſecundum hoc diſtinguuntur leges humanę ſecundum diuerſa regimina ciuitatum, quorum vnum ſecundum Philoſophum in 3. politicę eſt Regnum, quando ſcilicet ciuitas gubernatur ab vno, & ſecundum hoc accipiuntur conſtitutionem Principum. Aliud vero regimen eſt Ariſtocratia, ideſt Principatus optimorum, vel optimatum, & ſecundum hoc ſumuntur reſponſa prudentum, & etiam Senatus conſulta. Aliud regimen eſt Oligarchia,ideſt Principatus paucorum diuitum, & potentum, & ſecundum hoc ſumitur ius prætorium, quod etiam honorarium dicitur. Aliud autem eſt regimen populi, quod nominatur Democracia,& ſecundum hoc ſumitur plebiſcita. Aliud autem eſt tirannicum, quod eſt omnino corruptum. Vnde ex hoc non ſumitur aliqua lex;Eſt etiam aliquod regimen ex iſtis commixtum, quod eſt optimum,& ſecũdum hoc ſumitur lex, quã maiores natu ſimul cum pluribus ſanxerunt,vt Iſidorus dicit. Quarto vero de ratione legis humanæ eſt, quod ſit directiua humanorum actuum, & ſecundum hoc ſecundum diuerſa, de quibus leges feruntur,diſtinguuntur leges,quæ interdum ab actoribus nominantur, ſicut diſtinguitur lex Iulia de adulterijs, lex Cornelia de Vicarijs, & ſic de alijs non propter actores,ſed propter res, de quibus ſunt.p.2.q.95.a.4.in corp.

Quęritur an lex humana debeat poni in communi magis,quam in particulari.

7 Reſpondeo dicendum, quòd quia vnum quodque, quod eſt propter finem neceſſe eſt,quod ſit fini proportionatum, finis autem legis eſt bonum commune, quia vt Iſidorus dicit in lib. etimolog. Nullo priuato commodo, ſed pro communi vtilitate ciuium lex debet eſſe cõſcripta. Vnde oportet leges humanas eſſe proportionatas ad bonum commune,bonum autem commune conſtat ex multis.Et ideo oportet,quod lex ad multa reſpiciat,& ſecundum perſonas, & ſecundum negocia,& ſecundum tempora, conſtituitur enim communitas ciuitatis ex multis perſonis, & eius bonũ per multiplices actiones procuratur, nec adhoc inſtituitur,quod aliquo tempore modico duret, ſed quod omni tempore perſeueret per ciuium ſucceſſionem,vt Auguſtinus dicit 2. de Ciuit. Dei. p.2.q.96. a.1. in corp.

Quęritur quot ſunt ſpecies iuris legalis.

8 Reſpondeo dicendum,quòd Philoſophus in 5. eth. ponit tres ſpecies iuris legalis,quod eſt ius poſitiuum: ſunt enim quædam, quæ ſimpliciter in comuni ponuntur,& hęc ſunt leges comunes, & quãtùm ad huiuſmodi dicit,quod legale eſt,quod ex principio quidẽ nihil differt ſic,vel aliter;quando autem ponitur,differt:puta quod captiui ſtatuto pretio redimantur; Quædam verò ſunt, quæ ſunt communia quantùm ad aliquid,& ſingularia quantùm ad aliquid, & huiuſmodi dicuntur priuilegia,quaſi leges priuatæ, quia reſpiciunt ſingulares perſonas, & tamen poteſtas eorũ extenditur ad multa negocia, & quantùm adhoc ſubdit; Adhuc quæcunq; in ſingularibus legem ponunt.Dicuntur etiam quædam legalia,nõ quia ſint leges, ſed propter applicationem legum communium ad aliqua particularia facta, ſicut ſunt ſententiæ, quæ pro iure habentur, & quantũ adhoc ſubdit,& ſententialia. p.2,q.96.a.1.ad 1.

Quę-

Quaritur an lex detur ad dirigendos aliquos actus particulares.

9 Respondeo dicendum, quòd illud, quod est directiuum oportet esse pluriũ directiuum. Vnde in 10. Metaph. Philosophus dicit, quod omnia, quæ sunt vnius generis mensurantur aliquo vno, quod est primum in genere illo, si enim essent tot regulæ, vel mensuræ quot sunt mensurata, vel regulata, cessaret vtiq; vtilitas regulæ, vel mẽsuræ, quę est vt ex vno multa possint cognosci, & ita nulla esset vtilitas legis, si non se extenderet, nisi ad vnum singularem actum; Ad singulares enim actus dirigendos dantur singularia præcepta Præsidentium, sed lex est præceptum commune p.2.q.96.a.1.ad 2.

Quęritur de quibus dentur leges.

10 Respondeo dicẽdum, quòd legislator legem ferrè debet secundum ea, quæ in pluribus accidunt. p.2.q.96.a.6.ad 3.

Quęritur an ad legem humanam pertineat omnia vitia cohibere.

11 Respondeo dicendum, quòd lex ponitur vt quædam regula, vel mensura humanorũ actuum, mensura autem debet esse homogenea mensurato, vt dicitur in 10. Metaph. diuersa enim diuersis mensurantur. Vnde oportet, quod etiam leges imponantur hominibus secundum eorum conditionem, quia vt Isidorus dicit, Lex debet esse possibilis, & secundum naturam, & secundum consuetudinẽ Patriæ; Potestas autem, siue facultas operandi ex interiori habitu, seu dispositione procedit, non enim idem est possibile ei, qui non habet habitum virtutis, & virtuoso, sicut etiam non est idem possibile puero, & viro perfecto, & propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quæ ponitur adultis, multa enim pueris permittuntur, & similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non essent toleranda in hominibus virtuosis; Lex autem humana ponitur multitudini hominum, in qua maior pars est hominum non perfectorum virtute. Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, à quibus virtuosi abstinent, sed solum grauiora, à quibus possibile est maiorem partem multitudinis abstinere, & præcipuè quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conseruari non posset, sicut prohibentur lege humana homicidia, & furta, & huiusmodi. p.2.q.96. a.2. in corp. [a.3.ad 1.

Quęritur an lex humana pręcipiat actus omnium virtutum.

12 Respondeo dicendum, quòd species virtutum distinguuntur secundum obiecta. Omnia autẽ obiecta virtutũ referri possunt, vel ad bonum priuatum alicuius personæ, vel ad bonum commune multitudinis, sicut ea, quæ sunt fortitudinis, potest aliquis exequi, vel propter cõseruationem ciuitatis, vel ad conseruandũ ius amici sui, & simile est in alijs, Lex autem ordinatur ad bonum commune. Et ideo nulla virtus est, de cuius actibus lex præcipere non possit, non tamen de omnibus actibus omnium virtutum lex humana præcipit, sed solum de illis, qui ordinabiles sunt ad bonum commune, vel immediatè, sicut aliqua directè propter bonum commune fiunt, vel mediatè sicut cum aliqua ordinãtur à legislatore pertinentia ad bonam disciplinam, per quã ciues informantur, vt commune bonum iustitiæ, & pacis conseruent. p.2.q.96.a.3. in corp.

Quęritur an lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientię.

13 Respondeo dicendum, quòd leges

Positæ humanitus, vel sunt iustæ, vel iniustæ, siquidem iustæ sunt, habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna, à qua deriuantur secundum illud Prouerb 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; Dicuntur autem leges iustæ, & ex fine, quando scilicet ordinantur ad bonum commune, & ex actore, quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis. & ex forma, quando scilicet secundum æqualitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. cũ enim vnus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum quod est, & quod habet, est multitudinis, sicut & quælibet pars id, quod est, est totius. Vnde & natura aliquod detrimentum infert parti, vt saluet totum. Et secundum hoc leges huiusmodi onera proportionabiliter inferentes, iustę sunt, & obligant in foro conscientiæ, & sunt leges legales; iniustę autem sunt leges dupliciter. Vno modo per contrarietatem ad bonum humanum è contrario prædictis. Vel ex fine sicut cũ aliquis pręsidens leges imponit onerosas subditis non pertinentes ad vtilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam. Vel etiã ex actore, sicut cum aliquis legem fert vltra sibi commissam potestatem. Vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et huiusmodi magis sunt violentię, quam leges, quia sicut Augustinus dicit in lib. de libero arbitrio. Lex esse non videtur, quæ iusta nõ fuerit. Vnde tales leges non obligant in foro conscientiæ, nisi fortè propter vitandum scandalum, vel turbationẽ; propter quod etiam homo iuri suo debet cædere secũdum illud Matthæi 5. qui angariauerit te mille passus vade cum eo alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium. Alio modo leges possunt esse iniustæ per contrarietatem ad bonum diuinum sicut leges tirannorum inducentes ad idolatriam, vel ad quocunque aliud, quod sit contra legem diuinam, & tales leges nullo modo licet obseruare, quia sicut dicitur actuũ 4. obedire oportet Deo magis, quam hominibus. p. 2. q. 96. a 4. in corp.

Quæritur an sit obediendum legibus, quæ sunt contra mandata Dei.

14 Respondeo dicendum, quòd adhoc ordo potestatis non se extendit, vt ferantur leges contra Dei mandatum. Vnde si ferantur, tunc legibus humanis non est parendum. p. 2. q. 96. a. 4. ad 2.

Quæritur an omnes subijciantur legi.

15 Respondeo dicendum, quòd lex de sui ratione duo habet. Primo quidem quod est regula humanorum actuum. Secũdo quod habet vim coactiuam, Dupliciter ergo aliquis homo potest esse legi subiectus. Vno modo sicut regulatũ regulæ, & hoc modo omnes illi, qui subduntur potestati, subduntur legi, quam fert potestas, quod autem aliquis potestati non subdatur potest contingere dupliciter. Vno modo quia est simpliciter absolutus ab eius subiectione. Vnde illi, qui sunt de vna ciuitate, vel regno non subduntur legi principis alterius ciuitatis, vel regni, sicut nec eius dominio. Alio modo secundum quod regitur superiori lege puta si aliquis sit subiectus pro consuli, regulari debet eius mandato, non tamen in his, quæ dispensantur ei ab Imperatore, quantùm enim ad illa non astringitur mandato inferiori, cum superiori mandato dirigatur, & secundum hoc cõtingit, quod aliquis simpliciter subiectus legi, secundum aliqua legi nõ astringitur secundum quæ regitur superiori lege. Alio modo dicitur aliquis subiectus sicut coactum cogenti, & hoc modo homines virtuosi,

virtuosi,& iusti non subduntur legi, sed soli mali, quod enim est coactum, & violentum est contrarium voluntati, volūtas autem bonorum consonat legi, à qua voluntas malorum discordat. Et ideo secūdum hoc boni non sunt sub lege, sed solum mali. p. 2.q.96.a.5.in corp.

Quæritur an Princeps sit subiectus legi.

16 Respondeo dicendū, quòd Princeps dicitur esse solutus à lege quantùm ad vim coactiuā legis, nullus enim propriè cogitur à se ipso, lex autē non habet vim coactiuam, nisi ex Principis potestate, sic igitur Princeps dicitur esse solutus à lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Vnde super illud Psalm. 50. Tibi soli peccaui &c. dicit glosa, quod Rex non habet hominem, qui sua facta diiudicat, sed quantùm ad vim directiuam legis Princeps subditur legi propria voluntate secundum quod dicitur extra de constitutionibus cap. cum omnes, quod quisquis iuris in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet, & sapientis dicit auctoritas patere legem, quam ipse tuleris, improperatur etiam his à Domino, qui dicunt, & non faciunt, & qui alijs onera grauia imponunt, & ipsi nec digito volunt ea mouere. Vt dicitur Matthæi 23. Vnde quantùm ad Dei iudicium Princeps non est solutus à lege quantùm ad vim directiuam eius, sed debet voluntarius, non coactus legem implere; Est etiā Princeps supra legem inquātùm si expediens fuerit, potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco, & tempore. p. 2. q.96.a.5.ad 3.

Quæritur an ei, qui subditur legi liceat præter verba legis agere.

17 Respondeo dicendum, quòd omnis lex ordinatur ad communem hominum salutem, & intantū obtinet vim, & rationem legis, secundum vero quod ab hoc deficit virtutem obligandi non habet. Vnde iurisperitus dicit, Quod nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro salute hominū introducuntur, ea nos duriori interpretione contra ipsorum commodum perducamus ad seueritatem. Contingit autem multoties, quod aliquid obseruari cōmuni vtilitati est vtile vt in pluribus, quod tamen in aliquibus casibus est maximè nociuū, quia igitur legislator non potest omnes singulares casus intueri, proponit legem secūdum ea, quæ in pluribus accidunt ferens intentionem suam ad cōmunem vtilitatem. Vnde si emergat casus, in quo obseruatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est obseruāda, sicut si in ciuitate obsessa statuatur lex, quod portæ ciuitatis maneant clausæ, hoc est vtile cōmuni saluti, vt in plurib⁹, si tamē contingat casus, quod hostes insequātur aliquos ciues, per quos ciuitas conseruatur, damnosissimum esset ciuitati, nisi eis portæ aperirentur. Et ideo in tali casu essent portæ aperiendæ contra verba legis, vt seruaretur vtilitas communis, quā legislator, intendit; Sed tamen hoc est considerandum, quod si obseruatio legis secundum verba non habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet, vt interpretetur quid sit vtile ciuitati, & quid inutile ciuitati, sed hoc solum pertinet ad Principes, qui propter huiusmodi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi; Si vero sit subitum periculum non patiens tantam moram, vt ad superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi. p. 2.q.96.a.6.in corp.

Quæritur quid agendum, quando dubium est aliquod circa legem.

18 Respondeo dicendum, quòd si dubiū sit,

sit, debet vel secundũ verba legis agere, vel superiorẽ cõsulere. p. 2. q. 96. a. 6. ad 2.

Quaeritur an lex humana debeat mutari aliquo modo.

19 Respondeo dicendum, quòd lex humana est quoddam dictamen rationis, quo diriguntur humani actus, & secundũ hoc duplex causa potest esse, quod lex humana iustè mutetur. Vna quidem ex parte rationis. Alia vero ex parte hominum, quorum actus lege regulantur; Ex parte quidem rationis, quia humanae rationi naturale esse videtur, vt gradatim ab imperfecto ad perfectum perueniat. Vnde videmus in scientijs speculatiuis, quod qui primo philosophati sunt, quaedam imperfecta tradiderunt, quae postmodum per posteriores sunt tradita magis perfectè, ita etiam & in operabilibus, nam primi, qui intenderunt inuenire aliquid vtile communitati hominum non valentes omnia ex se ipsis considerare, instituerunt quaedam imperfecta in multis deficientia, quae posteriores mutauerunt, instituentes aliqua, quae in paucioribus deficere possunt à communi vtilitate; Ex parte vero hominum, quorum actus lege regulantur lex rectè mutari potest propter mutationem cõditionum hominum, quibus secundum diuersas eorum mutationes diuersa expediũt. Sicut Augustinus ponit exemplum in primo de libero arbitrio, quod si populus sit benè moderatus, & grauis, communisq; vtilitatis diligentissimus custos, lex rectè fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos Respublica administretur: Porrò si paulatim idem populus deprauatus habeat venale suffragium, & regimen flagitiosis, sceleratisq; committat, rectè adimitur populo talis potestas dandi honores, & ad paucorum bonorũ redit arbitrium. p. 2. q. 97. a. 1. in corp.

Quaeritur an lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius.

20 Respondeo dicendum, quòd lex humana intantùm rectè mutatur, inquantũ per eius mutationem communi vtilitati prouidetur, habet autem ipsa legis mutatio quantùm in se est detrimentũ quoddã communis salutis, quia ad obseruantiam legum plurimũ valet consuetudo intantũ quod ea, quae contra communẽ consuetudinem fiunt, etiã si sint leuiora de se, grauiora videntur. Vnde quãdo mutatur lex diminuitur vis constrictiua legis, inquãtùm tollitur consuetudo. Et ideo nunquã debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantũ ex aliqua parte derogatur, quod quidem contingit, vel ex hoc quod aliqua maxima, & euidentissima vtilitas ex nouo statuto prouenit, vel ex eo, quod est maxima necessitas, ex eo quod lex cõsueta, aut manifestam iniquitatem continet, aut eius obseruatio est plurimum nociua. Vnde dicitur à iurisperito, quod in rebus nouis constituendis euidens debet esse vtilitas, vt rectè recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est. p. 2. q. 97. a. 2. in corp.

Quaeritur an per quamcunq; meliorationem debeat mutari lex.

21 Respondeo dicendum, quòd leges sunt mutandae nõ tamen pro quacunq; melioratione, sed pro magna vtilitate, vel necessitate. p. 2. q. 97. a. 2. ad 2.

Quaeritur qui possint condere legem.

Respondeo dicendum sicut in primo cap. q. 11.

Quaeritur an Rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare.

Respondeo dicendum sicut verbo Dispensatio cap. 3. q. 1.

Quae-

Quæritur an quando cum aliquo dispensatur in lege, hoc possit esse in præiudicium boni communis.

21 Respondeo dicendum, quòd quãdo cũ aliquo dispensatur, vt legem cõmunẽ non seruet, non debet fieri in præiuditiũ boni cõmunis, sed ea intẽtione, vt ad bonum cõmune proficiat. p. 2. q. 97. a. 4. ad 4

LICITA.

1 *Quæ dicantur licita.*
2 *Licitum secundum legem est, quod per legem non punitur.*
3 *Dupliciter aliquid dicitur nõ licere alicui*
4 *Aliquando homo à licitis abstinere debet, & quo fine:*

Quæritur quænam sint licita.

1 Respondeo dicendum, quòd omnia illa sunt licita, quæ diuina lege non prohibentur. lect. 2. cap. 6. primę ad Corinthios.

Quæritur an licita dicantur secundum legem, quæ non puniuntur.

2 Respondeo dicendum, quòd dicitur aliquid esse licitum secundum legẽ, quod per legem non punitur, sicut secundum legem veterem licebat libellus repudij. quodlibet. 2. a. 10. ad 2. [2. 2. q. 69. a. 2. ad 1

Quæritur quot modis dicatur aliquid non licere alicui.

3 Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur alicui non licere dupliciter. Vno modo quia habet in se, quod contrariatur ei, quod dicitur non licere, sicut nulli homini licet peccare, quia habet in se quilibet homo rationem, & obligationẽ ad legem Dei, quibus contrariatur peccatum. Alio modo dicitur aliquid non licere alicui non propter contrarium, quod habebat, sed propter hoc quod deficit ei. Vnde illud possit, sicut Diacono nõ licet Missam celebrare, quia non habet ordinẽ sacerdotalem, & Presbytero nõ licet sẽtentiam ferre, quia non habet episcopalẽ auctoritatem. 2. 2 q. 187. a. 1. in corp.

Quæritur an homo possit aliquando à licitis abstinere.

4 Respondeo dicendum, quòd homo etiam à rebus licitis abstinere potest, vt liberius diuinis obsequijs vacet. a. 2. q. 184. a. 3. ad 3.

LINGVAE PECCATVM.

Peccatum linguę aggrauatur primo ex circumstantijs, puta frequentia, dolositate. Secundo ex conditione personarum, vt persona loquentis, vel persona, contra quã loquitur, vel audientium.

Quærit quot modis aggrauetur linguę peccatũ

Respondeo dicendum, quòd linguæ peccatũ aggrauatur dupliciter. Primo ex circumstantijs. Secundo ex conditione personarum. Aggrauatur primo frequentia, quia si aliquando quis committat aliquod peccatum, quodammodo tolerabile est, vel si ex lapsu linguæ aliquod inordinatum dicat, facilius portatur, Iacob. 3. Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir, si quis autem os suũ implet maledictionibus, tunc ex malitia propria procedit; Aggrauatur etiam peccatum linguę ex dolositate, siue fraude, Hierem. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est; Aggrauatur etiam peccatum linguæ ex conditione personarum. Et primo ex conditione loquentis. Secundo ex conditione eius, contra quem loquitur. Tertio ex conditione audientium; Ex conditione inquã

loquentis, puta si contingat aliquando quod aliquis dicit amarum verbum commotus,& prouocatus, hoc vtcunque tolerabile est, sed quando aliquis quieto corde non prouocatur dicit mala, hoc iniquum, & detestabile est; Ex persona eius,contra quē loquitur aggrauatur peccatū,quia si loqueretur contra iniquum, secus esset,sed loqui aduersus fratrē,hoc peius; Aggrauatur etiam ex parte eorū, qui ex hoc scandalizantur. Super Psal.49

LITIGIVM.

1 *Litigium in quo consistat.*
2 *Litigium ex ira oritur,& ex multis alijs.*
3 *Litigiū quo ad suam speciē est grauiū peccatū adulatione in sub specie cōsiderata.*
Litigium quo ad motiuum exterius est grauius peccatum aliquando adulatione,& aliquando minus.
4 *Homo magis verecundatur de adulatione, quam de litigio.*
5 *Litigare in iudicio quomodo est illicitum ex charitate licet sua repetere in iudicio.*

Quaritur in quo consistat litigium.

1 RESpondeo dicendum,quòd propriè litigium in verbis consistit, cum scilicet vnus verbis alterius contradicit,in qua quidem contradictione duo possunt attēdi, quandoq; enim contingit contradictio propter personam dicentis, cui contradicens cōsentire recusat propter defectum amoris animos vnientis, & hoc videtur ad discordiā pertinere charitati contrariam,quandoq;vero contradictio oritur ratione personæ,quā aliquis contristare non veretur,& sic fit litigiū, quod prædictæ amicitiæ, vel affabilitati opponitur,ad quam pertinet delectabiliter alijs cōuiuere. Vnde Philosophus dicit in 4.eth.quod illi, qui ad omnia contrarientur,causa eius,quod est contristare, neque quosque curantes, discoli, & litigiosi vocantur. 2.2.q.166.a.1.in corp.

Quaritur à quo oriatur litigium.

2 Respondeo dicendū, quòd quandoq; litigium ex ira oritur, potest tamen etiā ex multis alijs causis oriri. 2.2.q.116.a.1.ad 1.

Quaritur an litigium sit grauius peccatum adulatione.

3 Respondeo dicendū, quòd de vtroq; istorum peccatorum loqui possumus dupliciter. Vno modo considerando speciē vtriusq; peccati, & secundum hoc tanto aliquod vitium est grauius,quanto magis repugnat oppositæ virtuti, virtus autem amicitiæ principalius tendit ad delectādum,quam ad contristandum. Et ideo litigiosus,qui superabundat in contristando,grauius peccat,quā placidus, vel adulator,qui superabundat in delectando. Alio modo possunt considerari secundū exteriora motiua,& secundum hoc quādoq; adulatio est grauior, puta quando intendit per deceptionem indebitum honorem,vel lucrum acquirere,quandoque vero litigium est grauius, puta quando homo intendit,vel veritatem impugnare vel dicentem in contemptum adducere. 2.2.q.116.a.2,in corp.

Quaritur an homo magis verecundetur de adulatione,quam de litigio.

4 Respondeo dicendum, quòd magis verecundatur homo de adulatione, quā de litigio,quamuis litigium sit grauius. 2.2.q.116.a.2.ad 3.

Quaritur an sit peccatum litigare in iudicio?

5 Respondeo dicendum, quòd iudiciū est illicitū omnibus quantū ad quattuor. Primo quidem quantum ad causam, ex qua aliquis iudicium habet,puta ex cupiditate,& auaritia. Secundo quantum ad modum

modum iudicij, quia ſcilicet cum contẽtione, & detrimento pacis iudicium proſequuntur. Tertio ex peruerſitate iudicij, puta cum aliquis iniuſtè, & fraudulẽter in iudicio procedit. Quarto propter ſcandalum, quod ſequitur. Vnde Dominus mandat Matthæi 5. qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuã tollere, dimitte ei, & pallium. Ex Charitate vero ſua in iudicio repetere licitum eſt. Vnde Gregorius dicit in moralib. cũ curam rerum nobis neceſſitas imponit, quidam dum ea repetunt, ſolummodo ſunt tolerandi, quidam vero ſeruata Charitate ſunt prohibendi, ſcilicet ne rapientes nou ſua, ſeipſos perdant. lect. 2. cap. 6. primæ ad Corinthios.

L V D V S.

1 *Ludo vti quando oporteat.*
Tria ſunt cauenda in ludo, & quæ.
Circa ludos poteſt eſſe virtus Eutrapeliæ.
2 *Ludus aliquando eſt meritorius.*
3 *Ludi turpitudinem continentes ab omnibus ſunt vitandi.*
Ludi ex deuotione procedẽtes ſunt æmulãdi.
Ludi liberales poſsũt fieri ſeruatis ſeruãdis
Pænitens poteſt huiuſmodi ludis vti moderatè ad recreationem, vel ad ſocietatem.
4 *Quæ peccata excuſẽtur per ludũ, et quę nõ*
5 *Quid ſit ſuperfluitas in ludo.*
Quando talis ſuperfluitas ſit peccatũ mortale, & quando veniale.
6 *Superfluitas ludi oritur ex Gula.*
7 *In defectu ludi aliquando eſt peccatum.*
8 *Ludens cum aliquo, qui non poteſt alienare aliquid, tenetur ad reſtitutionem lucri.*
Ludens tractus cum aliquo, qui poteſt alienare, non tenetur reſtituere lucrum.
Si perdit poteſt repetere.
Trahens alium ad ludum, ſi perdit, non poteſt repetere.
Si lucratus eſt, tenetur reſtituere ei, à quo lucratus eſt.
9 *In doctrina ſacra nõ ſunt miſcenda iocoſa.*

F. Franciſci Chetij.

Quæritur an in ludis poſſit eſſe aliqua virtus.

1 RESpondeo dicendum, quòd ſicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocilationem, quia nõ poteſt continuè laborare propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur; ita etiam ex parte animæ, cuius etiam eſt virtus finita ad determinatas operationes proportionata. Et ideo quando vltra modũ ſuum in aliquas operationes ſe extendit laborat, & ex hoc fatigatur, præſertim quia in operationibus animæ ſimul etiã laborat corpus inquãtùm ſcilicet anima intellectiua vtitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona ſenſibilia conniaturalia homini. Et ideo quando anima vltra ſenſibilia eleuatur operibus rationis intenta, naſcitur exinde quædam fatigatio animalis, ſiue homo intendat operibus rationis practicæ, ſiue ſpeculatiuæ, magis tamen ſi operibus contemplationis, intendat, quia per hoc magis à ſenſibilibus eleuatur, quamuis fortè in aliquibus operibus exterioribus rationis practicæ maior labor corporis exiſtat, in vtriſq; tamen tanto aliquis magis altero fatigatur, quanto vehementius operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis ſoluitur per corporis quietem, ita etiam oportet, quod fatigatio animalis ſoluatur per animæ quietem, quies autem animæ eſt delectatio. Et ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationẽ intermiſſa intentione ad inſiſtendum ſtudio rationis, ſicut in collationibus Patrũ legitur, ꝙ B. Ioannes Euangeliſta, cũ quidã ſcandalizarentur, quod eum cũ diſcipulis ſuis ludentẽ inuenerant, dicitur mandaſſe vni eorũ, qui arcum gerebat, vt ſagittã traheret, quod cũ pluries feciſſet, quæſiuit vtrũ hoc continuè facere poſſet, cui reſpondit, quod ſi hoc continuè faceret, arcus frangeretur.

Vnde B. Ioannes subintulit, quod similiter animus hominis frangeretur si nunquam à sua intentione relaxaretur; Huiusmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra, vel iocosa. Et ideo necesse est talibus interdum vti, quasi ad quandā animæ quietem, & hoc est, quod Philosophus dicit in 4. eth. quod in huius vitæ conuersatione quædam requies cū ludo habetur. Et ideo oportet interdum aliquibus talibus vti. Circa quæ tamen videntur tria præcipuè, esse cauenda, quorum primum, & principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nociuis. Vnde Tullius dicit in primo de officijs, Quod vnū genus iocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscænum. Aliud autem attendendum est, ne totaliter grauitas animæ resoluatur. Vnde Ambrosius dicit in primo de officijs. Caueamus ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdā bonorū operum. Et Tullius dicit in primo de officijs, Quod sicut pueris non omnē ludendi licentiam damus, sed eā, quę ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquid probi ingenij lumē eluceat: Tertio autem attendum est, sicut & in omnibus humanis actibus, vt congruat personę tempori, & loco, & secundū alias circumstantias debitè ordinetur, vt scilicet sit tempore, & homine dignus, vt Tullius dicit ibidem. Huiusmodi autē secūdum regulam rationis ordinantur. Habitus autem secundum rationem operans est virtus moralis. Et ideo circa ludos potest esse aliqua virtus, quam Philosophus lib. 4. eth. cap. 8. Eutrapeliam nominat, & sic dicitur aliquis Eutrapelius à bona conuersione, quia scilicet benè conuertit aliqua dicta, vel facta in solatium, Et inquantùm per hanc virtutē homo refrenatur ab immoderantia ludorum, sub modestia cōtinetur. 2. 2. q. 168. a. 2. ī corp. [4. sent. d. 16. q. 4. a. 2. quæstiunc. 1. ī corp.

Quæritur an ludere sit aliquando meritoriū.

2 Respondeo dicendum, quòd ludere ad recreationem seruato modo Eutrapeliæ, quæ medium tenet in ludis, vt dicitur in 11. eth. Sicut comedere, & bibere seruato modo temperantiæ, meritorium est in eo, qui charitatem habet, qua Deū vltimum finem vitæ suæ constituit. 2. sēt. d. 40. a. 5. in fine corp.

Quæritur an ludi pęnitētiā exterius impediāt

3 Respondeo dicendum, quòd ludorū triplex est differentia, quidam enim ludi sunt, qui ex se ipsis turpitudinem habēt, & tales ludi ab omnibus vitandi sunt, & præcipuè à pænitentibus, qui per fletum peccata corrigere debent, sicut ludi, qui theatris agebantur ad luxuriam prouocantes. Alij ludi sunt, qui ex gaudio deuotionis procedunt, sicut Dauid dixit, Ludam, & vilior fiam coram Domino 2. Reg. 4. & tales ludi non sunt vitandi, sed laudandi, & æmulandi; Quidam autem ludi sunt nullam turpitudinem habentes, quos Philosophus liberales vocat, & hi sunt materia virtutis scilicet Eutrapeliæ. Et ideo seruatis debitis circumstantijs possunt laudabiliter fieri ad quietem propriam, & alijs laudabiliter conuiuendum; sed contingit in eis esse peccatum, eo quod debitæ circumstātiæ non seruantur: vnde in talibus ludis aliqid decet vnum, quod non decet alium: & in his etiam ludis pænitens se debet habere aliter, quam alij, inquantùm pænitentia fletum requirit: tamen eis moderatè, vti potest secundum quod ad recreationem animi pertinent, aut ad societatem eorum, cum quibus homo conuiuit. 4. sent. d. 16. q. 4. a. 2. quæstiunc. 1. in corp. [2. 2. q. 168. a. 4. ad 1.

Quæ-

Quæritur an peccata excusentur per ludum.

4 Respondeo dicendum, quòd aliqua sunt peccata propter solam intentionẽ, quia scilicet in iniuriam alicuius fiunt, quam quidem intentionem excludit ludus, cuius intentio ad delectationem fertur, non ad iniuriam alicuius, & in talibus ludus excusat à peccato, vel peccatum diminuit; Quædam vero sunt, quæ secundum suam speciem sunt peccata sicut homicidium, fornicatio, & similia, & talia non excusantur per ludum, quinimmo ex his ludus redditur flagitiosus, & obscænus. 2.2.q.168.a 3 ad 1.

Quæritur an in superfluitate ludi possit esse peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd in omni eo, quod est dirigibile secundũ rationem superfluum dicitur secundum quod deficit à regula rationis, Ludrica autẽ, siue iocosa verba, vel facta sunt dirigibilia secundum rationẽ. Et ideo superfluum in ludo accipitur, quod excedit regulã rationis, Quod quidem potest esse dupliciter. Vno modo ex ipsa specie actionum, quæ assumuntur in ludum, quod quidem iocandi genus secundum Tulliũ dicitur illiberale, petulans flagitiosum, obscęnũ, quando scilicet vtitur aliquis causa ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de se sunt peccata mortalia. Et sic patet, quod excessus in ludo secundũ defectum debitarum circumstantiarũ, puta cum aliqui vtũtur ludo, vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam præter cõuenientiam negocij, seu personæ, Et hoc quidem quandoq; potest esse peccatum mortale propter vehementiã affectus ad ludum, cuius delectationẽ præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei, vel Ecclesię talibus ludis vti nõ refugiat. Quandoq; autem est peccatum veniale, puta si aliquis non tantùm afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquod contra Deum committere. 2.2.q.168.a.3.in corp.

Quæritur à quo peccato capitali oriatur superfluitas in ludo.

6 Respondeo dicendum, quòd superfluitas in ludo pertinet ad ineptam lætitiam, quam Gregorius dicit esse filiam Gulæ. Vnde exodi 37. dicitur, Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerũt ludere. 2.2.q.168.a.3.ad 2.

Quæritur an in defectu ludi consistat aliquod peccatum.

7 Respondeo dicendum, quòd omne, quod est cõtra rationem in rebus humanis vitiosum est. Est autem contra rationem, vt aliquis alijs se onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit. Vnde Seneca dicit, Sic te geras sapiẽter, quod nullus te habeat tanquam asperũ, nec contemnat quasi vilem. Illi autem, qui in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquid ridiculum, & dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt. Et ideo tales vitiosi sunt, & dicuntur duri, & agrestes, vt Philosophus dicit in 4. eth. Sed quia ludus est vtilis propter quietem, & delectationem, delectatio autem, & quies nõ propter se quęruntur in humana vita, sed ꝓpter reparationem, vt dicitur in 10. eth. Ideo defectus ludi minus est vitiosus, quam ludi super excessus. Vnde Philosophus dicit in 9. eth. Quod pauci amici propter delectationem sunt habendi, quia parum de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parũ de sale sufficit in cibo. 2.2.q.168.a. 4 in corp. [4. sent. d. 16. q. 4. ar. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Quæritur an qui lucratus est aliquid in ludo teneatur ad restitutionem eius.

8 Respondeo dicendum, quòd in hoc distinguendum est, quia aliquid circa ludum iustum est prohibitum lege naturali aut diuina: vt quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt minores, & furiosi, & similes; & iterum quod aliquis alterum trahat ex cupiditate lucrandi; sed secundum ius positiuum omne tale lucrum est interdictum. Quia autẽ ius positiuum per dissuetudinem abrogatur, non autem ius diuinum: ideo dicendum videtur, quod si lucratus est ab eo, qui non habuit potestatẽ alienandi, tenetur ad restitutionem ei. Si autem lusit cum eo, qui habet potestatẽ alienandi, quæ sua sunt, si tractus lusit, & amisit, potest repetere, si lucratus est, non tenetur restituere, quia ille, qui amisit, non est dignus recipere, nec potest licitè retinere, nisi ius positiuum per contrariam consuetudinem esset alicui abrogatum, Si autem alium traxerit, si amisit, nõ competit ei repetitio, si autem lucratus est, tenetur ad restituendum illi, à quo lucratus est. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. ad 2.

Quæritur an liceat iocosa quædam immiscere in doctrina sacra.

9 Respondeo dicendum, quòd Doctrina sacra maximis rebus intendit secundum illud Prouerb. 8. audite quoniam de rebus magnis locutura sum. Vnde Ambrosius nõ excludit vniuersaliter iocum à conuersatione humana dum dicit in 2. de officijs. Non solum ergo profusos. sed etiam omnes iocos declinãdos arbitror, sed à doctrina sacra. Vnde præmittit. Licet interdũ honesta ioca, ac suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula: quoniam in scripturis sanctis non reperimus ea quemadmodum vsurpare possimus. 2. 2. q. 168. ar. 2. ad 1.

LVXVRIA.

1 *Luxuriosus vnde dicatur.*
Luxuria est maximè circa venerea.
2 *Luxuria dicitur secundario de pertinentibus ad excessum.*
3 *Vsus venereorum potest esse aliquis sine omni peccato.*
4 *Luxuria est peccatum.*
5 *Vitium oppositum luxuriæ continetur sub insensibilitate.*
6 *Omnis actus luxuriæ inordinatus est peccatum mortale ex genere suo.*
Appetitus talium actuum luxuriæ est peccatum mortale si sit deliberatus.
Alioquin est peccatum veniale.
7 *Luxuria est vitium capitale.*
8 *Quot, & quæ sint filiæ luxuriæ.*
9 *Species luxuriæ sunt sex, scilicet fornicatio simplex adulterium, incestus, stuprum raptus, & vitia contra naturam.*
10 *Quid sit mollicies, bestialitas, sodomia.*
11 *Inter peccata luxuriæ grauissimũ est peccatum contra naturam, deinde incestus, postea adulterium, tertio stuprum.*
Vtrumq; horum aggrauatur per violentiã.
Raptus Virginis est grauius peccatũ, quam stuprum.
Raptus vxoris est grauius peccatum, quam adulterium.
Hæc omnia aggrauantur secundum rationẽ sacrilegij.
12 *Inter peccata contra naturam infimum locum tenet mollicies, supremum bestialitas, post hoc est sodomia.*
13 *Quid sit impudicitia.*
14 *Abutens muliere obligata Deo per votum committit sacrilegium.*
15 *Luxuria est grauius peccatum Gula.*
Aliquando tamen Gula est grauius peccatum, quam luxuria.
16 *Quintuplex est gradus in peccato luxuriæ*
17 *Quid prohibeatur per illud præceptum, Non mœchaberis.*

18 *Si-*

18 *Peccata luxuriæ sunt maximè ex probabilia.*
19 *Luxuria opprimit totaliter rationem.*
20 *Quattuor mala oriuntur ex luxuria.*
21 *Homo per luxuriam incurrit periculum personæ, & rerum, & impedimentum à bonis operibus.*
22 *Per luxuriam homo maximè recedit à Deo*
23 *Luxuria cauenda est à principio.*
24 *Luxuria vincenda est fugiendo.*

Quæritur an materia luxuriæ sint solum concupiscentiæ, & delectationes venereæ.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut Isidorus dicit in lib. etimologiarum luxuriosus aliquis dicitur, quasi solutus in voluptates, maximè autem voluptates venereæ animum hominis soluunt. Et ideo circa voluptates venereas maximè luxuria consideratur. 2.2.q.153. a.1. in corp.

Quæritur an luxuria reperiatur in alijs, quam in venereis.

2 Respondeo dicendum, quòd luxuria principaliter est in voluptatibus venereis, quæ maximè, & præcipuè animum hominis resoluunt, secundario autem dicitur in quibuscunq; alijs ad excessum pertinentibus. Vnde ad Galatas 7. dicit gloss. Quod luxuria est quælibet superfluitas. 2.2.q.153.a.1.ad 1.

Quæritur an aliquis actus venereus possit esse absque peccato.

3 Respondeo dicendum, quòd peccatũ in humanis actibus est, quod est contra ordinem rationis, habet autem hoc rationis ordo, vt quælibet conuenienter ordinet in suum finem. Et ideo non est peccatum, si per rationem homo vtatur rebus aliquibus ad finem, ad quem sunt modo, & ordine conuenienti, dummodo ille finis sit aliquod verè bonum, sicut autem est vere bonum, quod conseruetur corporalis natura vnius indiuidui, ita etiam est quoddam bonum excellens, quod seruetur natura speciei humanæ, sicut autem ad cõseruationem vitę vnius hominis ordinatur vsus ciborum, ita etiã ad conseruationem totius humani generis vsus venereorum. Vnde Augustinus dicit in lib. de bono coniugali. Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis. Et ideo sicut vsus ciborum potest esse absq; peccato, si fiat debito modo, & ordine secundum quod competit saluti corporis, ita etiam & vsus venereorum potest esse absq; omni peccato, si fiat debito modo, & ordine secundum quod est conueniens ad finem generationis humanæ. 2.2.q.153.ar.2. in corp.

Quæritur an luxuria, quæ est circa actus venereos, sit peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet, vt circa illud rationis ordo seruetur. Vnde per consequens magis est vitiosum, si ordo rationis prætermittatur. Vsus autem venereorum est valde necessarius ad bonum commune, quod est conseruatio humani generis. Et ideo circa hoc maximè attendi debet rationis ordo, & per consequens si quid circa hoc fiat præterquã ordo rationis habet, vitiosum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, vt ordinem, & modum rationis excedat circa venerea. Et ideo absq; dubio luxuria est peccatum. 2.2.q. 153.a.3. in corp.

Quæritur quod nam sit vitium oppositum luxuriæ.

5 Respondeo dicendum, quòd oppositum luxuriæ non contingit in multis eo

quod homines magis sunt proni ad delectationes. Et tamen oppositum vitiũ cõtinetur sub insensibilitate, & accidit hoc vitium in eo, qui intantùm detestatur mulierum vsum, quod etiam vxori debitum non reddit. 2.2.q.153.a.3. ad 3.

Quæritur an omnis actus luxuriæ sit peccatũ mortale.

6 Respondeo dicendum, quòd actus luxuriæ potest esse inordinatus dupliciter. Vno modo propter solam inordinationẽ concupiscentiæ. Alio modo etiam propter inordinationem ipsius actus; Quando est peccatum luxuriæ propter solã inordinationem concupiscentiæ, sicut cum aliquis libidinosè accedit ad suam vxorem, tunc est distinguendum, quia quandoq; est talis inordinatio, quæ excludit ordinem finis vltimi, puta cum aliquis intantùm concupiscit delectationem veneream, quod ab ea non abstineret propter præceptum Dei, & quod illam mulierem cognoscere vellet, vel etiam aliam præter matrimonij legem, & sic est peccatum mortale, quia concupiscentia non refrenatur intra limites matrimonij Aliquando vero inordinatio concupiscentiæ non tollit ordinem vltimi finis, quando scilicet aliquis etsi superabundat in concupiscentia delectationis venereæ, tamen prius ab ea abstineret, quam contra præceptum Dei ageret, nec istã mulierem, aut aliam cognosceret, si sua vxor non esset, & tunc concupiscentia sistit infra limites matrimonij, & est peccatum veniale. Si vero sit actus luxuriæ peccatum propter ipsam inordinationẽ actus, quia scilicet actus non est proportionatus generationi, & educationi prolis, tũc dico, quod semper est peccatum mortale. Videmus enim quod peccatum mortale est non solum homicidium, per quod vita hominis tollitur, sed etiam furtum, per quod subtrahuntur exteriora bona, quæ ad vitam hominis sustentandam ordinantur. Vnde dicitur Eccl. 34. Panis egentium vita pauperis, qui defraudat illum, homo sanguinis est; propinquius autem ordinatur ad vitã hominis semen humanum, in quo est homo in potentia, quam quæcunq; res exteriores. Vnde & Philosophus in sua politica dicit, In semine hominis esse quiddam diuinum, inquantùm scilicet est homo in potẽtia. Et ideo inordinatio circa remissionem seminis, est circa vitam hominis in potentia propinqua. Vnde manifestum est, quod omnis talis actus luxuriæ est peccatum mortale ex suo genere. Et quia appetitus interior accipit bonitatem, vel malitiam ex eo, quod appetitur, inde est, quod etiã appetitus huiusmodi actus inordinati est peccatum mortale, si sit completus scilicet cum ratione deliberata, alioquin est peccatum veniale. q. 15. de malo ar. 2. in corp.

Quæritur an luxuria sit vitium capitale.

7 Respondeo dicendum, quòd vitium capitale est, quod habet finem multum appetibilem, ita quod eius appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda, quæ omnia ex illo vitio tanquam ex principali oriri dicuntur; finis autem luxuriæ est delectatio venereorum, quæ est maxima. Vnde huiusmodi delectatio est maximè appetibilis, tum propter vehementiam delectationis, tum etiã propter connaturalitatem huiusmodi concupiscentiæ. Vnde manifestum est, quod luxuria est vitium capitale. 2.2.q.153. a. 4. in corp. & q.15. de malo. a.4. in corp.

Quæritur quænam sint filiæ luxuriæ.

8 Respondeo dicendum, quòd filiæ luxuriæ sunt cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror,

horror, vel desperatio futuri, nam quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad sua obiecta consequens est, quod superiores vires impediantur, & deordinentur in suis actibus, Per vitium autem luxuriæ maximè appetitus inferior scilicet concupiscibilis vehementer intendit suo obiecto scilicet delectabili propter vehementiam passionis, & delectationis. Et ideo consequens est, quod per luxuriam maximè superiores vires deordinentur scilicet ratio, & voluntas: Sunt autem rationis quattuor actus in agendis. Primo quidem simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem, vt bonum, & hic actus impeditur per luxuriam secundum illud Danielis 13. Species decepit te, & concupiscẽtia subuertit cor tuum, & quantùm adhoc ponitur cæcitas mentis; Secundus actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem, & hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Vnde Terentius dicit in Eunucho loquens de amore libidinoso, quæ res in se, neq; consilium, neque modum vllum habet, eam consilio regere non potes, Et quãtùm adhoc ponitur pręcipitatio, quæ importat subtractionem consilij. Tertius actus est iudicium de agendis, & hic etiam impeditur per luxuriam, dicitur enim Danielis 13. de senibus luxoriosis, auerterunt sensum suũ, vt non recordarentur iudiciorum iustorum, & quantùm adhoc ponitur inconsideratio; Quartus autem est præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, inquantùm scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, ne exequatur id, quod decreuit esse faciendum. Vnde Terentius dicit in Eunucho de quodam, qui dicebat se recessurum ab amica, hæc verba, vna falsa lacrimula restringet Ex parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus, quorũ vnus est appetitus finis, & quantũ adhoc ponitur amor sui quãtùm scilicet ad delectationem, quam inordinatè appetit, & per oppositũ ponitur odium Dei inquãtùm scilicet prohibet delectationem cõcupitam. Alius autem est appetitus eorum, quæ sunt ad finem, & quantũ adhoc ponitur affectus præsentis sæculi, in quo scilicet aliquis vult frui voluptate, & per oppositum ponitur desperatio futuri sæculi, quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad spirituales, sed fastidit. 2. 2. q. 153. a. 5. in corp.

Quæritur quot, & quæ sint species luxuriæ?

9 Respondeo dicendum, quòd species luxuriæ sunt sex, scilicet fornicatio simplex, adulterium, incæstus, stuprum, raptus, & vitia contra naturam, Nam peccatum luxurię consistit in hoc, quod aliquis non secundum rectam rationem delectatione venerea vtitur, quod quidem contingit dupliciter. Vno modo secundum materiam, in qua huiusmodi delectationem quærit. Alio modo secundum quod materia debita existente non obseruantur aliæ debitæ conditiones. Et quia circunstantia inquantùm huiusmodi nõ dat speciem actui morali, sed eius species sumitur ab obiecto, quod est materia actus, ideo oportuit species luxuriæ assignari ex parte materiæ, vel obiecti, Quæ quidẽ potest nõ conuenire rationi rectæ dupliciter. Vno modo quia habent repugnantiam ad finem venerei actus: & sic inquantùm impeditur generatio prolis, est vitium contra naturam, quod est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi nõ potest; Inquantùm autem impeditur debita educatio, & promotio prolis natæ, est fornicatio simplex, quæ est soluti cum soluta. Alio modo materia, in qua exercetur actus venereus potest esse non conueniens rationi rectæ per comparationẽ ad alios homines, & hoc dupliciter. Primo quidem ex parte ipsius fæminæ, cui

aliquis

aliquis commiscetur, quia ei debitus honor non seruatur. Et sic est incæstus, qui consistit in abusu mulierum consanguinitate, vel affinitate iunctarum. Secundo ex parte eius in cuius potestate est fæmina, quæ si est in potestate viri, est adulterium. Si autem est in potestate patris, est stuprum, si non inferatur violentia; raptus autem, si inferatur; Diuersificantur autem istæ species magis ex parte fæminæ, quam viri, quia in actu venereo femina se habet, sicut paciens, & per modum materiæ, vir autem per modum agentis. Dictum est autem, quod prędictę species secundum differentiam materiæ assignátur. 2.2.q.154.a.1.in corp. & q.15.de malo. a. 3.in corp.

Quæritur an vitium contra naturam sit species luxuriæ.

10 Respondeo dicendum, quòd ibi est determinata luxuriæ species, vbi specialis ratio deformitatis occurrit, quę facit indecentem actum venereum, quod quidem potest esse dupliciter. Vno quidem modo quia repugnat rationi rectæ, quod est commune in omni vitio luxuriæ. Alio modo quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali venerei actus, qui conuenit humanæ speciei, quod dicitur vitium contra naturã. Quod quidem potest pluribus modis contingere. Vno quidẽ modo si absque omni concubitu causa delectationis venereæ pollucio procuretur, quod pertinet ad peccatũ immunditiæ, quam quidem molliciem vocant. Alio modo si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei, quod vocatur bestialitas. Tertio si fiat per concubitum ad nõ debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel fæminæ ad fæminam, vt Apostolus dicit ad Rom. primo, Quod dicitur sodomiticum vitium. Quartum si non seruetur modus naturalis concumbendi, aut quantum ad instrumentum non debitum, aut quantùm ad alios monstruosos & bestiales concubẽdi modos. 2.2.q.154. a.11.in corp.

Quæritur an vitium contra naturam sit maximum peccatum inter species luxuriæ.

11 Respondeo dicẽdum, quòd in quolibet genere pessima est principij corruptio, ex quo alia dependent. Principia autem rationis sunt ea, quæ sunt secundum naturam. Ná ratio præsuppositis his, quę sunt à natura determinata, disponit alia secundum quod conuenit. Et hoc apparet, tàm in speculatiuis, quàm in practicis. Et ideo sicut in speculatiuis error circa ea, quorum cognitio est homini naturaliter indita, est grauissimus, & turpissimus, ita in agendis agere contra ea, quæ sunt secundum naturam determinata, est grauissimum, & turpissimũ. Quia ergo in vitijs, quæ sunt contra naturam transgreditur homo id, quod est secundũ naturam determinatum circa vsum venereorum, inde est, quod in tali materia hoc peccatum est grauissimũ. Post quod est incæstus, qui est contra naturalẽ reuerentiam, quam personis coniunctis debemus. Per alias autem luxuriæ species prętеritur solum id, quod est secundum rationem rectam determinatum, ex præsuppositione tamen naturalium principiorum. Magis autẽ repugnat rationi, quod aliquis venereis vtatur non solum contra id, quod conuenit proli generandæ, sed etiam cum iniuria alterius. Et ideo fornicatio simplex, quę committitur sine iniuria alterius personæ, est minima inter species luxurię. Maior autem iniuria est, si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad vsum generationis, quã ad solam custodiam. Et ideo adulterium est grauius, quam stuprum, & vtrumque aggrauatur per violẽtiam, propter quod raptus Virginis est grauius, quam stuprũ, & raptus vxoris, quam adulterium. Et

hæc

hæc omnia etiam aggradantur secundũ rationẽ sacrilegij.2.2.q.154.a.12.ĩ corp.

Quæritur quodnam sit maius peccatum inter vitia contra natura.

12 Respondeo dicẽdum, quòd grauitas in peccato magis attenditur ex abusu alicuius rei, quam ex omissione debiti vsus. Et ideo inter vitia, quæ sunt contra naturam infimum locum tenet peccatũ immunditiæ, quæ consistit in sola omissione concubitus ad alterum. Grauissimũ autem est peccatũ bestialitatis, quia non seruatur debita species. Vnde super illud Genesis 27. cap. Accusauit fratres suos crimine pessimo dicit glosa, quod cum pecoribus miscebantur. Post hoc autẽ est vitium sodomiticum, cum ibi non seruetur debitus sexus, Post hoc autem est peccatũ ex eo quod non seruatur debitus modus cõcumbendi, Magis autẽ si nõ fit debitum vas, quam si fit inordinatio secundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus.2.2 q.154.a.12. ad 4.

Quæritur an impudicitia pertineat ad luxuriã

13 Respondeo dicendum, quòd immundicia ponitur pro luxuria contra naturã, impudicitia autem est, quæ fit cum liberis à viro. Vnde videtur ad stuprum pertinere. Vel etiam potest dici, quod impudicitia pertinet ad quosdam actus circumstantes actum venereum, sicut sunt oscula tactus, & alia huiusmodi. 2. 2. q. 154. a. 1. ad 5.

Quæritur quo peccato luxuria peccat ille, qui cõmiscetur mulieri obligatæ Deo per votũ.

14 Respondeo dicendum, quòd mulier vouens continentiam quoddã spirituale matrimonium facit cum Deo. Et ideo sacrilegium quod committitur in violatione talis mulieris, est quoddam adulterium spirituale. Et similiter alij modi sacrilegij reducuntur ad alias species luxuriæ. 2. 2. q. 154. a. 1. ad 3.

Quæritur an luxuria sit grauius peccatũ Gula

15 Respondeo dicendum, quòd etsi homo magis impugnetur ad actum luxuriæ, quam ad actum gulæ, & in eo sit debilior, quia tamen actus luxuriæ est secundum se mortale peccatũ, quia habet materiam indebitam charitati repugnantem, quod actus gulæ non habet, ideo nõ sequitur, quod peccatum luxuriæ sit minus, quam peccatum gulæ: sequeretur autem fortè in casu illo, quãdo actus luxuriæ est veniale peccatum; quia si quis vtitur superfluè cibo suo venialiter peccat, sicut qui superfluè vtitur sua vxore, nisi aliud sit, quod faciat vtrobiq; peccatum mortale. Si quis autem cibo furtiuo vtatur, vel prohibito per legem peccat mortaliter, minus tamen, quam fornicator; quanto cibus vel quælibet res exterior à remotiori se habet ad vitã hominis, quã semen humanum. q.15. de malo a.2. ad 6. [4. sent. d.33. q.1. a.3. quæstiunc. 2. ad 4.

Quæritur quotuplex sit gradus in peccatò luxuriæ.

16 Respondeo dicendũ, quòd est quintuplex. Primus est aspectus oculorũ, quo mulier pulcra aspicitur. & præcipuè virgo. Secundus autem est cogitatio. Tertius delectatio. Quartus consensus. Quintus opus. lect. 1. cap. 31. Iob. [p.2. q.72.a.7. in corp.

Quæritur quid probibeatur per illud præceptum non mechaberis.

17 Respondeo dicendum, quòd per illud præceptum, Non mechaberis intelligitur prohiberi omnis illicitus vsus genitalium membrorum, qui de genere suo est peccatum mortale. q.15. de malo. a.2. ad 2. [3. sent. d.37. a.2. quæstiunc. 1. ad 2.

Quæ-

Quæritur an peccata luxuriæ sint maximè exprobrabilia.

18 Respondeo dicendum, quòd inter vitia intemperantiæ præcipuè sunt exprobrabilia peccata venerea tū propter inobedientiam genitalium, tùm etiam propter hoc q ratio ab huiusmodi maximè absorbetur. 2.2.q.151.a.4.ad 3.

Quæritur quisnam sit effectus luxuriæ.

19 Respondeo dicendum, quòd luxuria propter vehementiam delectationis, & concupiscentię totaliter opprimit rationem, ne prodeat in actum. Vnde Philosophus venerē dolosam appellat in 7. eth. cap.6. Et dicitur secundum quandā similitudinem, inquantùm scilicet hominem subito surripit, sicut & in dolis agitur, nō tamen per astutias, sed magis per violētiam concupiscentiæ, & delectationis. Vnde & subdit quod venus furatur intellectum multū sapiētis. 2.2.q.55.a.8. ad 1.

Quæritur quot mala oriantur ex luxuria in locutione.

20 Respondeo dicēdum, quòd Isidorus ponit quattuor scilicet turpiloquia, scurilia, ludicra, stultiloquia, quæ sunt ad locutionem pertinētia, in qua est aliquid inordinatum quadrupliciter. Vno modo propter materiam. & sic ponuntur turpiloquia, quia enim ex abundantia cordis os loquitur, vt dicitur Matthæi 12. Luxuriosi, quorum cor est turpibus concupiscentijs plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. Secundo ex parte causæ quia .n. luxuria inconsiderationem, & præcipitationem causat, consequens est, quod faciat prorompere in verba leuiter, & inconsideratæ dicta, quæ dicuntur scurilia. Tertio quantum ad finem, quia enim luxuriosus delectationem quærit, verba sua ad delectationem ordinat. & sic prorumpit in verba ludicra. Quarto quantū ad sentētiā verborū, quā peruertit luxuria propter cæcitatē, mentis, quā causat. & sic prorumpit in stultiloquia, vt potè cum suis verbis præfert delectationes, quas appetit, quibuscunq; alijs rebus. 2.2.q.153.a.5.ad 4.

Quæritur quod damnum incurrat homo per peccatum luxuriæ.

21 Respondeo dicendum, quòd duplex est damnum, quod homo propter peccatum luxurię incurrit. Primum corporale, scilicet periculū personæ, & rerū. Aliud vero damnum est impedimentum à bonis operibus. lect. 1. cap. 31. Iob.

Quæritur an homo per luxuriam maximè recedat à Deo.

22 Respondeo dicēdum, quòd per peccatum luxuriæ homo maximè videtur à Deo discedere. Accedit autem homo ad Deum per spiritales actus, qui maximè impediūtur per delectationem venereā. lect. 1. cap. 31. Iob.

Quæritur an luxuria sit cauenda à principio.

23 Respondeo dicendum, quòd peccatū luxuriæ in lubrico positum est, & nisi aliquis principia vitet, vix à posterioribus potest pedē retrahere. lect. 1. cap. 31. Iob.

Quæritur quomodo sit vincendum peccatum luxuriæ.

24 Respondeo dicendum, quòd peccatū semper est fugiendum, Sed impugnatio peccati quandoq; est vincēda fugiendo, quandoq; resistendo. Fugiendo quidem quādo continua cogitatio auget peccati incentiuum, sicut est luxuria. Vnde dicitur primæ ad Corinth. 6. Fugite fornicationem; Resistendo autem, quando cogitatio perseuerans tollit incentiuum peccati, quod prouenit ex aliqua leui appręhensione, & hoc cōtingit in accidia, quia quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto magis nobis placentia reddūtur, ex quo cessat accidia. 2 2.q.35. a.1.ad 4. [lect.3. cap.6. primę ad Corinth.

FINIS PRIMI TOMI.

INDEX EORVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE TRACTANTVR.

Emptio.



Erra-

Erratorum grauiorum correctio.

Pag.	Col.	Linea	Error.		Correctio.
4	2	20	*Absolute*		*Absolue te*
5	2	1	*Absolutionem*		*confessionem*
24	2	24	*absoluerit*		*aboleuerit*
179	2	5	*Ecclesiæ*		*scientiæ*
197	1	4		*dele*	*In quo casu*
197	1	5	*fuit*		*facit*
208	1	12	*comparetur peccato*	*adde*	*occidentium Christum*
224	1	2	*qualibet*		*non qualiter*
227	2	16	*confessio*		*contritio*
231	2	8	*afferatur*		*offeratur*
237	2	8	*amittat*		*omittat.*
241	2	35	*virificatio*		*iustificatio*
242	1	31	*valente*		*valenti*
246	1	8	*confitendus*	*adde*	*numerus*
246	2	13	*accessionem*		*occasionem*
246	2	25	*interfuit*		*interficit*
247	1	24	*per virgium, & ab hoc*		*periurium, & ob hoc*
249	2	37	*motum*		*votum*
250	1	15	*præstigi*		*præfigi*
250	1	33	*vnum*		*verum*
254	2	30	*sine culpa*	*dele*	*sine.*
255	1	34	*cælare*		*quare*
258	1	32	*debet*		*delet*
258	1	39	*tamen*		*tantum*
258	2	39	*Benignus*	*adde*	*4. sent d. 17. in expositione textus.*
259	1	9	*exhibendo*		*non exhibendo*
261	2	17	*purgatori*		*pugnatori*
261	1	39	*creditoribus*		*eruditoribus*
274	1	12	*festinam*		*festucam*
276	1	8	*ne ædificetur*		*reædificetur*
277	1	12	*inquirentur*		*inquinentur*
282	1	19	*ficus*		*sunt*
282	1	35	*feretur*		*furetur*
288	2	1	*non falsitatis*	*dele*	*non*
294	2	39	*intentio*		*intensio*
297	1	10	*panam*		*culpam*
298	1	27	*parcendo*		*parendo*
299	1	5	*concupiscendo*		*compescendo*
311	2	16	*oblesa*		*oblata*
316	2	4	*credere*		*erudire*
329	1	10	*in eis confidat*		*ne in eis confidat*
333	2	13	*vix*		*vir*
334	1	38	*prorsus*		*pronus*
338	2	16	*debent subtrahi*		*non debent subtrahi*
342	1	18	*fiat irregularis, dele, & pone*		*peccet.*
369	2	19	*vriatur*		*prohibeatur.*
373	2	24	*morum*		*nigrum.*
373	2	30	*stupitiis*		*arreptitiis.*
373	2	39	*alia*		*aere.*
374	1	46	*peccatorum*		*punctorum*
384	2	16	*sunt*		*ficus*
384	2	23	*excusatur*		*accusatur.*
387	1	33	*desistere*	*adde*	*retinere*
392	1	26	*quæritur iure*		*quo iure*
394	2	35	*nisi*		*mihi*

Pag.	Col.	Linea	Error:	Correctio:
396	2	1	Hiperdulia	hiperdulia
400	1	42	vera	cura
400	2	19	auedisti	occidisti
402	2	4	opposuisti	appetiuisti.
413	2	17	praeceptum superioris adde	opponere
419	1	4	vernitas	curuitas
420	1	45	non curam dele	non.
421	1	27	effectus	affectus.
425	1	19	locum	lucem
425	2	26	consecrarunt	consecrantur
426	1	16	oppositio	appositio
432	2	24	assumitur	absumitur
437	2	8	de forma	de essentia
440	2	31	dura	dona
442	1	13	arctatur	arcetur
454	1	11	operationem	opinionem
456	1	39	simili	seruili
457	2	44	durantur	ducuntur
469	2	31	effectum dantis	affectum dantis
470	1	30	secundum affectu	secundum effectum
472	2	11	prolo	pro loco
476	1	14	gratiam facienti	gratiam gratum facientem
477	2	11	Geometria libras	geometricalibus.
478	2	39	indiantur	insidiantur.
480	2	9	conuersatione	conuersionem.
481	2	24	corruptionem	correptionem.
482	2	8	seuerius	securius.
487	2	28	qui nō inquiratur	quia non inquinantur
489	1	31	hominem adde	casualiter
489	1	40	carnalia	causalia
489	1	43	per euidens	per accidens
494	1	31	cogatur	vogatur.
501	2	22	non esse consecratam dele	Non.
506	1	4	per quamlibet vita desinit	per qualibet vitia desinit:
507	1	34	una ex onibus	una ex unibus
510	1	8	& spirituali causa in aliqua inueniatur, &	ex spirituali causa in aliquo inueniatur quod
510	2	16	dictas	dietas
511	2	10	extinguatur	non extinguatur.
512	2	39	quae	quia
515	2	39	spirant	spectant
516	1	4	amissionis	omissionis
516	2	21	me	nec
525	1	8	prudentiae adde	sicut enim distinguitur prudentia in monasticam, quae est regitiua vnius, et in alias species prudentiae, quae sunt multitudinis regitiuae, ita etiam imprudentia
525	1	30	pernet	pertinet
525	1	32	silentiae	solertiae
528	1	17	plans	places
534	1	47	ad vim, qui mirebatur	ad eum, qui merebatur
535	2	15	ditis	dietis
538	2	12	vera	cura
539	1	1	incrudelitas	incredulitas.
539	2	22	illud. 12. Praelati. pene. ante	verbum, Ecclesiarum
553	1	20	obseruatio.	obduratio.
589	2	19	turpiter	finitur
604	1	1	operari	opinari

Pluribus in locis loco Rec. positum est Ecc.

Registrum.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr

Omnes sunt Quaterniones præter Rr qui est quinternio.



PLACENTIAE.

Apud Iacobum Ardizzonium Impressorem Ducalem. M.DC.XXVIII.